21A 118
Pars II.

Digitized by Google

Národní knihovna ČR
Historické fondy
21 A 118/P.2
Národní knihovna
1002386038

XXI
A 118

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

HISTORIAE SOCIETATIS IESV

PARS SECVNDA, SIVE LAINIVS.

Auctore R. P. FRANCISCO SACCHINO
Societatis eiusdem Sacerdote.

Historicus F. N°. 20



BIBLIOTHECA

ANTVERPIÆ
Ex officina Filiorum MARTINI NVTII,
ANNO M. DC. XX.

Cum Gratia & Priuilegio.

Digitized by Google

Digitized by Google

PATRIBVS ET FRATRIBVS SOCIETATIS IESV.

HAbetis alteram, Patres Fratréſque Hiſtoriarum noſtræ Societatis partem, ſcriptam à me animo bono, exitu vtinã pari. Fruimini, quod ſtrenua Patrum manus geſsit, ignoſcite quod ſtylus meus detriuit. Video quàm diſpari conditione ſimus. Vos factis eos repræſentatis, ego dictis adumbro. Scripta mea tabulæ mutæ ſunt, ignaua lineamenta: ſpirantes vos ſtatuæ, ſimulacra viua & efficacia. Qui & litteras animatis meas, dum, quæ narrãtur à me, accipiunt fidem, hoc eſt vitam, à vobis; vt nemo dubitet facta, quæ fieri videt: nec de Patrum ambigat facie, quam agnoſcit in filijs. Cæterùm & veſtra, & publicè intereſt, vt veſtris ad Deum precibus impetretis, quod mihi munus impoſitum eſt, vt quàm minimè malè fungar: nam vt bene, ſupra votum eſt. Plura habebam ad vos prę fari de toto genere, conſilióq; & quaſi œconomia ſcriptionis tum meæ, tum P. Nicolai Orlandini, qui primam rerum noſtrarũ partem condidit. In eamdem enim viam à principio, inuicem ignari, conuenimus: ſed quia & ad alios, atque adeò maximè ad alios ea diſputatio pertinebat, ſeparare malui, proœmióq; incluſi. Bene valete. Chriſtus Ieſus ſua me Societate ac veſtra dignum efficiat.

Omnium indignus in Chriſto ſeruus

Franciſcus Sacchinus.

Digitized by Google

PROOEMIVM
DE GENERE ET CONSILIO
HVIVS HISTORIÆ.

QVOD continens sæculorum recepit vsus, vt Historiæ conditores, quas quisque res tradendas posteritati susceperint, omnium ferè primas putent; lectorumque auiditatem haudquaquam dissimulanter perque insinuationum blandos anfractus, sed aperto rectóque studio colligant: id mihi quoque concedi æquius eo sit, quo iustius postulatur. Quòd si sacri quidquam ad rem facit auctoritas exempli, detur & mihi, (quanquam nulla re comparando) quod S. Paulus omni sibi iure sumpsit, vt honorificem ministerium meum. Nam, vt scriptorem hîc seperem: nec me Historicorum numero inserere audeam; materiæ quidem non appetenti mihi, sed diffidenti oblatum genus, vt ignorare hominis non modesti magis quàm stolidi; ita dissimulare ingrati videatur potiùs, quàm pudentis. Neque hîc profanis bellis sacra compararim. Bella nos condimus, non populorum inter se, (quanquam & hæc in loco tacita præteriri non licet) sed gentis humanæ cum monstris tyrannisque tartareis; quorum nec potentiæ ferociæque, nec prauitati aut malitiæ, ac ne numero quidem vllæ adæquari possint mortales opes. Bella non per amplas fusa prouincias, sed quidquid terræ, quidquid maris vsquam est patefactum, amplexa. Bella, quibus cùm toto pugnetur orbe terrarum, non tamen de orbe terrarum dimicatio est, sed de imperio cæli. Itaque totus hic mortalium rerum mundus pro campo est nobis; victoriæ merces ille immortalis, triumphis non in Romanum Capitolium ad breuem diem, sed in beatam Ierusalem, Romamque cælestem ad æternitatem inuehendis. Nostrorum summa bellorum non robore ac firmitate corporum, quibus & multæ belluarum præpollent, sed animorum virtute constat: qua vna vincere plena victoria est, vinci vera clades. Quid de armis dicam, quæ cælestia? de imperatore, qui Christus est? de præda, quæ non corrumpitur, sed beatur? Nam quidquid infertur hîc vastitatis, excidium est vitiorum. Cum his igitur contendam bella profana, quæ non rarò ab scelere orta, & geruntur cum scelere, & perpetrantur; cùm hæc à virtute profecta cum virtute administrentur, desinant in virtutem? Quid vllam in partem, nisi in diuersum conuenit? Nam vt illic nitidissimas regiones vastari, pulcherrimas vrbes euerti, sacra violari, deleri imperia, populos mancipari, sanguine, flamma, rapinis fœdari omnia, Martium facinus, ac triumphi meritum est: ita hîc excoli aspreta in Paradisi delicias, excitari templa, expiari impia & consecrari, municipia cæli fundari, ad regnum, ad thesauros immortales, ad sempiternam beatitatem vocari miserrimos; omnia pijs lacrymarum imbribus, amabili caritatis incendio, salutaribus benignitatis fontibus enitescere, Saluatoris est opus, & victoria crucis. Denique vt trucidatorum illic millia numerantur, ita census hîc agitur vitæ restitutorum. Quæ cùm certè infra potiùs, quàm supra meritum rerum dicantur, quantum distant diuina humanis, æterna breuibus; quid obsecro est, quam ob rem homines, quorum est propria humanitas, ad spectacula immanitatis tanto impetu rapiantur; hæc autem consentanea generi suo, tantóque pulchriora ac perinde salubriora magnam partem fastidiant? Enimuero naturalis Historiæ Romanus auctor ex merito exprobrat mira humani ingenij peste fieri, vt sanguinem ac cædem condere annalibus iuuet mundi ipsius ignaris. Concionabundus verò Seneca peruersitatem eandem, quate-

Rom. 11.

I. Comparatio Religiosæ Historiæ cum profana militari:

cum naturali, ac morali Ethnicorum.

Plin. li 2. cap 29.

nus

nus bella moribus præferuntur, illa orationis grauitate inceſſit ac deplorat. Conſumpſere ſe quidam dum acta Regum externorum componunt: quæq; paſſi inuicem, auſiq; ſunt populi. Quanto ſatius eſt ſua mala extinguere, quàm aliena poſteris tradere? Quanto potius deorum opera celebrare, quàm Philippi aut Alexandri latrocinia, cæterorumq;, qui exitio gentium clari, non minores fuere peſtes mortalium, quàm inundatio, qua planum omne perfuſum eſt; quàm conflagratio, qua magna pars animantiu exaruit? Quemadmodum Annibal ſuperauerit Alpes ſcribunt: quemadmodum confirmatum Hiſpanię cladibus bellum Italiæ inopinatus intulerit, infractiſq; rebus, etiam poſt Carthaginem pertinax, Reges perterrauerit, contra Romanos ducem ſe promittes etiam ſine exercitu: quemadmodum non deſierit ſenex omnibus angulis bellum quærere. adeò ſine patria eſſe pati poterat, ſine hoſte non poterat. Quanto ſatius quid faciendum ſit, quàm quid factum ſit quærere? ac docere eos, qui ſua permiſere fortunę, nihil ſtabile ab illa datum eſſe; eius omnia fluere aura mobilius? *Quòd ſi vel naturæ opera, vel humanorum morum culturam, vt intra eiuſdem naturæ limites continentur, homines in ſapientia Romana primi ſubſellij vſque eò ſcriptu digniora lectuque quàm cruentas bellorum ſtrages, & regnorum exitia cenſuerunt; apparet de Religioſis quid ſit exiſtimandum Hiſtoriis, quæ quanto bellicis naturales moraleſque, tanto ipſæ ac longè ampliùs vtriſque antiſtant. Hîc enim ipſam videas, quæ ſuo in regno tam inexorabilis domina eſt, ancillam fieri naturæ; quocunque vocetur, ſequi; omnem ponere, & induere faciem, vt appareat Chriſto, & famuletur. Spectacula hîc hominum offeruntur vſque eò ſupra nubes, ſupraque modum humanum elatorum, vt propiores iam cælo ſint, mentibuſque beatis, quàm terrenæ origini ſimiliores. Hîc ſuum Chriſti gratia quemdam fabricatur, fouetque, & quaſi animat mundum, cuius vniuerſa hæc naturæ pulchritudo atque perfectio vix prima linea & adumbratio cenſeatur. Hinc verò eſt conſequens, vt quæ talia exequuntur Hiſtoriæ, paribus quadam portione gradibus ſuper eas omnes, quæ naturæ incluſa finibus produnt, excellant.*

II. Huius cõparatio operis cum Religioſis ſimilibus.

Sed inter ipſas Religioſas quem locum hæc noſtra mereatur, exiſtimari hinc poterit. Seuerioris diſciplinæ primi conditores exiguum habuere commercium cum procuratione alienæ ſalutis. Monachos ſeſe profitebantur, & ſola petebant loca, vt ſecum toti, cúmque cæleſtibus, obliti propè mortaliũ, eſſent. Familiæ his deinde ſucceſſerunt, quæ haud paulò liberaliùs partem curarum in communes vtilitates deriuauerunt: verumtamen & ad concinendas per otium diuinas laudes certa ſibi interualla, & ad officia alia reſeruarũt: nec munera niſi quædam priuatiſque gerenda modis aſſumpſerunt. Extitit demum hic, de quo nos molimur, cœtus, qui parte vtramque ſtudio ſummo complexus, nihil, quod ad perficiendam ſuorum virtutem, nihil quod ad alienam pertineret, omiſit: & connexuit inter ſe partes eas, inuicémq; ita permiſcuit, vt quidquid priuatim proficeretur, id omne publicè quoque prodeſſet. Quid enim deſiderari ampliùs ad diſciplinam domeſticam, & propriam cuiuſque alendam virtutem poteſt, vbi Tirocinij ea ratio eſt? illa graduum diſtinctio, & cooptatio in eos: Moderatorum talis creatio: ita ſepta paupertas: ambitioni ſic aditus intercluſus? tum illa interiora, & inprimis efficacia, tantus obedientiæ, tantus explorandæ conſcientiæ, & meditandi, tantus diuinorum myſteriorũ vſus? Etenim perfectio cùm in eo ſit poſita, vt perpurgatus à vitiis animus, & illuminatus virtutibus quã ſimillimus fiat, quámque arctiſſimè iungatur procreatori ſuo; & fundamenta ſint cognitio ſui Deique, itémque notitia vitandarũ rerum & agendarũ: nos quidem ipſos, & vitanda maximè per examẽ, Deum, & agenda meditatione cognoſcimus. Ad hæc cuiuſuis facultatis diſciplina cùm ita facillimè comparetur, ſi ex conſilio & præmeditatione

Digitized by Google

agas præcognitis & obseruatis agendi rationibus, tum actionem postea ipsam, & opus recognoscas, & ad propositam regulam exigas; id omne cùm meditatio præstat, quæ præcognoscit vias atque proponit; tum examen, quod facta ad iudicium, & ad limam reuocat: nec solùm probat, aut damnat, sed & causas peruestigat erroris aut successus; quas vitemus inposterum, vel sequamur. Obedientia verò si vigeat, ita ab se ipso, ac suis quemque appetitionibus seiungit ac separat, cumque diuina conserit voluntate, vt vna omnes consummatæ sapientiæ partes complexa videatur. Ad hæc autem efficienda, quoniam supra vires naturæ sunt, cùm cælesti sit opus auxilio, perfrequens cùm precandi, tum mysteriorum præsidium prouisum est. Sed hæc omittamus. Neque enim id ago, vt Ordinem hunc, qui se minimum omnium profitetur, cum aliorum perfectione componam: de altera illa parte, quæ potiùs ad historiam pertinet, liberiùs licet significare, cùm palàm sit, totum se, quantuscunque est, ad alienas vtilitates contulisse. Quæ ipsa cura, vix credibile dictu est, quàm & variè, & validè in proprium quoque profectum redundet. Nihil itaque præcipuè sibi temporis, nihil loci muneriue secreuit. Quod animis commodaret, alienum ab se nihil putauit: in omnia se vijs omnibus dedit: nomine etiam à militia sumpto professus neutiquam se vmbræ, verùm soli natum; inque acie perpetuò stare, assiduum præeunte, & vires sufficiente Iesu, pro liberandis animis bellum gerentem. Ita Societatem hanc, (si vno conspectu intuearis) videre licet totam in opere, totam in certamine, domi, peregre, per oppida, per agros, in gymnasiis, in templis, circum fora & compita, priuatorum in tectis, inter nosocomiorum squalorem, inter vincula reorum, vbi vbi spes affulgeat sacræ prædæ. Hîc dimicare cum hæreticis, illic signa Euangelij explicare inter ignaras Christi nationes: per ludibria fluctuũ, per naufragia, per inuias solitudines, ad vltima rerum properare, vt venetur, quos in partem sortis Sanctorum vocet: vbique verò laborare, eniti, contendere, vt iam transcriptos in gentem sanctam, & regale sacerdotium ad vitam professione dignam adducat; ab vitiorum ac dæmonum violentia tueatur; ad vlteriora honesti prouehat, & propiùs admoueat Deo. Videre licet quasi cohortem in quadam caritatis specula excubantem semper, & vbique in procinctu. Siue eluuies sternat, siue voret flamma vrbes, siue plebem fames depopuletur, siue pestilentia gentes absumat, siue postremò alius quiuis humanorum casuum ingruat; repentè accurrere, aduolare, adesse per strages ac flammas ac funera opem animis; & si queat, etiam corporibus allaturam; conniseramque vt mortalitatis damna vertat in lucrum æternitatis. Itaque quamuis de cætero (vt dixi) omnium se Religiosarum familiarum agnoscat, haberique velit postremam; haud dubiè tamen hac instituti ratione, & munerum operúmque varietate vberiorem tanto scriptori materiam suggerit, quanto est ipsa sagatæ ciuitati, quàm togatæ similior; quantóque fertiliora sunt Historiæ tempora belli, quàm pacis.

III. Non scribenda sola mirabilia, & inimitabilia.

Cæterùm quemadmodum ille vulgò peruersus, quem paulò antè castigauimus, viget error, vt sanctissimis hisce & salutiferis bellis profanorum scelera bellorum & sanguinem anteponant; ita piorum non paucis illa insedit fallax opinio, vt siue in moribus, siue in factis, nisi quæ exaggerata in miraculum sunt, parum digna luce annalium arbitrentur: &, quæ prodigijs contexta monumenta non sint, propè neglectui habeant. Habenda sanè gratia est his, qui Historiæ id genus composuere. Miranda enim prodigia mentes humanas excitant ad veneratione Numinis, ad cogitandam prouidentiam, ad æstimandam potentiam, bonitatem, iustitiam. Quare memoriam eorum consignari fidelibus litteris pium ac salutare est. Fastigia quoque summa virtutum, & imitatu ardua facta lectorem compungunt, vt excellentissima animaduertenti, ne mediocria quidem præstare pudori sit. Quibus de causis talia & nos, quanquam minimè affectauimus, nec nisi scrupuloso delectu, tamen libenter posuimus; & quidem tam multa, vt, si non

volumina,

Digitized by Google

volumina, sed anni conferantur, haud facile sit plura alibi reperire. Verùm enimvero haud meliùs paulò videatur meriturus de publico pietatis, qui non illis dumtaxat contentus, narrationem ad humanum magis vsum accommodet, atque Historiam, vt in confesso est apud omnes debere esse, ita ipse faciat magistram vitæ: perque omnia officiorum genera, gradus per omnes ducat. Etenim cùm & præceptis vita formetur, & exemplis; vt illa sapientes docent vtiliora esse, quæ non vniuersè traduntur, sed ad singulas aptantur actiones; ita censeri æquum est præstare exempla, quorum latiùs pateat vsus: & saluberrima moribus esse, quæ in cursu rerum quotidiano, negotiisque singulis intueri possis; vt vbique decora præte habeas signata, & quasi consecrata vestigia, quæ subsequi, & vestigiis pressisse tuis iuuet. Periculum alioqui sit, ne quem præcelsa tantùm suspicere assueeceris, is neque illa præ infirmitate conetur assequi, neque media præ contemptu curet. Officia quin etiam moderata, eodemq; tenore conseruatam disciplinæ æquabilitatẽ, eo impensiùs commendari par est, quo minùs intellectam laudem habent: cùm tamen sæpenumerò nec fructuosa minùs, nec ardua; semper autem tutiora sint speciosis illis. Ad hæc magnorum virorum nihil ignorare posteri amant. Diligenti autem scriptori non id modò spectandum est, quid sæculo arrideat suo, sed simul æui consulenda venturi studia, & quamuis serorum desiderijs indulgendum nepotum. Optabat iure Chrysostomus, quæcunq; fecerunt SS. Apostoli, aut aliquo ad eos modo pertinuere, vt prodita memoriæ essent; vbi fuissent; quas domos intrassent; vbi assedissent; ac cætera talia, quæ videmus vel obscura famæ testificatione commendata, non solùm gratiam, sed & venerationem habere. Id autem & in alijs locum habet virtute eximijs, quamuis Apostolica excelsitate inferioribus. Ac ne illud quidem conueniens est, quod nihil tua, patriæque tuæ putes interesse, id pro superuacaneo ducere. Alijs fortasse hominibus, aliis poterit terris iucunditatis aliquid & commoditatis afferre. Neque verò publici molitor operis vnicuipiam addicit operam suam, sed publicum gentis humanæ administrum præbeat sese oportet.

IV. Nihil in religione paruum. Lib. II. cap. 2.

Ante omnia intuendum, quid argumento, quod in manibus quisque habet, consentaneum videatur. Putidum quippe est quiduis à quolibet postulare. Respublica de qua, & cui scribitur, operi modum finit. Proditurus de insectis animalibus Plinius principio legentes precatur, ne, quoniam ex ijs multa spernunt, etiam relata fastidio damnent, cùm in contemplatione naturæ nihil possit videri superuacuum. Quanto igitur minùs fastidiendum quidquam erit in gratiæ diuinæ, & singularis prouidentiæ contemplandis ac describendis operibus? Pleraque eorum, quæ retuli, quæq; referam (*inquit scriptorum, si quisquam, fastidiosus ac censor*) parua forsitan ac leuia memoratu videri non sum nescius. *Tum excusat tempora, quæ memorãda sibi obtigissent. Hac excusatione vereor ne non satis decorum sit Christianũ scriptorem apud Christianos vti. Clarus eloquentiæ doctor negat quidquam paruum in studiis esse: eoque sibi quædam, quamuis parua videantur, transeunda non putat. Quanto id autem verius in studiis pietatis, quàm litterarum? Quæ ad religionem pertinent, omnia magna sunt. Apud rudem cælestium ætatem, ac fœdissimis superstitionibus occæcatam prositentur Historicorum grauissimi quædam se, quæ alioqui omissuri fuissent, in annales suos, quòd pertineant ad religionem, referre. Magnus Alexander terrarum parte magna in potestatem redacta victorem exercitum ita compellat: Maiora adhuc restant: sed ita nostra erunt quæ non dum attigimus, si nihil paruum duxerimus, in quo magnæ gloriæ locus est. An quidquam igitur Christiani paruum censeant, in quo & diuinæ, & ipsorum gloriæ sempiternæ sit locus?* Pleraque sunt, *inquit Plutarchus*, quæ si tu tibi ipsi, aut per te ipsum pertractes & agas, abiectus & sordidus meritò existimari possis; hæc eadem si ciuitati publicè exhibere videaris, non illiberalis & degener, sed generosus

Tacit. li 4. Annal.

Quintil. l. 10. cap. 3.

Liu. sæpè

Quintus Curt. li. 9.

Plut. in polit præceptis.

Digitized by Google

ciuis haberi queas. *Refert igitur non modò quid, sed & cui, & qua gratia fiat. Quòd si causa publica ministerium quamuis illiberale nobilitat, quanto validiùs cohonestabit*

S. Ambr. 2. de pœnit. c. 6. *Deus? Præclarè S. Ambrosius:* Totum decet quidquid defertur religioni: vt nullum obsequium, quod proficiat ad cultum & obseruantiam Christi, erubescamus. *Vetat Plato minuti pusillique animi opinionẽ timendam, quasi parua nimiùm*

Plato 5. de leg. ad fin. *considerentur, si quis præcipiat, vt vasa, atque vniuersa ciuium supellex suum habeat modum, nihilque sine certa mensura possideatur. Longiùs ab opinione tali aberit, qui in Republica diuina esse commensa cuncta docuerit, legitimáq; nihil mensura ac iusto modo*

Liu. dec. 3. lib. 7. *vacare. Quòd si per sese quædam spectata, exigua possent videri, ad summam tamẽ relata pro magnis habenda sunt. Adeò ex paruis sæpè magnarũ momenta rerum pendent.*

Arist. Pol. l. 5. c. 2. & 3. & 4. Plato 4. de rep. *Qui de ciuitatum ordinando statu laudatissima præcepta ediderunt Plato & Aristoteles, inter causas seditionum & euersionum rei totius publicæ exilitatem, quam μικρότητα Aristoteles vocat, reponunt: ideò, & præcipuam rerum eiusmodi haberi rationem*

Polyb. l. 4. med. *volunt. Musicæque neglectu Polybius auctor est in Arcadia Cynethenses in barbaram degenerasse feritatẽ, cùm cæteri Arcadum, qui Musicam diligenter coluerant, admodum pij haberentur. Id autem tanto valet amplius in sacris hisce ciuitatibus, quanto perfectiores ipsæ sunt: cùm perfectissimus ordo leuissima mutatione turbetur, vt pulcherrimã formam, subtilissimúmq; concentũ vitia vel parua infuscant. Atque vtinam plus nimio*

S. Anselm. ep. 6. ad Monachos. *testem vsum non haberemus. Nec desunt sapientum nostrorum voces. Illud S. Anselmi oraculum est:* Vbi minimi excessus negliguntur, ibi totus ordo paulatim dissipatur ac destruitur. *Nequaquam igitur tenuia videri, vel superuacanea possunt, si quæ interdum abscriptoribus exempla proferantur in paruare magnæ virtutis, cùm virtus vbique per sese magna sit: cùm id, quod causæ publicæ, quod religioni, quod Christo impenditur, honestissimum & maximum habeatur: cùm id abesse nullo modo debeat, sine quo cætera labant: denique cùm & in ijs, quæ ingenio manuque fabrefiunt; & ijs, quæ natura progignit, vt mole quædam, ita quædam subtilitate ac genere mira*

S. Paulin. epist. 1. ad Amandum *sint. Non enim ideò margarita vilis, quia exigua, vt sanctus Paulinus ait, sed ideo magis pretiosa, quia & in exiguo modo magnum pretium habet.*

V

Quæ verè sint admiranda. *Quòd si mirabilium cupido tenet, primùm cognoscere oportet, quæ admirabilitatis vera sit ratio. Scientia est minimè vulgaris scire admirari: & id quoque discendum est ex norma intelligentium.* Reuera maius miraculum est (*ita disputat Nesteros*

Coll. 15. c. 8. *Abbas apud Ioannem Cassianum*) de propria carne fomitem luxuriæ eradicare, quàm expellere immundos spiritus è corporibus alienis: & magnificentius signum est virtute patientiæ truculentos motus iracundiæ prohibere, quàm aërijs principatibus imperare: plusq; est exclusisse edaciſſimos de corpore proprio tristitiæ morbos, quàm valetudines alterius, febresq; corporeas expulisse: postremò multis modis præclarior virtus, sublimiorq; profectus est animæ propriæ curare languores, quàm corporis alieni. *Neque illa minùs præ-*

Coll. 12. c. 12. *clarè vereq; Abbas Chæremon apud auctorẽ eumdem* Quis planè non miretur opera Dei, ac toto non proclamet affectu, Quia ego cognoui quòd magnus est Dominus? cùm vel se, vel alium quempiam ex rapacissimo liberalem, ex prodigo continentem, ex superbo humilem, ex delicato ac tenero squalidum hirsutumq; perspexerit, & egestate atque angustia præsentium rerum etiam voluntariè perfruentem? Ista sunt profectò mira opera Dei, quæ peculiariter anima Prophetæ, similiumq; eius mirificæ contemplationis intuitu stupefacta cognoscit. Ista sunt prodigia, quæ posuit super terram, quæ idem Propheta considerans ad admirationẽ eorum cunctos populos aduocat dicens, Venite, & videte opera Dei, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella

vsque

Digitized by Google

vsque ad finem terræ: arcum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igni. Quod enim maius potest esse prodigium, quàm sub momento breuissimo ex rapacissimis publicanis Apostolos fieri, ex persecutoribus truculentis prædicatores Euangelij patientissimos reddi, ita vt eã, quam persequebantur fidem, etiam effusione sui sanguinis propagarent? Ista sunt opera Dei, quæ se quotidie vnà cum Patre operari Filius protestatur dicens, Pater meus vsque modò operatur, & ego operor. De istis operibus Dei beatus Dauid in spiritu canens, Benedictus, inquit, Dominus Deus Israël, qui facit mirabilia magna solus. De istis & Amos Propheta, Qui facit, inquit, omnia, & conuertit ea, & transmutat in matutinam vmbram mortis.

VI. Quanti æstimanda procuratio animarum.

Quæ si de propria cuiusq; commutatione, cùm per diuinæ gratiæ opem ab terreno in cæleste hominem transit, summo iure dicuntur, conuersiones vtiq; alienas tanto mirabiliores videri conuenit, quanto minùs in potestate sunt hominum. Benigna esset materia, si liberet, vt inuitat locus, excurrere in laudes laborum, qui animarum causa suscipiuntur: quod omnium diuinissimum opus ab Areopagita vocari vulgatum est. de quo Clemens Alexandrinus ita decernit: Est autem maximum & perfectissimum bonum, quando à malè faciendo, & à re malè gerenda ad virtutem & bonam actionem possit quis aliquem traducere. *Et sanctus Ambrosius:* Bonum sapientis, optimumq; propositum semper sibi etiam alios adiungere studet, errantes emendare, corrigere vagantes. *Magnificè verò, sed citra elationẽ Chrysostomus magis honoratum à Deo demonstrat hominem, cui tribuit facultatem, per quam posset sustinere inopem, quàm si dedisset, vt ruiturũ sustineret cælum. At cui dedit non vt corpus, sed vt animum pasceret, vt sustineret labentem, aut lapsum etiam restitueret, quid porro dedit?* Hæc enim (*idem alibi inquit*) est maior eleëmosyna, quàm illa (*nimirum quæ corpori opitulatur*) imò maior, quàm decem millia talentorum, quàm hic mundus vniuersus, quantus quantus vndique patet oculis. Siquidem homo est toto mundo pretiosior. Huius enim causa & cælum, & terra, & mare condita sunt, & sol, & stellæ. Et si pecuniæ vim immẽsam dinumerauerit aliquis, nihil simile præstiterit ei quod præstat is qui seruat animã. *Tantum deniq; opus est procuratio animarum, vt in eam Deus ipse sua, vt sic loquar, omnia conferat; in eam vniuersitatẽ omnium rerum; &, quæ miraculorum omne culmẽ transcẽdunt, naturæ humanæ susceptionem, summos mortalis vitæ labores, atque adeò durissimæ perpessionem necis intendat. Quare non immeritò animarũ conuersio quibuslibet prodigijs antefertur, ad quam prodigia ipsa referuntur. Amplius quoque est resuscitare semper victurum, vt ait sanctus Augustinus, quàm resuscitare iterum moriturum. Et Magnus Gregorius alijs etiam nominibus præferens ita disputat*, Quæ nimirum miracula tanto maiora sunt, quanto spiritualia; tanto maiora sunt, quanto per hæc non corpora, sed animæ suscitantur. Nam corporalia illa miracula ostendunt aliquando sanctitatem, non autem faciunt; hæc verò spiritualia, quę aguntur in mẽte, virtutem vitæ non ostendunt, sed faciunt. Illa habere & mali possunt, istis autem perfrui nisi boni non possunt. *Quæ cùm ita sint, rectè D. Bernardus cùm ab sancto Malachia reuocatam à morte feminam memorasset, continuoq; de altera retulisset, ex furenter iracunda in mansuetudinem commutata, subiecit:* Si licet & me iuxta Apostolum, abundare in sensu meo, accipiat quisque vt volet, ego istud suscitatæ miraculo mortuę censeo præferendum: quòd exterior quidem ibi, hîc verò interior reuixerit homo. *Adde postremò, quòd sunt hæc operosiora non rarò. Audi S. Ambrosium:* Itaque Iesus Naue, qui potuit solem statuere ne procederet, auaritiam hominum non potuit sistere, ne serperet. Ad vocem eius sol

Pædag. l. 1. c. 12.

S. Amb. c. 18. de Arca & Noë.

S. Chrys. ho. vlt. in Matth. & alibi.

Or. contra Iud. in fine.

S. Aug. ser. 44 de ver. Domini.

S. Greg. ho. 29.

S. Bern in Vita Malach.

Multa vide apud Sur. To. V. Serm. de vita S. Seuerini

C. Ion. Epis.

S. Amb. 2. offic. ca. 26.

stetit,

Digitized by Google

Seu. Sulp Dial. 3. c. 12

ſtetit, auaritia non ſtetit. *Inde S. Martinus, vt refert Seuerus, cùm tranantiflumen ſerpenti imperaſſet, vt retro ſe referret, & illa paruiſſet, altiùs ingemiſcẽs ait,* Serpentes me audiunt, & homines non audiunt. *Et alibi apud eumdem Seuerũ Poſthumianus, cùm ſimilia ferarum enarraſſet obſequia, ad Chriſtũ conuerſus cui ſapit omne, quod brutũ eſt, cui mite eſt omne, quod ſæuit,* Tua ſunt hæc, *inquit,* Chriſte miracula; & in hoc ingemiſcimus, quòd maieſtatẽ tuam ferę ſentiũt, homines non verẽtur.

Dial. 1. c. 8.

VII Hiſtorici boni officium.

Hæc itaque velim notent miracula, ſi qui noſtros annales ſua cura dignabuntur, quàm crebra, quàm varia, quàm magna offerantur: ad hæc æmulanda excitent ipſi ſeſe. Tum enim ſæculum planè beatum ſit, ſi quiſque & bonus eſſe ſtudeat, & alterum bonum efficere. Obfirmet proinde animum aduerſus vulgi iudicia, cùm is, qui ſectatur perfecta virtutum, tum qui legit ac ſcribit. Ac ſcriptor quidem ante omnia enitatur, vt liberet errore animos, & opiniones veras inducat: tum id ſi minùs procedat, nequaquã auferri ſe placendi ſtudio ſinat, vt per adulationem confirmet falſam multitudinis exiſtimationem, & iucundis profutura poſthabeat. Ne tædio quidem laboris, aut illecebra editionis præfeſtinet ad exitum cum iactura rerum. Temperanda & ſatietatis vitandæ cura, ne longitudo, aut ſimilitudo rerum paritura nauſeam plus æquo timeatur. Quid enim prolixius, aut ſimilius, quàm tot per annos geſta ab Romanis bella cum Æquis, Volſcis, Samnitibus, ac poſtea cum Liguribus apud Liuium? Ille tamen molliciem quorumdam ita caſtigat, Qui nam ſit ille, quem pigeat longinquitatis bellorum ſcribendo legendoq;, quæ gerentes non fatigauerũt? *Mihi vero, & pudorem illa Plinij teſtificatio ingerat de reperta ex animalibus medicina dicere exordientis:* Quin omnẽ inſumemus operam, licet faſtidij periculum vrgeat, quando ita decretum eſt, minorem gratiæ, quàm vtilitatum vitæ reſpectum habere. *Potiùs ergo lectorem meum cum Fortunato exhorter, vt, quoniam de Dei dono non debet eſſe faſtidium, non ſit faſtidium audire, quod Chriſtus ſuis præſtitit fidelibus. Quæ cùm dicuntur, nequaquã laudantur immodica: ſed & ſcribentiũ quorumdam, qui tantùm ſumma rerum, eorum modo, qui breuiaria concinnant, carpunt; & lectorum impatientiam, nihil niſi aridam ac ieiunam narrationẽ tolerantium probare non poſſumus. Diſtat enim expoſitio hiſtorica ab epitomis. Suum lumen amant res: ſuus narrationi, maximeq; Religioſæ quidam ſuccus & ſanguis aſpergi debet. Quo loco profiteri mihi fas eſt, cùm multa in opere meo peccari à me non inficier, maximè in delectu materiæ laboraſſe, inſtar Phocionis quid omitti magis, quàm quid poni poſſet, aſſiduè conſiderantem. Tanta abundabat dignarum rerum vbertas. Itaque tota hac in Hiſtoria breuitate potiùs, quàm longinquitate peccatũ. id argumento eſt, quòd ita ferè omnes, de ea quiſq; re, quam aliunde cognouit, exiſtimant: & multi addita multa vellent, quæ ipſi digna cenſent. Sed ab his duo rogamus; primum condonent nobis, ſi mediocritati voluminum conſulendum putauimus: deinde quæ apposuimùs, eadem pendant ſtudij ac benignitatis trutina, qua quiſque ponderat ſua. Ita fiet, vt, ſi minùs deſinant prætermiſſa requirere, gratiora certè habeant, quæ traduntur.*

Liuius Dec. 1. l. 10.

lib. 28. in proœm.

In Vita S. Germani c. 38. & 71.

VIII. Non virtutes ſolæ narrandæ. In Vita S. Paula.

Iam verò quòd non laudabilia ſolùm, ſed etiam quæ ſecùs ſint, à nobis prodantur, equidem primùm (vt cum ſancto Hieronymo loquar) teſtor Ieſum me nihil de quoquam in vtramq; partem fingere: ſed hiſtoriam ſcribentem non panegyricum, præclara libenter, alia neceſſariò memorare. Quippe tum hiſtoriæ naturam, tum omnium ſæculorum ac gẽtium ſacra æquè ac profana, vetera ac recentia rerum geſtarũ monumenta conſideranti, tum demum quanta perturbatio, quàm graues ac pernicioſi errores in humanam vitam, atq; adeò in religionem (aliter ſi fieret) inueherentur; omnino perſuaſum eſt, quæ ad veram iuſtamq; ciuitatis aut perſonæ, de qua ſcribitur, creandam opinionem neceſſaria ſint, reticeri ſalua fide, ac proinde ſine fraude, non poſſe. Deinde quid agerem? vtrùm ne quæ virtutis non ſint, facta omnia reticerem ad quemcunq; pertineant, an quæ tantùm

ad

Digitized by Google

ad quosdam? Si prius, cuncta periret Historia. Quantum enim vel ipsarum virtutũ est, quod non sit cum vitio alieno coniunctum? Posterius velle non poteram, ne fierem abominandus, ac detestabilis Deo, oraculum diuinum non ignorans, Pondus, & pondus; *Prou. 20. Deut. 25.*
mensura, & mensura; vtrumq; abominabile est apud Deum. *Quid porro? Virtutes multorum, quæ maximè clarent aduersis (nam discamus & Sanctorum inuidiam, inquit Ambrosius, vt imitemur patientiam) consilia prudentum, per quæ difficillimi casus explicati sunt: prouidentia Dei non modò per externas, sed & per intestinas prosperè vehens procellas, obruenda sunt tenebris? Ergo & improbitas illo notitiæ publicæ quasi fræno carebit? Deniq; vita humana, ac priuatim Religiosa schola fraudanda est ea institutionis parte, quæ capitur ex vitãdis exemplis?* Hoc illud est præcipuè in cog- *Ambros. li. de Ioseph. cap. 1.*
nitione rerum salubre ac frugiferum, *ait Liuius,* omnis te exempli documenta in illustri posita monumẽto intueri: vnde tibi, tuæq; reipublicę, quod imi- *In præfat. Dec. 1.*
tere capias: vnde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites. *Primam Historiæ commoditatum scitè huc refert Polybius, quòd alieno periculo (quæ felicissima doctrina est) sapientia ediscatur. Sed Magistros audiamus è disciplina Christi. Iustinus Martyr ad Zenam & Serenum ita scribit:* Vobis etiam non dubitaui scribere, vt pueri- *Polyb. initio lib 1.*
les quorumdam viuendi rationes cognosceretis. Cognitio enim generis viuendi eorum, qui rationem ducem in vita non sequuntur, prudentes eos efficit, qui diligentiam curamq; adhibent, ne in similia incidant. *Veteres Ægypti Patres, Cassiano teste, apud iuniores æquè de virtutibus atque vitijs tum rationibus, tum exemplis vtriusque generis disserebant,* vt futurorum, *inquit,* certami- *Cass lib. 11. Instit. c. 16.*
num, antequam superuenirent eruditi, quomodo præcauere, & occurrere eis, vel confligere deberent, instruerentur. *Auctor vitæ Pachomij,* Quomodo, *Vita Pach. cap. 32.*
inquit, hunc virum bonum & industriũ produximus in medium ad eos incitandos, qui volunt bona sectari; ita etiam par est meminisse prauorum & ignauorũ, vt sint cauti, qui audiunt. *Eandem ob causam idem profitetur (si dignus est hoc confessu) Palladius, additque:* Vt simul tanto sint laudabiles magis, qui re- *Pallad. c. 5. in fin. cap. c. 31. & 34.*
ctè, & ex virtute se gerunt. *Longum faciam, si percensere contendam, quæ ex vitiorum narratione commoda in vitam humanã redeant. Apud SS. Patres sapientiæ Christianæ magistros multa extant, dum rationem reddunt, quare talia sacris codicibus (quos imitari quem pudeat?) consignari Deus voluerit. Nec pauca in priore Dauidis Apologia Ambrosius ponit. Sed huic loco nihil aptius illa S. Augustini in psalmum vndecentesimũ disputatione.* Modò autem ne securus laudes quamlibet vitam: ante *August. in psalm. 99.*
mortem ne laudes hominem quemquam. Hinc autem falluntur homines, vt vel non suscipiant meliorem vitam, vel temere aggrediantur: quia & cùm laudare volunt, sic laudant, vt non ibi dicant mala, quæ mixta sunt; vt & qui vituperare volunt, tam inuido animo & peruerso vituperant, vt claudant oculos aduersus bona: & sola mala, quæ ibi vel sunt, vel putantur, exaggerãt. Inde fit, vt vnaquæq; professio malè laudata, id est non cautè laudata, cùm inuitauerit homines laude sua, inueniant illi, qui illuc veniunt, aliquos quales ibi esse non credebant: & offensi à malis, resiliãt à bonis. *Obsecro, bone lector, totum locum inspicias. Animaduertes præstantissimũ illum ita censere Doctorem, Religiosam vitam suscepturis & adperseuerantiam, & ad caritatem fraternam conseruandam omnino necessarium esse præesse in omni gradu & ordine admixta esse bonis mala: omnem professionem in Ecclesia habere fictos: eoque vehementer errare, ac perniciosissimè fallere tum eos, qui tantùm mala, tum item qui tantùm bona peruulgant. Nullo igitur modo talia præterire vel Historicum professo licet, vel publicæ studioso vtilitatis expedit. Illud tamen conandum vir bonus nemo negauerit, vt ex his quoque vtilitas*

quàm

Digitized by Google

quàm solidissima, & quoad veritas concedat, nullo admixta incommodo capiatur. Nicephorus profitetur omnia se vtilia colligere, & interdum è serpentibus andromachen conficere. Studium enim verò præclarum. Quemadmodum enim Andromachus saluberrimo medicamento, cui & nomen dedit (sed vulgus Theriacam mauult dicere) inuento viam reperit, per quam & noxia prodessent, & venenum veneno exarmaretur: ita enitendum Scriptori est viroque bono, vt vitiorum commemoratio fiat remedium vitiorum. Sapientis quoque lectoris est non mirari si homines cuiuscumque propositi sint, interdum labuntur ac peccant, cùm mirum sit magis si homo peccato careat, quàm si peccatum aliquod affectet. Nec opinionem virtutis apud se cuiusquam minuere debet, si delictum ille correxerit, cùm tam multos, qui non mediocriter aliquando peccarunt, colamus in cælo Sanctos. Nec demum existimandus est auctor inconstans, si eundem nunc laudet, nunc reprehendat. Talis enim vita est hominum non rarò inconstans; & humanæ vitæ simulacrum Historia verum est: non, sicut poëma, ad speciosam imaginem, atque mirabilem personam fictum.

lib. 14. c. 41.

S Ambros. Apol. Dau. c. 3.

IX. Quæ modestia Historicum decet.

Modestiam in Scriptore quidam eam probant, atque adeò requirunt, vt res perinde vt sunt, exponat, vitiorum nulla insectatione. Quæ nobis modestia extra modum videtur. Maledicentia quidem nulli hominum minùs conueniat. Cæterùm vt laudare tempestiuè virtutes, ita deformare vitia eiusdem fuerit. Primùm quia admonendus est lector, qui sæpè est rudis, vt quod vitiosum est, esse intelligat. Deinde vt ab imitatione deterreatur. Multò minùs ferendi, qui de Hæreticis atque Catholicis ita memorent, tanquam medij velint videri. Diuersa ratio est scribentium bella, quæ sæpè vtrinque sunt iusta. An de Catilina, deque alijs, qui contra patriam coniurarunt, & arma gesserunt, ita narrandum, vt de nationibus, quæ pro libertate imperioque iustè pugnabant? Hæretici perduelles, & proditores Ecclesiæ orthodoxæ sunt, veritatis hostes, sacrorum perturbatores, rempublicam permiscent, pacem tollunt, animas diabolo mactant, regnum eius propagant, Christo bellum faciunt. Hoc ita est verum & persuasum Catholicis, vt sanguine testari non dubitemus. An igitur de tantis sceleribus & exitijs ignauè prodendum, mussandumque est? Ipsi, opinor, hæretici si quam vnam sectam ex animo sequantur; de alienis loquantur acerbiùs? Bona & in hoste laudanda non negamus; sed quid boni sit ijs, qui boni summam & caput perdiderunt? Vtinam haberent multa, quæ commendari possent, à nobis libenter (quod quidem non malignè factum legenti constabit) ea quoq; publicarentur. Amamus enim in Christo homines, cùm detestemur errores: & id cupimus precamurque, vt agnita veritate salui fiant.

X. Notatio temporum salus veritatis.

Ad extremum existimabit quisquam pulcherrimas à nobis res nimiùm interdum temporum distinctione concisas; & quæ in vnum velut corpus redacta spirarent ac viuerent, distracta temporibus, tanquam dispersa locis membra exanima frigere. Quædã etiam tenuiora ampliorem multò habitura speciem fuisse, si cum eiusdem generis multis conglobatim posita sub vnum aspectum fuissent. Nostra ratio hæc est. Primùm leuissimã ducimus illam maiestatis quæsitam speciem, cùm ad iactantiam non scribamus. Deinde magnorum Scriptorum exempla veterum ac recentium sequimur. Postremò quoniam omnibus vbique commodis frui non licet, verissimeque dicitur annorum ratio cardinem veritati facere; incorruptam memoriam temporum, & in ea sitam veritatis incolumitatem tanti æstimamus, vt hanc vnam commoditatibus cæteris præferamus. Illud inficiari nec debeo, nec possum, multa mihi ab ingenio & facultate defuisse, quo minùs egregia facta dictis æquarem: sed curam fidemque præstitisse homini ex alieno nutu pẽdenti, & inde opus aggresso satis fuerit.

Solinus c. 2.

HISTO-

Digitized by Google

HISTORIAE SOCIETATIS IESV PARS SECVNDA

Generalatum IACOBI LAINII complexa.

LIBER PRIMVS.

1 SVBLATO ex humanis B. Ignatio, instituta per eum Societas IESV nihilo minùs fundatoris sui cælo recepti præsentiam sensit, quàm cùm parentem eumdem ac rectorem habebat in terris. Itaque nec progressus postea minùs admirabiles habuit, nec res ad Dei gloriam salutemque mortalium gessit minùs inclytas, & memoria dignas. Quæ ego posteritati vulgare iussus aggredior, eo tantùm consilio, quo ab initio cœptum hoc historiarum nostrarum opus est: primùm quidem vt admirabilium effectori parentique sanctitatis Deo per Iesum Christum, cuius prepotentis gratiæ vis clarissimè toto hoc in rerum cursu cernitur, laus debita sit, & gratiæ agantur: tum verò, vt merita Beatorum ad minores memoria extet: & anteactæ res postagendis præluceant. Societatis, cùm parente orbata est, anno post Christum natum millesimo quingentesimo quinquagesimosexto, ex cuius anni mense Augusto hæc incipit narratio, status hic erat. Domiciliis propè centum in prouincias duodecim distributis per longissimè dissitas terrarum oras agebant Socij non multò ampliùs mille. Prouinciæ erant nouem in Europa: Italia, Sicilia, Germania duplex, superior & inferior; Gallia, Aragonia, Castella, Bætica, Lusitania. extra Europã tres, Brasilia, Æthiopia, India. Quòd siquis circumspiciat quantum hæ prouinciæ terrarum amplecterentur, animaduertet vix vllam fuisse orbis terrarum partem, ad quam minus septemdecim annis, ex quo primùm Societas auctoritate Romani Pontificis coaluerat, propagata non esset; ac prouinciarum, quæ postea additæ sunt, non multas in vacuo solo constitutas, sed è partitione veterum pleraſque natas. Domicilia satis multa numerabat Italia: præter domum quamdã Bassani, & Mutinense Collegium, quod carebat magistris; Collegia, in quibus publicauerat disciplinas, decem habebat: vnum Patauij, quod primũ Societas in Italia extra Vrbẽ domiciliũ habuit: reliqua Venetiis, Ferrariæ, Argentæ, Bononiæ, Genuæ, Florẽtiæ, Perusiæ, & omnium tum maximum Laureti: denique Senis hoc anno cœptum. Præter hæc Collegium erat Neapoli, quod vti cętera, quæ erant Romæ domicilia, domum Professorum cum domo Probationis adnexa, Collegium Romanum & Germanicum; Vrbiq; proxima Tiburtinum, & Amerinum absque opera Prouincialis per se regebat Ignatius.

Societatis status mortuo Ignatio.

2 *Prouincia duodecim.*

3 *I. Italia.*

4 *Prouincia Romana extra ordinẽ.*

Ex quibus tamen prouinciam quidam, quæ prima & mater sit omnium, constituentes, prouinciarum numerum Ignatij tempore tres ac decem fuisse produnt. In Sicilia quatuor erant absoluta Collegia, Mamertinum, cui adiuncta erat domus Probationis, Panormitanum, Bibonense, & Montis regalis: duo erant inchoata, Syracusis & Catanæ. Atque Italiam Iacobus Lainius, Siciliam Hieronymus Domeneccus administrabat. Germania inferior seiuncta hoc anno ab superiore domiciliis constabat tribus, Louanienſi, Tornacensi, Colonienſi, quod vnum iam scholas ordiebatur. Prouincia tenuis, & ipso suo in ortu orba: quòd necdum admissa in Belgium̃ auctoritate regia Societas esset (pro qua re hoc ipso tempore ad Philippum Regem Ribadeneira strenuè laborabat) ac Bernardum Oliuerium, qui fuerat illi Præpositus, vita priùs defecerat, quàm munus iniret. Germaniam superiorem Petrus Canisius moderabatur. Ea multò erat prouincia absolutior. Viennæ in Austria Collegium, eique adnexam periclitãdis Tironibus domum, ab hisque secretas conuictorum habebat ædes. Pragæ in Boëmia, Ingolstadij in Bauaria singula cum gymnasiis Collegia hoc ipso anno deducta. Galliam Paschasius Broëttus regebat. In ea domicilia duo tantùm; Billomi vnum satis & cętera, & gymnasio florens: alterum Parisiis tenue admodum, atque ægrè initia sua sustinens. Castella præter tirocinium apud Septimancas, numerabat Collegia decem, sed pleraque sine magistris, Complutense, Salmãticense, Conchense, Montis regij: ad hæc Abulense, Methymnense, Vallisoletanum, præterea Burgense, Ognatense, ac denique Placentinum, ad hanc prouinciam nuper è Bætica translatum. Porro ipsi Bæticæ reliqua erant domicilia quinque, Granatense, Hispalense, Montellanum, sancti Lucæ, Cordubense: idque vnum in hac prouincia gymnasium aperuerat: ac Tirones Corduba hoc anno æstate ineunte Granatam translati fuerant. In Aragonia instituta erant Collegia quinque: quorum tria Barcinonense, Cæsarauguſtanum, Murcianum cùm scholis carerent, erant similia domibus: tantùm in Valentino & Gandiensi litteræ tradebantur. Lusitania speciem habebat prouinciæ perfectam. Nam quamuis paucis admodum in vrbibus Societas consideret, habebat tamen præter Collegia, Professorum ac Nouitiorum domos. Olissipone ad sancti Rochi domus erat Pro-

5 *II. Sicilia.*

6 *III. Germania inferior.*

7 *IV. Germania superior.*

8 *V. Gallia.*

9 *VI. Castella.*

10 *VII. Batica.*

11 *VIII. Aragonia.*

12 *IX. Lusitania.*

Digitized by Google

fessoràm, ad sancti Antonij Collegium. Conimbricæ Collegium in domicilia duo partitum; quorum alterum cùm ab initio Societas possedisset, alterum recèns accepisset à Rege, vetus illud, hoc nouum; itemque ab situ vetus, quòd edito sederet loco, superius; nouum, quòd iaceret in valle, inferius appellabant. Atque in superiori Nouitii quoque educabantur. His adiuncta domus ad sancti Felicis maximè ad procurãdam eo loci Conimbricensis Collegij annonam. Super hæc Eboræ Collegium erat. Castellæ Antonius Araozius, Aragoniæ Franciscus Strada, Bæticæ Bartholomęus Bustamantius, Lusitanię Michaël Turrianus præerant Prouinciales. His verò omnibus, & prouincijs extra Europam Franciscus Borgia Commissarius generalis Hispaniarum & Indiarum nomine præfectus erat. Porro in prouincijs extra Europam numerabatur Æthiopia Abassinorum, non quòd sedes dum in ea statuta vsquam esset, sed quia oblata spe (quantum ignaris futuri mortalibus confidere fas est) satis certa prosperi euentus, cùm regio vasta plurimum operarum varijs postulatura locis videretur, destinatus Prouincialis erat Antonius Quadrius: isque superiore anno cum aliquot Socijs in Æthiopiam transmissuris præcesserat in Indiam: eôdem subsequentes Patriarcha Ioannes Nunnius, Episcopus Andreas Ouiedus, ac reliqui Socij hoc tempore Oceano Indico vehebãtur. Cæterùm euentu haud quaquam initijs pari, non recepto à schismaticis Patriarcha, quemadmodum in loco referam, plus hæc prouincia laborum tulit, quàm frugum: tandemque desijt esse.

13 *X Æthiopia.*

14 Iam verò, quia Brasiliæ Indiæque statum, qui ignorant loca, nisi priùs rudem saltem animo sibi figuram eorum adumbrent, difficilè cognoscent; & id laborandum Historico est, vt quanto res magis obscuræ ac longinquæ sunt, tanto ad eas sub conspectum ponendas maiorem quasi facem claritate narrationis adhibeat, hinc exordiar. Vulgus hac tempestate geminam Indiam nominat, Orientalem vnam, alteram Occidentalem. Quæ ad Orientem posita est, nota priscis quoque sæculis fuit. Quippe continens est huic nostro notoque olim & culto veteribus orbi. Itaque quanquam iter maritimum ex nauigatione circa Africam, vltimumque eius promontorium, quod Bonæ spei vocant, apertum non erat; & vix tenuia quædam vestigia fabulis poëtarum similia prodebantur, vnde argumentarentur nauigationem eiusmodi peruiam esse; tamen per Ægyptum, ac Persidem, aliasq; finitimas gentes non modò aditam Indiam, sed etiam exportatas inde in Europam merces, & commercia vltro citroque instituta constat. Quæ verò ad Occidentem nominatur India, ea ante annos ab orbe redempto mille quadringentos nonaginta duos (quod quidem memoria litterarum extet) prorsus incognita latuit. Quippe ab orbe nostro immensa Oceani interfusi vastitate dirimitur. Itaque quanquam necesse est ad proseminandam perfectiorum animantium, atque adeò hominum stirpem aliqua aliquo tempore communicatio nostro cum orbe intercesserit, seu nauibus impetu ventorum fortè delatis, seu diuino monitu, aut studio curiositatis humanæ actis, seu per minora, quæ alicubi interiaceant, maris interualla; tamen intermissus vtrimq; commeatus, obliterata prorsus omnis memoria erat. Inde nouus orbis ea omnis regio, & ab Americo Vespucio nauarcho, qui clariùs explorauit, America: atq; etiam vocabulo ab Orientali translato, India Occidentalis nomen accepit. In hac Occidentali India, nouoque orbe Brasilia est. Igitur qui Olisippone soluunt, eodem fermè itinere ad Brasiliam, & ad Orientalem Indiam (cui nos vni nomen Indiæ sine addito reddemus) per longum spatium pergunt: sed vbi ad torridam, & subiectam Æquatori plagam venêre, qui Indiam petunt, porro pergunt ad promontorium Bonæ spei Austrum versus, vnde in ortum vertuntur; nec celeriùs quinto mense, plerũque seriùs in Indiam perueniuntur. Qui verò in Brasiliam nauigant, ij cursum in occasum flectunt, ac statim nauigatione ferè bimestri ipsa occurrit Brasilia; quæ ab Æquatore propemodum ipso exoriens longè in meridiem porrigitur. Eius Lusitani oram maritimam in septem hac tempestate diuiserant Præfecturas: postea etiam octauã, quam Fluminis Ianuarij vocant, accessit. Harum Præfecturarum proxima Æquatori est Tamaraca; tum deinceps in Austrum magis ac magis vergentes Pernambucus, Baya omnium Sanctorum, Illhæi, Portus securus, Præfectura & oppidum sancti Spiritus, Fluminis Ianuarij, ac postrema maximè australis sancti Vincentij. In hac postrema, & in vrbe sancti Saluatoris, quæ est in Baya omnium Sanctorum, præcipuas cum aliquo reditu sedes habebat Societas: in quibus etiam prima litterarum elementa pueri docebantur. In Portu securo & oppido sancti Spiritus bini fermè, sacerdos cum socio morabãtur, partim eleëmosynis, partim suarum labore manuum vitam sustinentes. Ex hisce sedibus ad alia subinde excurrebant loca. Vniuersi numero tota in prouincia duodetriginta: quibus inde vsque ab anno millesimo quingentesimo quadragesimo nono, cùm in eas terras primùm Societas penetrauit, Prouincialis præerat Emmanuel Nobrega.

XI. India Orientalis.

15 *India Occidentalis, eadem nouus orbis & America.*

16 *XII. Brasilia.*

His de Brasilia adumbratis, prouinciam Indicam placet ad huius Historiæ commoditatem distinguere in præcipuas partes tres. Prima est ea, quæ ab Indo flumine propriè nominatur India, altera Molucæ, postrema Iaponia. Rursus hæ singulæ suas habent partes. Quam dixi propriè vocari Indiam, regio est perampla, quæ inter Indum ab Occidente, eam scilicet partem, quæ nos propiùs spectat, & Gangem ad Orientem perlongo tractu in modum linguæ, Austrum versus excurrit in mare. Huius linguæ id maximè latus, quod Occidenti obuersum est, habent Lusitani. In eo media est propè Goa insula, & eodem nomine vrbs totius Indiæ facilè hac tempestate princeps, cum proximis & pusillis duabus insulis Ciorano, & Diuare: itemque Salsettana in continenti plaga. Supra Goam versus Septemtriones, & ostia Indi fluminis septuaginta ab Goa leucis occurrunt Salsettæ Bazainiæ. Ea insula est: in qua Tanaa, & quatuor inde leucis Bazainum, vrbes: in quibus quaterni fermè de Societate versãbantur. Vltra Bazainum leucis

17 *India.*

circiter

Digitized by Google

circiter viginti oppidum Damanum est, quod tempore eo, quod nunc exequimur, nondum erat in potestate Lusitanorum. Infra Goam versus meridiem situm Cocinum est, vrbs secundùm Goam, à qua leucis fermè centum abest, totius Indiæ facilè princeps. Inde quinque circiter & viginti leucis Coulanum, tum ora Trauancotis ad extremum vsque promontorij Commorini cuneum. Inde excipit eum promontorij flexu ora Piscaria ab piscatu margaritarum nomen & nobilitatem adepta. Supra eam in latere eodem Orientali Meliapora est: quam & S. Thomæ Coloniam, ab S. Thomæ Apostoli sepulcro vocant. Hisce locis omnibus aliquot de Societate agebant. Iam verò longè vltra Indiam ad solis exortum Molucæ sunt & Iaponia: & siue ad hanc, siue ad illas nauigetur, ad auream primùm Chersonesum, vbi Malaca est, venitur, ab Goa sexcentarum leucarum interuallo discretam. Ab Malaca ad Austrum modicè flexo cursu, tenditur ad Molucas pari ferè spatio, quo ab Goa ventum Malacam est. At multò maiore in Septemtrionem flexu, primùm ad Sinas leucarum spatio quingentarum: ab Sinis denique ad Iaponiam itur leucis minùs centum. Molucæ insulæ sunt permultæ: Malucum plagam omnem appellant. Insularum precipua, vbi oppidum stabat & arx Lusitanorum, Ternate erat. Ad hanc antequam Malaca venias, nonaginta procul leucis insula, cui multæ pusillæ adiunctæ, Amboinus occurrit. Vltra Ternatem leucis sexaginta regio est, quam vulgò Mauri nominant: cuius duæ præcipuæ partes Morotia & Morotais. De Iaponia id in præsentia satis notasse fuerit. In Ximo, quæ vna estè tribus præcipuis eius insulis, quòd prima ab Sinis nauigantibus se offert, & Lusitanorum nauibus petebatur, ad hãc diem fidei Christianæ maximè fuisse iacta semina. In hac tanta prouinciæ Indicæ vastitate, vbi Ignatius ex humanis excessit, si recèns ortam familiam inspicias, multi sanè; at, si negotiorum laborumque molem, perpauci versabantur, Socij numero circiter centum. In Iaponia tres dumtaxat sacerdotes, & laici quinque Cosmi Turriani curæ concrediti. In Molucis totidem fermè, quot in Iaponia: quibus Alfonsus Castrius præerat. Goæ præcipuus numerus, sed dimidium fermè tironum. Prouincialem cùm ab excessu Xauerij iustum desiderarent, sibi ipsi Antonium Quadrium, qui è Lusitania superiore anno venerat, communibus suffragiis legerant: sed Consaluus Silueria, inclytus deinde Martyr, huius anni autumno missus ab Ignatio Præpositus appulit. Hic igitur status hoc tempore Societatis erat in India cæterisque prouinciis. Multis præterea in locis rem diuinam nonnulli haud stabili sede procurabant, & à multis summo studio accersebantur.

18 *Molucæ.*

19 *Iaponia.*

Numerus eorum, qui nobis votorum quatuor Professi vocantur, quòd ad tria solennia Religiosorum vota quartum præcipuæ obedientiæ Romano Pontifici, ad obeundas eius missu pro religione peregrinationes quasuis adiiciunt; suntque velut ossa ac nerui huius Ordinis; admodum erat angustus. Ii tota in Societate quinque circiter ac triginta censebantur, Ignatio suum illud tenente, vti pauci, cumque delectu in Societatem, multò verò pauciissimi ac delectu maximo, experimentisque plurimis cogniti in Professorum numerum admitterentur. Præter hos, quinque supererant è primis decem Iacobus Lainius, Alfonsus Salmeron, Paschasius Broëttus, Simon Rodericius, Nicolaus Bobadilla. Hoc in statu rerum iustis B. Patri magis ad venerationem debitis, quàm ad expiationem necessariis ritè persolutis; qui erant Romæ Professi, Martinus Olauius Collegij Romani Præses, siue (vti tunc appellabatur) Superintendens, Ioannes Polancus, qui fuerat Ignatio ab epistolis, Andreas Frusius Collegij Germanici Rector, aduocato etiam, tametsi tria tantùm vota erat professus, Pontio Gogordano; de Vicario substituendo egerunt. Bobadilla Tibure versabatur. Illicò accersitus, quia neque valetudo, qua vtebatur incommoda, neque caniculæ æstus permittebat in Vrbem pedem inferre, suffragium suum Polanci arbitrio permisit. Lainius quoque, qui grauissimè decumbebat, interrogatus quem nominaret, ad id se respondit accedere, quod cæteri statuissent. Ita res tum bona fides atque simplicitas pro iuris formulis ac legum sanctionibus temperabant. Ergo tridui spatio ab Ignatij fine interiecto, quoad appareret, quid sperandum de Lainij salute foret; cùm de medicorum sententia in tuto iam propè videretur; quia instituta Societatis iubent ferè ad id muneris deligi ex iis quempiam, qui adesse Præposito soliti essent, vel in proximo degerent: isque præter adiumenta summæ doctrinæ, prudentiæ, sanctimoniæ, auctoritatis, quibus reddebatur aptissimus, etiam Italiæ Prouincialis erat, & antiquissimus inter eos, qui supererant è primis decem; ipse omnium suffragiis Vicarius decernitur. Hæc illi res ante sextum Augusti diem nunciata non est, ne curæ morbum exasperarent. Eo autem die allatis, quibus subscriberet litteris, de demandata sibi procuratione admonitus, ingemuit, quòd nõ modò inidoneo, sed ne viuo quidem homini onus imposuissent. Verùm cùm frustra esset tergiuersari, non diu altercatus est. Paulò ante obitum Ignatius Ioannem Polancum, & Christophorum Madridium, qui propemodum tiro necdum Professorum ex ordine, sed magnæ vir auctoritatis erat; itemque Hieronymum Natalem collatis inter se consiliis in administranda Societate, cui rei vacare ipsum graues assiduæque morborum molestiæ non sinebant, suprema voluerat vti potestate. Hac eadem Lainius, munere Vicarij suscepto Polancum atque Madridium, qui Romæ præsentes aderant, dum vires, si Deo placuisset, recuperaret ipse, vti iussit: eodemque die ad Prouinciales omnes Polancum dare litteras, quibus significaret communis Parentis migrationem: munus Vicarij, quod nequisset detrectare, sibi impositum: tum vt ad generalem conuentum se ritè compararent, futurum ad Nouembrem, si fieri posset, ineuntem: quandoquidem certæ causæ permissum Constitutionibus semestre spatium cogebant contrahi: item vt Romam iter arriperent: ibi futuro conuentui, quod magis esset legibus Societatis consentaneum. Si quid interim aliter videretur, locũ fore nunciandi. Bonum cõmune familiæ, bonamq; ac

20 *Professi quatuor votorum in Societate.*

Quinque superstites è primis decẽ.

21 *Lainius creatur Vicarius.*

22 *B. Ignatius ager tres sibi in administratione substituerat.*

23 *Cõgregatio generalis indicitur.*

Digitized by Google

prosperam idonei Præpositi creationem Deo sacrificiis ac precibus commendarent. Denique conarentur quàm frequentissimi, quamque paratissimi conuenire, quia hæc prima erat futura Congregatio, atque adeò posteriorum omnium veluti exemplar ac forma: tum præter Generalis creationem res tractandæ grauissimæ: ac summa erat manus imponenda Constitutionibus. Hæ quidem promulgatæ iam erant, & ad vsum traductæ; tamen Ignatius, qui semper id spectabat, quod maximè expediret, malebatque posteris opportunitate vtentium, quàm auctoritate sua sancitas leges relinquere; noluerat omnino ratas haberi priusquam eas experimenti secuta prærogatiuam Societas communi suffragio comprobaret. Hanc igitur ob causam nominatim vocabantur ad congregationem quidam præcipuæ auctoritatis, institutique peritiores Franciscus Borgia, Antonius Araozius, Hieronymus Natalis, Ludouicus Consaluius: omnesque præterea vniuersè admonebantur, id vt secum scriptum afferrent, quod in vita ad promulgatarum legum accommodanda normam vbique gentium pro diuersis nationum moribus, aliaque regionum natura vsus ac dies docuisset. Antequam hæ litteræ in Hispaniam perferrentur, siue quòd bellum inter Paulum Quartum Pontificem, ac Philippum Secundum Regem Hispaniarum commercia retardaret, siue alia fuerit moræ causa; Ignatij obitum Borgia Commissarius à Ribadeneira, qui tum in Belgio versabatur, cognoscit. Vallisoleti per eos dies Commissarius agebat. Aderant ibidem Araozius, Strada & Bustamantius Prouinciales, vnaque Hieronymus Natalis ab Roma profectus Collegio Romano in summa rerum difficultate subsidij quidquam expediturus. Hunc autem, & nuper vnà cum Polanco & Madridio, vt dixi, suprema cum potestate Societatis administrationi præfecerat Ignatius, & anno superiore (cùm idem Beatus Pater voluerat ab Romanis Sociis vnum sibi ad munus iam gerendum inualido, aliquem substitui) consensu omnes maximo nominarant. cuius rei litteræ, quibus in Hispaniam missus erat, fidem faciebant manu Ignatij consignatæ: quæ testabantur Natalem Ignatio Vicarium quidem fuisse suffectum, verùm in Hispaniam nonnisi ad certa quædam mitti negotia. Quæ cùm ita essent, nunciato Ignatij obitu, creditum est Vallisoleti ipsummet Natalem auctoritatē Generalis Vicarij obtinere. Quare is de Commissarij, triumque Prouincialium sententia Lusitanos Patres admonet, vti se aditer Romanum accingant. Qui simul, quæ Romæ transacta fuerant, quæq; tunc agebantur in Hispania, conspexisset; diuisum procul dubio imperium censuisset, seditionem ac ciuilia inter Patres bella expectasset: sed viro illi acerrimo, qui penitus Christi IESV, & huius minimę eius familię spiritū hauserat, de infimo, non de summo loco ambitio ac pugna erat. Vbi mox perlatæ sunt litterę de subrogato Romæ Vicario, cùm cęteri libentissimè quieuere, tum verò Natalis, quemadmodum ipse in suis commentariis testatur (quibus haud facilè quidquam scribi candidius potest) commotus est nihil: quin potiùs eam cepit animo voluptatem, vt domestici ex ore vultuque multis diebus emicantem apertè viderint, admiratiq; sint. Nec quidquam interim, dum ab Vrbe litteræ expectabantur, magis erat solicitus, atque pertimescebat, quàm ne confirmati sibi muneris nuncius afferretur. Romani Patres in substituendo, nulla ipsius Natalis mentione, nouo Vicario, quid secuti sint, haudquaquam compertum habeo. Videri potuit Beatus ipse Pater totam rem facto diremisse, cùm publicam administrationem nouissimè non ipsi vni, sed Polanco simul ac Madridio delegauit; sed, quoniam eius muneris mentio erat in litteris, per quas in Hispaniam erat missus, illud vero similius. Quòd ad Præpositi Generalis subleuandos ægri labores, nec ex formula Constitutionum, sed voluntario Beati Patris ritu extra ordinem suffectus erat; existimatum, quidquid inde potestatis acceperat, pariter cum Ignatij fine expirasse. Cæterùm cùm ad comitia plurimi vocarentur, apparebat conueniendi paucis admodum potestatem fore. Namque ternos è singulis prouinciis cùm adesse Constitutiones iubeant, ipsummet Prouincialem Præpositum, ac duos prouinciali lectos conuentu; Professorū paucitas faciebat, vt in prouinciis multis, neque conuocari concilium, neque legitimus numerus expleri posset. Certè in Bætica præter vnum, qui illam procurabat, Bustamantium, omnino quatuor votorum Professus (his enim vnis vtriusque suffragij ius est, siue ad demandandum, siue ad accipiendum supremum magistratum) nullus erat. Præter hæc nonnemo ex his valetudinem meritò erat excusaturus. Quidam grauissimis negotiis ita erant implicati, vt expediri, neque ipsis integrum, neque è republica esset. Ea causa cœptum est disputari quid facto opus esset; ac nominatim, expediret nec ne ad supplendum iustum ex lege numerum, atque ad conuentum & primum, & pro rerum momento, de quibus consultandum erat, grauissimum frequentandum, nonnullos ad Professorum ordinem aggregare; præsertim cùm idoneorum hominum virtute ac doctrina insignium copia suppeteret, ipseque Ignatius quosdam Romæ, quosdam in Hispania, quorum nomina ad Borgiam per Natalem transmiserat, designasset. Res est visa magni ponderis sedulaque deliberationis, agitataque Romæ & in prouinciis est. Nec Vicarius à Professorum creatione abhorrebat: saltem placebat, quò conficeretur is numerus, qui ex prouinciis adesse debet, nonnullos ex iis deligi, quos Beatus Pater designauerat; qui, posteaquam Professi cæteri conuenissent, eorum de sententia, si videretur, quatuor solennia vota profiterentur, & inde suffragij ius haberent: sed tandem consensu omnium decretum est abstinendum omnino videri, ne posteris exemplum relinqueretur, quandoque comitiorum sanctitati periculosum, quempiam, quamdiu interregnum esset, ad eum gradum prouehendi. Cætera incommoda, posteritatem, & ingenia hominum, rectè etiam facta ad imitandum in deterius prona respicientibus, videri hoc vno minora. Itaque ne Madridius quidem, cui, quantam dixi, potestatem Ignatius delegauerat, inter Professos hoc tempore adscriptus est.

24 *Constitutiones quo in statu B. Ignatius reliquerit.*

25 *Hieronymi Natalis solida humilitas.*

26

27 *Professi per interregnū haud creandi.*

Deinde

Digitized by Google

28 *Vicarij potestas non ad Congregationē solùm habendam.*

Deinde de potestate Vicarij disceptatum est, cùm aliqua dubitatio suboriri posset, ad comitia ne tantùm habenda, an ad Societatis vniuersæ administrationem pertineret. Visum est præcipuum quidem Vicarij munus comitia esse; nihilo tamē minùs etiam Societatis reliquam gubernationē ab eo pendere. Quæ res cùm in Hispania disceptaretur, Natalis, quò administrationem ab sese remoueret, primùm egit, vt Lainio Commissarij ac Prouincialium suffragiis planè hæc rerum omnium potestas vel demandaretur, vel confirmaretur. Deinde id ipsum in declaratione cap. iv. octauæ Constitutionū partis expressum ab Ignatio animaduertit. Adeò illis initiis erant obscura, quæ nunc clarissima vsus fecit. Postremò est consultatum vtrùm auctoritas Commissariorū maneret. Ex vna parte Dominicani Ordinis exempla, apud quos morte Generalis Magistri Commissariorum quoque auctoritas extinguitur, & ipsummet genus potestatis, quod extraordinarium est, suadebant finiri oportere. Sed tamen, quoniam non minùs, quàm ordinaria Rectorum ac Prouincialium, hæc Commissariorū potestas in Societate ab vno eodemq; summo capite proficiscitur; vt cęterorum magistratuum, ita horum visa est retinenda, quoad conuocati Patres (quandoquidem in relictis ab Ignatio institutis nulla erat de ea re mentio) certius aliquid statuissent. Nam in aliis Ordinibus cùm prouinciarum Antistites maneant, Commissarios in interregno summoueri non esse mirum: quòd hi à Generali demortuo, illi à conuentu cuiusque prouinciæ, qui manere censetur, auctoritatem accipiant. Cęterùm vbi Lainius bene valeret, eos, quibus in Societatem omnem potestas erat permissa, ea vti necesse non putabatur: ac sponte ipsi cessere. Borgia vti sua est iussus.

29 *Commissariorum potestas mortuo Generali num maneat.*

Sponte ipsi cedunt. Borgia confirmatur.

Iam verò confirmata valetudine Lainius Pontificem Paulum hoc nomine Quartum adit: eius nutui se ac Societatem studiosè tradit dicatque. Magnifaciebat Lainium Paulus, & præter cętera de eius virtute præclara indicia superiore anno in amplissimum Cardinalium ordinem referre voluerat. Quare cùm hominis causa, tum personæ, quam sustinebat, comiter excepit atque honorificè. Commemorauit initio suum perpetuum erga Societatem studium satis perspectum inde vsque ab eo tempore, quo eius consobrinus Vincentius Carrafa Cardinalis Neapolitanus per absentiam Pauli Tertij Pontificis fuerat in Vrbe legatus relictus: ac testes huius rei quosdam ex Vrbe nominabat. Dein voce in sonum grauiorem ac lentum inflexa, cœpit monere: viderent diligenter, quo pacto viuerent. Nefas esse aliam vitæ formam sequi, quàm quæ ab Sede Apostolica proficisceretur: neque feliciter euenturum, si aliam ipsi inirent viam. Tum verò ædificium non in arena, sed in firma ac solida petra posituros, cùm Dei auctoritate, non hominum inuentis niterentur. Neque superiorum Pontificum decretis ita considerent, vt successoribus & cognoscendi, &, si quid fortè videretur, aliter statuendi ereptam potestatem crederent. Post alia huius generis, tandem fronte iterum explicata, optimo esse animo iubet. Atque, Ito, inquit, nostrosque istos filios consolare. Nuncia, si me audierint, Patrem optimum habituros. Quæ loquens, de more benedixit. Erat hic Pontifex morum quidem optimorum, & vitæ religiosæ peritus in paucis. Cęterùm, vt sua cuique placent, & quibus insueuit, ea prima putat, cùm illi normæ, quam vel primus, vel in primis inuenerat, assuetus, rerum Societatis non intimè esset peritus; nostrorum hominum virtutem atque doctrinam vehementer probare se, verùm in instituto, & quasi in schola ac disciplina, ex qua illi prodibant, desiderare aliquid præ se ferebat: cùm tamen existimare de schola vel ex ipsis discipulis promptum esset. Ignatium non perbenignè tātùm, sed etiam perhonorificè viuum tractabat: verùm & aliàs ab eo dissenserat, & molestè tulerat quædam sua Cardinalis acta Ignatij monitu à Pontifice Iulio direpta: & nuper dicebatur de eo mortuo ita locutus quasi nimio imperio Societatē rexisset. Satis etiam cōstabat significasse nō semel, ex nostro & suo Clericorum Regularium Ordine, qui Theatini vulgò dicuntur, vnum posse conflari. Nunc ergo hac vsus oratione, cùm alioqui ex aliis multis, quæ passim in republica mutabat, acrem se probaret, valdeque propensum ad omnia redigenda in eam formam, quam animo ipse comprehenderat: & summotus esset Ignatius, cuius veneratione antehac retardabatur; Lainium, ac Patres cæteros haud parum commouit, metuentes, ne nunc tandem liquid noui hoc in vitæ genere moliebatur, efficeret. Nec omnino frustra fuit timor, vt non longè pòst referam. Equidem cùm illorum temporum faciem mihi repręsento, singularem aduersus hanc minimam familiam Dei benignitatem nequeo satis mirari. Versabantur Romæ (præter alumnos Collegij Germanici, quorum pariter Societatis industriâ sustentandæ impensæ erant) Sociorum amplius centum & quinquaginta, nullo prorsus certo reditu, eorūque pars maxima in conducta domo. Sæuiebat in Vrbe, vt in bello, caritas annonę vsq; eò, vt viri primarij ægrè se tolerarent, nedū alienæ difficultati possent auxilio esse. Subsidia, quæ superiores Pontifices subministrabant, hoc tempore nulla suggerebantur: animus Pauli lenior: columen, quo sustineri omnia videbantur, Ignatij morte procubuerat. Angustiæ vndique maximæ; cùm ecce tibi ad reliquas difficultates calamitas noua. Martinus Olauius, qui Collegio Romano præerat, ibidemque Theologiam docebat, egregiæ pietatis, insignisque doctrinæ, magnique eas ob res in Vrbe nominis, vt eo Collegium maximè niteretur, ad XV. Kalend. Septembris acutis febribus extinguitur: quem apparuit illum alterum fuisse, quem moribundus Ignatius significarat, cùm sibi ac Socio benedictionis Apostolicæ commeatum petiā Pontifice iussérat. Quamdiu is grauiter ægrotauit, iuges pro eo succedentibus sibi ordine Socijs interdiu noctuque, Rectoris iussu Sebastiani Romæi fusæ ad Deum preces. Mortuus est, vti vixerat, sanctissimè. Atque in supremo tempore tantam præ se tulit oris hilaritatem, vt videretur insigni aliquo præter ordinem Dei beneficio frui. Nec mora longa: Collegium quoque Germanicum suo orbatur Rectore ac patre, Andrea Frusio. De quo, vti etiam de Olauio, abstineo plura dicere, quòd satis in prima harum

30 *Pontifex quomodo animatus in Societatem.*

31

32 *Dei erga Societatem difficillimo tempore benignitas.*

33 *Martinus Olauius moritur,*

34 *& Andreas Frusius.*

Digitized by Google

rum historiarum parte dictum est: si tamen satis dici de viris potest, qui sunt omni commendatione superiores. His duobus columinibus post Ignatium recèns subductis, effectum est, vt exiguo spatio difficillimo tempore cuncta Societas, omnesque Romanæ domus suis Patribus orbarentur. Pusillus tamen ille grex, qui Deo stabat, nequaquam cecidit. Ita instituerat eos Ignatius, vt suorum excessu, quasi qui spem non habent, neutiquam afflictarentur: gauderent potiùs Collegia atque domos, quæ ædificabantur in cælo, emeritorum multitudine frequentari. Quid enim siue ad decus, siue ad fructum optabilius, quàm in beata Ieruſalem municipes plurimos, & quàm maximam sui partem habere? Assuescerēt Deo, non hominibus niti, & consilia sua ad rationes diuinas accommodare. Deum enim, vti quosdam euocat, ita alios submissurum. Nec verò eius operâ quem nos cogitatione ac spe destinauerimus, sed quem maximè ille arcano iudicio suo voluerit, suum ad opus promouendum, qui filios Abrahæ suscitare de lapidibus potest, vsurum. Quibus boni filij præceptis imbuti, quamuis tanta perculsi calamitate, nequaquam se orbatos ac destitutos crediderunt; sed totius parētem Sodalitatis, ac Romanarum domorū principes in cœlum profectos, quasi legatos atque oratores apud Deum futuros: atq; adeò confidebant, multò inde meliùs rei summæ prospecturos. Quod sanè, qui scriptas continuè litteras post cognitam Ignatij migrationē è prouincijs, ac propè domicilijs omnibus euoluat, animaduertet non Romæ solùm vsu veniſſe; sed latè vbique terrarum. Omnes enim hunc fermè in modum nunciant: Audita Beati Patris abitione, singulis vulgò Sociorum cum insolito quodam diuinæ consolationis gustu nouam constantiam accessisse, nouumque ardorem, tum ad consectandam seriò virtutem, ac præcipuè ad vitæ formam ab Ignatio traditam, quàm diligentissimè conseruandam; tum ad communia Societatis, reique totius Christianæ procuranda commoda. Confidere omnes nunc demum bene Societati fore; nunc eius institutum fixum ratumque mansurum; nunc eidem robur ac firmitatem contra quosuis aduersantium impetus affuturam; nunc demum secundo cursu propagatum iri latissimè. Quo è sensu animorum concordi atque communi licebat sine dubio sentire, Ignatium, quo meliore tum vita fruebatur, eo vberiorem, magisque vitalem spiritum ex augustissimo Christi fonte haustum, quasi vegetum caput in membra diffundere. Quod magis deinceps magisque comprobauit rerum euentus. Quamuis enim multæ subinde obortæ sint grauissimę tempestates; ex omnibus tamen nauicula hæc euasit incolumis, & vbique longiùs mirum planè in modum prouecta est. Sub ea tempora reuersus è peregrinatione Belgica Salmeron, quò cum Cardinali de Motula Pontifex miserat, vbi Romanas res eodem ire gradu, quo reliquerat, vidit; & Sociorum, quos solitudine afflictos consternatosq; se inuenturum opinabatur, fiduciam, constantiam, alacritatē animaduertit; summopere est admiratus. ac renouata carissimorū Patrū, quos reperit sepultos, cogitatione ac desiderio; erupit in lacrymas ille quidē, sed in lacrymas minimè amaras; quòd præsens rerum status feliciùs eos viuere testaretur. Belli tumultus pietatē Romæ fouebat. Præter volūtarias corporis vexationes, quas diuersi generis alij alias impetrabant, permissum est omnibus binas vt horas vltra statā spatia paci à Deo precibus exposcendæ singulis diebus tribuerent: quod per autumnales litterarum vacationes non incommodè fiebat. Ad nonum Kalendas Octobris, multisque postea diebus, cùm Vrbis oppugnatio timeretur, publico Romanorum consilio, & voluntate Pontificis, cùm cæteris sacerdotibus, tum ordinum Religiosorum hominibus ad opera facienda vocatis; profecti è Societate cum ligonibus, bidentibus, palis, ac cæteris huiusmodi ferramentis ad sexaginta. Terni ibant, & Salmeron in primo ordine medius agminis ductor; ingemiscentibus è vulgo multis, & ad quamdam quasi supremi iudicij instantis speciem cohorrescentibus. Addidit & sua præsentia opus facientibus alacritatem Lainius. Præerat Collegio Rector Sebastianus Romæus vir optimus, Præsesque vigilantissimus: tumque potissimùm, cùm videbat aditum multis ex partibus ad solicitandum Satanę aperiri, diligentissimè excubabat, priuatim communiterque Socios adhortans, vt & labores publicos tolerarent alacriter, & sermones ijs de tumultibus alterutram in partem longissimè fugerēt. Quod sancta illa familia, quamuis numerosa, & è gentibus nationibusque conflata diuersis, fideliter simpliciterque præstabat. Quippe & Ignatij, primorumque Patrum simplicitatem consensionemque recordabantur, & viua moderatorum suorum exempla cernebant. Ioannes quidem Polancus ad litteras, quas à viro satis magnæ auctoritatis è Belgio acceperat, multa de bello nūciantes, Christiana libertate, planeq; imitanda, id modò Laconica breuitate respondit: De dissidijs inter Christianos Principes Societati nostræ nec moris est litteras dare, nec gratum accipere. Sapienti pauca. Vale. Nec verò armorum fragor studia pacis oppressit. Tribus continenter diebus ante Kalendas Nouembris disputationes primùm Theologicæ, dein Philosophicę; postremò tres orationes tribus principibus linguis Latina, Græca, Hebræa, interpositis eadem idiomatum varietate carminibus habitæ. Theses ex Philosophia etiam de moribus, & ad cætera ex Theologica subtilitate cōsueta, ex Epistolis Canonicis Iacobi & Iudæ, deque Concilijs propositæ; præloque, quod in Collegio Romano instituebatur, impressæ. Cohonestauit hæc præ cæteris magnis viris cum præclara suorum Religiosorū corona, Frater Stephanus Vsusmaris Dominicanæ familiæ Generalis Magister: cuius erga nos paternus animus cernebatur. Et disputationes, vt redderet celebriores, ipse præsens Romanę Academiæ Rector, per seq; & suum apparitorem est moderatus. Haud iniucundæ vulgo accidebāt inter arma sapientię voces: nec pauci mirabantur, cùm turbæ vbique Vrbem miscerent, apud Patres quieti Musarum locum esse. Porro non minor in templis, quàm in gymnasiis siue Sociorum conatus, siue populi erat concursus: præsertim cùm Benedictus Palmius ad domum

Professam

Quomodo ferēda mors Sociorum.

35 *Societatis post obitum B. Ignatij sensus.*

36 *Salmeron è Belgio Romam redit.*

37 *Feruor Sociorum inter bellum.*

Vocantur ad opera muniendæ Vrbis.

38 *Temperant linguam & studia.*

39 *Studia in Romano Collegio apparatè instaurantur.*

Digitized by Google

Benedicti Palmij celebris eloquẽtia.

Professam concionaretur: cuius & ardor animi, & eloquentia magnos & plausus & motus excitabat. Qui cùm sacro Euangelistæ Ioanni die in sacello Pontificio Latinè dixisset, clarissimorum Principum aures mirificè tenuit: haud minùs in ea lingua quàm in vernacula oratoris adeptus nomen. Ad hæc augebatur Romæ Societatis auctoritas rerum in prouincijs gestarum fama. Et sanè Zacharias Delfinus, qui Nuncius apud Imperatorem Pontificis fuerat, è Germania reuersus in Vrbem, miris laudibus celebrabat, quæ ab Collegio Pragensi & Viennensi pro re Catholica gerebantur. Itaque viri primarij, ac potissimùm quæstionibus de religione præpositi clariùs se in dies profitebantur agnoscere, cohortem hanc ad salutem Septemtrionis, & ad Christianam pietatem vbique gentium siue propagandam, siue conseruandam, seu denique excolendã, diuino consilio excitatam. Interim vetera funera nouo cumulantur; nec leuis magnarum spes rerum inciditur.

40 *Præclara de Societate opinio Romæ.*

41 *Ioannis Mendozæ vocatio & mors.*

Ioannes erat Mendoza singularibus naturæ bonis ornatus iuuenis, annum agens ætatis septimum ac vigesimum, Petri Consalui Mendozæ, qui fuit secundus Marchio à Valle, filius. Petrus à Toleto Neapolis olim Prorex paterna eum caritate quasi filium educauerat; arcique Neapolitanæ, quæ Castellum nouum dicitur, quod perhonorificum habetur munus, præfecerat. Ipse quoque Ioannes eruditus magnificentiæ humanitatem, splendorem comitati miscere, cunctæ ciuitati notus perinde & carus erat, summamque sui expectationem in re præcipuè militari concitarat: adeò vt ad nuptiarum honestissimas conditiones aureorum nummûm vel septuaginta millibus, summa id temporis maximè insigni dotis nomine oblatis, inuitaretur. Sed ille Christi gratia, cui arces quoque peruiæ sunt, instinctus maiora cœpit animo præmia, beatiores nuptias, nobiliorem agitare militiam. Ad Ignatium vti suorum in numerum se vellet recipere submisse ac suppliciter scribit. Beatus Pater, vbi omnia sedulò explorauit, moram ab se nullam respondit fore, modò à Philippo Rege potestas fieret ex arcis custodia decedendi. Datæ sunt hac de re ad Philippum litteræ: sed siue procuratorum negligentia, siue qua alia causa duobus annis rescriptum est nihil. Quocirca huius quoque rei procuratio Petro Ribadeneiræ, cùm in Belgium mitteretur, est commendata. At Ioannes diuturnioris moræ impatiens, fretus conscientia operis, quod moliebatur, fido prudentique custodi arce tradita, è vestibus, quas habebat, indutus vilissimas Neapolitanum in Collegium abit. Rector (is erat Christophorus Mendoza) nullo pacto adduci potest, permanere vt domi sinat; Ioannes nullo pacto, vt recedat. tandem conuentũ, vt hospitum modo in Collegio diuersaretur, quoad vel à Principe, vel ab Ignatio, postquam hunc ab arce recessum cognouisset, litteræ afferrẽtur. Re illico vulgata, Neapolim rumor, vt fit, varius impleuit. Et quoniã Bernardinus Mendoza, qui pro Rege Neapolitanum regnum adhuc administrarat, valdè erat cupidus cum Ioanne colloquendi; is primùm quidem è Collegio proripuit sese, & abdidit: deinde consilij sui rationem scripto explicatam ad Bernardinum ipsum, itemque ad Ducem Albanum, qui recèns Neapolim venerat, omnium, quas habebat in Italia Rex Philippus, prouinciarum moderator, misit; arcem eis simul commendans. Qui cùm ambo pietatem iuuenis probassent, tam ille haud diutiùs dissimulandũ ratus, nec continere æstũ animi valens, regressus in Collegium profiteri palàm quod agebat, instituit. Cumque à Marchionibus, Ducibus, aliisque principibus viris conueniretur; liberè ac magnificè sua consilia explicans, incendebat omnes ardore suo, nec paucos ad mutationem vitæ, seu rigorem disciplinam adduxit. Salutaris quoque fuit hæc hospitis mora seruo, quem ad se vnum aduocauit adolescentem fidum, probique ingenij, sed pessimæ superstitionis. Quippe Mahometanam, in qua educatus fuerat, adhuc sequebatur insaniam. Is vbi nouos domini mores animaduertit; eumque, coram quo antè vix apparere trepidus audebat, non solùm benignissimum experiri, & quasi fratrem cœpit, verùm etiam sibi interdum ministrare veluti famulum vidit; fractus hoc exemplo est, abiuratoque Mahometo in hominem genitus nouum nouo nomine pro Gallifero Ioannes Petrus vocatus est. Tanto maiores habet ad permouendum vires Christiana humilitas quàm humana felicitas. Quem enim splendida fortuna amplissimis pollicitationibus non flexerat, eum Christianæ modestiæ perspecta forma cepit ac domuit. Interim litteræ ab Ignatio perferuntur, recessum ab arce non expectato Regis nutu nullam in partem sibi probari, ac planè redeundum videri. Qua denunciatione quantum Ioannes commotus sit, facilè suspicari licet. Non solùm à piorum consuetudine, quam interiùs gustarat, acerbum erat distrahi, & à portu in fluctus reijci; sed etiam iuueni militari ac nobili dissipato illo recessu per Vrbem, proque suscepto religiosæ vitæ habitu celebrato, plenus infamiæ apud homines sæculi reditus videbatur. Vicit tamen studium obsequendi pudorem malum, planeque professus est vnà cum cæteris rebus huius quoque suæ cuiuscuius existimationis Christo Domino facere sacrificiũ velle. Sed Dominus cõtentus tam excelso animo fuit: re enim cognita, vetus Prorex manere iussit: qui vnà cum Duce Albano prudentiam Ignatij pariter atque innocentiam, qua rem tractabat, suspexit. Venere tandem è regia litteræ, vbi negotium Ribadeneira transegerat: quibus significabatur Ioannem voti compotem factum, fratrem eius Aluarum arci præfectum. Tum verò Ioannes ad Ignatium Romam conuolat. Hîc cœpit inter Nouitios abiectissimis ministerijs exerceri alacritate maxima: ac sæpè à viris principibus inuisebatur. In his fuit Ioãnes Carraffa Montorij Comes, & Dux eo tempore Palliani, Pontifici coniunctissimus: ad quem Ioannes, cùm fortè in culinæ muneribus occuparetur, euocatus, ita vt erat linteo præcinctus prodijt: nec tamen potuit teneri Dux, quo minùs in eius rueret amplexum. Verùm exacto semestri cùm per autumnum malè admodum valeret, ac Neapolim flagitaretur, idque Romæ Cardinalis Patiecus, & quidam ipsius Ioannis propinqui vehementer peterent; condito priùs testamento, quo iubebat sua bona

42 *Exempli boni vis.*

43

Digitized by Google

in pios vsus cuncta distribui, consultatione super ea re diligenter habita medicorum, in lectica cum trium è Societate comitatu, quorum vnus erat medendi peritus, missus est. Sed voluit Deus citiùs, vt fas est credere, in cælum, quàm Neapolim peruenire. Prima itineris nocte in Villa Marij (oppidum hodie Marinum est) duodecim ab Vrbe millibus passuum, XII. Kalendas Octobris è vita migrauit; corpusque Romam relatum, in templo Professorum est conditum. Iam simplicia vota Societatis emiserat; ac pridie quàm discederet, sanctissimo Domini nostri corpore iter sibi præmunierat: quæ sacrosancta mysteria bis quaque hebdomada de Moderatorum consensu dudum vsurpabat. Cumque paulò antè vitæ totius maculas generali confessione expiasset, conscientiæ tranquillitatem tantam erat consecutus, planè vt videretur ad optimũ finem per quosdam gradus diuina manu perductus.

Ribadeneira perfectis, propter quæ missus erat in Belgium, cùm haberet, quæ Patribus coràm ad cõmune Societatis bonum proponenda iudicabat; comparabat se ad reditum, sed clanculùm, ne Louanienses, quorum animos alijs atque aliis concionibus mirum sibi in modum adiunxerat, obijcerent moram. Pridie eius diei, quo die erat abiturus, generalẽ cõuentum in ver anni proximi dilatum cognoscit; neminemque, antequam nouis euocetur litteris, dare se in viam necesse esse. Quibus rebus cognitis maximo cum ciuitatis eius gaudio bonoque aliquamdiu substitit. Porro conuentus differendi causa fuit rerum eius temporis perturbatio. Magnopere expetebantur in conuentu Hispani Patres, qui & perantiqui erant, & magnæ auctoritatis. Hi verò partim valetudinem causati, partim impedita itinera ad dictam diem adesse non poterant. Visum est igitur supersedere tantisper, dum rationem consilii commodissimam tempus expediret. Quæ dilatio omnibus, vt visa est necessaria, ita accidit permolesta; sed Natali maximè, & Lainio. Illius iam tum animus aliquid turbarum præsagiebat. Hic, quemadmodum ad Borgiam scripsit, suæ gnarus imperitiæ gubernandi, Deum Dominum, vt mitteret, quem missurus erat, quotidie precabatur: non tamen intermissa est cura ea comparandi, quæ res tractandas in conuentu expeditiores facere possent. Constitutiones ex Hispano sermone in Latinum Polancus vertit: & sedulò ab omnibus notabantur, quæ disceptari oporteret. Edita comitia in proximos post Pascha dies. De loco cùm ageretur, Lauretum quibusdam placebat: aliis Auenio: non nemini Lusitania, quòd Rex subsidia esset suppeditaturus: plerisque Genua, quòd multarum prouinciarum quasi in confinio sit: Lusitanis verò maximè Roma, vt inde postea digressi Patres in omnes prouincias vnam eamdemque vitæ formam deferrent, eamque Societatis instituto maximè congruentem, quæ sine dubio Roma potissimùm peti posset, vbi coràm Beatus Ignatius parens & auctor instituerat. Litem dirimit Pontifex, qui per Rodulphum Pium Cardinalem Carpensem Societatis patronum denunciauit, Romam, non aliò conueniendum. Cæterùm tam multis magni nominis viris orbam Sodalitatem consolari Deus ac supplere voluit egregia sobole submissa: nec modò ijs, qui operâ olim, sed & qui auctoritate in præsens sustinerent eam atque proueherent. Maximè insignes fuere Iacobus Ledesma, & Ioannes Verdolaius: de quibus infrà opportunius referetur.

44 *Congregatio generalis differtur.*

45 *Longa interregna periculosa.*

46 *Pontifex iubet Romæ Congregationem fieri.*

Atque hæc de rebus Europæis perstrinxisse sit satis. Iam è tribus extra Europam prouinciis nihil separatim memorabile quinque hisce mensibus, quos nunc exequimur, Brasilia offert. Sodales negotii subibant plurimum in conuertenda primùm gente ad fidem, nec minùs postea in continenda. De adultis propè desperata videbatur res. tanta erat hebetudo, mobilitasque ingeniorum, tam obdurata intemperantiæ consuetudo. Idcirco ad nouellam de integro educandam stirpem, fingendosque teneræ ætatis animos præcipuam Nobrega verterat curam: eamque ob rem pædagogia censebat institui oportere quàm plurima. Verùm id quoque procedebat parum: quòd Brasili sedes mutare subinde soliti, liberos secum, matureſcere vt primùm cœperãt, abducebant: ipsique pueri simul adolescentiam attigerant, tanquã natis corroboratisq; iam plumis volucres repentè, cũ minimè suspicarere, auolabant. Magnũ ab corrupta quoque veterum Christianorum vita accedebat impedimentum, siue dũ opportunos iniurię populos asperè auareq; habent; & inde à religione quoq; abalienãt: siue dum praua per exempla noua docent vitia.

47 *Brasilia status.*

Iam è Patribus Æthiopiam petituris cùm plerique in Indiam superiore anno præcessissent, anno MDLVI. Ioannes Nunnius Patriarcha cum bono etiam Indię subsidio Goam Septembri ineunte peruenit. Tertio Kalẽdas Aprilis Olisippone conscenderant decem è Societate tres in naues dispertiti: in ea, quam ob præstantiam Maris florem vocabant, Patriarcha, vnaque Franciscus Rodericius excellentis doctrinæ prudentiæque ac religionis vir, adiutor Prouincialis Indiæ futurus, aliusque præterea è Societate laicus vehebantur: itemque Ferdinandus Sosa, quem Ioannes Tertius Lusitanorum Rex ad Regem Æthiopię Claudium legatum mittebat: atque in itinere obijt. In altera Andreas Ouiedus creatus Episcopus Hierapolitanus, idemque designatus Patriarchæ successor cum Ioanne Mesquita, & Andrea Gualdane sacerdotibus, itemque laico. In tertia Consalius Silueria Christiana facundia, & rebus agendis præstans, Indiæ Prouincialis futurus, cumque eo duo præterea sacris haud dum initiati. Tribus mensibus nauis, qua vehebatur Episcopus, vi ventorum abrepta, ab aliis conspecta nõ est: nec à periculo nauis abfuit Patriarchę; sed, cùm is aquam consecrasset, & iniecisset in mare, præter morem vis tempestatis remisit. De cętero nauigatio prospera in paucis fuit. Ioanne Albuquercio Episcopo, & Petro Mascarenia Prorege vita perfunctis, carebat tum Goa & humanarum & diuinarum rerum Præsidibus. sed è regio chirographo Franciscus Barrettus in Proregis substitutus vicem eius potestatis desiderium leuabat: Episcopi autem propria munera nemo erat tota India, qui supplere posset: eoq; lætior vulgo Patriarchę Nunnij, Episcopiq; Ouiedi fuit aduẽtus. Cõtinuò Patres ad suæ quisq; prouinciæ negotia

48 *Æthiopica res.*

Nauigatio Patriarchæ in Indiam.

Digitized by Google

gotia curam intendunt. Sed Patriarcha alium ac
49 *Claudius Æthiopiæ Rex Catholicum Patriarcham recipit.* sperabat, rerum statum inuenit. Consaluus Rodericius ex Societate ad explorandam Æthiopici Regis voluntatem, & consolandos reliquos è Christophori Gammæ copiis Lusitanos cum litteris Lusitani Regis præmissus, idemq; sub tempus reuersus renunciauit Claudium negare ab se vel Patriarcham, vel omnino quempiam suis popularibus postulatum, sed vnum aliquem dumtaxat vulgarium sacerdotum, qui agentibus inter Æthiopas Lusitanis, ritu suo, vt illi optabant, sacra impertiret. Nam sibi quidem suppetere idoneos, qui vel Romanum Patriarchatum regerent. Nec verò sibi Chalcedonense Concilium, nec Leonem Pontificem probari posse: iusteque hunc à Dioscoro anathemate perculsum. Quanquam hæc nunciabantur, nihilo tamen minùs Patriarcha profectionem moliebatur: sed Franciscus Barrettus Prætor, aliique tum è Societate, tum extra eam consulti prudentes viri, nequaquam committendum putauere, vt tanta dignitas impiorum ludibrio obiiceretur, & nimia properatio magis fortasse schismatici animum
50 *Andreas Oviedus Episcopus in Æthiopiam destinatur.* Regis exasperaret. Itaque Andream Episcopum præmittendum potiùs censuere, qui præmollire animum Regis, & aperire Patriarchæ aditum conaretur. Verùm sapientissimus Deus, vt olim nascente Ecclesia, quæ Iudæi, ita nunc, quæ respuebant schismatici auxilia, ad Ethnicorum emolumenta magnam partem conuertit. Quippe dum Patriarcha, multique Patrum prouinciæ Æthiopiæ destinatorum non inuento illuc aditu, in India subsidet, cùm ad res domesticas ordinandas, tum ad conuersionem Indorum promouendam
51 *Goani Collegij quanta moles hoc tempore.* ingens sanè momentum fecere. Goani Collegij iam tum magna erat moles. Eius curæ & Seminarium ex variis nationibus adolescentium fermè centum, inter quos orbi quidam parentibus pueri educabantur: & nosocomium, in quo ad quadraginta interdum inopes Christiani curabantur: & catechumenorum ingens numerus, qui tum minimè secreris à nosocomio vtebantur ædibus, ita commissi erant, vt alendorum etiam tot capitũ negotium incumberet, quamuis paulò amplius quater millium aureorum nummûm vectigal annuum à Rege Lusitano ad id loci attributum conficeret. Præter infimam classem, in qua quadringenti circiter & quinquaginta noscere & figurare prima litterarum elementa docebantur, tres erant classes Grammaticæ. Ad hæc Philosophiam Antonius Quadrius explicare instituerat, cui & Ioannes Mesquita collega hoc anno accessit: & simul de Theologia aliquid Quadrius idem interpretari cœpit. Et quoniam
52 *Chalcographia prima India.* nuper è Fratribus vnus chalcographicæ peritus solertiæ cum vniuerso eius artificij instrumento aduectus erat; hoc primùm anno in studiorum instauratione propositæ sunt disputandæ è Philosophia theses typis excusæ. Rem planè nouam id gentium, & quam meritò India supra miracula sua demiraretur. Iis disputationibus summa omnium approbatione Quadrius præfuit. Tumque, si vnquam, est cognitum, quantum præter alia dona viro illi Deus ad omne reconditarum litterarum genus dedisset indolem. In Ciorano insula ad culmen sub hoc tempus perductum est templum beatæ Virginis Gratiarum: circa quod in agro, quem olim Alfonsus Noronia Prorex in vsum Christianorum Ecclesiæque tribuit, neophyti, qui iam plus trecenti numerabantur, domicilia ponere, vt commodiùs templi beneficio vterentur, cœpere. Prouincialis Consaluus prouinciæ res ordinare adorsus, quoniam præcipua cura in religiosa republica instituendorũ Nouitiorum debet esse, Goani Collegij partem, in qua ii separatim instituerentur, secreuit. Tum ipse statim Goa egreditur. Opportunitatem præbuit Barrettus Prætor ad arcem Ciaulanam in collem, cui obnoxia suberat, transferendam, comparata classe iturus: qui eum, vt secum iret, rogauit. Quare Consaluus lustrandæ prouinciæ cupidus; aliquot Goæ magno omnium assensu concionibus habitis, quarum primam postero quàm venerat, habuit die (ita cessationis erat impatiẽs) Goanisque rebus Francisco Rodericio administrandis relicto, libenter ea opportunitate est vsus; præsertim quòd res haud sine certamine videbatur & sanguine transigenda: cùm Nizamalucus Ciauli dominus, consilio Prætoris cognito, ne certius iugum acciperet, armato milite destinatum arci collem insedisset. Quanquam Prætori deinde res tentãda per vim nequaquam visa est: dissimulatoq; consilio, & renouata cum Nizamaluco amicitia, Bazainum, vbi olim fuerat Præfectus, ad res eius plagæ cognoscendas, perrexit. Vbi primùm ab Goa cum classe discessit, multùm institit, vt Consaluus in prætoriam secum conscenderet: sed is & modestiæ tenax, & pietati suæ ac cæterorum saluti vt commodiùs inseruiret, maluit Francisci Mascareniæ nauigio vehi. Nullam toto in cursu vir animarum sitientissimus non arripuit occasionem, qua priuatim, qua publicè ad pietatem excoleret excitaretque vel militares copias, vel nauticam turbam. Est Ciaulum supra Goam ad Borealem plagam. Litora legentes ibant. Ea ad dexteram erant amœna, & viridi ad requietem vestitu subinde inuitabant. Nec rarò marinis ærumnis, feruoreque solis fatigati milites, applicitis ad terram nauigiis, descendebant. Inter eos ad auram captandam, recreandaque corpora vel considentes, vel stratos sub vmbra, vel telis innixos, statim Consaluus tumulo saxóve conscenso iucundum salubremque animis diuini verbi spargebat rorem: vt videreris videre vel Tiberiadis, vel Iordanis refertas olim ripas populorum ex Saluatoris ore pendentium. Ciaulum appropinquans, classem aliquantum præcedit: quodque nulli in eo oppido de Societate erant, ad publicam hospitalem domum cum socio pergit. Sub tempus soluendi ieiunij ambo digressi diuersis oppidi vicis, ad ineundam sanctæ paupertatis (quemadmodum ipsemet loquitur) possessionem cœpere ostiatim viritimque stipem emendicare. Tum statim concionari, & audire confessiones aggressus tam faciles ad pias res populi inuenit animos, adeoque cupidos profectus, vt non libenter solùm audirent, sed etiam conuenirent postea Patrem, repeti sibi planiusque explanari, quæ pia tradiderat monita, rogitantes: eaque diligenter in libellis memoriæ causa adnotarent. Nec erat è populo quisquam, qui non vehementer Ciauli Societatem,

53 *Consului Sylueria feruidacaritas.*

54 *Studium paupertatis.*

Digitized by Google

tem, omnia largè promittens, expeteret. Octo dies ibi moratus Tanaam progreditur. Hîc iam agebant de Societate tres, Pater Franciscus Henricius, duoque sacrorum Ordinum expertes. A quibus, pariterque à neophytis, quorum etiam plurimi perhonorificè obuiàm occurrêre, lætitia & gratulatione summa exceptus, absque mora (dies erat sanctæ Martyri Catharinæ sacer) suggestum ascendit; solatusque frequentem populum, eodem die sub noctem Bazainum perrexit. ibi Hieronymum Concham cum altero sacerdote, tribusque non sacerdotibus reperit. Ei Collegio amplificationem annui census, quo plus ad alendos de gente pueros, qui instituebantur, suppeteret, à Prætore impetrauit. Sed illud haud paulò maius atque memorabilius. Ad eam diem, vt locis inter Ethnicos parum tutis, neque in Bazainio, neque in Tanaënsi templo diuinissimum Christi Corpus asseruabatur. Ille autem tempus iam ratus satis periculo vacuum, vt ardebat amantissimi Domini studio, eiusque propagandi cultus omnes inuestigabat vias, vtrobique cæleste illud decus & præsidium manu sua collocauit. Bazaini luce conceptæ Virgini sacra: Tanaæ octauo ante Christi Natalem die, qui expectationi partus Deiparæ in Hispania, multisque præterea locis est dedicatus. Interfuit Tanaënsi celebritati profectus Bazaino cum magna nobilitatis parte Barrettus Prætor. Celeberrima mirantibus Ethnicis supplicatio habita est: postque eam sensu quodam pietatis abundantiore solito, cùm semper esset vberrimus, verba fecit Consaluus. Haud multò minor lætitia celebritasque post meridiem fuit, vbi ipsemet hominibus quadraginta salutarem baptismi aquam in apparatu magnifico Consaluus infudit, Prætore, cæteraque nobilitate spectantibus. Denique etiam Societati adiuncto nobili & opulento adolescente Paio, seu Pelagio Correa, Kalendis Ianuarij post habitam de sanctissimo Iesu concionem, Cocinum versus nauigio, quo Iacobus Noronia arcis Diensis Præfectus propè cogit vti, discessit. Malacæ interim Balthasar Diazius strenuè magnoque successu diuinam rem procurabat.

55 *Eucharistiam asseruandam collocat Bazaini & Tanaa.*

56 *Iaponia res.*

In Iaponia tres erant inchoatæ Ecclesiæ, Amangucij vna, altera Funaij in regno Bungensi, tertia Firandi. Procurabant eas Socij quinque, Cosmus Turrianus, & Balthasar Gagus sacerdotes, Fratresque Ioannes Fernandius, Odoardus Silua, Ludouicus Almeida. Haud plures tum Iaponia sacros religiososque viros siue de nostro, siue de Ordine vllo habebat: sed cùm huius anni æstate Melchior Nunnius Ioannis Patriarchæ frater tandem in Bungum appulisset, Gasparem Villelam sacerdotem, & aliquot præterea Socios haud sacerdotes reliquit. Ei cœtui Cosmus Turrianus præerat à Xauerio olim eas ad gentes ductus, relictusque Amangucij, vbi ad annos septem magna in sanctimonia, summis in laboribus & ærumnis vixerat. Quem Melchior antiquis Ægypti comparabat Patribus, nisi quòd Cosmus non cõtemplatione diuinarum dumtaxat rerũ, sed etiam subeundis proximorum causa negotiis exercebatur. Bungense regnum obtinebat Rex gentis vocabulo Quiuan (Latina nos quantũ licet forma conflato in vnũ sono Quiũanum dicemus) is, qui multis pòst annis Christi cultu suscepto, Franciscus clarum terris & cælo nomen, fuit. germanus eius Amangucij dominabatur: sed neutri pacatum regnum erat. Nam tempore B. Xauerii cùm Amangucij regnaret indigena ex Occindona gente, eum Procerẽs, nimias peros opes, & immoderatam gratiam hominis, quo à secretis vtebatur, in necessitatem sibi consciscendæ necis compulere. Quam cladem prædixisse fertur Occindono Xauerius: & post eius funestum casum inter cætera ad Christianũ Iaponem scripsit, Quàm vellet modò Occindonus monitis meis paruisse? Tum igitur perduelles, vt se contra residuas Occindoni partes firmarent, Regis Bungensis fratrem in regnum vocarunt. Hic aliquãdiu rerũ satis pacatè potitus est, quoad Morindonus è vulgo vir, sed ingenio & manu promptus, obseruata popularium inclinatione alienigenæ iugum iniquè tolerantium seditionem exciuit. Hinc Amangucianũ regnum & Bungense bellis arsere. Denique Rex Amangucianus occiditur; Bungensis diu periclitatus Bugenum & Chicugenum regna ex Amangucian imperio ad suũ adiunxit. sed quo tempore Iaponiam Melchior tenuit, tum maximè rerum cardo vertebatur. Pater Cosmus diebus omnino quindecim ante eius aduentum, Amangucian nondum sublato Rege, sed regno bellis euerso, vrbe incendio funditus absumpta, ciuibus vel dispersis vel occisis, ad Socios Bungẽses receperat sese. Quare calamitate licet publica dolens, magno cum solatio vnà omnes coniunctos Melchior aspexit. In Bungo etiam cuncta erant tumultu ac periculis plena. Rex contra hostes in armis, non eorum vim magis, quàm suorum perfidiam metuẽs, tredecim Dynastas, quos habebat suspectos vnà cum familiis & popularibus (vti mos gentis est) penitus exciderat. Inde perturbatis supra modum regni rebus, in tutum sitv locum secesserat. Funaij, quæ vrbs est in Bungo præcipua, domicilium habebant Socij, & nosocomium, quod Ludouicus Almeida curabat, ibidem ad Societatem magno Iaponum bono adiunctus iuuenis: cui non solùm nonnulla ab arte præsidia sanandis morbis, sed quædam etiam diuinitus (vt ostendebant supra vires humanæ opis valetudines reuocatæ) gratia inerat curationum. Qua pellectos illecebra Ethnicos ad Christi cultum, veramque animorum salutem insigni caritate studioque ducebat.

58 *Ludouicus Almeida gratia curationum Ecclesiam amplificat.*

57 *Cosmi Turriani virtus.*

HOc rebus dicendis veluti præstructo vestibulo, subit annus ab humana salute millesimus quingẽtesimus quinquagesimus septimus: quem ab confirmata Apostolico iudicio Societate decimum octauum numeramus. Quippe cùm res posceret, vt ad rationem anni communem nostra numeratio accommodaretur; annum sæculi euntis quadragesimum, tametsi non nisi eo in autumnum adulto, Pontificium diploma datum est, satius visum est adnumerare pro integro, quàm vel morosiùs exequi menses, vel tam illustri commendatam opere anni partem obliterare. Fuit hic annus & bellis turbulentus inter Christianos Principes, & priuatim Societati in Vrbe parum quietus. Reuersus ex Hispania Hieronymus Natalis, cuius 1557.

opera

Digitized by Google

59 *Hieronymi Natalis res in Romano Collegio gestæ.*

opera vtilis Romæ futura erat propter eius rerum Societatis intimam cognitionem, ad ea præparanda, quæ in generali conuentu agitari deberent; à Vicario ad consilia adhibetur, Romanoque Collegio Superintendens de mortui Olauij loco præficitur. Ibi dum aliquot dies de propria institutæ vitæ ratione Socios alloquitur, & quantæ susceperint perfectionis munus exponit, mirificè omnes incendit. Exacuebat pietatem imminens votorum instauratio. Libellis proponebant, quas quisque cuperet sibi extraordinarias concedi corporis afflictationes: qui libelli publicè recitabantur: & multæ quotidie earum vexationum multis concedebantur, non tamen quas ferè petebant, supra modum seueras, at mitiores: compensante obedientia, quod seueritati detrahebatur. Die sacro Epiphaniorum tres distributi in classes Bobadilla, Natali, Polanco sacra facientibus, eadem omnes formula, super qua pridie scripto excepta meditationem instituere iussi erant, vota qui nondum certum ad gradum erant admissi, omnes instaurant. Contineri vis diuina in pectoribus clausa non poterat, quin multis modis foràs erumperet: planeque omnibus insolitus ardor pro miraculo visus est. Ignatio è cælo iguem demittenti, sancto illi votorum instaurandorum mori, Natalis denique cohortationibus adscribebatur. Porro quo vberiùs aderat cælestis afflatus, hoc enixiùs in commoditates publicas incumbebant. Et profectò pro eo statu rerum haudquaquā satis erant medij conatus. Inducijs enim, quæ dierum quadraginta inter Pontificem ac Philippum pactæ erant, exactis, pro pace, quæ expectabatur, renouatum est bellum: nec Pontifex prætermisit modis omnibus populo rectam suam mentem probare. Inter cætera denunciari publicè pro suggestis à concionatoribus iussit, semel se quoque mense quorumuis querimoniis corā duobus Cardinalibus, qui veluti iudices assiderent, aures præbiturum. Hac benignitate atque Indulgentiis, quas ad Deum in tot malis placandum sæpè concedebat, seges piis agricolis laborum & præclara messis apparabatur.

60 *Votorum instauratio magno est adiumento.*

Status rerū publicus turbulentus.

Tertio Nonas Februarij Romam venit è Belgio Petrus Ribadeneira magno sui apud Louanienses relicto desiderio. Quanquam enim solennia professus ipse vota non erat, tamen pro vsu, quo instituta callebat Societatis, videbatur eo tempore, quo de ordinandis firmandisque rebus grauissimis agendum erat, opportunè Romæ futurus. Secum Iacobum Ledesmam adduxit egregiæ sanctitatis atque doctrinæ virum, quem à diuina prouidentia in Olauij summissum vicem omnes interpretati sunt. Nam & sub id tempus ad Societatem accessit, quo decessit ille: & ingenio haud dissimili atque sapientia erat. Demum Romano in Collegio nihilo postmodum segniùs litterarum sustinuit studia, & prouexit. Ortus hic est in Hispania, in oppido, cui appellatione gentis, Villa Cuellar est nomen. Complu- ti primùm magna cum singularis ingenij fama, mox Parisiis multorum annorum labore, non mediocri simplicique doctrina contentus multiplici rerum scientiæ operam dedit. Postremò Louanium inexplebilis sciendi, gloriæque cupi-

61 *Iacobi Ledesmæ insignis ad Societatem vocatio.*

do traxit, simul quæsiturum, si quos (quod adhuc non contigerat) qui satis ad plenum facerent, reperiret magistros, percepturumque, si- quid noui afferrent; simul, quæ iam pectore recondiderat suo, arcana sapientiæ depromptu- rum. Hîc familiaritatem Patrum Societatis nactus, cœpit acribus stimulis ad idem vitæ genus impelli. Duę res faciebāt moram: primùm, quòd opera quædam de Philosophicis atque Theologicis disciplinis, quæ habebat affecta, perficere priùs, atque in lucem emittere cogitabat, ignarus, an postea quàm alienis viuere auspiciis cœpisset, siue potestatem, siue otium ad eam rem habiturus esset: deinde, quòd verebatur, ne non tantam posset innocentiam sanctitatemque præstare, quantam in hac vitæ ratione necessariam sibi persuadebat. Hæc retardabant, quo minùs ad Christi crucem protinus euolaret. At Ignatium tanti faciebat, vt gratias Deo ingenti cum sensu sæpè ageret, quòd hoc potissimùm tempore, suaque ætate talem virum mortalibus concessisset. Eius porro institutum sic probabat, planè vt profiteretur Societatis hominibus perpetuò se regendum velle permittere. Nimirum hac ratione sedare conscientiam, & eludere diuinum impulsum non sentiens conabatur. Sed frustra contra stimulum calces. Deus, qui Ledesmam non ad limen religiosæ vitæ, sed ad conclaue vocabat intimum, reluctanti nullam quietis partem sinebat esse. Itaque diuturna fractus pugna, tandem Ribadeneiram veterem sibi amicum adit; quæritque ex eo, si vitam in Societate religiosam iniret, victurus ne pacatiùs ac tranquilliùs esset, quàm tum viueret. Cui Ribadeneira: se quidem futurum quid esset, affirmare non posse, cùm Dei sit vnius, quæ nondum sunt, tanquam ea, quæ sunt, intueri. Verùm, si de suo plurimorumque, quos nosset, pronunciare sensu vellet, pro consueta rataque Dei bonitate certò id fore confidere. Æstuabat iam diu animo bonus Doctor: quare ad hanc vocem ac si ad aures diuina vox accidisset, victus omnino atque prostratus, laxat habenas lacrymis, crebroque cum singultu. Proinde ecce me, inquit, Pater; tuæ me penitus potestati trado: vester sum: Societati me totum do dicoque. Quæ tam insolito cum ardore atque impetu protulit, vt Ribadeneira occurrerit illico, monueritque, ne quidpiam voueret: seque eo in æstu, in quo potens sui vix erat, nexu, qui sedati consilij deliberationem postulat, irretiret. Nihil ad hæc Ledesma tum quidem: sed postridie quinam fuerit hesternus feruor interrogatus, Nihil mirum, respondit: non è præcipiti subitoque motu, sed è septem annorum luctatione profectum. Hac igitur ratione decreuit Societati se dedere: admissusque est Louanij superiore anno pridie Kalendas Octobris, annum ætatis agens tertium circiter ac trigesimum. Eaque animi excelsitate obedientiæ iugum adamauit, vt in commētariolo rerum suarum (quem ego ipsius manu scriptum vidi) ipsemet prodiderit, concionibus se & consuetudine Ribadeneiræ adductum, vt Christo Domino suam scientiam dedicaret; atque etiam, si oporteret, prorsus illam in eius gratiam desereret. Quod, qui attentiùs reputet quanti vulgò fiat scientia, quanti

62

Digitized by Google

63 *Diuinis significationibus confirmatur.*

quanti ipse Ledesma ad eam diem feciſſet, ſacrificium neceſſe eſt nobile videatur. Nuper autem in itinere, dum Romam venit, miram erga ſe indulgentiam Patris cæleſtis non ſemel expertus, in ſuſcepto conſilio vehementer animum confirmarat. Adfuit illi primùm Deus Coloniæ Agrippinæ, mox Auguſtæ Vindelicorum, dein Brixiæ, poſtremò Romæ. Coloniæ cœnobium eſt Carthuſianorum inſigne. Hoc Ledeſma dum viſit, perque ſingula oculos ac mentem ſtudioſè circumfert, & ſolitudinem, quietem, ſacrumque illud ſilentium admiratur; cœpit paulatim animus ad eius diſciplinæ formam propendere, & affici. Ii demum videbantur homines religioſi, qui inſtituto Beatorũ vitæ quàm proximo, longè à mortalibus curis, longè ab rerum ſtrepitu humanarum in ſuauiſſimo dumtaxat & honeſtiſſimo otio collaudandæ contemplandæque diuinitatis æuum agitarent. Societatis ratio ſancta illa quidem, ſed (quòd eam propiùs non tractarat) laborioſa nimis, & implicita videbatur: nec rebatur in mediis ſæculi fluctibus tranquillitati locum relinqui. Quæ dum animo agitat, propè aberat, vt initam à ſe viam damnaret, cùm repentè Leonardus Keſſelius ſuperuenit. Collegij

64 *Leonardus Keſſelius virtute & miraculis clarus.*

Superintendẽs hic erat Colonienſis, vir & virtutibus, & mirabilium rerum effectione clarus: qui vbi Ledeſmam vidit, vltro appellat: Non hîc ſunt omnia, frater mi. Habet Chriſti Ieſu Regina ſponſa veſtitum aureum pulcherrima varietate diſtinctum. Et verè hi ſunt, & præter hos alij ſunt multi verè homines religioſi, quorum Deo ſunt accepta obſequia. Tam aptè attemperateque ad hominis ſenſum & cogitationem occurrit, vt is eam vocem Dei vocem fuiſſe priſtinum ſuum conſilium approbantis minimè dubitarit: multoq; id magis ſibi perſuaſit paulò pòſt, cùm oraculum ab eodem Patre nouum accepit. Inambulabat bonus tiro domide caſtitate ac perſeuerantia ſolicitus. Vt erat doctus, dona hæc Dei eſſe didicerat: vt ſunt plerumque inanibus etiam terroribus obnoxia tironum ingenia, num ſibi affutura eſſent ea dona vltra modum anxiè volutabat. Fit obuiàm hîc quoque Keſſelius, atque ex improuiſo, Certus eſto, inquit, abſque dubio Deus tibi caſtitatis atque perſeuerantiæ dona concedet. Hæſit nimirum primò Ledeſma id audiens, vnde ea viro notitia: tum Dei erga ſe beneuolentiam cum admiratione agnoſcens ac venerans reſpirauit; pieque confidit, qui cogitationum ſuarum arcana Keſſelio aperuerat, id quoque, quod per eum receperat, præſtiturum. Nihil tamen de precandi ſtudio remiſit; quin potiùs aucta fiducia & precationem, quod veræ fiduciæ documentum eſt, intendit. Quare mox Auguſtę eadẽ dona flagitãti, ipſe Chriſtus Dominus apparuit: qui ſanctiſſimo ſuo illũ ore conſolans, æquo animo iuſſit eſſe, daturum ſe illi vt & caſtè, & vſque ad extremũ ſpiritum in Societate perſeueraret. Hæc omnia cognita ex ipſo Iacobo ſunt. Cùm enim morti proximum ex vita, quam egerat, ſuſpicantes id quod erat, Patres admonuiſſent, vt ſi quid noſſet, quod vulgatum in Dei gloriam cederet, videret ne id ſilentio premere, iniquum foret; ea denunciatione cõpulſus, hæc, & ea, quæ mox ſubijciam, Ioanni Baptiſtæ Piſcatori, cui ſolebat per ſacram homologeſim conſcientiam aperire, narrauit. Cùm autem Auguſtanum hoc viſum referret, quæſiuit Piſcator, qua ſpecie Chriſtum Dominum vidiſſet. Ille verò reſpondit, quemadmodum ſanctus Paulus raptus vſque ad tertium cælum, ſiue id in corpore, ſiue extra corpus accidiſſet, neſciebat; ita tum ſe tanta diuinæ dulcedinis copia delibutum captumque fuiſſe, vt aliud præter incomparabilem illum diuinitatis guſtum, ac ſuauiſſima verba, quæ menti inhæſerant, explicare non poſſet. Eo- 65
dem in itinere, vt modis omnibus palàm fieret, quàm grata Deo eſſet pia illa ſolicitudo caſtimoniæ conſeruandæ, ac vitæ in Societate finiendæ; cùm Brixiam peruenisſet, in duplici eadem cura defixo præbuit ſeſe videndam præſes integritatis, Deique genitrix Virgo. Species erat ſole pulchrior. comites aderant tres, Maria Magdalena, Catharina virgo & martyr, & Catharina Senenſis. Dulciſſimè affatur cæli Regina: nec modò pudicitiam, & perſeuerantiam pollicetur, ſed etiam rurſus ad vitæ finem ſuam ſe illi ſpeciem commodaturam: tumque intellecturum ſibi vera pollicitam, quamq; excellens donum ſit cordis corporiſq; munditia, & quantam ei gloriam allaturum. Id ipſum blando vultu adpromiſere tres comites. Quæ mox dum ſenſim recedunt, ſuauiſſimè concinentes caſtimoniam prædicabant. Ex quo cantu ſimplices hoſce verſiculos refert Ioannes Fernandius, qui Romæ interfuit Theologiam docens, cùm hæc Ledeſma prodidit: Quantum eſt donum caſtitatis, quod Deus confert pietatis? Tot diuinis confirmatus promiſſis antequam Romam attingeret, caſtitatem perpetuam B. Virgini vouet, quòd id audierat à B. Ignatio factum, vbi primùm in ſolitudinem fugit. Id accidit in itinere ab Florentia Romam: de quo itinere ita ſæpè meminit, & gratias Ledeſma in commentariolo ſuo agit, vt facile ſit intelligere multa in eo, quæ neſcimus, à Deo, Beataque Virgine diuinitus conſecutum. Denique vbi Romam venit, ſimile quiddam in Vicario reperit quod in Keſſelio Coloniæ erat expertus. Lainius ad cætera humanitatis indicia nouum hoſpitem etiam menſa excepit. Vbi Ledeſma paulatim (vt opinor, ex conſideratione eorum ſanctitatis, quorum conuiuio intererat) cogitatione ſublatus, propè extra ſe raptus videbatur ſibi cum ſancto Paulo in cælo verſari, ac cæleſtibus frui delicijs. mox ad ſeſe reuerſus, anxius aliquantiſper ſubſtitit; tum oculos erigens vidit in ſe Lainii oculos defixos, tacitoque ſpondentem nutu magiſtrum ſibi non defuturum: ſurgenſque à menſa Vicarius iucundè hominem complexus, ait ſe ipſum, vbi opus ſit, ei loco magiſtri fore: nec dubitare, quin Deus præſtò ſit futurus, vt aptè congruenterque inſtituat. Commodùm autem id ipſum Ledeſma tum ſecum verſabat. Iniecerat illi Satanas ſcrupulum, num ſortiturus eſſet cæleſtis philoſophiæ doctorem, à quo ita formaretur, vt animæ ſuæ ratio poſcebat. His igitur pignoribus paterna Dei erga ſe pietate comperta, ſedatis curis, totum ſe ad ponenda inter Nouitios ſolida fundamenta contulit. Cornelio Vishauæo, qui Meſſanæ, quò cum primis Collegij fundatoribus iuerat, Tironibus inſtituendi,

Digitized by Google

tuendis præfuerat, iamque præerat Romæ, in disciplinam est traditus : ab eoque mirè se edoctum, & scrupulis plurimis ac molestiis ereptum profitetur. Cuius ille dicta ac monita tanti faciebat, vt singula accuratè in libellum, qui hodieque asseruatur, referret. Priùs tamen quàm secederet, pro more Societatis iussus ingenij doctrinæque suæ specimen dare, ingenti omnes admiratione affecit, tanta cum varietate & copia, tantaque cum prudentia simul atque excellentia sapientiæ, audientibus Collegij vniuersis alumnis, & grauissimis Patrum, qui tum Romæ degebant, ipsoque Vicario, octo deinceps diebus de aliis atque aliis disciplinis, quibus egregiè excultus erat, quotidie amplius hora disseruit : cumque iam omnes existimarent reliquum nihil esse, de quo disputaret, septimo die significauit, postridie de ponderibus & mensuris dicturum.

Excellens Ledæmæ doctrina.

66 *Lainius Vicarius concionatur maximo omnium.*

Porrò Lainius per Quadragesimam iterum super Actis Apostolorum verba facere aggressus est, frequentia populi maxima, honestissimaque Præsulum & amplissimorum corona Principum : quorum non pauci gloriabantur se, quæ audissent, vbi repetiissent domum, referre in scripta, vt attentiùs inter audiendum, nequid intercideret, vigilarent ; & paratum postea subsidium contra obliuionem haberent.

Interim verò præcipua domi cura & expectatio erat comitiorum. Patres, qui versabantur in itinere, diligentissimis Deo precibus commendabantur : quidquid poterat præuerti ad conuentum celeriùs finiendum, sedulò expediebatur : vt, quoniam ab suis prouinciis sine incommodo abesse non licebat, absentia breuior minùs incommodaret : viaque in reditum ante calores summos extremo vere suscepta minus haberet periculi & laboris. Postremis litteris edictus erat conuentus in primos post Pascha dies. Quare per hebdomadam sanctam peruenere Romam è Gallia Paschasius Broëttus, & Baptista Viola : mox consequentibus diebus è Germania superiore Petrus Canisius, Nicolaus Gaudanus, & Nicolaus Lanoius : è Belgio Leonardus Kesselius, & Adrianus Adriani : è Venetis Simon Rodericius : è Sicilia Hieronymus Domeneccus, & Antonius Vinckius. Salmeron statim erat Neapoli affuturus. Solùm itaque Hispanarum prouinciarum desiderabantur Patres : ac Genua litteræ afferebantur, indies Hispanas expectari triremes. Interim iucundissima Romani Socij tot primorum Patrum consuetudine fruebantur. Intueri Ordinis parentes profectos ex longinquis adeò diuersisque regionibus omnes cùm doctrina, tum sanctitate, rebusque gestis insignes, & suauissimum erat spectaculum, & acre ad imitationem incitamentum. Ipsique Patres benignissimè, ac simpliciter sui copiam facientes, pericula necessitatesque regionum quique suarum, Societatis amplificationem, gesta in commune bonum Ecclesiæ, restitutos mores, hæreticos ab errore deductos, & alia id genus, quæ per famulos suos diuina sua gratia Christus Iesus egerat, memorabant : simul,

67 *Plerique Patrum ad Congregationem Romam perueniunt.*

vt quamplurimos secum quisque in prouinciam suam post creatum Generalem abducerent, sedulò operam dabant. præcipua Canisij cura, vt & Germanici, & Romani Collegij alumnos publicis priuatisque sermonibus ad ferendam Septemtrioni opem incenderet. Inter quæ gaudia nonnihil habebat solicitos nauigatio Hispanorum ; cùm Gaspar Loartes Collegij Genuensis Rector nunciat naues ex Hispania Genuam appulisse ; hominem Societatis præter Ioannem Baptistam Riberam aduectum neminem : illum cum litteris atque mandatis missum, vt è naui descendit, febri lecto afflictum. Iussis afferri litteris cognoscunt, Patribus ad iter sese iam comparantibus, præter Borgiam, quem tenebat valetudo, cùm Lusitani Complutum peruenissent, quòd bellum Italicum renouaretur, edictum regium promulgatum, quo vetabat quempiam in alienas terras ex Hispania proficisci, & qui essent Hispani Romæ, iubebantur exire : si secùs facerent, contra Maiestatem regiam facturos. Hoc edicto, præsertim cùm pactæ quoque cum Gallis induciæ pro solutis haberentur, amboque Reges ad instruendum bellum curas vireseque adiecissent, se coactos subsistere. Verumtamen etiam atque etiam viderent, num, quamuis arma conquiescerent, expediret extra Vrbem haberi conuentum. Sibi quidem summè esse in votis sanctissima Romæ loca lustrare, & Beati Patris Ignatij videre & venerari sepulcrum ; proque bono Ecclesiæ ac Societatis iter vel ad Barbaros cum certo periculo fore iucundum. Hæc tamen capita, cùm apud se magni essent momenti, sincerè visum esse suggerere : quibus expensis, si aliter existimarent, vsquequaque se in officio fore. Primùm nullo pacto committendum, vt Borgia à conuentu abesset, siue quòd Commissarius sex prouinciarum esset, siue ob viri prudentiam dignitatemque personæ : Romam verò vt veniat, neque facilè ipsum posse adduci, idque multas verasque ob causas : nec medicos super eius valetudine consultos profectionem vllo modo permittere, nisi velit manifestum ad interitum ruere. Deinde vulgari passim in Hispania Sorbonicum aduersus Societatem decretum, & quotidie nouas aliunde quoque contra eam flammas existere : quæ, nisi præstò sint, qui auctoritate restinguant sua grauissimi viri, incendium excitaturæ immensum sint. Præter hæc multa esse præclarè cœpta, quæ sine insigni detrimento nostro alienoque intermitti non possent. Beatum Ignatium hæc ipsa pro iustis causis cur abesse à conuentu liceret, iudicauisse. His accedere, quòd negotia in conuentu transigenda talia essent, quæ otium, maturam consultationem, atque adeò cunctationem postularent. Idcirco non in oculis tractanda parum beneuolorum, nec præproperè ac tumultuariè, sed deligendam pacatam sedem & opportunam : vnde nisi rebus planè, perque otium compositis, nulla necessitas cogeret sese commouere. Omnium autem regionum pacatissimam esse Hispaniam, & Barcinonem, tum aditu prouincijs omnibus facillimam, tum nostro

68 *Patres Hispani venire prohibiti.*

69 *Congregationem nolunt haberi Romæ multis de causis.*

Digitized by Google

ſtro nomini perbeneuolam ciuitatem. Denique viris non paucis, nec vulgaribus durum admodum videri nullam fieri laborum viæque partionem, cùm præſertim tempeſtate incommoda, infeſtis itineribus eundum eſſet: ipſi Roma ſaltem egrederentur. Hæc palàm memorabantur, & ſcripſere fusè Borgia & Araozius: iſque adiecit alia eſſe, quæ committi epiſtolæ non deberent, metum, vt reor, ſignificans, ne paulò antè reuerſus in Hiſpaniam Carolus Imperator, vt qui nunquam Societati magnopere ſtuduiſſe crederetur, abutentibus occaſione aduerſariis, aliquid contra eam tentaret; & Borgiam ipſum, quod tentaturus credebatur, abduceret. Duæ ſuper hæc cauſæ memorabantur, quæ ipſum priuatim Borgiam retardarent: altera, quòd cùm ſeptimo antè anno ab Vrbe in Hiſpaniam rediturus Cardinalem Theatinum, qui iam Pontificatum gerebat, officij cauſa ſalutaret, multa is de illo ad Cardinalatum euehendo egerat, ſi ſupereſſet Paulus Tertius, negans profectò permiſſurum, vt in Hiſpaniam illo cultu habituque reuerteretur. Quamobrem metuere dicebatur, ne quod olim in mentem Cardinali venerat, id demum Pontifex ad effectum adduceret. Certè cùm eo tempore de pace inter Pontificem ac Regem ageretur, cupidis ſermonum hominibus præbiturus obmurmurandi materiam putabatur, tanquam aliquid venaturus veniſſet. Deinde, cùm in nonnullis Societatis inſtitutis, ſi vellet ſuo duci ſenſu, forſitan alia decreturus eſſet, cupiebat ipſe extra conſilium eſſe; ſubmiſſeque & obedienter id amplecti, quod cæteris placuiſſet: tantum aberat, vt nouitatis vllius vellet auctor videri. Mihi verò pro infima hominis modeſtiſſimi opinione ſui ſuccurrit ſuſpicari: eo quoque libentiùs vſum valetudinis excuſatione, quo longiùs ab ipſo quoque adminiſtrandæ Societatis ſummo abeſſet munere. Cæterùm ita præter ſpem deprehenſi Romæ Patres, quam ſe in partem verterent, ignorabant. Conuocato concilio plurima afferebantur, quare differenda potiùs, quàm tranſferenda Congregatio videretur. Primùm, quæ Hiſpanis non veniendi Romam, eaſdem cæterarum prouinciarum hominibus non eundi in Hiſpaniam cauſas eſſe, cùm præſertim diſcriminibus bellorum, iam grauis quoque æſtas accederet. Deinde Romam videri communem Chriſtianarum gentium patriam. Prouinciarum aliam alij ſine odioſa comparatione præferri non poſſe: nec poſſe non indignum videri, vt pauci multos, vna natio cæteras omnes, vnum denique membrum corpus ad ſe vniuerſum trahere vellet. Præpoſito Generali ſedem ab Ignatio legibus conſtitutam Romam eſſe: non igitur committendum, vt alibi creatus eodem forſitan loco teneretur. Quid, ſi in creatione Præpoſiti, vel in recognoſcendis Conſtitutionibus aliquid incideret, quod præſentem ſummi Pontificis auctoritatem requireret? Tum verò Conſtitutionibus quanto plus dignitatis & auctoritatis fore, ſi Cardinalium in conſpectu, in oculis Vicarij Chriſti, in ipſo ſinu Apoſtolicæ Sedis, quàm ſi alibi vſpiam terrarum, ſumma eis manus imponeretur? Has inter difficultates vna offerebatur via ſimplex ac recta; vt re Pontifici candidè planeque expoſita, ab eius nutu penderent. At importunum ineptumque videbatur, poſtquam reliqui omnes Romam è cæteris prouinciis longo itinere conueniſſent, cùm ibidem Vicarius adeſſet, tum planè cùm eundum in ſuffragia eſſet; mentionem facere de conuentu in Hiſpaniam transferendo apud eum Pontificem, qui præcisè iuſſerat haberi Romæ; ac bellum cum Hiſpanis magnum gerens, vetuerat euocatos ab Vrbe Hiſpanos exire. Non leuitatis nota, non deteriore aliqua ſuſpicione curam & flagitationem huiuſmodi carituram. Vicit tamen cùm Generalis quamprimum creandi neceſſitas, tum voluntas, vt Franciſcus præſertim Borgia comitiis intereſſet. Id vnus omnium maximè tendebat Lainius, eam ipſam (vt coniectura haud ex nihilo eſt) ob cauſam, propter quam abeſſe Franciſcus volebat, nempe Generalatum ab ſe vt in eum auerteret. Aditur Pontifex. Acerbè primùm, & cum ſtomacho negat. Allegantur duo Cardinales Franciſcus Piſanus, & Michaël Giſlerius, qui Alexandrinus vocabatur, & tandem Pontifex Pius Quintus fuit. nihilo amplius reportatur. Recuperata interim opinione celeriùs valetudine Ribera accurrit: cuius mandatis cognitis poſt fuſas ad Deum aliquot diebus impensè priuatim ac publicè in domo Profeſſa, & in Collegio preces, multaque facta ſacrificia, redeunt in conſultationem Patres. Tulerat Ioannes Baptiſta ab Nuncio etiam Pontificio litteras, quibus docebat è re Catholica non eſſe, in eo rerum articulo Societatis viros in Hiſpania ſanctitatis auctoritatiſque maximæ extra prouinciam pedem ferre. Harum occaſione litterarum è quatuordecim, quibus dicendæ ſententiæ ius fuit, duodecim cenſuerunt, ne duobus quidem poſtea repugnantibus, rurſus ac poſtremò adeundum Pontificem cum eo, vt vocem eius, vtcunque reſponderet, pro diuino acciperent iuſſo; nec poſtea aut mutarent quidquam ſuper ea re, aut ampliùs deliberarent. Captato itaque aditu Lainius recitat Paulo Nuncij litteras; adiicitque, quas viſum eſt, cauſas. Denique Pontificem ita permouit, vt diceret vehementer ſe cupere id hac in re decernere, quod optimum eſſet futurum. Et, quoniam Pentecoſte immineret, negotium ſancto Spiritui ſe commendaturum: idem facerent Patres: tum denuo conſultatione habita ad ſe referrent.

70 *Quare Borgia Romam non libenter veniret.*

71 *Differenda potiùs videtur quàm transferēda Congregatio.*

72 *Petitur à Pontifice venia trāſferenda Cōgregationis in Hiſpaniā.*

Videbatur Pontifex non longè abeſſe, vt abeundi faceret poteſtatem, cùm repentè grauiſſimæ domi procellæ coortæ ſunt: quas vulgare poſteris operæpretium erit, vt Dei patrocinium intelligant, quo aſſiduè ab inteſtinis externiſque oppugnantibus ſuam hanc Sodalitatem defendit; tum vt ii, qui præſunt, ſi quid huiuſmodi in ſua adminiſtratione tempus ferat, non modò antiquis & alienis hominum ſanctiſſimorū, contra quos ſeditiones acerrimæ extiterunt, ſed etiā domeſticis ac recentibus exemplis ſe conſolentur: cæterorū verò, qui moderatorum regimini ſubiecti ſunt, quiſque cōſueſcat crucē Domini arctè complexus, in ſancta humilitate ſimpliciq; obedientia

73 *Quæ vtilitas ex narratione domeſticarum turbarum.*

Digitized by Google

dientia religioſi viri munus explere, duces ſuos loco Chriſti Domini venerari, & eam vitæ formam adamare, quam ſancti Spiritus ductu complexus eſt. Hac enim re maximè peccare viſi ſunt, qui auctores fuere turbarum: quòd inſtitutum Societatis, boni de cætero homines, & de quibus præclara multa ſuperioribus voluminibus relata ſunt, ac poſtea referentur, magiſtrorum inopia, & rerum agendarum occupationibus nunquam intimè cognitum, dum alio quodam ſuo ſenſu aguntur, in maximum periculum deduxere. Dux fuit Nicolaus Bobadilla vir acer, ſalutiſque publicæ multis in prouinciis magnis ſuis laboribus valdè vtilis; ſolitus tamen è libera potiùs quadam caritate (ſic ipſe nominabat) quàm ex arcta regularum norma religionem metiri, ac perinde vitam cùm temperare ſuam, tum cenſere alienam in ſacris cœtibus temperandam. Is tum maximè cùm prorogata neceſſariò comitia vidit, cœpit moleſtè ferre ſummam poteſtatem penes vnum hominem eſſe. Primò voces ſpargere, mox apertè dictitare, à fundatoribus primiſq; Profeſſis, hoc eſt iis, qui ſupererant è nominatis in Pontificum diplomatis, adminiſtrandam eſſe Societatem. Iniquè reiici, qui fuerant ſocij fundandæ familiæ, quo minùs eſſent gubernandæ conſortes. E Profeſſis, qui (vti demonſtraui) conuenerant, quatuor in ſuam ſententiam traxit, Paſchaſium Broëttum, Simonem Rodericium, Baptiſtam Violam, Adrianum Adriani. Ac Paſchaſius quidem per ſuam ſimplicitatem putatur abductus. Erat enim innocentiſſimus, minimeque malè cogitans, adeò vt Angelus ab Ignatio vocari ſoleret. Simon facilè creditur idem ſua ſponte cogitaſſe. Hærebat enim menti iudicium, quo fuerat ab Ignatio condemnatus. Quare duo eorum capita Lainio propoſuit: alterum, quo factam ſibi iniuriam in eo iudicio querebatur; alterum, quo in adminiſtratione Societatis Bobadillæ ſubſcribebat. Viola multis annis ſalutariter, at paulò liberiùs verſatus in Gallia, cùm eſſet ſiue iure, ſiue iniuria grauiter ad Vicarium delatus, ab eo ſibi metuebat. Adrianus hoc maximè laborabat, quod habebat cum aliis commune tumultuantibus; Ordinis inſtitutum penitus ignorabat. Sed ecce tibi, dum domi foriſque auctore diſſipate tumultus hic feruet, nouus haud minor exoritur. Pontius Gogordanus trium votorum Profeſſus, homo laborioſus, idemque, niſi interdum durior ceruix, & ingenium intractabilius negotium faceſſeret, operarius planè bonus, ſiue quòd non probaret in Hiſpaniam transferri concilium, quo videbatur ipſe concepta ſpe deiici quatuor votorum profeſſionis à Patribus Romæ coactis impetrandæ; ac vereretur ne profectionem Paulus concederet; ſiue quo alio modo à præſtigiatore diabolo illuſus, re cum nullo prorſus communicata mortalium, duobus ſibi notis Cardinalibus eiuſdem ſententiæ libellum tradit, quem Pontifici porrigant. In eo docet Vicarium ac cæteros Patres inſtare, poteſtas vt ſibi fieret in Hiſpaniam cõcedendi, quò Generalem Præpoſitum pro ſua voluntate crearent: & inſtituta Societatis Apoſtolicæ Sedis ſubtracta iudicio, prout eſſet commodum, fingerent. Num quid adiecerit, reſcitum non eſt.

74 *Bobadilla aduerſus Vicarium tumultus.*

75 *Pontius Gogordanus nouum ciet tumultum.*

Hæc autem, quæ retuli, ipſemet poſtea Pontius profeſſus eſt. Illud ſanè confeſtim apparuit, Paulum vehementer commotum: quod neceſſe erat, cùm Hiſpanum nomen haud libenter audiret, & aliquid in rebus Societatis iamdiu moliretur; ſibique, dum per aliud nomen venia abeundi Roma poſtulatur, illudi putaret. Ad decimumtertium Kalendas Iulias huius rei omnino neſcius Lainius, reſponſum de Hiſpanienſi profectione acceptarus in Vaticanum concedit. Incidit in Pontificem è menſa in ſuum ſe conclaue recipientem: nec ſolito aſpicitur vultu, nec vnquam aduocatur. Tandem poſt longiſſimam moram Ioanni Bernardino Scoto Cardinali Tranenſi ſupplicat, reuocet Beatiſſimo Patri in mentem, ſe etiamnum præſtolari. Quod vbi fecit, idem Tranenſis, vnaque Ioannes Suauius Reumanus item Cardinalis progreſſi, ita reſpondent, Sanctiſſimum Patrem dicere, tempus illud opportunum ad audiendum non eſſe: intra diem tertium diplomata Pontificum, Conſtitutiones regulaſq; Societatis, & quidquid ad eius diſciplinam ac regimen pertineret, olim nuperve conditum ad hoſce duos Cardinales iuberet afferri: necnon omnium, quotquot in Vrbe Socij eſſent, ſcripta nomina traderet: nemoque eius iniuſſu auderet Roma exire. Quo tam acri repentino que imperio commotus eſt admodum Lainius, nec minùs cæteri Patres, præſertim vbi cognouere mali fontem domeſticum eſſe. Vices Bobadillæ miſerabantur: Pontij verò deteſtabantur exemplum. Adeò ſimplices erant (ſunt eorum hæc verba) vt nunquam putaſſent fore, vt è Sociis exiſterent, qui Societatem vniuerſam perditum irent. Obedienter, quæ imperata erant, mittuntur, addita epiſtola, per quam ſignificabant Conſtitutionibus necdum ſupremam manum adiectam; ſed in primo Patrum conuentu addendam; & nominibus Sociorum etiam patria adſcripta eſt. At enim Pontius ac Bobadilla auidè conſiliis & viribus copulatis, cuncta ſuſpicionibus fictiſque fabulis compleuerunt acriter aduerſus Vicarium, contraque Ordinis inſtituta dimicantes, vt iam res ad iudicium, quod boni viri maximè nitebantur, ſpectaret. Quæ cùm Vicarius animaduerteret, Patres in conſilium vocat, quod initio ſæpè faciebat (ſed animaduerſum ſubinde eſt non parum obfuiſſe cœtus frequentes) rem negligendam non eſſe demõſtrat: dandam operam, nequid Societas detrimenti capiat. De eorum igitur ſententia primùm omnium placare Deum, ac domeſticorum animos confirmare inſtitit. Indicũtur extra ordinem propitiando Numini pia opera: vt hanc ob rem domi Profeſſorum, & in Collegio Litaniæ communiter quotidie recitentur: vt diebus ſingulis certus ſit numerus ieiunantium: ter in die alij alio tempore ad certum item numerum flagellum ſubeant: laici bis quaque hebdomada diuinam menſam inſtaurent: ſacerdotes in ſacrificiis omnibus Deo ſalutem ac perfectionem Societatis commendent: propriè verò ſinguli terna Sacra eam ob rem in hebdomada offerant: atque domi Profeſſorum in verberatione publica Lainius, in Collegio Natalis præiuit. Quæ aliaque multa cùm fierent, maxima etiam pars exercitationes ſpiritus repetteret,

76 *Pontifex in Patres concitatur.*

77 *Societatis inſtituta & iura expendi iubet.*

Vetat quemquam de Societate Vrbe exire.

78 *Quomodo turbis occurſum.*

Digitized by Google

cuncta nouo pietatis ardore feruebant; vt, siquidem timor abesset, planè optandum fuisse tempus videretur. Id ipsum commendatum est datis litteris cæteræ Societati extra Vrbem: neque est segniùs factitatum. His domi procuratis ad externos sese edocendos dedocendosque Lainius vertit. Ad quos adiisse tumultuantes norat, eos ipse conueniens, quo res pacto haberent, modestè, sed neruosè & grauiter exponebat. Neque difficile fuit scire, qui conueniendi, quid apud quemque agendum esset. Comites enim tumultuantium pij probatique Religiosi, communisq; parentis amantes filij quo loco, & apud quem illi fuissent, indicabant. Quid verò egissent, ipsorum chirographa loquebantur. Nam Lainius quidem hoc inter cetera prudenter cauisse existimatus est, vt in tota hac causa, præterquam postea ad refutandas Bobadillæ rationes, nihil ab se suisque litteris mandaretur: contrà verò Bobadilla & Pontius nihil nisi scribere, alios que super alios libellos procudere. Malam nimirum causam adminiculis suffulciendam repetitis intelligebant. Diuino tamen consilio fiebat, vt cuncta illorum scripta in Vicarij manus venirent. Nam vel imprudentibus excidebant in via, & à comitibus excipiebantur; vel in eorum cubiculis propalam per socordiam relicta intercipiebantur; vel illi ipsi, ad quos mittebantur, exosi perturbatorum consilia, ad Lainium remittebant.

79 *Canisius & Gaudanus ad Vormatiense colloquium dimittuntur.*

Interim Pontifex Canisio & Gaudano potestatem facit Roma proficiscendi, Romanorum Rege Ferdinando instante, vt maturarent. Etenim sub huius anni superioris que confinia, dum Ferdinandus Ratisbonæ conuentum habet, atque inter cætera vias inuestigat religionis dissidia cõponendi certorum hominum ad id delecto concilio (quo in concilio primus inter Theologos Canisio locus fuerat) decretum erat colloquium quoddam Catholicos inter & Protestantes, vt aliqua consensionis & concordiæ ratio iniretur. Repugnauerat Canisius, ne colloquium id genus decerneretur, gnarus cum hæreticis conueniendi nullam esse rectam nisi vnam viam; vt ipsi se ad concordiã, hæresi abdicata, referant: quod peius morte detestantur. Sed aliis aliter opinantibus nihil obtinuerat. Rex tamen, qui optimè viri sanctitatem atque scientiam norat, ipsum vnà cum altero è Societate Theologo Nicolao Gaudano, vt nihil à se prætermissum remedij clariùs appareret, adesse iusserat; & per litteras, vt id eis iniungeret, ab Lainio contenderat. Igitur, quoniam Augustus mensis colloquio destinatus instabat, & Pontifex existimabat publicè interesse par illud Theologorum in tempus occurrere ad amolienda saltem detrimenta maiora, non grauatim eis abeundi veniam fecit: & illi Vormatiam versus, vbi colloquendum erat, iter instituerunt.

80 *Bobadillam Socij tumultus deserũt.*

Tumultus verò domesticus breui eò venit, vt Bobadillam quatuor Socij propè desererent. Quippe maius, quàm putassent, cùm viderẽt excitatum incendium: atque ex cõmuni dolore ac sensu omnium, quò progressi essent, intelligerẽt; partim etiam desperata victoria ad se solicitudinẽ verterent; subduxere se paulatim & quieuere. Id initio minimè aduertit Bobadilla. Quare acriùs vrget, traditoq; libello Vicarium apud Cardinalem Carpensem in ius vocat, vt sibi quoque pars administrationis sua redderetur. Summa videbatur indignitas iudicium instituere, & cæteris Patribus & Cardinali: at Vicarius qui maximè petebatur; cuique, nisi malo exemplo res gereretur, nihil erat optatius, quàm nõ parte solùm, sed tota omnino præfectura leuari; cedendum tempori submisse statuens, iudicium non refugit. Voluit tamen ita causam tractari, vt, quantũ fieri posset, Bobadillæ famæ consuleretur. qui quidem apertissimè facillimeq; refutabatur, quippe cùm ageretur de Societatis institutis ac legibus, in quibus diu versatus erat, sed propemodũ semper hospes. Eius aduersus Vicarium ratio hæc erat. (Præterquam quòd minimè idoneum ad regendũ iactabat, quod ipsum inconstanter faciebat, cùm aliquando Lainio placatus, per Polancum & Natalem agi omnia diceret se pati nõ posse. Qui enim sub Ignatio fuerant administri, iam ipsos dominari: agereque quò libeat, præcipitem ipsum Vicarium.) Aiebat Ignatium noluisse ab se cõditas leges, quoad eas generalis conuentus, Deiq; Vicarius approbassent, ratas haberi. Quin adeò ipsosmet Patres in epistola, quam ad duos Cardinales miserant, diserte professos necdũ absolutas eas. Ergo Lainium ex inchoatis, necdũ perfectis, neque ratis legibus creatum Vicarium, vitio creatum esse. Cùm igitur iusta desit potestas, res in eum statum rediisse, qui ante Præpositum Ignatium fuit, atque adeò à fundatoribus Societatem administrandam: se quoque fundatorum in numero esse, ac proinde modestè pacateque velle, vt sua sibi rectionis portio redderetur. Ad id loci toleratum ex æquo bonoque Lainium: iam, cùm omnia alii quidam gerant præteritis oblitisque fundatoribus, tametsi ius deesset, tamen ex modestia iisque verecundia que administrationẽ deberi, cùm absurdum sit filios patribus imperare. Talia iactantẽ cùm cæteri, tum Natalis euidentissimè & acerrimè refellebãt: è cuius longa confutatione hæc fideliter summa contracta est: Doleo, inquit, inter nos, eo spiritu è Christi disciplina & vita imbutos, vt locũ ambiendũ infimum modestia & humilitate ducamus, existere exemplum eiusmodi, vt quispiã per Iuris puncta & apices, per forensia certamina velit euincere dominatum sibi deberi. Quanquã Nicolaus fortasse nõ sentit hac actione vltrò sibi ipsum ad id, quò tẽdit, aditum intercludere. Nam è primis Patribus, quos fundatores appellat, & ad quos recidisse ius regendæ Societatis contendit, cùm quinque modò superstites sint, Lainius contra quem agit, Paschasius, Rodericius & Salmeron, qui Vicarium Lainium recipiunt ac probant; conuincitur Bobadilla suam vnius agere causam. Tum verò satis Pauli Tertij decreto refellitur, quo statuit neminem in Societate prælationis aut dignitatis vllius, si quæsisse eam occulta aut manifesta ambitione conuincatur, capacem esse. Sed quàm nullo iure ambitioni ius obtendat, multis modis apparet. Primùm omnium falsò sibi fundatoris nomen assumit. Vnum nos Ignatium fundatorem agnoscimus: per quem Deus in suam Ecclesiam Societatem inuexit: à quo & instituendæ Religionis consilium cœpit: qui cæteros

81 *Ratio eius contra Vicarium.*

82 *Natalis oratio qua Bobadillam confutat.*

Digitized by Google

„ teros Patres ad eiusdem consilij societatem ad-
„ duxit. Fuere sanctissimis quoque viris Dominico
„ & Francisco primi quidam socij. cum quibus In-
„ nocentio Tertio Tertioque Honorio de confir-
„ mandis suis Religionibus supplicarunt; non ta-
„ men nisi Franciscus atque Dominicus habiti
„ sunt Ordinum conditores. Ita primi nouem Pa-
„ tres socij sunt fundatoris Ignatij, non fundato-
„ res: quod vel ex diplomate, quo Paulus Tertius
„ Exercitia cõfirmat, est manifestum, vbi Societas
„ nulla sociorum mentione ab Ignatio dicitur in-
„ stituta. Quòd si decem nominantur in Pontifi-
„ cum diplomatis, non ideo iis dumtaxat, vt certi
„ singularesque homines sunt, Apostolica benefi-
„ cia esse concessa interpretari licet: alioquin cun-
„ cta Societas pariter cum illis occideret: sed illi
„ nominantur, vt totum corpus repræsentant fu-
„ turæ in omne æuum familiæ. Nihil ergo Boba-
„ dillæ magis inde, quàm cuiuis ritè solennia qua-
„ tuor vota Professo debetur: nec ea ratio ad super-
„ stites magis è primis decem, quàm ad totum Pro-
„ fessorum corpus Societatis administrationem
„ rediisse, si quid valet, efficit. Sed finge esse fun-
„ datores, an idcirco, nisi aliunde accipiant, eis iu-
„ risdictio est, ac non potiùs penes Commissarios,
„ Rectores & Prouinciales, quos Ignatius funda-
„ tor ac legitimus Præpositus imposuit, manet?
„ An, cùm reliqui è decem omnes consentiant,
„ Lainiumque sibi ac Societati præficiant, vnius
„ altercatio aduersus omnium consensum valebit?
„ Falsò itaque fundatoris iactatur nomen: nec,
„ quamuis verè prædicaretur, quidquam prodes-
„ set. At Constitutiones nondum ratę sunt. Id quo-
„ que apertè à vero est procul. Nam de sententia
„ Sociorum eas Ignatius scripsit: & scriptas pleri-
„ que Professorum pro Societate cuncta proba-
„ runt: & Paulus Tertius statim vt conditæ essent,
„ confirmatas censeri auctoritate Apostolica iussit.
„ Præterea per Italiam, Siciliam, quatuor Hispa-
„ niarum prouincias, perque Germaniam promul-
„ gari Ignatius voluit: egoque promulgaui. In In-
„ dia quoque & Brasilia promulgatæ sunt. Vna re-
„ liqua erat Gallia: ex qua tamen Paschasius, quem
„ solum ea prouincia tum habebat Professum, ex-
83 „ cepit. Noluit quidem humilis & prudens Dei
„ seruus Ignatius ita fixas esse, quin generali con-
„ uentui, si quid vsus monstraret opportunius, ad-
„ dere, demere, mutare integrum esset: quod epi-
„ stola ad Cardinales indicandum putauimus, vt
„ intelligerent, quantum in iis sanciendis consilij
„ curæque adhiberetur: interim tamen vt promul-
„ gari Ignatius, ita obseruari iussit: ex iisque vitam
„ institui quotidianam, & regi Societatem. Quòd
„ si non quasi fixæ leges, illud quidem certè quasi
„ statutum iussumque ab legitima potestate tum
„ communi, tum etiam proprio nostro iure vim
„ habent. Nam Prælatorum decreta post eos quo-
„ que rata sunt, donec abrogentur: & diplomatis
„ Pontificum ab vno capite tota potestas inter
„ nos, totaque munerum & officiorum distributio
„ pendet. Quæ cùm ita sint, miror equidem quid
„ Bobadillæ in mentem venerit cuncta turbare,
„ Bartolosque & Iasones solicitare, vt præfecturæ
„ partem tam multis modis alienam traheret ad
„ se; quam, etiam si sibi deberetur, professionis
„ ratio & Sanctorum exempla abdicare & auersa-
ri iubebant. Quid? nónne tu ipse in creationem „
Vicarij consensisti? nónne tuum Polanci arbi- „
trio suffragium permisisti? non annum totum „
pro Vicario legitimo habuisti? non Paulus Quar- „
tus Pontifex bis Vicarium comprobauit Lai- „
nium, eique ad rem gerendam bonum animum „
fecit? non cuncta Societas tanquam Vicario pa- „
ret; &, nisi ipse turbes, pacatè & optimè regitur? „
Amoue procul istas à nobis artes. Vel si errare- „
mus, vtilior erat nobis simplicitas nostra, quàm „
istius exempli doctrina. Constitutiones autem
Bobadilla criminosè magis, quàm certum vitium
designans, tanquam difficiles, & humanis viri-
bus intolerandas traducebat. Et, cùm assiduè iu-
dicium intentaret, idem tamen constituto iudi-
cio vocatus ad dicendam apud Carpensem cau-
sam, nunquam adfuit, cùm diceret absque suo
aduocato Iurisconsulto sibi adesse iudicio non
licere: illum verò hominem vt grauissimum, ita
occupatissimum esse. A quo homine mirificè
ipse homo minimè malus inducebatur, vendi-
tante Ius quidem rubricasque pro illo facere: &
(id, quod arripuerat decantabatque Bobadilla)
minimè decorum videri filiorum imperio sub-
esse Patres. Tandem veritus Cardinalis ne huius- 84
modi cõtentio in perniciem euaderet recẽtis So- *Cardinalis*
dalitatis, cõmunicato priùs consilio cũ Patribus, *Carpensis*
Ad pacem, inquit, conseruandam ita censeo. Pa- *sententia.*
ter Lainius adhibitis ad consilium primis Patri-
bus, aliisque Professis Societatem gubernet.
Quinto Idus Augusti vocati super hac re in con-
silium Patres, plerique standum eo, quod Cardi-
nalis decreuerat, censuere; testati tamen, vt Pro-
fessi adhiberentur ad consilia, se pacis dumtaxat
causa permittere: cùm planum alioqui esset in
Societatis legibus, quæ censeantur decretis Pon-
tificum comprobatæ, Vicario id impositum iuris
non esse. Ea sententia cùm Bobadillæ non pro-
baretur, & mussitans denunciaret, quod antea
minatus erat, nisi Carpensis secundùm se decer-
neret, appellaturum Pontificem; censuere Pa-
tres occupandum Vicario, adituque ad Sanctissi-
mum Dominum aliunde aperto commendan-
dam ei Societatem; quidque homines duo tur-
bassent, sine fuco atque fallaciis demonstran-
dum. Post aliquot repulsas tandem admissus, &
benignè auditus est. Edocuit primùm cogita-
tionem profectionis Hispanicæ nequaquam eo
susceptam consilio, quo quidam ad eius Sancti-
tatem, nec verè, nec probo (vti iam constiterat)
studio detulissent; verùm iis de causis, quas idem
antè non semel de Patribus cognouisset. Pri-
mùm quidem quòd existimarent inter eas tem-
porum rerumque publicarum difficultates, ali-
quid operæ studiique in iis regnis ab se nauari
Apostolicæ Sedi posse: vt Pontificius ipse Nun-
cius confirmabat. Deinde, quòd præcipui de So-
cietate quidam in Hispania essent, vt nomina-
tim Dux olim Gandiæ Franciscus Borgia, vt Fe-
riani Comitis frater Antonius Corduba, & alij
primæ auctoritatis viri, quos certò nossent vel
valetudine, vel grauitate rerum, quas habe-
rent in manibus, impeditum iri, ne longinqua
adeò peregrinatione Romam venirent. Adhæc
præter impensam in conuentum, quam libe-
raliter Hispani pollicebantur, illud quoque

Digitized by Google

curæ fuisse, vt Romano Collegio, quod ad id loci subsidiis inde potissimùm missis stetisset, permanens ac perpetuum aliquid expediret. & Collegium quoque Germanicum, de qua re cogitari iam inter Proceres cœptum erat, vectigalibus annuis firmaretur. Cæterùm sine bona Pontificis venia, bonaque precatione ita non venisse in mentem commoueri loco (quid enim fuga prodesset? quo recessu Pontificiam vim, si maximè vellent, declinarent?) vt contrà deliberatum haberent quidquid de instituto, de constitutionibus, de qua re alia cunque tractaretur, ad Apostolicæ sanctitatis pedes afferre. Quod obsequium cùm Christiani omnes debeant, proprio tamen nomine Sodalitati nostræ necessarium sit. Sub ea quid controuersiæ Bobadilla mouisset breuiter executus, ad extremum postulauit, vt designare placeret per quem totam ipse Pontifex rem diligentiùs exploraret; atque vt disciplinæ leges & instituta iusserat recognosci, ita in homines ipsos inquireret. Subijcit Paulus rem Societatis curæ sibi esse: inde profecta, quæ egisset: operamq; suam liberaliter pollicetur; ederet modò ipse Lainius vnum è Cardinalibus ex animi sui sententia cui vellet cognitionem delegari. Cumque is respondisset, quem ipse Christi Domini Vicarius nominaret, eum peridoneum, & sibi gratissimum fore, tum Pontifex designauit Cardinalem Alexandrinum. De adeunda Hispania persistere adhuc in Dei exposcendo lumine iubet, quo quid maximè opportunum factu sit, internoscere liceat. Alexandrinus, vt erat, ita se & optimum virum probauit, & sapientissimum sanctæ Ecclesiæ senatorem. Nam suapte natura prudens, adhæc longo experimento eruditus, & in præclarissima sancti Dominici disciplina educatus cùm intelligeret huiusmodi Religiosorum hominum dissidia si emanent in vulgus, nonnisi ad eleuandam pertinere Ordinum auctoritatē cum publici boni iactura; interdixit primùm Bobadillæ ac Pontio, ne cui mortalium præterquam sibi de causa verbum facerent. Deinde, cùm Patres vellet omnes audire, quo proniùs id ac minore motu fieret, domum ipse adiit Professorum. Nicolaus causam de integro agi videns, nouam spem ingressus, noua capita conscribit, & ijs, quos nesciebat ab se defecisse, Sociis ostentat. Quæ item capita ad Vicarium perlata sunt. Alexandrinus autem dum singulos audit, remque diligenter inquirit, ex facili intellexit duos illos non bene agere, ac miserum in modum à dæmone in fraudem inductos. Nihil tamē pronunciauit, quia cognitionem illi dumtaxat commiserat Pontifex, reseruata sibi sententia. Quam ob rem cogitassent Congregationem transferre in Hispaniam, instituta Societatis opportuna ne rationibus publicis, an potiùs mutanda & corrigenda censerent, & alia modi huiusce interrogabat. Ex eo die suboriri lux cœpta, tempestasque concidere. Bobadilla diffidere causæ, sibi timere, nihil vrgere iudiciū. Guido Ascanius Sfortia Cardinalis sanctæ Florę egerat de eo mittendo ad quorumdam monasteriorum Siluestrini Ordinis cognoscendas cōponendasque res, idq; à Pontifice impetrarat. Eò igitur vt quàm primùm legaretur enitens,

85 *Cardinalis Alexandrinus rem iussu Pontificis singulari prudentia cognoscit.*

86 *Controuersia exitus.*

idem Patribus quoque, vt summouerent turbarum segetem, adurgentibus, Fulginium breui discessit. Vnus reliquus erat Pontius, qui ne suo quidem Pylade destitutus animositatem suam infregit. Sistit se coram Alexandrino: & quatuor profitetur, si fari liceat, se contra Patres afferre. Facta dicendi potestate, primùm queritur iniunctam sibi à Vicario pœnam, quòd illo inconsulto libellum ad Pontificem misisset. Quod vt audiuit Cardinalis, qui dum cætera perscrutatur, hoc etiam optimè cognouerat (idemque Pontius coram quatuor Professis diserte confessus erat, haudquaquam quòd ad Christi Vicarium, & summam in terris potestatem confugisset, sed illud tantùm displicuisse Patribus, quòd eorum abeundi voluntatem perperam Pontifici esset interpretatus) enimuero indignatus est: sed, vt apertiorem eliceret obiurgādi delatoris causam, reliqua quanquam norat, parumper dissimulans; Age verò, inquit, quam tibi pro ea re pœnam imposuere. Tum Pontius confidenter: Vt semel, inquit, oratione Dominicam, semel salutationem Angelicam pronunciarem. Hîc verò stomachatus recti ac seueri viri ingenii Alexandrinus, verat verbum addere, ab seque ex meritis iracundè dimittit. Quæ mox cùm enarraret Pontifici Cardinalis, dicitur Paulus admirās, & auersans insignē cæcitatem, quod vulgò solemus in rebus maximè ab opinione abhorrentibus, signum crucis sibi figurasse: continuoque, tametsi sententiam nullam tulerat, fecit liberam Vrbe excedendi potestatem: atque euntes primùm centum, mox quinquaginta aureorum nummûm viatico sponte iuuit. Dimissi, qui ad comitia conuenerant Patres in varias partes: Domeneccus in Siciliam ex itinere Roderici Gomij à Silua postulatu Mellitum Calabriæ vrbem eius tum ditioni subiectam, ad statum Religionis inspiciendum, quantumque ad Marchionem pertinebat, ordinandum digressurus. Sed in itinere grauissimo diu morbo retardatus est. Nicolaus Lanoius Venetias primùm, deinde in Germaniam: Antonius Vinckius Perusiam in Euerardi Mercuriani locum, qui præcipuè quidem recreandæ valetudinis causa, quam prorsus perdiderat, in Belgium; simul tamen ad res eius prouinciæ componendas Commissārij nomine mittebatur: vnaque cum Leonardo Kesselio, & Adriano Adriani profectus est. Veronam Viola abiit; Assisium Pontius non omnino, quantum apparebat, volens, quamuis vicinum Bobadillam habiturus esset, qui fermè Fulginij, quò conuentum Siluestrinorum edixerat, morabatur. Vterque tamen egregiè operam posuit. Bobadilla habendis etiam publicè ad populum per sanctiores dies concionibus, & conscientiæ quæstionibus explicandis, eam sibi doctrinæ famam auctoritatemque conciliauit, vt turmatim consuleretur ab omnibus: dicto omnes audientes haberet: dissidia nutu dirimeret: denique Cleri populique mores è sententia regeret. Haud pari auctoritate, sed ardore animi & labore, atque adeò successu non dissimili rem gessit Pontius, Duæ erant Assisij Sodalitates: vni à Beata Virgine, alteri à Caritate nomē: quæ coniuncta paulò antè opera pietatis se obeundis muneribus dedicarant, carcere clausis, ægris,

87 *Patres in suas prouincias reuersi.*

88 *Pontius Assisii, Bobadilla Fulginij res bene gerunt.*

Digitized by Google

ægris, indigentibus, alijsque huiusmodi calamitosorum generibus adiuuandis. Instituta erant præclara, sed vsus propemodum nullus: idcirco Sodalitatum Antistites, & Concilium ciuitatis publicum pro ea, quæ circumferebatur de Societate fama sanctitatis atque doctrinæ, diligenter à Vicario sacerdotē postularunt, qui hisce Sodalibus sancta impertiret mysteria: instituta, quę suscepissent, exponeret: consilio præstò esset: stimulos opportunis sermonibus admoueret. Missus est igitur ad certum spatium quoad res formam susciperent, cursumque rectum inirent, Pontius; qui ardorem suum haud quaquam intra paucos continens, ciuitatem omnem inflammauit. Tantus erat confitentium peccata sua concursus, vt, cùm sæpè ante solis exortum consedisset, ad alteram noctis horam perseueraret audiens.

89 *Constitutiones à Cardinalibus recognita nulla tamen improbata re.*

At Romæ sedato licet tumultu, cōcitatoribusque summotis, supererat tamen solicitudo non modica, quòd Constitutiones atque diplomata iussu Pontificis recognoscebāt iudicabantq; Cardinales, quos antea retuli, Reumanus, & Tranensis; quibus additi dicebātur Alexandrinus, & Clemens Do'era Monilianus Cardinalis Aræ cæli. Verùm hæc quoque tandem omnia prorsus illibata sunt reddita. Quod sanè haud scio an præstantissimum sit institutorum Societatis testimonium, siue quòd viri sapientissimi, diuersorumq; Ordinum è Dominicanis, Frāciscanis, & Clericis Regularibus iudicarunt; siue quòd præoccupati, & quidem eorum calumniis, qui intimè nota habere existimandi erant: siue demum quòd ijs temporibus, eoque Pontifice, cui iam diu non omnino probari videbantur. Isque fuit exitus grauissimæ tempestatis, ex qua præpotens Deus præter illud de Cōstitutionibus iudicium nobile, magna simul ex parte illud alterum elicuit commodum, ne exemplum proderetur conuentum generalem facilè quopiam ab Vrbe transferendi.

Clementia Societatis.

Hîc opportunum etiam est Societatis clementiam recognoscere. Nihil in turbulentos consultum est grauius, tum ne quisquam criminādi ansam arriperet, quandoquidem rem ad Pontificem detulerant, tum maximè, vt omnes intelligerent, quoad eius fieri potest, aliena ab hoc Ordine esse coacta imperia, & expressum timore supplicij obsequium. Sed eius inter se membra, cumq; suo capite, Christoq; Domino nullo magis, quàm caritatis nexu colligata esse oportere. Ipsi quoque turbarum auctores postea se dignos venia præbuerūt. Neque illud notare omiserim, cùm tumultus ad complures exterorum, ijsdem, qui concierant, vulgantibus, emanasset; eam de Societate vulgò fuisse existimationem, nihil vt homines nisi turbulentis succenserent, quòd tam bonos Dei famulos, fratresque suos tam indignè vexarent.

Sedatis intestinis seditionibus bellum etiam publicum conquieuit, pace Paulum inter Philippumque composita. Quæ Romæ lætitia, quæ consecuta gratulatio sit, promptum est suspicari. Sed præflorauit eam continuoque diluit Tiberis. Nocte ea, quæ diem præcessit, quo die in Senatu Pontificio pax erat solenniter pronuncianda, aquis ingentibus, ac vehementer reflante Africo auctus plana Vrbis latè obruit. Vsque ad summum gradum templi Professorum (sancta Maria à Strata tūc dicebatur) aquæ altitudo peruenit. Ædes Collegij vndique obsessæ; ac ruina timebatur, eamque ob causam illico ad Professos iuniores infirmique traducti: nihil tamen grauioris acceptum est damni. E rebus ad victum necessariis, & ad Germanos alumnos, & ad vicinos quoque iuuandos superfuit. Ita cælestis Patris indulgentia præstò fuit. Quin etiam vir probus, & nostrarum rerum voluntarius procurator suæ erga nos pietàti tribuebat, quòd ad primam vsq; contignationē submersa domo, sibi quasi in manus adnasset vitula, quę & suam, & vicinorum inopiam peropportunè leuasset. Ingens porro damnum vulgò est factum, longè tamen inferius quàm quantum hæreticorum apud Germanos mendacia guttura proclamabant. Permulta hominum millia miserrimè oppressa extinctaque, in his Cardinales septem, & Pontificem ipsum ægrè fuga elapsum nebulones vanissimi tanquam diuinæ voluntatis ostenta Romanam damnantis fidem popello simplici venditabant. At Lainius pacato Philippo Regi Pontifice, nouam ingressus spem itionis Hispanicæ impetrandæ, non intermittit vias omnes rationesque tentare. Præ cæteris Principibus, gratisque Paulo viris Cardinalem Petrum Patiecum exorat, vti negotium seriò suscipiat, suoque nomine postulati causas expromens bonam eundi veniam conetur elicere. Quo fideliter, cumq; cura rem agente, respondit Paulus plurimum se id consilij Deo Domino commendasse, prorsusque videri sibi primum hunc cœtum haberi Romæ oportere. Hoc demum responso Patres de voluntate Dei non dubij animos sumunt, sperantque, vt Ignatio promiserat, Christum Iesum Societati suæ Romæ propitium fore. Romam itaque edicunt conuentum. Et quoniam hiems instabat peregrinationibus longis infesta; simulque Patribus nuper in prouincias suas reuersis, vt earum res componendi spatium foret, tempus conueniendi Maium anni proximi dicunt. Ad illud tempus disputationibus reseruatis, orationibus modò & eleganti dramate studiorū initia honestata. Singuli præterea Magistrorum præfationibus præluere binis. Auxit frequētiam auditorū non modò pax publicè restituta, sed nouæ etiam ædes. Migrauerant enim è domo, quæ erat prope templum S. Mariæ supra Mineruam ad longè commodiorem Saluiati domum; eam nimirum, quę magnificentiùs ab Cardinali Antonio Maria Saluiato instaurata è regione noui Collegij visitur. Collegij Præses Natalis omnia scitè disposuit, ordinauitq; supellectilē, & reliquum omne instrumentū nullo prorsus alienorum ministerio adhibito, Sociorum humeri transuexere. Polancus Euangelium sancti Ioannis, Emmanuel Sà vaticinia Oseæ, & primam è S. Thoma secundæ Theologiæ partis, Ledesma nuper è tirocinio euocatus secundæ secundam explicare orsi, alijs alias disciplinas accuratè tractantibus. Erant in Collegio ampliùs octoginta, quamuis propè totidē ad supplementum varias in oras, pars ad leuandas rei familiaris angustias Romanarū domorū hoc eodem anno abiuissent. Ex his multi in Siciliam, circiter vi-

91 *Congregationem generalem nō alibi quàm Romæ, cùm prima sit, habendam Pontifex rursus pronunciat.*

Collegium Romanū in ædes Saluiati migrat.

90 *Tiberis restagnat.*

Digitized by Google

92 *Collegium in Monte Politiano inchoatur.*

ginti in Germaniam, octo in Mõtem Politianum profecti, quod vnum hoc anno Collegium inchoatum. Studiosè ea ciuitas per seque datis litteris, & missis legatis communi consilio tum per Ioannem Riccium, ac Robertum Nobilium ciues suos Cardinales de Collegio instituendo egerat, è stationibus breuibus sæpè operam Societatis experta. Sed hoc initio subsidia non nisi ad octo alendos conferri posse aiebat, mox numerum quaterdenûm, qui ad Collegium requirebatur, expleturam. Quòd ij erant flagitatores, & egregia se bonarum frugum vbertas ex eo solo semper ostenderat, concessum est. Principio Ludouicus Codrettus vnà cum Philippo Guazalotio ad res præparãdas missus, apud Franciscum Mariam Taurusium optimum virum, qui multis pòst annis à Clemente Octauo Pontifice Maximo factus est Cardinalis, diuersatus est, humanissimeq; tractatus. Septimo Idus Octobris Roma cæteri peruenere. Ac tantisper dum Gymnasium publicum, quod dicebatur S. Martini, in domum concinnaretur, quod ciuitas curabat, in ædibus Cardinalis Nobilij summa eius tum Romæ agentis voluntate habitarunt. Eodemque mense publicatis scholis, primò duodecim supra centum, mox valdè plures numerarunt optimæ indolis adolescentes: quos in duas classes distributos duo præceptores erudiebant.

93 *Argenta Socij discedunt.*

Camertes, ac Foroliuienses magnopere Collegia expetebant, sed cùm alias ob causas, tum quia non placebat in interregno instituí de nouo colonias, dilata res est. Verùm Argentæ, quod inchoatum erat Collegiolum, solutum est. Argenta mediocre oppidum est duodeuigesimo à Ferraria milliario in diœcesi Rauennati. Hîc aliquot antè annis abdiderant se, & infame cubile posuerant hæretici, nec paucos maximè per scholarum occasionem infecerãt. Rauennatium Antistes Ranutius Farnesius, & Dux Ferrariensis Hercules, & præcipuo studio Alexander Fliscus vir princeps in aula Ferrariensi, & Ordinis nostri perstudiosus aliquot eò mittendos è Societate curarunt. Extirpatis hæresibus magno populi bono, sed magno cum labore tres ampliùs annos ibi cùm posuissent; cùm inter eas rerum hominumque angustias disciplina domestica teneri non posset, ex magistris altero extincto, altero decumbente, Baptista Velatus è populo æstiuorum mensium vacationem petere à Patre Ioanne Pelletario Ferrariensis Collegij Rectore, cui & Argentani Socii parebant, iussus: per errorem petiit missionem. Qua impetrata res opinione faciliùs transacta est, nullo ijs, qui Ducis interponere auctoritatem meditabantur, repentino discessu, relicto morarum loco. partim Ferrariam, partim Mutinam abierunt.

94 *In Collegio Lauretano res mirabiliter multiplicantur.*

Lauretanum Collegium Dei erga se, Matrisq; sanctissimæ miram benignitatẽ expertum. Multi decumbebant ægroti: quibus ad morbi molestias paupertatis accedebant incommoda. Nondum enim ad eum, qui postea Præsidum benignitate præfinitus est, modum rebus compositis, cùm ad quotidianum victum singula è penu sanctæ domus petenda essent; eius administri (vt vbique non rarò vsu venit) plus nimio se difficiles morososque præbebant; vt pij prudentesque Religiosi perspè quauis penuria cõflictari mallent, quàm necessaria postulando fatigare & irritare homines nec admodum rerum æstimandarum peritos; &, vbi minùs oportet, magis attentos. Tamen Oliuerius Manaræus Rector in ea calamitate pauxillum farinæ & saccari, & aliquot oua cùm impetrasset; ea mittit ad honestam feminam, vt in solamen ægrotantium aliquid placentularum conficiat. Erat ea matrona spectatæ virtutis nomine Ludouica Vinciguerra. Hanc opus aggressam, filia virgo Maximina & alia puella neptis adiuuant, vel more puellarum, quæ libenter his laboribus veluti ludis cum parentibus occupantur, vel studio pietatis. Operis certè magnitudo auxilium nihil desiderabat. Dum igitur vnà omnes officiosi laboris delibant partem, mira quadam succendi pietate, ac dulcedine impleri cœperunt, ac sentire massam, dum tractant, intra manus quodammodo augeri. Inde numerum ingentem bellariorum conficiunt: & postremò, dum mactram euerrunt, collecturæ si quid farinæ resederit, propè discum, in quo fuerat allata, denuo complent. Hanc, & confectum opus in Collegium remittunt. Oliuerius, qui perpaucas placentulas pro materia præbita expectabat, vbi magnum canistrum plenum aspicit, ac de farina nihil penè detractum, rei nescius valdè tristatus est, deque Ludouica grauiter questus, quòd sibi fidem fefellisset. Etenim, ne qui offensi, à quibus obseruari Sociorum quoslibet motus nouerat, id ipsum iactandi insam arriperent, quod timere videbantur, Patres domum suam auertere quæ ad sanctam Deiparæ domum afferebantur, seriò feminæ interdixerat, ne quid de suo præter operam adhiberet. Illæ verò, & puellæ constanter asseuerant, præterquæ rosaceæ perexiguum quiddam, & aliud nescio quid pro more ad condiendum addi solitum, omnino additum nihil; imò farinæ totum id planè, quod remiserant, superfuisse. Cæterùm ex insolito pietatis ardore, copiaque diuinæ dulcedinis, quantam ne in augustissima quidem Dei Genitricis cella inter preces antè gustassent, facilè aduertisse se Dei præsentiam aliquid supra vires naturæ agentis. Instat Oliuerius, caueren: vehemẽter mendacia: si vellent quidpiam de suo piè largiri, facere id posse; verùm miracula falsa confingere, id verò nec Beatæ Virgini, nec Deo gratum, sed sacrilegium esse. Eadem illæ seriò affirmant. Et vita erat sanè eiusmodi omnium, quæ rem satis per se probaret. Erat earum confessarius Raphaël Riera sacerdos è Societate grauis & integer. Hunc etiam Rector admonet, vt rem diligenter exploret: puellas simplices blandè appositeque interroget separatim; dein religionem grauis noxæ obijciat: ad extremum, vbi ad sancta accedunt mysteria, sacri iudicis officio prudenter integreque fungatur. Imponi Societati, & muliebrem vanitatem pro miraculis dissipari nequaquam sinat. Viis omnibus pertentatis, etiam continuò ad sacrosanctum Christi Domini corpus accessuræ, vel statim eo accepto interrogatæ, neque tum, neque quoad vixere, vnquam significauere aliud, nisi eius temporis beatam sibi vsuram fuisse: ac planè sensisse, dum massa tractaretur, ea manum magis ac magis impleri. Sit igitur meritò

95

meritò diuinæ Bonitati laus, cui placuit suos famulos adeò mirũ in modum consolari. Oliuerius autem, quò notam omnẽ leuitatis effugeret, neu res àquibusdã secùs acciperetur atq; oporteret, tũ quidẽ silentio feminis indicto, ne domi quidem diuulgari est passus. Duobus tamẽ pòst mensibus Romam ad Societatẽ scripsit, & in cõmentarios iam senex retulit, ne, Dei dona si tegeret, ingratus haberetur. Ex quibus ego & litteris & commentariis hęc accepi. Vbi nouum in eodẽ genere prodigium protinus subiicit ad suam, vt ipse ait, modicã fidem reprehendendã ab indulgentissimo 96 parẽte Deo sub idem tempus patratũ. Obsonator domesticus pistorẽ sanctæ domus (vt quotidie erat necesse) aditurus, quid domi sit panis, scrutatur, vt quàm minimũ petens, quàm mitissimè accipiat. Quatuor tantùm seu quinque panes in arca reperit. Super hæc promũ sanctitatis eximiæ, beatæq; simplicitatis iuuenẽ, qui Alfonsus Hispanus vocabatur, num quid panis alibi vspiã præterea sit, interrogat. Quo negãte, pariter ambo curiosè omnia rursus inspiciunt, præterq; eos, quos dixi pauculos, nullos inueniunt. Re ita cõperta obsonator abit, paulóq; pòst reuersus, videt vnam triclinij partẽ instructã impositis in lances panibus à consuetis nec magnitudine, nec specie, nec vlla re discrepãtibus. Subitascitur bonus vir: aduocat Alfonsum: expostulat, quid tantum panis absconditũ habuerit. Ille nondũ rẽ animaduerterat. Respondet ingenuè, præter id, quod paulò antè vnà vidissent, micam panis in tota domo non fuisse. At, inquit obsonator, in triclinio mensa instructa panibus est, vnde illi prodiere? Alfõsus hoc ipsum vt videt, Frater, inquit, si Deo cordi est, vt olim quinque hominũ millia, ita nũc pauculos famulos suos quinque multiplicatis panibus pascere, facile profectò est. Defertur ad Oliuerium res. Ille primò silentium indicit: ad suasq; statim quæstiones aggreditur. Hortẽsium Androsium, qui Collegij Minister erat, & ipsum Alfonsum diuersos aduocat: pœnas cõminatur grauissimas, ni rem, vti gesta est verè ac fideliter indicent. Nihil potest vnquã vel ad suspicionem fraudis elicere. Adhibet ex obedientiæ virtute seuerum præceptum: interrogat continuò ante postq; sacrosancta Dominici Corporis suscepta mysteria. Deniq; mandat confessario, vt, si fallaciam hac in re deprehẽdat, hac ipse reos fraude, vt graui crimine, haud absoluat: ad se mittat. Nihil tamen auditũ est vnquã, nisi quod diuinã Patris amantissimi prouidentiã cõmendaret magis magisque. Alfonsus enim non semel sibi antè accidisse dicebat, cùm tamẽ, quid esset, nesciret; vt, cùm panẽ proculdubio defuturũ in mẽsa crederet, plurimũ tamen reliquiarũ sustulisset. Equidẽ haud dubito, quin hac benignitate Deus ac Dei para Patres illos, qui maximis laboribus audiendi iuuandiq; confluentes peregrinos assiduè occupati, non angustiis modò victus, verùm multò magis acerbitate suppeditantium consternabantur interdũ animis, afflictiq; iacebant, recreare, & ad tolerantiam adhortari voluerint; vt alacriùs ad Dei gloriam & hominũ salutem plurimorum quotidianas illas molestias angustiasq; exsorberent, fidẽ facientes, sibi notas eorũ difficultates esse: nec passuros, vt cuiusquã iniquitate suis operariis necessaria denegarentur alimenta: nec subsidia vnquam defutura cælestia, etsi quandoque humana deessent. Quam cælestẽ paternam q; curam ipsis quoq; præcipuis Lauretanæ ædis procuratoribus manifestã facere Deus voluit, ne salutarẽ familiam metu impendij alere grauarẽtur. Gubernator enim Lauretanus Gaspar Doctius, isq; qui rationũ tabulas cõficiebat, palã narrabãt & profitebãtur biennio, quo Lauretum Societas aduocata esset, magnam summã ad bina ferè millia aureorũ nũmûm in tabulis expensi patere ampliùs, quã in accepti tabulis extaret, & tamẽ nihil æris alieni esse contractũ, nec perspici, quo pacto tabulæ non cõuenirent, cùm rerũ singularũ ratio cõstaret optimè, nec quidquã esset acceptũ, quod diligẽter nõ esset in tabulas relatũ. Quare apertè illi rem B. Virgini tribuebãt, cuius in gratiam Filius, qui fecerat olim ex aqua vinũ; nũmos nunc in ærario multiplicasset. Labores autem Patrum egregiè cùm aliàs positi multorũ animis à vitiorũ atq; etiã hęresum fęce extractis, & quorundã etiã corporibus ab iniqua dæmonũ obsessione liberatis, tum præcipuè cũ Gallorũ exercitus in subsidium Põtifici veniens illaciter fecit, & in agro Piceno aliquãdiu substitit. Et quoniã solers Dei caritas nihil negligit, miseræ quoq; mendicantium turbæ prospectũ est. Horum ingens ibi numerus propter vberẽ ex cõfluentibus assiduè messẽ toto perstrepebant tẽplo: præq; auiditate lucelli cùm omnia turbarẽt sacra, nulli ritè intererant. Quapropter actũ est cũ Prætore, vt cãcellis apud tẽpli fores coërcerentur, certo homine illis præfecto, qui nõ sineret à re diuina abesse; interim duobus in cõmune mendicãtibus: Patresq; eos tum ante, tum post meridiẽ cõuocatos docere quę necesse est Christianũ nosse, & ad officium hortari cœperunt. Hæc aliaq; huiusmodi quotidiana in publicũ beneficia, & præterea modestia & comitas, quæ ex toto oris habitu apparebat, ita homines permouebãt, vt simulatq; in Societatis quis numerum veniret, alius quidã quasi maior homine haberetur: multiq; Socios siue incedẽtes, siue orãtes nõ sine magnis ad pietatẽ stimulis admirabũdi spectarẽt, venerabũdiq; eorũ vestimẽta cõtingerent. Quæ populi studia minimè requirebant illi quidẽ, sed ad proficiendũ erant opportuna: easq; virtutes vnde solida illa efflorescit auctoritas, paret sibi necesse est, qui labores fructuosè amat ponere. Quantus autem illorũ in animis iuuandi mortales flagraret ardor, specimẽ capere ab vno licet. Die lunę, eo, qui supremũ ante cineralia diẽ præit, flagitabant multi, vt sibi permitteretur ad cõmonendos homines, & ab eius tẽporis licẽtia deterrẽdos sese per cõpita verberare. Quos cùm repulisset Oliuerius, vni adhuc instãti subridens, pręstare id facere domi respõdit. Seriò ille iocum interpretatus, raptim sese subducit, indutoq; sacco tergũ magno flagello validis cõtundẽs ictibus, & largè cruentãs horrifico & miserabili clamore, Orate pro peccantibus, ingeminãs, ex improuiso inter fratres à prandio deambulãtes apparet. Cõstitere ad spectaculũ omnes attoniti: multiq; miserabilis vlulatus, flagrorũ crepitus, feruor exæstuans lacrymas excussit: quosdã etiã ad sui respectũ cõuersos, ignauiæ suæ subpuduit. At ille cùm valenter perseueraret pulsans adeò impalluerat, vultumque mutauerat, vt, nisi coërcitus maturè fuisset, casurus fuisse sub verberibus videretur.

97 *Lauretanorum Patrũ salutares labores.*

existimatio.

feruor.

In

98 *Auxilium diuinum in confessionibus audiendis.*

In audiendis quoque confessionibus præsens diuinæ benignitatis auxilium sacerdotes multi sensere. Namque immanes interdum homines, sceleribusque coopertos maximis cùm audirent, qui neque vllum doloris edebant indicium, neque exhortationibus, aut incusso terrore commouebantur, sublata ad fontem pietatis mente repentè emollitos prorsusque mutatos animaduerterunt. Experimento discentes ad mortalium animos inflectendos, ita cum ipsis elaborandum hominibus, vt præcipua cura sit agere cum Deo. Idem nonnulli post preces fusas non admodum ab doctrina instructi inter agendum cum pereruditis, sed prauarum opinionum errore imbutis experti subsidium. Tanta enim copia sermonis, vique argumentorum confutarunt errores, vt iis, quos arguebant, sibique ipsi admirationi essent. Talia commemorari sæpè possent, sed neque inculcare passim consilium est, neque prorsus tacita præterire.

99 *Salmeron & Ribadeneira rursus in Belgium missi.*

Cæterùm per Italiam plurimùm vbique cum inopia & morbis, Iulio præsertim Augustoque mensibus conflictatum. Neapoli rem præclarè gerebat, ciuitatique pergratus erat Salmeron, ac templo ædificando initium fecerat; cùm per autumnum à Pontifice euocatus cum Carolo Carraffa Cardinali, qui ad Philippum Regem in Belgium de pace inter ipsum, & Henricum Gallorum Regem concilianda legabatur, est missus. Additus ei comes à Vicario est Ribadeneira, inter cætera curaturus ab Rege, vt Societas Pontifici commendaretur: & quamdiu res exigeret, apud regiam amoliendis calumnijs moraturus. Inter eundum transiere Vormatia, vbi iam cœpto colloquio, Canisius & Gaudanus impigrè dimicabant. Aduersariorum potentissimus & famosissimus quisque conuenerant, Philippus Melanchthon, Erasmus Schneppius, Ioannes Pistorius, Erasmus Sarcerius, Henricus Bullingerus, Brentius, Illyricus Flaccus, aliaque huiusmodi monstra. Conuenticula agebant frequentia: coniurabant acerrimè: suorum Principum armabantur edictis: certum erat qua vi, qua dolo abire victores. Duodeni ex vtraque parte conuocati erant Theologi, exquibus seni vtrimque collocutores nominabantur: hisque item seni accedebant quasi subsidiarij, quos nominabant adiunctos. In primo Catholicorum ordine Canisius quartum, in secundo Gaudanus tertium locum habebant. Qui cùm animaduerterent inde aduersariorum conatus & vigilantiam, hinc Catholicorum quorumdam tarditatem ac propè ignauiam; valdè timebant, ne congressus hic, quod in alijs eiusdem generis euenerat, in Sedis Apostolicæ iniuriam cederet. Itaque sedulò adlaborarunt, vt collegarum animos excitarent, sibiq; adiungerent. Quod, Deo propitio, sic effecere, vt Iodocus de Raueſtein Tiletanus, Martinus ac Franciscus Sonnius Louanienses Doctores, ac Federicus Staphilus, quos ipsimet accersendos curauerant, & ipse collocutorum princeps Mespurgensis Episcopus secum omnia communicarent, Canisio, quæ inter se consultando decernerent, negotio præscribendi dato. Otho Truchses Cardinalis Augustanus cùm intelligeret nõ doctrina solùm, sed potiùs acri prompto-

100 *Canisii & Gaudani opera in Vormatiensi colloquio.*

que ad eludendas fraudes, & capienda ex tempore consilia opus ingenio esse; magnopere contendebat, vt mitteretur Natalis: sed re Societatis publica, cùm instaret generalis conuentus, Romæ eius præsentiam postulante, concedi non potuit. Designatus fuerat è Catholicis Ioannes Gropperus vir egregiæ sanctimoniæ atque doctrinæ, quem dein Pontifex renuentem in Cardinalium adlegit Collegium: gnarusque Canisius quanti referret hoc etiam commilitone religionis corroborari partẽ, priuato quoque officio misso cum litteris nuncio obtestatus erat, vt accederet. Sed is laborari frustra operamque ludi denũcians, nec vllam sine veritatis iniuria, ad sua mendacia hæreticis affixis, iniri concordiam posse, cassum laborem subire supersedit. Neque id Romæ Lainius, aut quispiam vbiuis gentium vir cordatus ignorabat. Sed vt illi duo è Societate piæ Regis menti de Pontificis voluntate concessi erant, non tam lucri spe, quàm damni auertendi studio; ita hi aliorum operam eamdem ob causam appetebant. Principum nullus coràm, sed vicarij & legati conuenerant. Ac nomine Ferdinandi Regis præerat Iulius Flugius Episcopus Numburgensis, cui hinc atque hinc Catholici hæreticique in concilio, quos vocabant assessores, aderant. Sed hæretici per vim ac potestatem tyrannicè omnia administrabant. Pridie 101
Idus Septembris conuentum primùm est, deque forma ineundi colloquii disceptari cœptum. Nisi enim certum quid statuatur in quod pars vtraque consentiat, sitque instar normæ ac regulæ, ad quam controuersiæ res exigãtur; nequidquam collocutionem de partibus conciliandis instituit. Id Lutherani nequaquam inficiabantur, sed contendebant ex verbo Dei puro, vt aiunt, ac puto agendum. Catholici verò verbum quidem Dei affirmabant religionis fundamentum ac regulam veritatis esse: verùm, quia illud interpretari non cuiusuis vnius è populo est, hæc postulabant primùm, vt integer diuinæ Scripturæ canon reciperetur, quemadmodum ante mille annos ab Ecclesia receptus & approbatus est: deinde, vbi de vero sacræ Scripturę, verbique Dei sensu controuersia oriretur, vt ea ex Patrum & veteris Ecclesiæ consensu diiudicaretur: postremò, quoniam Collegium non nisi duas inter partes futurum erat, Catholicos inter ac Protestantes, sectas alias à confessione Augustana abhorrentes sercernerent damnarentque. Hîc verò apparuit, vt Canisius loquitur, gigantes illos extruere Babylonem. Immisit in eos Deus spiritum confusionis, vt inter se digladiarentur, & Philippus Melanchthon consentanea ijs pœna, qui immanes bestias educãt, à suis alumnis egregiè laceraretur. Quidam igitur dum rationi & confessioni Augustanæ congruenter Sacramentariorũ, Anabaptistarum, atque alias sectas damnare se aiunt paratos: alij negant hos potiùs, quàm illos segregandos; eò ventum est, vt certarent, esset ne Philippus cum Witembergensibus, an Schneppius cum Ienensibus Theologis re ac nomine sectator Augustanæ confessionis; ac denique quinque, qui leuiùs delirabant, è collocutorum numero à collegis ejcerentur. Illi verò contumeliæ intolerantes expostulatorium libellum *Exitus colloquij.*

rite

Digitized by Google

rite consignatum, quo collegarum fraudes aperiebant, apud Præsidem Flugium reliquerunt.

102 Adeò verò intra legitimum imminutò hæreticorum numero, cùm septem modò è duodecim residui essent, abruptum negotium est pari cum gloria Catholicorum, quos inter, vt vna est veritas, ita sententia vna, & vna vox fuit, & hæreticorum infamia; qui nisi plenè eos voluntaria occæcaret improbitas, cùm Dei scientia pacifica sit, suam Dei non esse viderent. Illud præterea ad liquidum intellectum est huiusmodi congressus ad pacem conciliandam viam non esse idoneam. Nam quæ potest iniri sincera rectè sentiendi ratio cum ijs, qui fundamenta subruunt veritatis? Qui pietatem Ecclesiæ veteris, auctoritatem sanctorum Patrum irrident? Quibus, quam ex suæ nequitiæ norma architectati sunt legem, obstinatum est perditè obtinere? Animaduersa est etiam ex eorum dierum, quibus conuenere, actis diuersitas morum, incredibilis petulantia, impudentia, acerbitas hæreticorum: bonitas contrà in Catholicis, ac pia modestia, vt pronum sit, quod Christus Dominus monet, ex fœtu de arbore pronunciare. Hæc relata communiter ex hoc conflictu vtilitas: illa Canisij & Gaudani propria fuit. Vormatiæ pauci erant religionis incorruptæ. Hos paucos mirificè confirmarunt. Cleri mores fœdè deprauatos magna ex parte correxerunt. Publica adiere Gymnasia, ibique pueris instillarunt castæ fidei elementa. Nec parum Canisius pro suggestu populo alloquendo profecit, dum homines hæreticos, qui auidissimè confluebant, in admirationem venerationemque rerum, hominumq; Catholicorum adduxit. Idem, quamdiu colloquium aduersariorum dissidia sustinebant, excurrens Coloniam exceptus est plausu mirifico, tota ciuitate quasi ad hominem diuinum videndum vndique confluente. Continuò ibi quoque suggestum conscendit; Germanicèque & Latinè apud frequentissimum auditorem salubri cum plausu dixit.

Colloquia parum apta ad hæresim tollendam.

103 *Canisius Coloniam excurrit.*

Colonienſis Collegij ſtatus & progreſſio.

Iam florebat Collegium, in quod sub initium anni introducti Socij docere quintodecimo Kalendas Martias orsi erant. Verùm nulla propemodum in eo Collegiorum Societatis extabat facies. Quippe vnum erat è publicis Gymnasijs quæ vocant Bursas, nouissimè ab ciuitate conditum, & ab eiusdem insignibus trium coronarum adeptum nomen: neque id Societati possidendum, sed dumtaxat regendum nominatim Ioanni Rhetio ciui suo familiæ consularis tradiderant adacto in leges descendere Bursarum aliarum; cum ea etiam cautione, religiosum cœnobium ne introduceretur. Eò loci coq; discriminis nobilissima in ciuitate, quæ semper gloriata meritò est se Romanæ Ecclesiæ fidelem filiam, religio Catholica venerat, vt, quo ei pro virili succurreretur, nihil recusari deceret, quod modò subiri fas esset. Putidum enim fuisset inter ferrum ac faces consueto velle gradu pacis incedere, & in tempestatis perturbatione requirere trãquillitatis tenorem. Ergo dissimulatis domesticæ disciplinæ rituum multis (quanquam Senatui & discipulis constabat de Societate esse, nec nisi Iesuitæ vocitabantur) tamen promiscuè cum conuictoribus laicis degebant ac vescebantur, & cætera de more aliarum Bursarum administrabant. Extitit patientiæ solertiæque pretium luculentum. Ante omnia cùm Theologicæ disciplinæ, fidum religionis sepimentum, & profanarum nouitatum securis, iacerẽt, coniunctis cum Ioanne Groppero studiis, vt erigerent eas, elaborarunt. Illi operam maximè, & exempla, per quæ multi excitati sunt, contulere: Gropperus cùm auctoritatem, tum etiam stipẽdiorum incrementa Doctoribus. Deinde cùm viderent perniciem magnam oriri ex circumpositis hæreticorum scholis; adnisi sunt, vt iuuentutem ab commercio eorum & contagione abducerent. quod effecere tum datis circumquaque litteris ad Magistros Catholicos, alioſque viros auctoritate & religione præstantes, tum maximè diligenti cultura creditæ sibi iuuentutis. cuius rei fama, cùm etiam editus typis totius doctrinæ index longissimè spargeretur, tam multam Coloniam ad trium coronarum Collegium iuuentutem pellexit, vt ex modico antè numero conuictores breui ad centenos excreuerint, cæterorum verò discentium plus octingenti quinquaginta triennio inscripti sint: qui ita instituebantur, vt ipsimet Præceptores vix carere miraculo existimarent eorum in scientia, multoque magis in pietate profectum. Quippe cùm haud pauci primò rudes confluerent, & praua consuetudine imbuti, interdum etiam hæresi contacti ex hæreticorum scholis egressi; paulatim & mores, & superstitionem, & praua omnia in recta & proba commutabant. singulis diebus sacrificio diuino in D. Maximini vno Patrum faciente, intererant: ordine ad sacram concionem procedebant. Nemo non singulis mensibus; plurimi quinto decimo quoque die expiabant homologesi noxas, & ad eamdem religionem notos adolescentes alliciebant. Nihil inter eos turbarum: vulgò in vniuersis odium hæresis, & abolendæ studium. Eminebant tamen adeò conuictores, vt, dum cauetur, ne cœnobium Religiosorum condatur, iam totum Collegium ab sanctissimo cœnobio admodum nihil distaret. Cerea adolescentium ingenia in virtutis speciem, quam in Magistris domi spectabant, vltrò figurabantur. Ingens cunctis nitoris animi solicitudo. Nemo non de imitatione Christi apud se alioſq; id genus libellos, & ferè palàm è cinctu pendentia precatoria serta habebat. Diuinam mensam quaque hebdomada instaurare: vltrò subire aspera: publicas obiurgationes appetere, & alia modestiæ ingenerandæ vtilia, nostrorum Tironum in morem. Respiciebat planè diuinus spiritus mentem rectissimam, qua genus id Collegii susceptum erat, & in profectum vertebat omnia. Non mediocriter ipsosmet Patres ingenuitas illa puerilis, candorq; animi & pietas ad omnem perfectionem, Deique laudem inciabant, vt discipulorum profectus pro stimulo & doctore esset Magistris. Studiosè Patres, dum sedulò remouere conãtur omnes tanti operis remorandi causas, inter sese cauerant, nequa apud quem adolescentium Societatis ineundæ mentio fieret. Verùm enim verò quid verbis opus erat, dum ita clamarent facta? Ergo ipsi adolescentes ad maiora Dei dona recto minorum vsu sensim proiecti, nec solùm

specie,

Digitized by Google

ſpecie, verùm etiam experimento blandiſſimo virtutis capti, ſponte ſua religioſis ſe votis adſtringebant. Qui dum ita perſeuerant animo religioni obſtricti, externo habitu nihil ab ſodalium vulgo diſcrepantes, maiores vſque vſu, & conſuetudine ſua, tum ſermonibus opportunis creabãt vtilitates ſodalibus, latiuſq; in dies diuinus ignis propagabatur. Quo præſidio in cæteris quoque Collegijs & diſciplina morum, & ſtudia
104 litterarum maiorem in modum exculta. Per magnum ieiunium ſolennes inter ſe Collegiorum omnium concertationes adeò turbulenter, perque eam conuiciorum & contumeliarum non petulantiam modò, ſed etiam acerbitatem peragebantur, vt nunquam ſolicitudine metuque ingentis mali vacaret ciuitas, cùm earum tempus recurreret. Ea cura Patrum induſtriâ magno ſuo gaudio primo ſtatim vertente anno leuata eſt, ijs appoſitis diſputationum rectoribus, ſic adoleſcentium mitigata ferocia, vt iam propè non minùs vrbanitatis ac modeſtiæ certamen, quàm ingenij & ſapientiæ foret. Solennes quoque menſe Decembri diſputationes, quas inde Quodlibeticas vocant, quòd cui diſſerendi negotium Academia dederit, qua de re cunque libitum fuerit, diſputare ius eſt, eò ſenſim exceſſerant, vt ad riſum captandum totæ referrentur. Itaque ſcurrilia dicta, mordaces alienæ vitæ deſcriptiones, ioci quoque, & ſales obſcœni de induſtria inculcabantur. Verùm cùm id muneris delatum eſſet ad Patres, quos ſanè liberaliter Academici non modò talibus, ſed etiam grauiſſimis quibuſque iudicijs honeſtabant; illa etiam emendata prauitas eſt & monitis & exemplis eorum. Inter hæc cùm & frequentia, & fama doctrinæ trium coronarum Collegium vſque eò floreret; ſumma cautio Patribus erat vt Collegijs reliquis nullam in partem incommodarent, ſed vt mutua cum ijs beneuolentia, collatiſque in medium auxiliis colligarentur. Quod accommodando ſe in loco rationibus eorum, deferendis vbique honoribus, perpetua modeſtia, & officiorum aſſiduitate præclarè ſunt conſecuti: adeò vt Matthias quidem Cremerius optimus vir exacta iam ætate, qui Collegium Montanum regebat, ſeriò & illud Societati tradere moliretur, negans aliis poſſe credi ſalua conſcientia. Et quanquam ſucceſſori non idem initio beneuolentiæ fuit; tamen & illum officioſa Patrum modeſtia, & communis boni contemplatio breui demeruere. Itaq; aliorum quoque Collegiorum adoleſcentes apud Patres noxas expiabant, ad declamationes diebus feſtis cõueniebant, & inſtitutioni Chriſtianę
105 intererant. Auctores tantarũ rerum præcipui quatuor erant, Leonardus Keſſelius totius familiæ moderator; quiq; animas & Sociorũ & adoleſcẽtium plurimorũ per homologeſes regebat. Huic mirabatur Caniſius tantum ineſſe diuinitus ſeu facultatis, ſeu felicitatis tributum, vt ſine legum alibi ſolennium auxilio ita caritas inter omnes ſub eo, ita ſimplicitas, obedientia, diligẽtia conſtaret. Tum Henricus Dionyſius, qui Theologicis ſcholis, & omni ope ingenij, pangendis quoque, cùm vſus ferret, carminibus (adeò nihil negligit caritas) denique popularibus cõcionibus magnum Collegio & columen & ornamentum erat. Præterea Franciſcus Coſterus, quem & diuinæ & humanæ ſapientiæ interpretatio, & Mathematicarũ etiam diſciplinarũ explicatio, & linguarũ varietas ſpectabilẽ faciebant, cui præcipuè etiam Tironum inſtitutio demandata. Poſtremò Ioannes Rhetius, qui Regens more aliorum Collegiorũ (quòd ei nominatim, vt diximus, Collegium creditum erat) appellabatur, eoque Rector vocatur à nobis, quanquã id muneris ſolũ in diſciplina litteraria obtinebat, Keſſelio cætera procurante. Is oratoriæ facultatis potiſſimùm profeſſione Collegium illuſtrabat. Omnes hi, vt item reliqui, exempli vbique rectiſſimi, mirè inter ſe concordes, certatim laborioſi, cupidiſſimi ſubleuandæ religionis. Inde conferre quiſque in commune, quod in ſe eſſet: omnia conari: omnia experiri: ſummè cauere, nequa cœptis offenſio opponeretur. Multi ciuium, plerique Senatorum fauebãt; ſed ante omnes Ioannes Gropperus, quẽ ferunt & conuiuia interdum lauta inſtituiſſe, vt, cùm vocaſſet, quos maximè oportere cenſeret, occaſionem inde nanciſceretur ſermonum, vnde Societatem apud eos in exiſtimatione & gratia collocaret. Plurimum etiam iuuit Gerardus 106
Amontanus Carthuſiæ Prior ſuggerendis, præter alia, vitæ ſubſidiis: cuius benignitatem nequaquam fatigabat dies, ſed felix rerum ſucceſſus incitabat. Inter cæleſtia verò auxilia cùm patronam ſibi ac præſidem Dei parentem aſſumpſiſſent, & ſemper eam præſentem ſenſere; & obſeruarunt tum maximè cùm quis dierum ei dedicatorum ageretur, ſolere Collegio ſingulare aliquid bene ac feliciter euenire. Cùm templo carerent, & ad agendum cum populo interdum locus deeſſet; effecit auctoritate ſua Caniſius, vt ſuggeſtum eis ad beatæ Vrſulæ ſemper pateret: deinde paræciarum ſancti Mauritij, & beati Lupi, in qua Collegium erat, attributæ ordinariæ conciones: & Henricus Dionyſius ad ſummi templi ſuggeſtum vocatus, quod magna cum dignitate verbi diuini, & publica commoditate diu obtinuit. Sacris verò populo adminiſtrandis precarium vſum impetrarunt ſacelli ſanctæ Magdalenæ ad gradus Mariæ. Nam Socijs, & pleriſque diſcentium in domeſticis ſacellis præbebant. Tot ac tanta incõmoda ſummopere aggrauabat cum rei familiaris anguſtiis aſſidua colluctatio: cùm certi vectigalis prorſus nihil adeſſet, ac ne mendicationem quidem ſtatus ille rerum permitteret. Et tamen magno illi conſtantique animo viri non modò ſuam tolerabant inopiam, ſed & (vt ſanctus Paulus ait) nihil habentes, multos autem locupletantes, adoleſcentium tenuiorum, quos vtiles aliquando ſperarent Reipublicæ fore, difficultates leuabant: & (quod mihi quidem egregium viſum eſt cęterorũ decorum ornamentum) in plurimis, quas Romam dedêre litteras, nullum vnquam verbum poſuere, vnde graue ſignificarent onus; vnde fatigari appareret, aut plus aliquid ſiue ad humanę vitæ neceſſitates, ſiue ad religioſam tranquillitatẽ expetere. Id modò continenter ſignificant ſtudium priuatum cuiuſque perfectionis, vberem laborum ſegetem, communem ad labores alacritatem, & præclaros inde diuinæ gloriæ fructus. Quarum conſpectu rerum

Caniſius

Digitized by Google

Canisius magna animi sui voluptate fruebatur: cùm interim in Saxonia pro suis tribunalibus impietatis Ministri prædicarent Canisium Vormatiæ post primum cum Melanchthone cõgressum, cùm ad concionandum referre se voluisset, obmutuisse illico, & expirasse. Non enim pudebat hæreticos ex eo loco, qui debuit esse quasi sella veritatis, apertè mentiri eo tempore, quo egressa Colonia & Vormatia ipsa insignis Canisij fama Germaniam vtramque peruagabatur. Vt appareat quid in tenebris audeãt, qui luce palam vsq; eò insignia mendacia nundinantur. Cæterùm non solùm Canisius ex congressu cum pestibus illis nihil est passus iniuriæ, sed haud modicè ijs, quem antè de Societate conceperant, terrorem adauxit. Et Gaudanus, qui diutina tussi extenuatus, iudicio medicorum tabe conficiendus paulatim videbatur, in grauissimis diurnis nocturnisque studiorum laboribus, qui vires eneruare integras debuissent, singulari Dei munere propè est valetudini restitutus. Adeò congressus, quamuis cum tetris ac pestiferis belluis non modò Canisio vitam non eripuit, sed etiam eius socio reddidit. Hæc Salmeron Vormatiæ cognita magna ex parte; cætera Canisius ipse nunciauit. Status porro Societatis in superiore Germania optimè habebat. Ingolstadij mira planè efficiebantur, Augustano Cardinali, & Alberto Duce Bauaro, qui Monachij quoque Collegium instituere cogitabat, auctoritatem rebus diuinis conciliantibus. Pragæ item, ac Viennæ fluebant res è sententia. Præter multos, qui quotidie ad gremium reuocabantur Ecclesiæ Catholicæ, hoc futuræ messis indicium apparebat, quòd existimabat populus homines Societatis doctos esse; quidq; reuera sit de religione sentiendum, probè nosse, in gratiam tamen Romani Pontificis dissimulare id profiteri. Quare & filios tradebant illis in disciplinam: qui ita erudiebantur, vt nominatim minimè vocarentur ad Catholicam fidem; sed communiter cum orthodoxis discipulis ad pietatem, ad fugam scelerum, & ad virtutis amorem impellerentur. Iidem tamen cùm viderent condiscipulos audientes sacra, confitentes peccata, aliaque rite vsurpantes Catholicorum munera, erubescebant primò, notari sese existimantes: deinde ad eadem paulatim affecti, ita religionem orthodoxam ex animo complectebantur, vt ad eam parentes adducerent.

107 *De Canisij morte hæreticorum fabula.*

108 *Hæreticorum de Societate opinio.*

Bruxellas, vbi Philippus Rex erat, Salmeron & Ribadeneira IV. Nonas Decembris tenuere. Cardinalis Carraffa quinto decimo pòst die peruenit. Interim illi Societatis negotia tractarunt. Decretum Parisiense (condonet Deus auctoribus) noxam Louanij, & in ipsa Regis curia oppidò magnam faciebat. Dicebant homines vulgò, Si falsum, si iniquum, si famosum est, cur id Pontifex non damnat? idque amici omni modo curandum clamabant. Verùm Patres, quanquam cuiusdam tantùm impulsu temere erat factum, tamen veneratione doctissimi eius honestissimique Collegij, cuius vocabulum præferebat; malebant paulatim sine strepitu, sua sponte concidere, quàm cum fragore atque tumultu euerti. Louanij id vnum erat causæ, quare Collegium ciuitas stabile non exciperet: passimque fama,

109 *Difficultates Societatis in Belgio.*

vt gaudet vanis, adiecerat à Rege Galliarum electam Societatem: eiusque iussu Doctorum Parisiensium decreto damnatã. quòd maximè inter aulicos regios iactabatur. Eo opportunior Ribadeneiræ, & Salmeronis fuit aduentus. Et sanè quanti interfit principes viros, non solùm non esse, sed ne existimari quidẽ Religiosis hominibus aduersos, clarissimum hoc retro tempore in Sicilia, & Hispania documentum acceptum est.

Ioannes Vega extremo superiore anno diuturnis laboribus & ætate iam fractus decedẽdi è Sicilia potestatem sibi fieri cùm à Rege contenderet; translatus ab eo Pintiam (quam Vallisoletum vulgò dicunt) fuerat, & Concilij Regij Præses summa gratulatione omnium cõstitutus. Hoc è Sicilia abeunte multorum animi qui rebus Societatis in hominum potiùs, quàm Dei studebant gratiam, prodidere se, & aduersari cœperunt. Fabularum, falsorumque fictores criminum licentiam se nactos rati, rumores dissipare infestos. Erant qui, vti à Ioanne fuerat Societas aduocata, ita cum eo abituram crederẽt. Quidam certè persuadebant sibi eius destitutam præsidio perseuerare diu non posse. Verùm Deus voluit apparere non id opus mortalium humeris, sed eius præpotenti virtute subnixum. Nam & Prorex nouus (is erat Ioannes Cerda Dux Methymnæ Cæli) propitium se ostendens, nec fictis criminationibus aures præbens, delatorum audaciam retudit. & qui expectabant nouæ Sodalitatis interitum, vbi viderunt nihilominus vigere ac stare, Dei venerari prouidentiam cœperunt. Quidam præterea qui Sacramentorum à Societate inductam frequentiam criminati erant, adeò resipuere, vt cõuenire Patres, ac veniam petere non puduerit. Mercatoribus tantùm quibusdam satis fieri Syracusis nequiuit. Mos erat Syracusis vt ad diem S. Luciæ sacrũ, quam ciuitas patronã ciuemq; suam magnifico ritu colit, super alia celebritatis inuitamenta nundinæ celebrarentur, confluentibus è tota Sicilia mercatoribus, qui armillas, collaria, purpurissum, cerussam, aliaq; huiusmodi puellarium nugarum magno numero afferebant. Nulla enim erat, quæ eo die, quem toto expectabat anno, aliquid eius generis è mercatu non referret domum. Hoc verò anno vbi huiusmodi nihil, vel modicum venditur, inuitare & instare mercatores. Puellæ negare eas res sibi ampliùs vsui esse, quoniam Patribus Collegij S. Iosephi minimè probaretur. Quod vbi audiebant illi, excruciabantur, & ijs Patribus malè precabantur non sine risu puellarum. Cæterùm Panormi calamitas publica opportunam magis, quàm optabilem præbuit demerendæ ciuitatis materiã. Ex montibus, quos à tergo Panormus habet, defluentem in pluuijs aquã, vbi ad mœnia vrbis allapsa erat, excipiebat canalis, & mediam per vrbem deuehebat in mare. os eius canalis in angustum nuper coëgerant atque interseperant publicani, ne, quod fieri deprehensum erat, exportandis peridvenalibus importandisque cum publicorum vectigalium fraude via pateret. Ergo per autumnum, qui præter modum pluuiosus fuit, tum propter ipsas faucium canalis angustias, tum fortè inuectis, vt fit, torrentis impetu obturamẽtis, ad mœnia vis aquarum immensa collecta est. Ecce

110 *Societas in Sicilia Vegæ discessu nonnihil laborat.*

111 *Panormitanis in summa calamitate succursum.*

Digitized by Google

autem dum imbres imbribus ingruunt, nouiq́ue è montibus torrentes vſque arietant, quinto Kalendas Octobris, quarto decimo die poſtquam Romæ reſtagnauerat Tiberis, ipſis impetu deiectis mœnibus vrbis, tota illa colluuio effunditur: & tectis, quæ prima rapuerat, tecta quatiens non modò ſtragem immanem fecit, ſed & præ ſe agens omnia, in quæ inciderat, & verſus mare contorquens, latum limitem, quà inceſſit, aperuit. Ad mille tecta euerſa. Mortales ad tria millia partim aqua, partim ruina domorum oppreſſi. Cadauera ducenta circa Collegium reperta. Vbi nunc Profeſſorum eſt domus, ea tempeſtate Collegium erat. Id, quanquam duarum decempedarum altitudine aqua ſcholas opplerat, nihil paſſum iniuriæ. Nec in templum, vt in editiore decliuitatis parte ſitum, aqua peruenit. Sub horam noctis primam ac dimidiam tempeſtas & clades ingruit. Patres, tametſi malum erat eiuſmodi, quod præter pios clamores in cælum, non multum humanæ opis reciperet; tamen, ſiquid poſſent, conaturi, bono numero in publicum cum facibus prodiere. Horrendæ incubuerant tenebræ: terrorem fragor tectorum, vagus per vicos torrens, crepitans imber, pereuntium & periclitantium voces multiplicabant. Illi diſcurſare: media in pericula ruere: bonum animum facere: inclamare, quæ ad peccatorum dolorem, quæ ad Dei placandam iram, quæ ad erigendam ſpem apta forent. Hîc infantes in cunis, illic lapſos in aquas, atque animam iam iam exhalantes pueros rapere. Quotquot ſexu, ætate, valetudine infirmiores offerrentur, ab ruinis, ab aquis extrahere. Denique haud dubiè conſtitit quàm plurimos ab interitu eorum operâ reſeruatos. Qui ipſum in templum delati Collegij, pars etiam per ſe eôdem fuga elapſi, confuſo mixtoq́ue ſtrepitu vagientium, eiulantium, quiritantium omnia complebant. Productum eſt ad ſolatium diuinum Chriſti Corpus, & ſupplicatio in ipſo templo foribus ac feneſtris patentibus, vt procul etiam ſpectantibus animus adderetur, inſtituta. Tum & veſtiendis, qui nudi ex aquis emerſerant, & omnibus appoſita oratione ciboq́ue recreandis deprompta benignitas. Nec paucis per dies aliquot, quibus vnà cum domo res omnis perierat, nihilq́ue perfugij & opis reſtabat, cùm cibarijs, tum hoſpitio ſuccurſum. His officijs, vt res aduerſæ maximè fidem atque beneuolentiam produnt probantq́ue, Collegij Panormitani magnopere illuſtratum nomen, & caritas propagata.

112 *Sub Caroli V. reditum in Hiſpaniã excitantur in Societatẽ aduerſarij.*

Quam in Sicilia, eamdem è pari cauſa res in Hiſpania viciſſitudinem paſſæ. Imperator Carolus ſuperiore anno cùm Imperium Ferdinando fratri, regna Philippo filio tradidiſſet, è Belgio in Hiſpaniam profectus (quò ad quintum Kalendas Octobris vnà cum ſororibus Maria & Eleonora venit) in cœnobium ſeceſſerat Fratrum ſancti Hieronymi, cui nomen ab S. Iuſto, ſitum in agri Placentini tractu peramœno. Egregius Imperator maleuolorum Societatis ſermonibus præoccupatus, nunquam viſus erat permagni eam facere; ſed vulgus (vt temere Principum nutus interpretatur) Carolum, vnaq́ue ſororem eius Mariam Societati palàm iactabat infeſtos. Hanc famam callidè aduerſarii fouebant, haud ceſſante Cano. Qui velut nunc tandem ducem nacti multò confidentiùs contrà pugnam vrgent. Crimina fingunt vulgantq́ue turpiſſima. Decretum Pariſienſe decantant. Exercitia ſpiritualia, ſtudiumq́; meditationis iuuenum corruptelam, generoſæ indolis venenum appellant. Denique Illuminatorũ ſectam planè hanc eſſe, qua tyrannus Turcarum commodiorem rationibus ſuis ad infringendos militares ſpiritus Chriſtianorũ, totamq́; Europam ſub imperium ſubiungẽdam ne votis quidẽ auſus eſſet optare. Hæc dicebãtur inter amicos, è ſuggeſtu nonnemo deprædicabat, ita vt amicorum Societatis pars refrigeſcerent, pars animos deſponderent: quæ nimirum inter cætera (vt ſuprà indicatum eſt) Patres ne Romam ad conuentum abirent, remorabantur. Tantum (quod vtinam ſatis ipſi intelligerent) poſſunt de rebus diuinis vel tenuiſſimi nutus Principum bene maleq́ue mereri. Sed Deus famulos ſuos cùm ſinit percuti, paratum habet medicamentum. Ille hanc tempeſtatem, duorum præcipuè virorum, Ioannis Vegæ Concilij Regij Præſidis, & Patris Franciſci Borgiæ operâ diſcuſſit. Diuina prorſus factum prouidentia Lainius ad Vegam ſcripſit, vt ipſe ſub hoc tempus in Hiſpaniam reuocaretur, vt poſteaquam Societatem ſtatuerat in Sicilia, ibi quoque firmaret. Quam in rem ſanè pro virili, totoq́ue illo & ſapientiæ & auctoritatis pondere magni illius Senatus princeps incubuit. Vt enim Hiſpaniam attigit, publicum ſignum ſuæ erga nos pietatis extulit. Confeſſarius ei, vt poſtulauerat, è Societate datus eſt Petrus Saauedra. Quamcunque adibat vrbem, ſiquod ibi domicilium noſtrum eſſet, inuiſebat perhumaniter Patres; ijſq́ue ſe ſponte conuiuam aliquando offerebat, tum vt ſuo paterno animo indulgeret, tum vt auctoritate ſua populi animos illis conciliaret. Quod Abulæ potiſſimùm conſecutus eſt, vbi perſpecta eius in Societatem beneuolentia, duo è primoribus ciuitatis, qui cognitam viri prudentiam & integritatem habebant, ſtatuẽtes apud animum ſuum, quam familiam Vega protegeret, eam ſuo quoque amore dignam, ex aduerſarijs beneuoli fautoreſq́ue ſunt facti. At Borgia pro veteribus Caroli erga ſe meritis, ſuiſq́ue in eum officijs, cùm Placentiam veniſſet, è re diuina putauit fore, ſi per occaſionem eum ſalutandi, de Societate, ſuoq́; in eam ingreſſu aliquid certius edoceret. Ipſe quoque Carolus videre hominem pridem cupiebat. Quare omni benignitate excepit habuitq́ue iuſſum apud ſe in cœnobio (quo genere humanitatis nõ niſi cum pauciſſimis vtebatur) diuerſari certo in cubiculo, quod idem ipſe deſignauit. At Franciſcus vt in conſpectum Imperatoris venit, ad eius ſe abijcit pedes, & flexis perſeuerat genibus. cumq́ue ſubleuaret Carolus, inſtaretq́ue vt ſurgeret; ille contrà precari vt ſineret ſic inſiſtere genibus. Videri ſibi quodammodo coram Dei maieſtate, quam in eo reuereretur, conſiſtere, ac proinde (ſi veniam daret) tanquam Deum alloqueretur omnia contuentem, pauca de genere ab ſe vitę ſuſcepto dicturum. Quandoquidem ita vis, ita ſit, inquit Carolus; libenter nobis, quæ dixeris, audientur. Tum Borgia à beneficijs erga

113 *Ioannis Vegæ in Societatem eximia pietas.*

114 *Borgia Carolo V. rationem reddit ſui in Societatem ingreſſus.*

Digitized by Google

ga se Imperatoris exorsus, quibus hæc illi cogebatur exponere: causisq; cur id antè non fecisset, commemoratis, ea primùm breui recensuit, quæ ad suscipiendam seueriorem vitam sæculo abdicato ipsum induxerant. Sub ea de familię delectu disserens, cùm & sua à puero & maiorum suorum pietate ad Franciscanos animo propenderet, tamen vt potiùs se ad Societatem conferret, tribus præcipuè factum causis affirmauit. Primùm, quòd, cùm de vitę deligenda forma agitaret, Deo per se, perque alios enixè, multisque modis, ac diu consulto, vbi ad alios Ordines animum adiiceret, inquietem mœroremque sentiret: simul verò cogitationem ad Societatem vertisset, admirabili quadam securitate in ea acquiescebat. Vnde Dei voluntatem intellexerit iubentis in hoc potiùs, quàm in alio quopiam sibi Ordine famulari. Deinde, quòd, cùm Societas noua esset, atq; apud multos laboraret inuidia, existimabat se obscurum in ea & inglorium latere posse: cùm contrà in celebratis familijs ex splendore earum vereretur, ne in honorem nomenque incurreret ampliùs quàm fugisset. Postremò, quòd vti magnis Principibus nouellos ad delicias hortos instruentibus gratius faceret, qui stirpem noui generis, quamuis ignobilem conserendam in ijs offerret, quàm si multò nobiliorem pomarijs eius veteribus adderet: ita credebat germen, quale quale ipse afferret, acceptius Deo fore, si in hortis, quos ille recèns adornabat, quàm si in adultis robustisque consereret. Adiecit institutum Societatis ex vtraque vita mixtum, Marthæque fidem munus Mariæque complectens, qualis Apostolorum, & Christi Domini vita fuisset, valdè sibi placuisse. Denique cùm hæc omnia ad se se traherent, non tamen quidquam se ausum statuere ac sequi, priusquam re cum multis & grauibus viris ex ipsis Religiosorum antiquis Ordinibus communicata, eos ipsos habuisset sui consilij auctores. Atque ad eam diem satis magnum vitæ susceptæ fructum, diuinæque voluntatis pignus ex animi sui quiete ac lætitia percepisse. His auditis Carolus gratum sanè accidisse sibi eum sermonem ait, quòd sibi mirari sæpe in mentem venerit, quòd homo eius dignitatis atque prudentiæ comprobatis longo sęculorum cursu cœtibus ignotum ac nouum, de quo anceps circumferretur fama, præposuisset. Ad quæ Franciscus cùm ostendisset, si Societati diuturni temporis comprobatio deesset, id non eius potiùs, quàm rerum omnium aliquando orientium esse: satis tamen Romani Pontificis auctoritatem pro quauis approbatione esse: atque adeò ita esse natura comparatum, experimentoque cùm in aliis Religiosorũ familijs, tum in Ecclesię nascentis compertum exordio, vt initiis quidã vigor & quasi integer & incorruptus sanguis floreat, qui vetustate aliquãtulũ cõsenescat: deinceps ingressus obtrectatorum Societatis, & malcuolorũ accuratè diluere & refutare calumnias, in lucemque manifestam proferre mendacia, testatus est Deum, si quid in Societate minùs Euangelica perfectione dignum vnquam vidisset, ne vnum quidem diem se in tali hominum numero fuisse mansurum. Hæc autem sapiens Imperator audiens ac ponderans, sensim contra delatores accensus, militari illo recalescente spiritu fronte sibi manu repentè percussa exclamat, Ergo mihi ita mentiuntur? Mox impetu residente, leniter ac iucundè protrahitur sermo. Et Carolus, Illud, inquit, Pater, quomodo diluetis? Iactant inter vos nihil nisi iuuenculos cerni, nullam canitiem apparere. Hìc Borgia statim modestè. Dum mater, optime Princeps, iuuẽcula est, filij senes esse qui possunt? Hoc autem si vitium est, curabit dies. Ante vigesimum annum huius numerosæ iuuentutis albescente coma & nos abundabimus canis. Quanquam nec ita, vt fertur, egemus annis. Equidem sextum & quadragesimum ago; vtinam meliùs transegissem; & mecum habeo comitem, qui annos quinquaginta ad Societatem attulit, canosq; permultos. Is erat Bartholomæus Bustamantius probitate vir doctrinaque conspicuus: quem Imperator aduocatum agnoscit, quòd cum eo ab Ioanne Tauera Cardinali olim misso grauibus de rebus Neapoli egerat. Alia multa de secessu suo, vitæque asperitate disseruit Carolus, & post tres dies abeuntem Borgiam iussit sæpè ad se redire. Sed Franciscus aularum, nisi aliter officium cogeret, piè osor, nunquam nisi aduocatus reuertit. Dictu facile non est, quantam hæc Caroli humanitas vulgo cognita & sermonibus celebrata serenitatem rebus Societatis attulerit.

Tria eo anno reditibus certis vehementer amplificata Collegia. Murcianum ab Episcopo Carthaginensi Stephano Almeida natione Lusitano, qui ad reliqua, multam quoque supellectilem domo sua detractam dedit. Methymnense à Petro Quadrato honesto eius vrbis ciue ac mercatore opulento, qui iam inde ex eo tempore, quo Ignatius litterarum studia Lutetiæ persequens ad subleuandam inopiam suam in Belgium excurrebat, Antuerpię hominem nouit amauitque: cui Ignatius id ipsum prædixisse fertur, fore vt aliquando Collegium suis extrueret. Is igitur coniuge vehementer impellente lectissima femina Francisca Mansionia, certo reditu attributo domum hoc ipso tempore ac templum extruebat, instruebatque perdiligenter. Denique Placentinum ab Gutterrio Caruaiale eius vrbis Episcopo: qui ad ea quæ antè benignè donauerat haud paucioribus adiectis, fundatoris nomẽ impleuit. Nec verò Socij salutis publicæ procurationem solito quidquam lentiùs tractauerunt. Granatæ ad cæteras conciones ad neophytos Mauros vernacula ipsis Arabum lingua habitæ. Ad eosdem Ludouicus Santanderus, alijque Patres in Granatensem agrum, & Gandiensem missi haud nullo operæ pretio. Vbi enim secum viderunt paternè agi, fingendos se ijs multi ducendosque totos penitus præbuere.

116 *Collegia Murciani, Methymnense, & Placentinum perfecta.*

Mauricis neophytis nouata opera.

Sub extremum annum Hispali multi deprehensi hæretici inter quos Lutheri impius assecla, qui magna comparata librorum pestilentium copia eos per muros vrbis noctu inferens, clanculùm inter ciues venena spargebat. Hanc rem animaduertens Bustamantius Bæticæ prouinciæ Moderator, qui tum fortè aderat, ad pręmuniendum populum, multò explicandam studiosiùs Catholicam Christianæ fidei doctrinam ratus, sanctæ fidei Quæsitores, & Archiepiscopi Vicarium admonuit. His placuit, vt tribus in templis

117 *Hispali deprehensi hæretici.*

Digitized by Google

tres de Societate populum edocerent, & errorum eliderent semina antequam comprehenderent. Cuius præclari operis vt auctor fuerat, ita initium ipsemet Bustamantius die Christi Domini Natali fecit. Dimissi sunt & in circumiectam regionem seduli catechistæ præcipuo eorum profectu, qui vsque ad Almadrauas processere. Nihil enim religiosæ vsquam prædæ latet, quod non sagaciter odoretur ac perueſtiget acrimonia caritatis. Almadrauas Bætici vocant, quas Latini Cetarias, thynnorũ piscatu nobiles. Celebrabantur olim, hodieq; gloriam obtinent, quæ inter Cartheiam, & Gades sitæ sunt, in ditione Methymnæ Sidoniæ Ducis, sub fauces Herculei freti, qua Gaditanus Oceanus cum interno mari miscetur. Quippe sedes, vt volucrum quædam, & alii quidam piscium, ita mutant thynni mira naturæ solertia in maximè stolido animali. Vbi exegerunt hiemem in Oceani tepore, gregatim maria interiora petunt ad æstiuandum, & exponendos fœtus, cùm aquæ dulcis illecti copia, quam tot flumina inuehunt, tum clementiore aura per æstatis feruorem, plerisque in Euxinum vsque subeuntibus: vnde post æquinoctium Libræ remigrant in Oceanum vniuersa cum prole. In hac commigratione multitudo incredibilis & in cetariis aliis, & in Cartheianis, quas diximus, Maio ferè & Iunio mense thynnorum capitur, inuitante Deo ad religiosa ieiunia paratu annonæ. Ergo sub capturæ tempus cùm præter piscatorum turbam, & præsidiarios milites ex vniuersa ferè Hispania negotiatores confluerent; præterque eos, vagorum colluuies mendiculorum, & flagitiosorum è fæce, ac facinorosorum omne genus, ad hæc lenones cum scortis; nec furta, nec cædes, nec flagitia, & alia dictu factuque fœda impiaque aberant; quæ tanto licentiùs, quanto impuniùs patrabantur, cùm sæpe noxiorum vis aduersus legum iurisque custodes facta cõspiratione præpolleret. Talium gnari Patres existimarũt & sua sibi laxanda retia, si fortè piscatores capere, mercatores mancipare, prædatores animarum Christo facere prædam possent. Euentus egregiè ad spem primò respondit. Inde repetita sequentibus deinceps annis expeditio. Flagitiorum tabernæ vel eiectis, vel accessu prohibitis scortis, omnino sublatæ: pax, fidesque introducta: expiata culpis nocentum pectora: rudi, desperataque turbæ tradita salutaris doctrina: obscœnæ cantiones in sanctas commutatæ: iurandi execrandiq; compressa licentia: omnes pane vitæ refecti, eo paulatim successu, vt iam non ad mercatum magis plerique, quàm ad statas curandorum animorum ferias quotannis redirent: vltroque Patres, siquid fortè morarentur, aecirent. Mollia nimirum sunt Christiana ingenia, & docilia pietatis, modò Præceptorum constantia paululùm cum dicentium languore luctetur.

318

119

120 *Ioannis III. Lusitania Regis mors, & Reginæ pietas.*

In Lusitania cùm res prorsus ad voluntatem fluerent, importuna Regis mors interuenit. Ioannes hoc nomine Tertius post aliquot dierum tentatiunculas pridie quàm moreretur, ita ægrotans leuiter, vt è lecto surgeret, continuò grauissima febri correptus penè ex improuiso oppressus est. Sed æquissimus Regum Rex spatium optimè, vti duxerat, claudendi vitam deesse pio Regi noluit. Rite expiatis noxis, sacrosancto instructus viatico, oleo etiam sancto delibutus ad diuinum tribunal migrauit. Nec minor difficillimo eo tempore Reginę constantia, quàm Regis prodita est. Rogata ne interim, dum Rex diuinam Eucharistiam susciperet, interesse vellet, ne quid viri oculis, quod spargeret distraheretue curam, obuersaretur, in sacellum secessit; ibique Christum alloqui clara voce aggressa eo sensu, Regẽ ei, regnũ, se ipsam commendat, ita eiusdem nutui submittit vniuersa traditque, vt ijs qui aderant lacrymarum vim ingentem, siccis ipsa oculis durans cieret. Ipsamet omnium prima noctu sensit, vbi primùm Rex agere animam cœpit; moxque alijs ad sacrum chrisma afferendum digressis, sola inuenitur effigiem cruci affixi Domini manu tenens, magna Regem voce piaque ad peccatorum dolorem, ac fiduciam in Christi locandam meritis, ad gaudiorum spem cęlestium excitans. Interdũ illa quidem, vt intimè coniugem suauissimeque diligebat, commouebatur animo, vt lacrymarũ nonnulla peruinceret; cohibens tamen virtute sensum, & temperans pietate humanitatem ad vltimum Regis spiritum mira fortitudine modò illum, modò Christum alloquens perseuerauit. Statim verò, vt is animam exhalauit, reuerenter inclinata demortui manum exosculatur, & summouet sese. Mortuus est Ioannes tertio Idus Iunij die Saturni iam illucescente. Eo sublato magnum res Christiana columen amisit, magnum Societas nostra. Quam nec dum, vt ita dixerim, natam, hoc est, ante Pontificiam approbationem, complexus, ita perpetuò suis in regnis, in Europa, Africa, & vltimis Asiæ & Indiarum oris regia munificentia, paternaque benignitate, ita in cæteris Christianorum terris commendatione auctoritateque fouit, defendit, prouexit, vt non magis benefici Principis, quàm indulgentissimi Patris loco esse in omne tempus posteritati nostræ debeat. Id adeò ex iudicio mandatoque vetusto Beati Ignatij, quod propterea subiungam, intelligi potest.

121 *Ioannis Regis in Societatem excellentia merita.*

Præpositis, Prouincialibus, Rectoribus Collegiorum, & Præpositis domorum Societatis Iesu, vbicunque terrarum ac gentium sint, salutem in Domino nostro sempiternam.

Quanquam Deo procreatori, ac Domino nostro vt fonti perenni, & capiti omnium bonorum, si quid tale est in minima nostra Societate, gloria & laus debetur; tamẽ erga cooperatores, & præpuos administros diuinæ eius prouidẽtię æquum est nos pro virium nostrarum imbecillitate iis vti officijs, quæ grati animi sancta iura postulant ad gloriam diuinæ eius maiestatis. Quamobrem considerãtibus nobis quantũ inter omnes Christianos Principes Sereniſſimo Regi Lusitaniæ cuncta nostra Societas debeat, cuius fauore & admodum liberali auxilio fundari cœpta est, totque in partes propagata magno cum prouentu diuini obsequij, & spirituali adiutorio animarum; visum est in Domino excitare vos per obedientiam ad id, ad quod certum habeo complures vestrûm suamet sponte per caritatem moueri. Igitur omnes quicunque præestis, quique sub obedientia

Digitized by Google

„ obedientia veſtra degunt tum ſacerdotes in ſa-
„ crificiis, tum cæteri in precationibus ſuis quoti-
„ die, & nominatim de Rege eodem, ſimulque de
„ Regina, & liberis eorum coram Deo memineri-
„ tis. Siquidem quidquid gratiæ ſumma bonitas iis
„ largietur, in regna ipſorũ redibit: in quibus præ-
„ cipuo quodam modo optandum eſt nobis vt
„ laudetur & glorificetur ſanctiſſimum eius no-
„ men. Atque hoc pacto nos parte aliqua defun-
„ gemur officij, quod plurimum debemus: reli-
„ quum verò explebit is, qui noſtras omnes infir-
„ mitates ſupplet. Cui placeat opem nobis impar-
„ tiri, vt ſentiamus ſemper eius ſanctiſſimam vo-
„ luntatem, & integrè exequamur. Romę 14. Iunij,
„ anno ſalutis 1553.

Cuncta in Societate quina ſinguli ſacerdotes pro Regis anima fecere Sacra; cæteri preces & pſalmos huiuſmodi officiis deſtinatos quinquies recitarunt. Præter hæc in Luſitania exequiæ ſatis luculento apparatu celebratæ, & multis elegan-ter conditis carminibus, & funebribus orationi-bus honeſtatæ ſunt. Quippe Regis longè com-munem egreſſa modum benignitas officia quo-que grati animi poſtulare ſingularia viſa eſt. Vt autem minùs iactura ſentiretur, fecit Reginæ vir-tus, quæ regni adminiſtrationem ſuſcepit, dum Sebaſtianus, qui trimus è Ioanne Principe ſuper-erat, adoleſceret. Suſcepta adminiſtratione Re-gina pietatem ſuam latè explicare cœpit. Pleriſ-que prudentia P. Michaëlis Turriani, quo ſacris à confeſſionibus vtebatur, mira erat: ſed eius pru-dentia vno conſtabat præcepto. Vnum hoc ope-ram dabat, vt in Reginæ animum ſolidum ac ve-rum Chriſti Domini amorẽ ingeneraret, ex quo cætera ſua ſponte manarent omnia: nec gratiam ſibi Reginæ, ſed illi diuinam venabatur. Quare cùm acceptiſſimus illi eſſet, tamen ad conuen-tum generalem cùm Romam accerſeretur, ex-cuſatione, qua vti poterat, quaſi Regina mora-retur, abſtinuit: ſed ipſa facilè pro communi Socie-tatis bono ad commeatum concedendum addu-cta, ſemel atque iterum, quamuis fruſtra, comitiis iterum atque iterum dilatis, eſt iter ingreſſus.

122 *Reginam quomodo confeſſarius eius Turrianus inſtituat.*

Borgia in Luſitania grauiter ægrotus prædicit ſe non moriturum.

Extincto Ioanne Rege Borgia in Luſitaniam, & miſſu Caroli Imperatoris, & Societatis inuiſendæ, & conſolandæ Reginæ cauſa proficiſci-tur. Summa erat æſtas caloreſque grauiſſimi, & alioqui valetudine valdè afflicta viator. Eboram itaque vbi venit, in grauem incidit morbum. Iamque medici de eius ſalute deſperabant, cùm circumſiſtentes lectulum plurimos è Sociis al-tum præ ſe humeſcentibus oculis dolorem feren-tes, quòd tali parente adeò immaturè orbaren-tur, ipſemet Franciſcus ita eſt conſolatus, vt fi-dem faceret, ex eo morbo nequaquam ſe occa-ſurum. Quod magna omnium, præcipuaque me-dicæ artis prudentium admiratione euenit. Inde reuerſum in Caſtellam Carolus Cæſar, qua eum conſueuerat humanitate excepit, & digredienti aureos nummos ducentos dedit, adiiciens plus dediſſe, cùm plus haberet, pauca nuncà paupere pauperi dari. Id autem non in primo Borgiæ Ca-rolique congreſſu, vt in eius vita proditur, contigiſſe ex ipſiuſinet litteris Borgiæ certum eſt, quibus nunciat poſt ſuum è Luſitania reditum, cùm Carolum comite Dionyſio Vaſquio adiiſſet, ea pecuniæ ſumma donatum eſſe: quam ille ſtatim Collegio Romano ſepoſuit.

Monuit hoc anno Lainius Borgiam, reli-quamque Societatem, vt eorum, qui è vita de-cederent, ſcripto memoria ſeruaretur, & ad hanc diem defunctorum collecta nomina in vnum conferenda codicem, conſeruandaque Ro-mam mitterentur: quod in tota Societate fieri tum cœptũ, nunquam poſtea prætermiſſum eſt. Et verò multorum hoc anno inſignis ad memo-riam migratio fuit. Duos ex Italia, quatuor ex Hiſpania, ſatis fuerit nominatim referre. Obiit Peruſiæ Ioannes Rodericius Grammaticæ ma-giſter ætate maturus, necdum tamen ſacerdos, optimi exempli, modeſtia, caritate & obedientia ſingulari. Tertio ante obitum die monitus ab Euerardo Mercuriano tum Collegij Rectore, vti ſe ad cælum verſus iter capeſſendum accinge-ret, atque fidenter promeret, ſiquid fortè ani-mum torqueret; reſpondit nihil ſibi aliud ſcru-puli eſſe, quàm ne vita prorogaretur. Adeò aue-bat diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Integris ſenſi-bus vſque ad vltimum ſpiritum, auribuſque ad ſacras lectiones intentus, ſublatis in cælum ocu-lis, ſanctiſſimum Chriſti Ieſu dulciſſimè nomen pronuncians, manibuſque ante pectus iunctis, quaſi ad voluntarium ſe opus componeret, vel mors amicè iam ſe adeſſe præmoniſſet; XII. Ka-lendas Februarias expirauit, tanta ſuperfuſa vul-tui hilaritate, vt haud obſcurè cæleſtium gaudio-rum præguſtare animus dulcedinem videretur. Quæres ita omnes domeſticos, qui erant cir-cumfuſi, commouit, vt in omnibus mira vitæ contemptio, ardenſque quàm primùm abeundi ex ea, & carum ſodalem ſequendi cupido exci-taretur. Sepultus eſt, quòd Collegium templo careret ſuo, in ſancti Laurentij templo principe ciuitatis, in ſacello vbi diuina tum Euchariſtia aſſeruabatur. Cuius in exequiis Canonicorum, & Decani benignitas ſumma perſpecta eſt.

123 *Morientiũ in Societate nomina Ro-mæ conſer-uari cœpta.*

124 *Ioannes Ro-dericius Pe-ruſiæ obit.*

In Lauretano Collegio iuuenis erat Ferra-rienſis, Hercules olim Cabedus nomine, iam venia Moderatorum, nequid profani vel voca-bulo retineret, Gregorius vocabatur. Aliquanto antè tempore nuncium rebus caducis cùm re-mittere decreuiſſet, deinde intepuiſſet; tandem cognita ſæculi fallacis ac dæmonum faude, ma-iore quàm ſi nunquam hæſitaſſet, ſtudio atque conſtantia ſub anni ſuperioris initia in Ferrarien-ſe Collegium admiſſus erat. Inde vocatum Ro-mam, moxque valetudinis cauſa Peruſiam, poſt-ea Lauretum traductum, quòd nuſquam meliùs fieret, Patres cenſuere de medicorum ſententia ad natale ſolum referendũ. Malebat ille vbiuis potiùs, vt peregrinus, quàm in patria mori. Sed tamen obedientiam ſua voluntate potiorem ha-bens, placidè acquieuit. Ergo cùm Laureto Fer-rariam, quanta poterat cura ferretur, in manibus ſocij dum in lectulo collocatur, animam apud Fanum fortunæ efflauit. Sub idẽ tẽpus eius pater Iulius Cabedus probus homo piuſque, æger de-gebat Mutinę: qui dum, vt erat ſolitus, rerũ diui-narum meditationi dat operam, videt filium in-genti cum gaudio in cælum ferri. Quod viſum de Gregorij ſui morte æternaque vita interpretans, quamuis eum ſuauiſſimè diligeret, ſumma eſt

125 *Gregorius Cabedus moritur Laureti:*

126 *& patri mors eius diuinitus nunciatur.*

Digitized by Google

voluptate completus. Paucis post diebus obitum eius nunciantibus & consolantibus Patribus, nihil sibi consolatione opus esse respondit, quòd nec noua accidisset mors, & ea beneficium ingens contigisse filio comperisset. Hæc Mutinæ pater vidit. Ferrariæ etiam amita narrauit, dum in precationibus vigilaret, sibi Herculem suum Ferrariam reuertentem quasi ibi concionaturum modestia vultus, & maiestate mira visum. Sanè iuuenem magnæ solidæque religionis vniuersi, qui norant, existimabant: magnique Polancus, aliique Societatis primarij viri faciebant.

127 *Insignis vita Patris Francisci Villanoua.*

Eorum, qui decessere in Hispania ante omnes memorandus est Franciscus, cui ab oppido agri Placentini, in quo est natus, vulgò nomen Villanoua fuit, illustrissimum, si quisquam, documentum quanto ad rem pietatis bene gerendam donis humanis, naturæque præsidiis diuina adiumenta præstent. Is anno primo & quadragesimo voluentis sæculi Romam ab Archipresbytero, apud quem æditui locum habebat, litium causa quarumdam missus, cognita Societate, Ignatio se adiunxit, haud leuem inter exercitia spiritus colluctationem perpessus. Nam (quemadmodum postea cognitum ex eius epistola est) quoties de libertate abdicanda, deque subeundo obedientiæ iugo cogitabat, in magnas redigebatur angustias: &, quoniam certum illud omnino ac fixum erat, vitam diuino obsequio mancipare, offerebant sese longinquæ arduæque peregrinationes, ægrorum in nosocomiis procuratio, aliaque ad speciem laboriosa, in quibus tamen salua esset libertas. Quæ Villanoua cùm obseruaret, haud difficilè intellexit, vbi vera consisteret hominis de sese victoria: statuitq; id maximè, quod sibi carissimum sentiebat esse, in Christi Domini gratiam, qui pro nobis factus est obediens vsque ad mortem crucis, voluntatem videlicet, libertatemque suam perpetuæ obedientiæ cruci suffigere. Hac nobili palma sub ipsum agonis ingressum de se atque ludificante dæmone reportata, retulit paulò pòst haud minùs insignem. Domum admissus, & coquo datus adiutor, cœpit ministerij eius tædio odioque præter opinionem tentari grauissimo. Quæ contra vana terriculamenta tendendum audentiùs ratus, ante Christi è patibulo pendentis effigiem humi procumbens, vouet se, quamdiu viuat, si per Moderatores liceat, eo in opere permansurum. Pernoscebat Beatus Ignatius quantum ad excellentem virtutem in tirone indolis ac facultatis esset: inde aliis super alia laboriosis exercens muneribus, cùm quidam Patrum leuationem precarentur, respondebat affatim ei virium ad cuncta suppetere. Nec dubitauit pronunciare, sat bene cum Societate actum iri, si è Scholasticis sexaginta, qui tunc educabãtur, vel viginti post perfectum studiorum orbem Villanouæ similes euasissent.

128 Inde breui rudimento imbutum, quamuis alterum & trigesimum ætatis annum ageret, in Lusitaniam, vt litterarum studia ab Grammatica ordiretur, misit: eoq; loco valetudine minùs bona vtentem in solum patrium, ac deinde Complutum transtulit mirabili planè successu. Nam & ad alia multa per Hispaniam inchoanda Collegia momenti plurimum attulit, & Complutensis ipse Collegij parens & conditor fuit: & vniuersa de Societate vbique terrarũ optimè est meritus: quam alumni eius per diuersas postea sparsi prouincias pariter cum Christiana pietate amplificarũt. Quippe centũ quadragintaquatuor lecta capita, in iisq; non paucos rara facultate, & præclarissimi euentus, in eam admisit, cùm plerosq; ipsemet Beati Ignatij exercitationibus, traditaq; sibi à Deo sapientia permouisset. Fundamentum eius virtutũ sui victoria fuit. Quæ ab iis, quæ dixi, profecta initiis, adeò constans in toto vitæ cursu perseuerauit, vt Odoardus Pereria sacerdos è Societate fide dignus narraret, ex ipso Villanoua se accepisse, nihil obiectum illi vnquam in actione virtutis, à quo sensus animúsve abhorreret, quod Deo iuuante nõ subegisset. Quam rem haud tardè animum inducet credere, qui vitam hominis inspiciat. Complutensis iam Collegij Rector, & 129
sanctitate notissimus in humilibus culinæ officiis tanquam pristini memor voti, propè assiduè versabatur: ac dicebat, qui se Rectore esse iusserant, parum vidisse ad quid maximè esset factus: se potiùs ad culinæ ministeria, quàm ad regendos homines natum atque aptum fuisse. Rudi tunicula attritaque, & curta cùm assiduè vteretur, staturaque pusillus, ore plus satis fusco, totus denique malè à natura tornatus, nihil haberet spectabile, quàm virtutem animi sui; contemptũ, è culinæ aliisq; manuũ operibus ad viros doctos & graues euocatus, sæpè ita, vt ferebat ministerium, sordidatus prodibat: nec principio admirabantur illi solùm, sed quodam pudore suffundebantur. At Villanoua dicebat his occupationibus immorari se nõ virtutis causa, sed quòd ea sibi aptè quadrarent munera: suum patrem, auum, maiores ita vixisse. Erat enim humili stirpe: quod nullo loco cunctanter ille profitebatur. Quin etiam Placentiæ, cùm Episcopus, qui Collegiũ extruebat, dum ædificationem spectat, animaduerso non satis calcis per inopiam aquæ suggeri fabris, ad Franciscũ versus, dixisset, Nónne esset ad manũ, qui posset iumentum agere; & aquam, & si quid aliud est opus, afferre? Est, inquit Villanoua. Cõmodùm huc frater meus aduenit. is rectè istud muneris exequetur. Obstupuit Episcopus solidam humanæ auræ despicientiam: & ait, Non deerit isti domi meæ, quod agat. Sed Villanoua confirmauit non esse hominẽ ad alia idoneum; peruicitque, vt publicè Martinus Timon (hoc erat ei nomen) Rectoris Villanouę germanus asellum agens diu cerneretur. Atque hunc non contemptum, sed verum fuisse germani amorem demonstrauit euentus. Breui enim Martinus, Deo iuuante, perfectionis amore captus, & in Societatem adscriptus magno cum virtutũ exemplo, annis in ea compluribus actis decessit. At Villa- 130
nouа non sponte solùm ad sui despicientiam intendebat, sed pari alacritate (quod non perinde multi faciunt) oblatas iniurias sustinebat. Cùm elementis Dialecticæ nauaret operam, condiscipulus ex externis nescio qua eius voce offensus excanduit: atque, vt erat ardens, ac manu promptus adolescens, nihil tale expectanti Villanouæ colaphũ impegit. Hic repentinum factum admirans, vbi aliud nihil occurrit, in se cautam cõuertit, prouoluitur ad pedes adolescentis, & veniam submissè

Digitized by Google

ſubmiſsè precatur, quòd imprudens ei cauſam iræ ſuggeſſerit. Poſt aliquot annos ſimile genus iniuriæ pari conſtantia repulit. Homo nequam aditum in honeſtam domum ad flagitium captabat: quod cùm ſenſiſſet Villanoua, in tempore egit, vt excluderetur. Non latuit res intemperantem: & inde exulceratus, vnde ſanari debuerat, cùm primùm in via, quæ Maior Compluti dicitur, obuium Villanouam habuit, grauiter impacta palma percuſſit. At bonus Chriſti diſcipulus non verbo, non vultu, non animo indignatus, genu flexo alteram percutienti genam offert. Et mox inſignem ac publicam contumeliam ſeuerè vindicare cùm Vicarius Antiſtitis moliretur, egit enixè, vt reo pœnæ omnis
131 gratia fieret. Hæc ad honoris, illa ad commodorum deſpicientiam pertinent. Libentiſſimè ac ſæpè pauculis fruſtulis ex iis, quæ Sociis è menſa ſuperfuerant, victitabat. Si quando afferri ſibi eximium quidpiam vidiſſet, porrigentem reiiciebat, monens ne contumeliam ſibi faceret. Viro enim Religioſo probrum & ignominiam eſſe, quamdiu valetudo pateretur, non eſcis vti communibus. Itinera Roma vſque in Luſitaniam, & alia per Hiſpaniam, omnia pedibus, perrarò aſello cõfecit. Nec in hoſpitiis ad panem quidquã, niſi, ſi quando pauxillum caſei adhibebat. Curioſitaté quoque ita domuerat, vt diceret, ſi nunciaretur ſibi Angelum è cælo lapſum in via ante ædes Collegij concionari, ſe minimè ad audiendum acceſſurum, ſi ſtudio duci ſe niſi pio ſentiret. Quam quiſque minùs in vita domaret perturbationem, ab ea ingruente
132 morte, moleſtias pati grauiores, aiebat. Congeſſerat quaſdam voces, quibus ſe velut ſtimulis excitaret frequenter, & increparet. Earum è numero ſunt hæ: Villanoua, ad quid veniſti? Veni, vt crucifigerer. Veni, vt alienas noxas, & quoſuis tolerarem angores. Veni, vt pacem animi reperirem. Vbi autem? in penuria, in alienorum tolerantia delictorum, in calamitatibus, in ſecundis iuxtà rebus atque aduerſis. Villanoua, quod in te non ſanaſti, perfer in aliis. A tuis vlceribus, vſque dum ea perſanaris, ne oculos remoueto. Sine alios loqui; tu, quæ te tuorum oblitum, aliena curandi vitia libido vrget, vide vt comprimas. Quæ res ad te non pertinent, quaſque corrigere nequis, in ijs tace, ac Deum roga. Quid feſtucam vides in oculo fratris tui; trabem in oculo tuo nõ conſideras? ſi omnes perfecti ſint, tu vitioſus, quæ tibi vera ſit pax apud Deum? Hæc ſibi identidem occinebat. Quæ oſtendunt in cura alienis erroribus ſuccurrendi, nunquam ab ſuis oculos ac manum remouiſſe. Animi ſubmiſſionem in diuinis maximè, vt par erat, oſtendit. Iuſſus ab Ignatio ſacris initiari Ordinibus, & omnino vetitus repugnare, paruit quidem, ſed, dum ad faciendũ primum Sacrum ſe comparat, indieſq; attentiùs ſuam vilitatem, myſterijque ponderat maieſtatem, perlongum tempus in apparatu traduxit: neque auſus vnquam eſſet ad aram ſacrificaturus accedere, niſi ſeuerum adfuiſſet Roma
133 præceptum. Anno ſæculi eius altero & quinquageſimo die Pentecoſtes ſacras primitias obtulit. Confluxerat ingens populi multitudo. Nouus ſacerdos inter ſacrum quemdam horrorẽ, & cogitationem dulciſſimæ Chriſti caritatis varijs motibus æſtuabat. Vbi verò ad ea Symboli verba, *Et homo factus eſt*, venit; lacrymis ſe perenni flumine ſuperfundentibus, intercluſa voce diu retardatus, ſpectanti etiam populo vim lacrymarum elicuit. Concionem in ea celebritate habuit è ſancti Dominici ſacro Ordine Paſchalis Mantius in Complutenſi Academia princeps Theologiæ Profeſſor; multaque præclarè de myſterij venerabilis excellentia, nec pauca de Villanouæ virtutibus dixit. Egiſſe etiam ſæpè dicitur Beatus Ignatius cum Villanoua, vt ſineret ſe inter Profeſſos adſcribi; ſed re, dum vltro citroque per litteras certatur, dilata, tranſlato interim in cælum Ignatio, humilitas filii de Patris caritate victoriam tulit. Hoc ſui contemptu Franciſcus ad a- 134
gendum cum Deo, & excipienda largè dona cæleſtia idoneus reddebatur. Præter conſuetum Societati orationis tempus horam totam quotidie antequam alij ſurgerent, meditationi tribuebat. nam & ſomnum in anguſtias redactum ſibi ſubdiderat: & quàm in ſeſe durus, tam benignus in Socios, Excitatoris matutini munus ſibi, quoad vixit, perpetuò reſeruauit. Addebat Ioannes Caſtaneda, quamdiu propter anguſtias domus eodem vſus eſt contubernio; ſe ferè quacunque hora noctu euigilaſſet, ſenſiſſe, ac ſæpè vidiſſe in genua prouolutum ſupinis manibus Franciſcum orantem. Eius meditatio in Chriſti Domini vita, & ſacra nece verſabatur. In hac aiebat, dum peregrinaretur in terris, ad imitandum velle exerceri: alia ſublimia & mira reſeruare ad fruendum in cælo. Ex frequenti meditatione facilè conſequebatur, vt veluti Deum haberet in conſpectu, vbique ad ſui cuſtodiam intentus ageret; ſenſuque dulci ac tenero pietatis afficeretur ſic, vt lacrymæ promptiſſimæ eſſent. Fuitque cùm ſternentem ipſummet ſua manu lapidibus impluuium nobilis Doctorum, & grauium virorum corona circumſtetit. Qui cùm ſpectant, & comiter ſubinde compellant, ille inter laborem diuina ingreſſus colloquia haud plures mittebat voces, quàm lacrymas. Itaque manus quidem verſabãtur in opere, & nunc concinnabant lapides, nunc loco ponebant, malleoque pulſabant; cor autẽ Deo vacabat, & cæleſtibus facibus colliqueſcebat: vnde ſenſim per os flammantia verba, per oculos quaſi odoratus fluebat imber, blandiſſima vis cordibus oculiſq; adſtãtium. Adeò beatũ otium in negotio Sanctis abundat, & fœcundum eſt: quique ſemel in diuinitatem ſe merſit animus, ea & paſci vbique poteſt & paſcere. Sed in primis è victoria ſui, conſuetudine- 135
que cum Deo profecta eſt inſignis quædam Villanouæ ſapientia. Non pauca narrantur, quibus videbatur haud dubiè futura præuidiſſe, præſertim in adlegendis ad Societatem, ſiue excludendis petitoribus. Mortem etiam ſuam perſentire viſus eſt. Certè ſacerdoti, qui pro ſalute eius vitalem ſe immolaturum Hoſtiam profitebatur, Fac, inquit, quemadmodum ſolet pro vita functis: ſignificans ſe mox, vti contigit, obiturum. Humanarum diſciplinarum non erat vltra Dialecticæ limen progreſſus, & tamen conſulentium de officij rationibus, alijſque, & implicatis quæſtionibus & grauiſſimis

Digitized by Google

multitudo innumera confluebat; cunctoque in populo instar prouerbij increbuerat, cathedram Complutensium certissimam cathedram esse Villanouæ. Alludebant autem ad respondentium de Iure sellas. Mantius nobilis Theologus (de quo paulò antè memini) apertiùs loquebatur, Theologiam Villanouæ Complutensium omnium Theologorum sapientia longè pluris apud se esse. Bartholomæus Torres, qui Segunti diu diuinam scientiam docuit, moxque Episcopus Canariensis insignem de Sanctissima Trinitate librum edidit, triginta annos aiebat se versatum inter Sanctum Thomam, Scotum, Durandum, & eiusmodi subtilitatis Theologicæ magistros, nec apud quemquam inuenisse rationem, ex qua aliqua via expediri non posset: verùm Doctoris Villanouæ (sic enim ioco appellabat) rationibus & argumentis manus sibi pedesque vinciri; neque vllum effugij locum relinqui. Apertè etiam profitebatur plus se ad vtilem sui cognitionem triginta diebus, quibus in Exercitiis spiritualibus præceptorem habuerat Villanouam, quàm triginta annis, quos in Theologia triuerat, profecisse. At Alfonsus Ramirius Vergara, Doctor & ipse percelebris, morti proximus duo aiebat sibi à Deo præbita æternæ suæ salutis pignora, vnum, quòd non siuisset Episcopum fieri: alterum, quòd animæ suæ magistrum Villanouam dedisset: quem etiam Angelum Custodem suum libèter nuncupabat. Iam fiduciam in
136 Deo Villanoua tanto collocabat firmiùs, quanto ad eam fuerat notiore doctrina institutus. Anno sæculi quinquagesimo & proximo cùm Cõplutense Collegium planè, quo sustineretur, haberet nihil, nisi emendicatam in diem summo labore stipem, eamq; perangustam; fortes & paupertatis Euangelicæ amantes Socij, quò solicitudinem Rectori consueta alimenta comparandi leuarent, obtulere paratos sese gelida sitim extinguere, & pulmento obsonioque omni carere. Sed Franciscus iussit strenuè primùm quæ Dei sunt, Deo reddere, tum corpori, quæ postularet humana conditio, non negare. Atque his vt pleniùs, ac minore negotio prouideret, cœpit sua quadam prudentia eos, qui cupiebant in Societatem admitti, quanquam idoneos, morari atque reiicere. Verùm contrà, ac sperarat, euenit. Vt primùm ad Societatem aditum clausit, visus est pietatis fontem obstruere. Iam subsidia ne consueta quidem, quamuis diligenti conquisitione impetrabantur: quibus, quos admiserat, sustineret. Hoc Franciscus, qui vias Domini diligenter obseruabat, vt vidit, sui angustias animi incusans, de Dei bonitate confidens, cancellos, quos prudentia carnis fixerat, prudentia Christi reuellit. Laxat aditum Societatem inire volentibus: ac prorsus vsu venit, vt quo anno recepti plurimi essent, is pariter è fidelium pietate annonam ferret vberrimam; quæ in posteriores quoque annos redundaret. Hoc igitur experimento edoctus, dictitabat postea non tam Rectoribus inopiam formidandã esse, quàm ipsam inopiæ formidinem, quæ ex parua in Deo fiducia nascatur. Ac domestici planè fatebantur ali se fiducia, quam Villanoua in Deo fixam haberet. Pari fiducia ac pietate ad puellam moribundam accersitus, afflictissimæ parentis miseratione flexis ad precandum Deum genibus non antè surrexit, quàm puella esset valetudini restituta. Tandem magis virtutis, quàm ætatis peracto curriculo in Collegio ab se instituto Compluti anno ætatis duodequinquagesimo, tertio Nonas Maij decessit: ac Martinus Gutterrius vir è Societate insigni virtute, qui tandem inter hæreticos proximo Martyribus fine occubuit, quẽadmodum ipsemet ad grauium virorum consolationem aperuit, decimo post obitum die diuinitus cognouit, eum beato Dei conspectu iam frui. Villanouæ successit Rector Emmanuel Lopius è Collegio Murciano vocatus.

137 *Vita Ioannis Carrera breuiariũ.*

Paulò ante Villanouam xvii. Kalendas Aprilis item Compluti mortuus erat, ac primus in nouo templo sepultus Ioannes Carrera magni homo corporis, viriumque olim inter Complutenses Academiæ iuuenes celebratarum. Cum Deo ausus, dæmoneque luctari maiore lucro, quàm hunc vicerat, victus ab illo est. Cùm enim Deo ad sua vocanti castra diu pertinaciter repugnaret, ad suos aliquando reuersus (erat oriundus ex oppido, cui nomen Val de oliuas) vidisse dæmonem dicitur per fenestram in cubiculum, in quo erat, irrupisse monstrosa specie & horrenda: idque cùm existimaret tempus suam ostendendi & animi, & virium magnitudinẽ, stricto ferro tamdiu cum larua certasse, donec abegerit. Verùm tantum quamuis victori relictum horrorem, vt statim Complutum repetens cesserit Deo, & in gremiũ perfugerit Societatis. Sex annos in ea vixit apprime solers, & vtilis in regendis pœnitentium animis cum opinione præstantis virtutis. Quæ opinio anno millesimo quingentesimo septuagesimo non parum est aucta, cùm extractum è sepulcro eius caput, Mariæque Mendozæ Collegij Complutensis fundatrici concessum, dum terra, quæ adhæserat detergitur, cerebro prorsus incolumi ac vegeto repertum est. Res minimè dubia, aut obscura fuit. Quippe extractum è cranio cerebrum, & in patina expositum plurimi accurrere spectatum, ac præ cæteris Vallesius medendi arte nobilis: qui pronunciauit, sanè eam corporis partem, quæ vitiari celerrimè consueuit, annis tredecim durare integram sine miraculo nequiuisse, præsertim cùm haud perinde incolumes partes reliquæ perstitissent. Habuit caput illud post Mariam Catharina eius consobrina, & quasi sacram reliquiam conseruauit.

138 *Marci Salinæ obitus.*

Octauo Idus Septembris Marcus Salinas obijt secundus Collegij Placentini Rector. In suburbanum rerum Collegij causa profectus laterum dolore septimo die sublatus est magno cum Placentinæ sensu ciuitatis. Quo die diuinum moribundo Viaticum allatum est, inter comitantes aduenit adolescens solutæ admodum vitæ, in quem Marcus acriter fixo obtutu, ita agitat caput, ac si iubeat mores corrigere. Animaduertere hoc circumstantes. At adolescentẽ loquax ita perculit nutus, vt Christo, qui præsens aderat, tangẽte præcordia, erubescere & cohorrere inciperet. Nec multò pòst in Ordinem Franciscanorum, qui Discalceati dicũtur, ingressus in eodem vitam religiosè confecit. Tanti fuit virum inuisi-

se

Digitized by Google

se Deo carum, Christoq; Domino in Sacramento præsenti comitem iuisse.

139 *Bernardi Cantabri mira sanctitas.*

His adijciendus Bernardus Cantaber, cui ob insignem virtutẽ Sancti cognomen vulgus indiderat. Romæ scriptus in Societatem: indeque missus in Hispaniam, pedes torrentium impetus ac vortices superasse non rarò diuina virtute dicebatur. Instituta domo Probationis Septimancis in ea iussus est coquus esse. Quod Borgia cùm fecisset, vt veterani virtus proposita ad intuendũ Tironibus esset; ille libenter accepit, vt recenti Tironum feruore continenter aleret suum. In rebus itaque duris & asperis, in sui contemptione, in affligendo multis modis corpore princeps erat, orationi præcipuè deditus: vbi muneri satis suo fecisset, subsciua captans tempora, fugiebat ad Deum: nec rarò totas in eius optato congressu peruigilabat noctes. Ægerrimè diabolus cùm reliqua ferebat viri facinora, tum orandi constantiam. Itaq; cùm vincendi spes nulla esset, ad perturbandum saltem conuertebatur. Oranti horrificas dirarum bestiarum imagines obiectabat; ac sæpè tetra colubri forma circumserpens, surrepebat per vestes; seque per collare ad nudum corpus lubricus insinuans totum gelido attactu pertentabat. Quas Bernardus præstigias ne abrupta quidem oratione, patiẽtia superabat, magno cum superbissimæ belluæ dolore: quæ cùm vellet illudere, videbat se adeò ludibrio haberi, tantoque infra veras haberi bestias, quanto minùs quàm illæ formidaretur. Mortuus est Toleti, quò Bustamantij comes iuerat. Ibi cùm domus Societatis non esset, dum in Cardinalis Taueræ nosocomio versantur, & ægris Bernardus omni officio adest, morbo ex contactu & laboribus hausto, summa cum alacritate migrauit ad Dominũ. Sepultus est in eius nosocomij templo perhonorificè: & supremus Cappellanus Alfõsus de Cabria, vt internosceretur, notari loculum iussit. nec postea impetrari potuit, vt ad Societatis domicilium referri sinerent: cumque Ludouica Cerda speraretur postea concessura, quæ & nosocomij patrona, & Societatis perstudiosa erat, nihilo est ampliùs impetratum, nolente ea id templum Bernardo spoliari, vbi suum quoque humari corpus volebat.

140 Prouinciarum inter hæc extra Europam successus varius fuit. Brasilia maligno cum prouentu labores consuetos & pericula tulit. Æthiopia spem ostentauit bonam. India solidos cœpit fructus multò quàm antè benigniùs ferre. Prætermissa igitur Brasilia, vbi in excidendis siluis ac dumetis potiùs, quàm in sementi facienda, desudatum est; quinto decimo Kalendas Martij Andreas Episcopus præmuniturus (quemadmodum suprà exposui) Patriarchæ apud Claudium Regem Abassinorum ingressum; de communi sententia virorum Goæ sapiẽtum, discessit. Duos è Societate sacerdotes Emmanuelem Fernandium eximiæ virtutis & sapientiæ virum, & nosscentium opinione omnino perfectum, & Andream Gualdanem, tresque non sacerdotes Consaluum Cardosum, Franciscum Lopium, & Antonium Fernandium adduxit; quos ipse postea paulatim Ouiedus sacerdotes omnes creauit. Octauo Kalendas Aprilis Baroam venerunt oppidum imperij Abassini versus Indiam primum, & ditionis Isaaci Barnagazii Regi Abassino subiecti caput. Ipse Barnagazius bonum ad spatium egressus obuiàm humaniter Episcopum, & magno honore excepit. Populi verò ea fuit gratulatio, isque ad manus ei deosculandas concursus, vt inde velut è secundo auspicio spe præcipere lætum rei totius euentum fas esset. Ad viginti dies eo loco morati (quo tempore apparatu quàm maximo sanctæ hebdomadæ solennia officia peregere: permultisque tum Episcopus Confirmationis, tum alij Patres Baptismi & Confessionis Sacramenta impertiere) ad Regem intenderunt iter. Quo interiùs procedebant, hoc plures ex reliquijs copiarum Gammæ occurrebant Lusitani, qui confessione multis ab annis repetita expiabantur: & quidam cum ijs, quas dudum habebant concubinas matrimonio iusto copulabantur. Octidui itinere ab Rege distantibus vir è gente primarius cum iumentis occurrit Regis iussu ad deferẽda Episcopi impedimenta, & comitum Lusitanorum; qui quindecim erant cum suis quisque familijs. Cùm verò iam vnius tantùm diei iter abessent, misso nuncio vetuit Rex, quoad ipse aduocaret, procedere. Dies erat feria sexta ante Pentecostem. Itaque mora non incommodè cecidit ad impertiendũ Sacramentis Catholicum gregem. Feria tertia Pentecostes aduocat: & ad sclopeti ictum rursus cõsistere, eodemq; loco figere tentoria iubet. Multi se adiunxerant Lusitani, ac tentoria disposita elegãti sunt ordine. Itaque eorum conspectus nonnullam Abassinis speciem magnificentię præbuit. Altero die multi ex aula nobiles cognatique Regis Episcopum deducturi ad tentorium eius accedunt. Ergo Episcopus, cæteri Patres, ac Lusitani omnes iussi equos inscendere, Claudio è superiore quodam loco cum matre ac fratribus spectante, in primum veluti atrium equites præter morem deducuntur. Hîc ita, vti venerant, in equis diu perstitere, quoad Rex tandem & descendere, & ingredi interius atrium, vbi eius tabernaculũ erat, iussit. Ibi quoq; substistendũ, expectandumq; diu fuit, cùm ipse Rex inter serica quædam vela prospectaret. Ab vtroq; latere ad tentorij fores multa vis grauium ætate virorum, multa nobilitas, quorum in manu scipiones, ordine haud inelegãti, tacitique constiterant. Post longum denique interuallum Dynastis duobus, quorum alter Barnagazius ipse erat, ad introducendum egressis, honorificè admissi, perbenignè excipiũtur. Secundùm salutationis officia litteras Patriarchæ Prætorisque Indiæ Episcopus reddit. Cæterùm ex eo primo congressu licuit intelligere Regem valdè à Catholica religione alienum animum gerere. Quanquam, vt erat homo cautus, & ingenio haud ignobili, Lusitaniq; amicus nominis, morbum animi conabatur obtegere; neq; vllũ, siue tum, siue diu postea aduersus Episcopũ genus prætermisit humanitatis. Scripsere Patres existimare se tota in Æthiopia Imperatore Claudio neminem inueniri posse imperio digniorem. Procul ab eo sordes, immanitatem, & barbaros mores; Regem planè, virumq; optimũ, si vna abesset religionis impietas: nec, quomodo se gerebat, planè desperatam eius conuersionem.

Excipitur honorificè.

Episcopus Andreas Ouiedus in Æthiopiam abit.

141

Idcirco

Digitized by Google

Idcirco Episcopus progressu temporis, cùm ex familiari consuetudine eum plus quidem nimio obfirmatum in Dioscori hæresi, verùm acri præditum mente deprehendisset, veritatem, si commodè ostenderetur, agnitarum sperans; rogauit,
142 *Res ab Oviedo in Æthiopia gesta.* vti coacto è suis Doctorum concilio controuersas res disceptare cum ijs liceret. Nec mora, concilium aduocatur: disputationes instituuntur, quibus ipse Claudius intererat; atque ita, vt cæteri præ eo Abassini inane dumtaxat obtinerent nomen Doctorum. Argumenta, quæ vim haberent vllam, obiectabat ipse Rex; allataque contra eorum praua dogmata rationes idem solus ad aliquam si non veri, certè ingenij speciem diluebat. Abassini magistri, vbi erant irretiti, nec expediri aliter poterant, veluti comprehensæ, & obluctantes feræ, strepitu clamoribusque concilium dirimebant. Hæc apud Regem dum fiunt, Turcæ in Abassiæ fines Zomore quodam duce irrupere, totumque eum tractum, vnde commercia inter Indos Æthiopesque iunguntur, ita reddidere infestū, vt nulli prorsus in Indiam nisi incerti nuncij, nullę cōmearent literę. Qua de causa diu Patriarcha, Goanique Patres rerum Æthiopicarum statum cum solicitudine ignorarūt: quod haud dubiè multum ad impediēdum successum habuit momenti. Apparuit tamen sapiens Dei clementia in eo, quòd si paulò longiùs Andreæ profectio dilata esset, omni obsepto in Abassiam aditu, quæ supererant Catholicorum reliquiæ, omni destitutæ cultu facilè in barbariem atque perfidiam omnino degenerassent! nec rerū, quæ postea meliùs prouenere, iaci semina potuissent.

143 *Patriarchæ Nunnij virtus.* Inter hæc Indiæ res destinatorum Æthiopiæ Patrum auxilio, Patriarchæ præsertim, ingens capiebant incrementum. Domi foris que Patriarcha vtilitates afferebat ingentes. Domi consuetas subinde exhortationes habebat, Tironumque excipiebat confessiones. Sed Tirones æquè ac veteranos ad perfectæ virtutis studium non doctrina erudiebat magis, quàm inflammabat exemplo. Redigebat se vsquequaque in ordinem optimus Præsul; in quorumuis confessionibus ancillularum quoque audiendis, in ægris visendis, in cuncta domestica disciplina adeò intentus ac diligēs, vt bis terue labori succubuerit; & tamen religioni sibi anxiè tribuebat, quòd ipse Professorum è numero Collegii sumptibus aleretur, paratus, si copia fieret, emendicare victum citiùs, quàm videri contra sanctæ paupertatis professionem quidquam committere. Paruit tamen Patribus vel personam, quam gereret, decere ostiatim cerni mendicantem negantibus, vel contra Societatis instituta esse Collegij vtire, qui ita Collegio inseruiret. Adduci non poterat, vt vestes quamuis obsoletas ac laceras, quas resarcire suis manibus consueuerat, melioribus vnquam mutaret. Templi præfecto in Sacri faciendi ordine ita studiosè summisseque parebat, vt nemo vel in seruandis designatis temporibus accuratior, vel in priuatæ suæ pietatis gustu ad communes rationes accommodando paratior esset. Neque his tantùm rebus Indicæ Ecclesiæ, verùm etiam Antistitis obeundis sæpè muneribus adiumento fuit per id tempus, vti suprà narratum est, Pastore suo carenti. Feria quinta maioris hebdomadæ oleum in totius vsum Indiæ consecrauit, & multos non semel sacerdotio initiauit. At Societatis administrationem nulla ex parte attingebat: verùm Prouinciali Consaluo, eiusque adiutori Francisco Rodericio modestia summa integram illibatamque permittebat. Et Consaluo quidem prouinciam perpetuis itineribus peragrante, Rodericius Goanas res sedulò procurauit. Non admodum multi proximis annis ad baptismum Indi accesserant. Causas eius
144 *Christianæ rem Pater Franciscus Rodericius in India promouet.* rei inuestigans Rodericius, eam inuenit potissimam, quòd per summam enimuero indignitatem, nullo apud Ethnicos Christianæ res in pretio erant. Neophyti nec magni ab Europæis fiebant; ac sine fine modoque à Brachmanis diuexabantur. Igitur hanc diaboli euertendam artem Rodericius, & Christianas res in quàm maximam, vt æquum erat, adducendas existimationem ante omnia ratus; Barrettum Prætorem Bazaino reuersum conueniens, quantam Regi suo laudem parere, quantum afferre diuino cultui incrementum, & populis miserè pereuntibus commodum queat, demonstrat. Is vt erat sua sponte ad pietatem ac benignitatem propensus, prolixè operam pollicetur suam: sed bellum subitò interuenit. Idalcan immisso in Canarinorum fines exercitu, crebris excursionibus
145 *Prætoris Barretti pietas, & eius Idalcane victoria.* terrestres ab Goa commeatus arcebat. Aduersus eas copias Prætor coactis tribus fermè millibus peditum, & paucis equitū turmis exiturus, cum vniuerso exercitu primùm ad templum sancti Pauli Societatis accessit. Ibi Patriarcha ad aram maximā in ornatu magnificeo stans ei nixo genibus inclinatoque capite supplicanti bene precatur. Protinus inde copias educit ingentium animorum plenas ea maximè re, quòd plerique militum confessione, diuinaque mēnsa propitiauerant Numen. Nihil enim sic ad agendum fortiter contemnendamque mortem militem incitat, vt conscientia bona: per quam & fauere superos, & quæ post mortem secutura sunt, læta fore confidit. Iuere Barretti rogatu duo pariter è Societate sacerdotes iussi equos ascendere Ioannes Mesquita & Petrus Almeida. Expectauere præter morem congressum Mauri, sed nequaquam sustinuere. Ioannes Mesquita in acie prima ante equites ibat, in præcelsa hasta Christi signum in cruce fixi præferens. Adeò Saluatoris conspectus, & Patris acres hortatus animos incendere militum, vt postea victores reuersi nihil æquè atque hunc sibi à Mesquita iniectum ardorem vulgò celebrarent. Interim Goæ & trepidatio ingēs, & assiduæ erant preces publicæque supplicationes: vt non immeritò Saraceni dixerint fieri non posse, vt in bellis Lusitani victoria cadant, quorum milites tam fortiter in acie ferro; domique turba imbellis tam piè fusis ad Deum precibus dimicat. Fusi igitur profligatique Mauri, & Ponda arx ex Idalcane capta & incensa. Quo in excidio, dum cæteri alia tecta concremant, Pater Almeida in Mahometi fana suas exprompsit iras. Reuersus inde victor Goam Barrettus rectà ad Collegij templum inter festum tympanorum tubarumque strepitum Deo gratulatum perrexit. Obuiam occurrere, qui in Collegio educabantur, pueri coronati, viridesque manibus prætendentes ramos;

Digitized by Google

mos; postque eos Collegij Patres & Patriarcha: quos lætitia cum ingenti complexus est Prætor. Paulò pòst iterum ad reliquias belli proficiscitur: &, quoniam Mesquita ad Diensis arcis milites excolendos cum socio discesserat, pro eo Antonium Acostam cum Petro Almeida secum duxit. Vbi debellatum tandem, paxque cum Idalcane facta, tum, vti cœperat, Rodericio opportunè instante, & adurgente Silueria, ad promouendam sedulò religionem animum intendit. Tria præstitit, quæ vt leuarent Christiani caput, fecere; magnamque Ethnicis ingenerarunt existimationem sanctæ religionis. Primùm iussit in militiam adscribi indigenas Christianos: ipseque met fauens coràm, & excitans ad laudem, cùm recenserentur, interfuit. Deinde baptismorum omnium paulò celebriorum solenne præsentia sua cohonestauit. Postremò multa ex iis, quæ dudum in Christianorum commoda Lusitani Reges statuerãt, superioresque India Procuratores presserant, promulgauit, publicorumque & quæstuosorum munerum administrationem à Brachmanis transferre in Christianos adortus, etiam publicè quempiam Ethnicos ritus vetuit vsurpare. Hac Prætoris benignitate, sedulaque tum aliorum, tum ipsius Rodericij industria ingens ad Christianum populum facta hoc anno accessio est, læto scilicet Rodericio, qui longè vota transcéderat sua. Nam cùm primo in Indiã appulsu satis habiturũ se dixisset, si Goano in Collegio diebus singulis singuli baptizarẽtur, vt summa demum dies æquaret anni; primo hoc anno amplius mille & octoginta sacro fonte renasci vidit. In his multorũ cõuersio notabilis fuit. Brachmanum quidam cùm ægrum filium nulla medicorum ope habentem meliùs in Beatæ Virginis sacellum Diuaris insulæ intulisset, eumque Mater salutis illicò valetudini reddidisset; filium pater primò ad Collegium detulit, eum puerum Christi esse prædicans, eidemq; ab se reddi; pòst paulùm semetipsum & familiam totã adiunxit. Longissimæ duo ætatis, annorum alter centum & triginta duorum, qui Goam in Canarinorum, dein Maurorum, postremò in Lusitanorum potestate recordabatur: alter centum ac viginti, ex aqua tandem diuino fœcundata spiritu renati sunt. Ac senior præcipuè post nouum animi natalem gestire lætitia, planeque reiuuenescere visus est. Tres feminæ amissis viris coniicere se in flammas decreuerant, veteri errore imbutæ, si ita morerentur, in altera vita generosiorem sobolem parituras. Quod dum moliuntur, deprehensæ & captæ, mox ad fidem quoque traductæ vitam à Christo duplicem accepere. Sed inter omnes maximè fuit insignis virginis Regiæ conuersio, cui Maria inditum nomen. Homo erat Goæ non solùm regia stirpe clarus, sed prudentia, doctrina & cultu suæ sectæ inter Mahometanos nobilis, Meales nomine: quem in regnum Idalcanis, quod sibi iure debitum affirmabat, iam diu restituere Lusitani meditabantur. Duo huic filij, vna erat filia nubilis, quam sponsam potentissimis Regibus destinabat. Hæc & puerorum catechismum per vias concinentium vocibus, dum eunt ad Collegium redeuntque, cui propinquæ ædes Mealis erant, & lectissimæ feminæ Mariæ Toscanæ, quæ Iacobo Pereriæ nobili opulentoque ac pio Lusitano nupta erat, adhortationibus, ac postremò celeberrimæ supplicationis maiestate, qua die sancto Paschæ Sanctissimum Christi Corpus Patriarcha circumtulit, baptismi amore succensa est. Sed difficillimum erat pro arcta custodia, qua Mauri feminas suas obseptas tenent, viam expedire, qua & sanctæ fidei docereturinitia, & sacra lympha respergeretur. Cùm verò ad Patrem Rodericium perlata res esset, auctor is fuit, vt ipsamet virgo missa in fidei pignus è suis gemma rem totam Prætori significaret. Lætus eo nuncio Prætor, quasi mutuam tesseram, adamantem ad puellam remisit: dieque sancti Laurentij quatuor cum matronis eam abducturus domum Mealis accedit. Progresso ad fores Meale, dum cum eo Barrettus agit, Christianæ matronæ in gynæceum euadunt: nec ita potuere, quid venissent, dissimulare, quin mater virginis Mahometanorum errorum perditè amans, continuò præsentiret. Inuadit itaque filiam vel deiectura suis manibus in impluuium, vel oppressis faucibus offocatura. Matronis opem contrà ferentibus strepitus & clamor ingens cooritur: capilli sparguntur omnium: nec longè aliqua pernicies aberat, nisi tumultu immanibusque excitus clamoribus Prætor maturè succurrisset. Eius auctoritate compressi motus: tum prolata gemma Prætor filiæ voluntatem parentibus aperit: cumq; publicè ipsamet virgo atteſtaretur Christianam velle se esse, tandem Mariæ Toscanæ domum, quæ inter alias aderat matronas, in lectica asportatur. Paucis diebus à Patre Francisco Rodericio eruditam die Assumptionis Deiparæ celeberrimo apparatu Patriarcha sacro fonte tingit tanto populi concursu, vt Prætor ipse summouere virga multitudinem coactus sit. Qui ad cæteram dignitatem eodem die aureos propè millenos in annos singulos, quibus puella cum dignitate viueret, è vectigalibus regiis assignauit.

146 *Res decretæ à Prætore ad religionis profectum.*

147 *Insignes Ethnicorũ quorũdam cõuersiones.*

148

Decimooctauo Kalendas Octobris Goæ aëris vitium, quod Cocinum vsque permanauit, vulgatum est. Dolor pectoris, tussis, febris vulgò omnes strauit. In Collegio vnus Prouincialis Consaluus sub initium Septembris Cocino reuersus tenuit se, non quidem valetudine corporis, sed animi robore dissimulato morbo, vt iacentibus inseruiret. Decimoquinto tandem die salubrior tempestas euanescente malo affulsit. Decimosexto Kalendas Decembris magnificas Beato Ignatio tandem fineeius cognito exequias Goani Patres celebrarunt. Prætor & honestissimus quisque Lusitanorum interfuere. Patriarcha Sacrum fecit. Consaluus pro concione virtutes, & egregia Beati Patris facta, quantumque illi totus orbis terrarum, & India nominatim deberet, explicauit. Porro Cocinum Bazaino (vti suprà demonstratum est) abeundi Consaluo causa fuit fama Nestoriani Episcopi, qui ex Ægypto profectus in Christianos, qui S. Thomæ dicuntur, inuaserat; magnasque boni Pastoris habitu vorax lupus Catholici gregis edebat strages. Erat Cocini Melchior Carnerius designatus Episcopus, & socius Patriarchæ; qui, dum Consaluus ad ciuitatis tutelam Cocini subsidet, magno cum vitæ discrimine in montes Malabarum, vbi esse hære-

149 *Consalui Silueria strenua ca-ritas.*

150 *Melchioris Carnerij caritas & sanctitas.*

Digitized by Google

hæreticus ferebatur, penetrauit. Locis propè desertis vagi fusíque per montes nullo fermè certo oppido, ibi Christiani agitabant. Itaque edoceri nonnisi ægerrimè poterant cùm diebus festis ad Sacra conueniebant. Ea re Carnerius in quodam templo duobus mensibus assiduè perseuerauit: diebusque sanctioribus frequentes communiter alloquens, &, siqui fortè inter hebdomadam accederẽt, comiter excipiens ac tractans magnopere conciliauit sibi, atque in recta fide constabiliuit. Multos quoque non paruulorum modò, sed adultorum etiam Catholico ritu baptismate consignauit, voto obligatos parendi Romano Pontifici. Harum fama rerum Nestorianum ita deterruit, vt nequaquam eò, vti decreuerat, ausus accedere, rumorem tantùm sparserit, se Cocini disputatione publica palàm facturum, quam ipse traderet, eam Apostolicam esse fidem. Quod cùm Carnerius diuino auxilio causæque bonitate fretus vehementer expeteret; tamen Nestorianus haud quaquam præstitit, sed in regnum vicinum se fuga subduxit. Eò quoque Carnerius insistens persequi, Regi persuasit, vt satorem errorum, pacisque perturbatorem comprehendi iuberet; sed parum abfuit, quin ipse Melchior quam nocenti parabat pœnam, subiret innoxius. Multi & olim ac nuper abducti, vt sensere Episcopo suo insidias strui, idque Melchioris suasu, in rabiem acti de medio tollendum ipsum viis omnibus statuerunt. Quæ pericula quanquam amabat Carnerius, tamen Patriarcha vbi cognouit, ne destinatus sibi adiutor successorque præriperetur, vtque Episcopum eum consecraret, Goam reuocauit. Quò dum redit, Cocini propè confectus est. Quippe incedenti per vrbem missa ab tergo sagitta transfixum pileum decussit è vertice, haud magis mœsto sacrilego, quòd proximè ab destinato, quàm Carnerio, quòd proximè ab martyrio abfuisset. Sub hæc schedula probris in Consaluum, & impiis in Christum Dominum maledictis referta in capsula, quę ad eleëmosynas in primario templo prostabat, inuenitur. Ea res admonuit Patres, vt inquiri diligentiùs in certorum hominum fidem curarent. Ecce autem ingens deprehenditur numerus falsorum ex circumcisione fratrum, qui ex variis veteris terræ orbis regionibus in Indiæ latibula fuga delati, cùm Christianorum præ se speciem ferrent, iudaismum aliaque sacra impia obtinebant animo clanculum, furtimque spargebant. Igitur, si vsquam, in India maximè tribunal sanctæ Inquisitionis rati necessarium Patres, & propter licentiam, & propter colluuionem omnium gentium & superstitionũ; tum ibidem apud eos, ad quos ea pertinebat cura, tum datis in Lusitaniam & in Italiam grauibus litteris, necessitatem multis ex capitibus demonstrantes instituere, vt ea arx ad incorruptam seruandam fidem (quod pòst paulò sæculi anno sexagesimo factũ est) Goæ statueretur. Hæc autẽ dum Cocini Consaluus agit, mirè suis concionibus populi pietatem incendit, & studia Societati conciliauit: cui eiusdem operâ ædes Beatæ Virginis Adiutricis addita est. In ea, vti Tanaæ ac Bazaini fecerat, diuinissimũ Christi Corpus perpetuò asseruandum protinus collocauit. His videlicet Consaluus quauis arce firmioribus, & quouis nobili opere pretiosioribus, quibus adhuc siue ob tumultus bellicos, siue propter incogitantiam caruerant; gaudebat munire & decorare oppida monumẽtis, longè alios Indiæ thesauros, quàm quos aurifero ipsa gemmiferoue sinu condit, exponens. Nec modò ad latè incendẽdas in populo pietatis faces id Consalui valuit factum, sed etiam exemplum. Quippe multi Ecclesiarũ Præsides cùm cognouissent, quantus in iis oppidis Christo accessisset honos, quanta templis frequentia, quanta populis consolatio & fiducia; non passi sunt diutiùs infiniti illius boni, quod immensa Christi Domini pietas adeò parabile fecit, penuriam esse.

151 *Vnde sacra Inquisitio in Indiam introducta.*

152 *Consalui Siluerio*

Studium augendæ pietatis erga diuinissimum Christi Corpus.

Franciscus Petrius eodem tempore in ora Piscaria magni momenti conciliauit pacem. Henricus Henricius complures iam annos in ea excolenda ora pari labore effectuque desudauerat. Præter cætera addita genti emolumenta, cùm Malabaricam linguam optimè didicisset, eius quamdam ratione composuerat, ex qua alij quoque minore negotio discerent: & Christianas in eam preces, ac pios quosdam libellos conuerterat. Sed quartum iam annum quidam inter se populi in graues factiones scissi, mutuisque haud paucis editis cædibus inexpiabili dissidebant odio: ac propè erat, vt mutua se ad internecionem clade conficerent. Hoc malum quo esset incurabilius, Henricum diabolus vtrique parti suspectum fecerat. Vtraq; studere eum aduersæ suspicabatur. Qua ipse comperta re, homo, qui nihil nisi salutem eorum spectaret populorum, cum Prouinciali Consaluo egit, vt alium mitteret, qui inueteratum malum dexteritate ac felicitate maiore, quàm ipse curaret. Missus fuerat Vicarius quidam Apostolicus, sed exasperarat vlcus, non fecerat medicinã. Sacro igitur Ascensionis Christi die Cocino Petrius profectus, ampliusque septuaginta leucas, quia tunc propter hiemẽ, quæ ibi est, nauigatio cessat, emensus pedibus, Punicali ex Henrico statum rerum, seminaque & incrementa odiorum cognoscit. Iam factionis, quæ potentior erat, populi in vnũ conuenerant, communibus vt suffragiis sibi præficerent armorum ducem. Quę res parti minùs pollenti viribus metum, curarumque multum creabat. Franciscus cùm se ad congregatos tulisset, Deo bene iuuante, ita permulsit, vt suam quisque domum quieturos polliciti repetierint. Moxque Punicale dissidentium populorum præfecti (Patagantinos ipsi nominant) euocati in mutuam amicitiam, Romanæque Ecclesiæ ac Regis obedientiam die sanctorum Cosinæ & Damiani iurarunt. Eam celebritatem supplicatio lætissima consecuta est. Populis conciliatis in propinquis eorum, qui ex vtraque parte necati fuerant, inter se singillatim pacificandis mensis est positus. Magna fuit hoc anno Punicali ob siccitatem rerum inopia. Vix nummis viginti ferebatur, quod vno antè veniebat. Ethnicorum sacrificuli minimè diuturnam siccitatem fore pollicebantur initio: ea tamen diu tenente, verso carmine spargebant in vulgus deos iratos, quòd populi nequaquam iam, vti solebant priùs, gemmas ac margaritas idolis dicarent; eoque pluuiam perdiu negaturos. Quibus vocibus, & publica gentis calamitate commoti

153 *Pax insignis à Francisco Petrio conciliata inter populos.*

154 *Pluuia precibus impetrata.*

Digitized by Google

moti Patres, supplicationem ad eliciendas ex omnium bonorum fonte aquas, edixere. Voluitque summa bonitas, vt eodem prorsus die cœpti imbres in multos deinceps dies perseuerarent: vt veneficorum manifesta fieret vanitas Ethnicorum, siue pollicerentur, siue negarent, quod nec ipsorum in manu erat, nec in dæmonum, quos colebant. Hæc in ora infra Goam Australi gesta sunt. At supra in Boreali tum suis in stationibus cæteri sedulò ac fructuosè laborarunt, tum præcipuè Ioannes Mesquita, & Ægidius Barrettus Diensi Lusitanorum præsidio ingenti gaudio bonoque fuere.

155 *Patres ad Molucas missi.*

E Molucis petitum præsidium Ioannes Beira & Nicolaus Nunnius Goam hoc anno venerunt. Beira ærumnis & corpore & mente affecta retentus in India. Nicolaus statim creatus à Patriarcha sacerdos, vt qui linguas Molucensium callebat optimè, remissus cum subsidio est. Fráciscus cum eo Viera, qui cæteris præesset, Antoniusque Fernandius sacerdotes, ac laici tres Fernandus Osorius, Balthasar Arausius, Simon Vera Aprili mense profecti Goa, Ternatemque Octobri appulsi, auctam nuper Baccianensis Reguli conuersione Christianam Ecclesiam summo suo gaudio reperere. Baccianus insula est vna è Clauariis, quas vocant, duodeuiginti leucarum interuallo ab Ternate discreta. Eius Regulus Mahometanus Ternatino Regi parebat. Iuncta erat cum imperij nexu affinitatis necessitudo. Ternatini filiam Regis filius Baccianensis habebat in matrimonio. Hæc inter pariendum extincta veritus Baccianensis ne sibi, vel filio apud socerum alioqui auarum infidumque noxæ ea res esset, quasi leti auctoribus, eoque in vitæ regnique discrimen venirent; ad Lusitanorum sibi animos & opes adiungendas, filio vt Christianus fieret, persuasit: in eumque transtulit regnum. Altissima sunt diuinæ mentis consilia. Paucis diebus mortuus est in sua impietate senex: at superstes filius serò ad religionem appulso animo constanter perseuerauit. Missus à Præfecto Lusitano (is erat Odoardus Deça) Pater Antonius Vazius Regulum Christi gregi adiunxit, vnaque eius fratrem, tres sorores, & notham cum matre filiam, cognatos præterea, affines, ac nobilium maximam partem. Regulus, quòd octauo post sancti Ioannis Baptistæ natalem renatus est die, simulque in Regis Lusitani gratiam Ioannes est nuncupatus. Annum agebat quintum circiter & vigesimum, morum & oris forma, nisi paulùm color obstaret fuscior, nostratibus propior quàm suis. Confestim Mahometi fanum euertit: & in adiacentes insulas vnà cum Patre Antonio excurrens ipsemet omnium ordinum viros iuxtà ac feminas in Dominicam cœnam compellebat intrare: multoq; aggregatus Ecclesiæ maior foret numerus, nisi periculosus morbus Patrem ab secundissimo rerum cursu Ternatem se recipere coëgisset. Hæc Reguli Baccianensis ad Christum transitio Ternate cognita Lusitanis cęteriśq; fidelibus ingentem lætitiam peperit, quã celebri supplicatione, festoque bellicorum fragore tormentorum significarunt. At Cacili Aerio Regi Ternatino dolorem inussit acerrimum, vt qui Mahometanæ sectæ non solùm apprimè consultus ac tenax, sed propugnator maximus, & columen erat vnicum: ad quem Cacizij tanquam ad supremum Antistitem confugiebant, vt ritus Mahometicos, & reconditiora superstitionis iura ex eo discerent. Is ergo cùm blanditiis promissisque Ioannis animum frustra solicitasset, postremò minas adiecit, denuncians se pro capta iam ducere Lusitanorum arcem: iamque cum Bornei Rege de Lusitanis anno insequenti venturis ad vnum trucidandis conuenisse. Proinde videret etiam atque etiam quorum in vmbra lateret. Ad quæ respondisse Christiano pectore Ioannes fertur, sibi quidem, si occumbendum sit, deliberatũ esse Christianum occumbere: verùm, si Christianos ipse omnes de medio cogitaret tollere, oportere eum gladio iterum aciem inducere. Hæc maximè sermonibus hominum celebrabantur, cùm Sociorum nouum subsidium ab Goa Ternatem venit.

Conuersio Reguli Baccianensis.

Cæterùm in lætitia publica quiddam haud perinde lætum inuentum est domi. Antonius Vazius, per quem Baccianensis Ecclesię fundamenta posita dictũ est, aliis, quàm sibi homo sapientior, idemque acer ingenio, & officiis sedulus, nec ambitione, vt res docuit, intactus, per absentiam Rectoris Alfonsi Castrij, dum is in Maurica regione Euãgelium serit; Præfecti arcis aliorumque Lusitanorum ad se versis animis, tum litteris quoque prolatis tanquam à Prouinciali Indiæ scriptis præfecturam sibi arrogarat; eo procliuiùs, quòd cùm propter summam quamdam modestiam, tum maximè ob infirmam valetudinem infrequẽtior Alfonsi cum proximis vsus opinionem vulgo crearat, minimè eum idoneum ei muneri esse. Ita dum agit & administrat omnia Vazius, multa indignè perpessus Alfonsus, vt erat mãsuetissimus, quò vitaret dissidia, iam ampliùs anno in regione Maurica sese tenebat. Huius virtutem iam tum adolescentis Viera Olissipone dudum nouerat. Quippe ipsemet, apud quem Alfonsus confitebatur, in studiis erudierat pietati, cupientemque Christi Domini seruitio vitam mancipare, in Indiam ad Xauerium miserat: à quo receptus in Societatem, ac postremò missus in Molucas octauum propè annum per eas excurrebat insulas serens & excolens sanctam fidem, ac reliquos de Societate plerumque regens: quem ad se Viera continuò aduocauit. Inter hæc Vazius litteris Prouincialis Indiæ ad ipsum populum Ternatinum datis conuictus, & grauissimo morbo deterritus suam publicè noxam fatetur, & populum ab errore deducit. Cæterùm nihilominus ab Societate homo talia tantaque populi offensione ausus, segregandus visus est: nec pòst multò in Indiam reportatus, cùm propter insignem pœnitentiam reditum ad Tirocinium impetrasset, quem exitum habuerit nusquam proditum reperi. At Alfonsus receptis Vieræ litteris Ternatem protinus aduolauit. Ac facilè cuique est cogitare quo sensu, quanta cum animi lætitia conserui nunc & collegæ, Pater olim in Christo ac filius post tot annos tam inter remotas gentes adeò præter spem reuiserint sese, mutuisque complexibus strinxerint. Attulerat Viera Goa Iobelæum. Per illud Alfonsus animo instaurato ad Mauricas remittitur insulas Socios deducturus, qui per plagas eas præessent; statimque

156 *Turba domestica in Moluco.*

Digitized by Google

vbi res compoſuerit, rediturus, vt primo quoque tempore tranſeat in Baccianum, naſcentiſq; eius Eccleſiæ, pro eo quantum cuiuſque rei initia intereſt rectè poni, ordinet ſtatum firmetque. Eò Ferdinandus Oſorius eodem die præmiſſus eſt, qui ad neophytum Regulum viam Alfonſo ſterneret, & meritam venerationem pararet. His digreſſis, bello omnia tumultuque complentur.

157 *Bellum Ternatinum.* Ad Odoardum Deçam Ternatinæ Luſitanorum arcis Præfectum iam pridem multa de perfidia occultiſque Regis Molucenſis conſiliis delata erant. Agitaſſe eum de Chriſtianis Burri, Amboini & Mauri, omnibuſque circà aliis delendis, & Luſitanorum præſidiis per inſidias occupandis, vt ſe non vnicum modò Regem efficeret, verùm etiam pro Deo coli iuberet. Ad quæ vbi poſtremò tam inſolenter Baccianenſi denunciata Regulo acceſſere; Odoardus haud cunctandum ratus in arcem diſſimulanter Regem eiuſque fratrem Cizilguzaratam totius fraudis ſocium & adminiſtrum vocat & comprehendit. Magnæ inde concitatæ in populo vicinique inſulis turbæ, ac Decembri ineunte ad liberandum Regem contra Luſitanos arma ſumpta. Hos inter armorum ſtrepitus, quemadmodum anno inſequenti reddam, Alfonſus Caſtrius in religionis cauſa occiſus eſt.

158 *Res Iapoñia.* Hoc tempore in Iaponia, cùm Regulus Firandenſis haud alienum ab religione præferret animum, permagnique referret in eo portu radices agere Chriſtianam fidem, quòd Lusitani ad eum quippe peropportunum, totaq; ex Iaponia mercatores libentiſſimè commearent; Balthaſar Gagus vnà cum Odoardo Silua, & Chriſtiano Bungenſi, per quos Dei legẽ promulgaret, eò diſceſſit. Coſmus Turrianus & Ioannes Fernandius, qui concionibus ad Iapones valebat plurimùm, ſubſtitere Funaij in vrbe principe regni Bungẽſis: ibidemq; Gaſpar Villela ac Socij à Melchiore Nunnio recèns aduecti cõtentione magna ediſcendæ linguæ, & comparando ad conuerſionem gentis inſtrumẽto, adiecere curam. Ferebat ad Quiuanum Bungi Regem ab Ioanne Luſitanorum Rege dona Melchior. Eius in colloquium vbi primùm venit, donis oblatis rogauit, vt Bonziorum, quos vellet, deſignaret, cum quibus de religionis veritate diſceptaretur. quod impetrari nunquam potuit. Timebat Rex ne, ſi nouam in Iaponia religionem veteribus ſpretis exciperet, occideretur à ſuis: regnoque turbulento nihil mouendum putabat: præterquam quòd genus ſectæ quam ſequebatur, Epicureæ perſimile retardabat. Dynaſtæ Bungenſes viciſſim Regis obtendebant verecundiam, ne priùs illo in peregrina ſacra tranſirent, ſecuturos ſe protinus teſtantes, vbi Rex præiret. Ita ſibi inuicem miſeri vano fallacis reſpectu gratiæ cæleſte intercludebant regnum. Ita vtroſque crudeliter Planus ille tartareus inani ludificabatur vmbra. Attribuit tamen Rex Patribus domum è ſuis cedrinam opere & materia, vt iis regionibus, nobilem: quam in templum illi vertêre. Poſtque diſceſſum Melchioris etiam aliquid annui reditus, & agrum Facatæ ad domum templumque condendum aſſignauit. Præclaram vbique Melchior de ſanctitate Xauerij famam reperit, & celeberrimam nobilium factorum memoriam. Cupientem tanti

159 *Melchior Nunnius ex Iaponia in Indiam redit.* viri exemplo Iaponiam penetrare intimam, morbus inuaſit. Ex quo cùm tres menſes iacuiſſet, nondum ſatis firma valetudine, cùm propter bella non multum in iis ſe inſulis profecturum ſperaret, & Præfectura totius prouinciæ Indicæ diuturniorem abſentiam non ferret, neſciens iam ſibi ſucceſſum, retrò in Indiam curſum vertit. In itinere iam veniſſe Conſaluum & prouinciam adminiſtrare cognoſcit. Goam tamen perrexit, vt de Sinarum Iaponiæque ſtatu Patres coràm edoceret. Inde ſolenni profeſſione emiſſa ad extremum hunc annum Cocinum abiit, ei domicilio præfuturus.

HISTORIAE SOCIETATIS IESV

LIBER SECVNDVS.

1558 1 *Diuturni interregni incõmoda.* ANNVS inter hæc milleſimus quingenteſimus quinquageſimus octauus initur. Atque in Europa curæ omnes erant in conuentum generalem intentæ. Quæ diuturnum fert incommoda interregnũ, vbique ſentiebantur. Negotia multa pendebant: mittebantur nulla Collegia; quamuis in diuerſas Italiæ vnius ciuitates amplius triginta vocarentur. Accidebant in vita quotidiana frequentes caſus, in quibus quid cõſentaneum inſtitutis eſſet ambigebatur: earumque dubitationum plenæ vndique afferebantur litteræ. Nihil tamen certi reſpondebatur, vt res integræ concilio Patrum Præpoſitoque reſeruarentur. Pleroſque & illa ſolicitudo habebat, quòd, vt incerta eſt hominum vita, metuebant ne interim veteres peritique diſciplinæ domeſticæ Patres, rebus necdum compoſitis, tollerentur: ne diuturna mora ſenſim alienos à

2 *Solicitudo Patrum ob congregationis cogẽdæ difficultates.* primo germanoque ſpiritu mores inferret: ne multis in prouinciis proprij quidam ritus ita corroborarentur, & altas agerent radices, vt euelli, & ad communem totius corporis modum formari deinde peræqrè poſſent. Has curas augebat, quòd iam diu nihil ex Hiſpania noui accipiebatur. Ioannes Baptiſta Ribera ad vrgendam rem cum mandatis iam dudum remiſſus, qua vſus nauigatione eſſet, quid rerum egiſſet, ignorabatur.

Digitized by Google

rabatur. Scripserat ad Borgiam Lainius, vt, si ipsum valetudo ire prohiberet, præsentiam suam vna ex tribus rationibus compensaret; vel vnum ex designatis ab Ignatio profiteri iussum loco mitteret suo, vel quemuis alium ad professionem tamen idoneum substitueret, qui de concilij sententia Romæ professus pro eo ad comitia admitteretur, vel denique cuipiam è suffragium habentibus suum quoque permitteret; ita vt is duo suffragia suum ac Borgiæ ferret. Idque ipsum licere Araozij ac Turriani loco, si fortè hos grauis valetudo, vel causæ magni momenti, quæ tamen vix possent esse hoc & generali & primo conuentu grauiores, detinerent. Ad has multasque deinceps alias super alias multiplici via datas precum obtestationumque plenas litteras responsi nihil redibat. Nam turbulentis temporibus, itineribusque bello infestis cùm eadem eos, qui in Hispania erant, cura torqueret, ac sedulò litteras cumularent, eæ vel nunquam, vel longo pòst tempore serò reddebantur. At rebus Hispanis ita incertis, certa reliquis prouinciis conueniendi dies edici nequibat. Verque interim valdè adolescebat, & Pontifex disertè monuerat, Professi vt omnes, quos leges Societatis iubent, aduocarentur. Ad hasce molestias Vicario corpusculi pessimè affecti languor, & continentes propè dolores accedebant: nec tamen vnquam intermisit diebus quibusque festis ab meridie ecclesiasten agere, & insuper bis quaque hebdomada, tertia sextaque feria per magnum ieiunium concionari: quod amplissimorum Principum dandum votis & postulatis fuit. Tanta eos sacram illam audiendi tubam sine vlla satietate tenebat auiditas. Lainio verò diuina tantum sapientia largita facultatis erat, vt præmeditatione quamuis exigua, cum ingenti fructu motuque animorum approbationem illam, & auiditatem mirificam excitaret. Nimirum quotidianas meditationes ritè obeuntes, suoque in animo pietatis vigorem custodia mentis, & diuinæ familiaritatis succo alentes, nunquam verè deficere permouendis populis efcax vena potest. His curis è Belgio lætior spe nuncius interuenit, omnes Hispanienses Patres, ipsumque in his Borgiam iter Romam capessere; simulque cognoscitur ab Galliarum Rege liberum transitum triginta è Societate hominibus impetratum. Hi nuncij & triremium Hispanarum in dies expectatio bona spe longam solicitudinem temperarunt: ancepsque inter hæc animus vsque ad septimum Idus Maias fluctuauit. Eo die conspectus ex improuiso est Michaël Turrianus Lusitaniæ Prouincialis cum Sociis quatuor, quorum duo Ludouicus Consaluius, & Consaluus Vazius de Mello cum iure suffragij: duo reliqui Emmanuel Godinius, & Georgius Serranus, ille Lusitaniæ, hic Indiarum Procuratores veniebant. Hoc maiori gratulatione sunt excepti, quòd primi venere; quodque Turrianus cùm maximè expetereretur, haud magnopere expectabatur: quòd, cùm Reginæ Catharinæ percarus, & à confessionibus esset, vt suprà memoratum est, iamque bis commeatu congregationis causa ægrè impetrato, multorum dierum progressus itinere, re infecta rediisset, pro ea difficultate, qua Principes, feminæ præsertim, confessario solent consueto carere, haud credebatur Regina profectionem tertiam facilè concessura. Quæ tamen edocta non è suo sensu diuinam gloriam æstimare, neque solita vnquam proprium suum communi Societatis commodo antiquius ducere, moram nullam obiecit. Hi cùm per Gallias iter habuissent, de Claromontani Episcopi caritate, deque Collegij Billomensis ab eo instituti felici progressu mira narrabant. Ex his item de Patribus Hispanis est cognitum. Borgia nihilo quàm Romani segnius in comitia intentus, cùm vndique obseptas in Italiam vias cerneret, diu re secum anxiè volutata, ac tandem cum Ioanne Vega perinde sapienti studioso que Societatis viro communicata, sic statuit, vti Patres tres in partes distributi viæ se darent: Lusitani, quibus id minùs erat periculosum, per Gallias tenderent; quod fecere: reliqui dispertirentur in naues: & vnaquæque harum partium suffragia reliquarum duarum scripta ferret. Quod eo consilio decreuerat, vt inter tot imminentes casus aliqua saltem pars Romam incolumis ac tempestiuè contingeret: ita vt nec facilè intercipi omnes possent; nec, si quos mora longior distineret, necesse esset cum rerum detrimento, famæque iactura rursus comitia prorogare. Ac præter suffragium, quo Generalem nominabant, alterum singuli item triplicatum adiecerant, quo conditas ab Ignatio leges ratas iubebant esse: ad easque quidquid super creationem supremi magistratus tractandum foret, reuocari & exigi. Quod posterius suffragium ideo ferebatur, vt rebus nouandis intercluderetur aditus, eumque Societas spiritum, & quasi vitalem succum, quo erat genita, incorruptum & sincerum in omnibus ætatibus retineret. Hæc ita constituta, ipsosque propediem Patres ex Hispania affuturos Lusitani nunciarunt.

Haud ita multis interiectis diebus è Germania Petrus Canisius venit. Is è Vormatiensi conuentu digressus, Gaudano in Belgium ad confirmandam valetudinem profecto, Argentoratensem Episcopum, à quo sæpè & percupidè accitus erat, conuenit. Ad Tabernas Alsatias procul ab Argentorato milliaribus quinque mensura gentis Episcopus agitabat. Aberat è consiliariis princeps, quicum de statuendo Collegio agendum erat. Is dum expectatur, rogante Episcopo Canisius verba ad populum facit: & in feriis Natalitiis non solùm in euangelizando, sed etiam in Sacramentis administrandis subit locum Pastoris. Apud aulicos præcipuus operæ fructus constitit. Hìc breuem catechi-

3 *Lainij labores.*

4 *Vnde ad vtiliter concionandum prompta vena.*

5 *Lusitani Patres Romam perueniunt.*

6 *Borgia de congregatione cura.*

7 *Constitutiones Beati Ignatij quati apud Patres.*

8 *Canisius Romam venit. Res ab eo in Germania gesta.*

Digitized by Google

ſmum, quem Vormatiæ Louanienſium Doctorum poſtulatu inceperat, conformauit, & in ſchola pueris propoſuit memoriter ediſcendum: qui tum ob inſtitutionem, tum ob auditas confeſſiones, & habitas ad eorum captum accommodatas exhortationes Caniſium veluti parentem amabant ac verebantur; fidenterque ei ac libenter fingendas, vt vellet, teneras præbebant mentes. Concionatus & Argentorati eſt in templo principe frequentia auditorum haudquaquam vulgari, gaudio magno Catholicorum. Argentinam, inquit ille, verè ſentinam dixiſſes omnis generis eò confluentium vndique apoſtatarum. Catholici nuſquam indigniùs tractabantur. Ibi enim non ſolùm impij, ſed & impietatis gymnaſia, & magiſtri, lectique iuuenes facilè mille; qui ita inſtituebantur, vt nec maiores peſtes alicunde prodirent, nec quæ latiùs per Germaniæ Galliæque prouincias ſpargerentur. Hac igitur in errorum officina vbi vox eſt audita Caniſij, puſillus Catholicorum grex, cui iactatores hæretici antè inſultabant, reſpirare ac recreari eſt viſus: cùm vel populi confeſſione appareret inſaniæ magiſtros quantumuis medicata pigmentis mendacia venditarent, haud tamen parum ab ſerio & ſimplici veritatis præcone, ſiue agendi grauitate, ſiue ſapientiæ maieſtate abeſſe. Quædam etiamnum reliqua erant cœnobia virginum, ſed vnum veluti inter ſpinas lilium Caniſius celebrat; cui ſanctitatis & conſtantiæ palma deberetur. Adeò in tetra nocte, & in medio nationis prauæ agnum quocunque iret, ſequebantur. Eas quoque Caniſius inſtitit opportunis hortamentis ad conſtantiam & ad ſanctimoniæ perfectæ laudem accendere. Vbi Conſiliarius Epiſcopi rediit, de Collegio actum eſt. Friburgi Briſgoiæ, quam in Alſatia ob opportunitatem publici profectus, & celebritatem loci, tametſi extra diœceſim Argentoratenſem, præoptata eſt ſedes. Eò Caniſius ipſe confeſtim ad res inſpiciendas miſſus, apprimè apta omnia, pulchram & nobilem vrbem, religionem orthodoxam vigentem, probos viros doctoſque inſtaurandæ Academiæ percupidos, à quibus genere omni officij ſuſceptus eſt, multos reperit. Per inclytas ciuitates Sletſtadium, Colmariam, Briſachum, Rubeachum tranſiens multis Catholicorum ſolatio fuit. Cuius rei præſentem quoque à Deo mercedem fœnore cum ingenti recepit, inter aſperrimas viarum & hiemis iniurias non modò valetudine ſalua, ſed & immenſa diuinæ ſuauitatis copia perfuſus. Quod vir humillimus ad ſui contemptum referens, ſibi tanquam paruulo lac præberi à cæleſti Patre interpretabatur. Reuerſus in Alſatiam cùm Epiſcopus & Clerus Argentinenſis ad Collegium Friburgi ponendum omnia ſe curaturos pollicerentur, conuento vt per litteras cætera conficerentur, ægrè ab iis omni ratione retinentibus, abſtrahi potuit. Sanctiſſimis reliquiis Polycarpi præcipuè, & Xiſti abeuntem donarunt. Magnam ad hæc pecuniæ ſummam ſemel iterumque obtruſere; & non acceptam Ingolſtadium clanculum tranſmiſere. Sed adſcriptis, quamobrem non acciperet, cauſis (opinor ne nundinari Euangelium videretur) omnem Caniſius reportandam curauit. Valuitque hæc abſtinentia ad eorum alioqui obnoxios animos arctiore vinculo obligandos. Ingolſtadij nouorum petitionibus Collegiorum oneratur. Dux Bauarus duo præter Ingolſtadienſe, ex quo fructus ſpecimen capiebat, Monachij vnum, Landeſtrutæ alterum quamprimùm ſtatuere cogitabat. Duo præterea flagitabant Auguſtanus & Tridentinus Cardinales, ille Dilingæ, hic Tridenti locanda; quorum ſpes, vt poterat, Caniſius alebat. Collegia verò nimis multa tempore eodem inſtitui non probabat, tum quòd minimè adeſſent, qui deinde in illis pro dignitate debita ſuſtinerent munera; tum ad inuidiam declinandam, quam oriri neceſſe erat, ſi multorum attributione redituum, quibus multa Collegia ad vitæ ſubſidium indigebant, ſiue iniquis, ſiue rerum ignaris hominibus ſermonum cauſa præberetur. Nec omitti fas duxerim inſignem Cardinalis Auguſtani aduerſus virum Dei pietatem. Ex Alſatia redeuntem exceptum Dilingæ non modò omni honore ac benignitate tractauit, ſed etiam voluit vel inuito manibus ſuis lauare pedes. Meminerat nimirum vocem Domini diſcipulos ſuos vniuerſitati gentium commendantis, Qui vos recipit, me recipit. Meminerat euangelizantium pacem tantopere laudata veſtigia: mercedemque optabat Prophetæ in nomine Prophetæ coniunctiſſimum ſibi amicum recipiendo. Et Caniſius, quoad verecundia non obſtinata, ſed modeſta tulit, acriter reluctatus, tandem inſtar cognominis ſui Apoſtolorum Principis, ne opus Domini impediret, ceſſit: ac vetitus deinde eam rem euulgare, ille quidem ne & ſe commendare videretur, obticuit. Sed tantam virtutem alij conſcij obruendam ſilentio non putarunt. Occupationibus eius conſuetis acceſſit Staniſlai Hoſij Epiſcopi Varmienſis poſtea Cardinalis, pro Petro Soto contra Brentium opus, quod Caniſius ſupra modum laudat, oblatum illi ab eodem Cardinali Auguſtano recognoſcendum. Inter has curas Norimbergam ad Ferdinandum Cæſarem tum pro officio ſalutandum, tum rem Catholicam Societatiſque commendandi gratia raptim accurrit. Conſolationem haud modicam Principi optimo acceſſus hic tulit. In Caniſij auribus & animo curas omnes fiducia magna deponit: anguſtiaſque & pericula, quibus domi foriſque & à prouinciis quæ Deo deſerto in Principis etiam humani fide nutabant, & à Turcarum tyranno, qui armis circumtonabat, vndique premebatur, exonerat. Cui quod in manu Religioſorum eſt, neque illud exiguum,

9 *Argentoratenſis ciuitatis ſtatus.*

10 *Reliquiis Sanctorum inſignibus donatur Caniſius.*

11 *Cardinalis Auguſtanus Caniſio pedes abluit.*

12 *Caniſius Ferdinandum Imperatorem cõſolatur.*

artulit

attulit Canisius tum præsens alloquio leuamentum, tum postea suis ac Sociorum precibus & sacrificiis auxilium. Quam rem cùm Romanis quoque Patribus commendasset, decreuere illi vt multa diebus singulis ad constantiam felicemque administrationem ac defensionem Imperij Cæsari impetrandam sacrificia destinarentur. Nec destituit sperantem in se Deus. Cùm in eum Carolus Quintus frater antè Imperium transtulisset, hoc tempore in Francfordiensibus comitiis ab Septemuiris ritè appellatus est Imperator. Canisius Norimberga profectus per Quadragesimam Straubingæ, ipso auctore Ferdinando, Ducis Bauari flagitatu concionatus est haud pœnitendo labore. Ciuitas est è principibus inferioris Bauariæ, & præsentissima egebat ope. Populus ferè omnis praua opinione imbutus, ac si necesse ad salutem foret sub vtraque specie sacra Corporis & Sanguinis Domini mysteria vsurpare, pertinaciter in errore perstabat, præter alia serpentium hæresum venena. Tamen Deo iuuante, & concionatoris fouente conatus, explicata veritate, confutatisque fraudulentorum hominum mendaciis, in Paschalibus feriis perpauci fuere, qui non Catholico ritu diuinam synaxim obiuerint. Nec profectò siuisset hominem, siue Dux, siue ciuitas ante Pentecosten abire, nisi testatus ille esset, sibi Romam accito fas non esse moram trahere longiorem. Romam igitur attigit post Patres Lusitanos primus ad medium circiter Maium.

13 *Straubingæ concionatur.*

Cæterùm ex Hispania cùm omnes expectarentur, tres venere, non plures, Iacobus Miro ex Aragonia Professus, Baptista Barma pro Francisco Strada, pro quo etiam prouinciam gubernabat, & Ioannes Plaza Borgiæ loco. Sanè Borgia compositis rebus iter iamiam ingressurus ad veteres infirmitates renum dolore grauissimo, calculoque torqueri cœptus est, vsque eò vt medicis se, quorum testimonium in Vrbem misit, longisque curationibus tradere cogeretur. Itaque facta sibi à Lainio vsus optione Plazam Tironum Magistrum in Bætica egregiæ virtutis virum ad solennem votorum quatuor professionem euectum vicarium sibi substituit. Antonius Araozius aliquot dierum viam progressus partim morbo, partim iis tumultibus, quibus tota mox Hispania concussa est, subitò enatis, se reuocatum aiebat. Tumultuum occasio ea fuit. Reditu in Hispaniam Caroli Imperatoris in magno comitatu cùm multi furtim errorum satores irrepsissent, sensim peste diffusa, nationis præstantissimæ, quæ se maximè gloriabatur Catholicam, non pauca, nec vulgaria capita corripuerant. Cuius mali vt apparuere vestigia, ingemiscere homines, fœdoque attactu horrere; ac fidei Quæsitores suam promere & vigilantiam & potestatem. Portus omnes regnique fines, ne quà pateat effugium, custodibus occupant. Ab his confirmabat Araozius, quòd ignotus esset, se prohibitum pergere: Borgiæ tamen non penitus satisfecit, qui & maturiùs profectum, & paulò acriùs conatum pergere voluisset. Ita tres Prouinciales Hispani Araozius, præterque hunc Strada & Bustamantius, qui valetudinem excusarunt, desiderati sunt in conuentu. Iis opperiendis vsque ad vltimum ver dies exacti. Ac cæteris paulò seriùs aduentantibus fauit anni tempestas, quæ toto vsque Iunio frigidis auris & imbribus clemens tolerabilius iter, & vacuum periculo in Vrbem ingressum præstitit.

14 *Borgia quare ad congregationē non venerit.*

Quid Araozium tenuerit.

15 *Hæresis in Hispania deprehenditur & opprimitur.*

Interim Lainius, vt ab comitiis malæ omnes abessent artes, duodecim capita perscripsit, quæ Patribus, vt quisque aduenie-bat, dabantur. Displicebat exemplum Natali, quasi iuris condendi leges vsurpati; tamen cùm eo tempore de Vicarij potestate ac munere pauca essent explicata, mens bona Lainij in bonam partem accepta est. Eorum sententia capitum hæc erat. Nemo sibi aliisue ambiret. Nemo cuiusquam vltro cognitionem cuiquam offerret. Nemo siue euehendi, siue prætereundi quempiam voluntatem significaret. Harum rerum qui quid auderet, eum nemo reciperet, sed indicaret. Antequam in destinatum comitiis locum secederent, sententiam sustinerent, nec vllo pacto apud se cui vellent suffragari, decernerent. Porro cognitio ad homines maximè idoneos perueſtigandos, nec nisi stato loco ac die, & ab iis qui haberent suffragium, vel omnibus, vel quibusdam, vt cuique esset commodum, peteretur, & aurem sic vni præberent, vt aliis alteram, & cor vacuum Deo seruarent, memores sibi iuratis, quem maximè idoneum sentirent, inter legitimos Societatis Professos deligendum esse. Interrogati verò mendacia, quin & temeritatem & amplificationes fugerent; certa, incerta, vti essent, referrent. Nec inter loquendum alterutram in partem affectus emineret, sed perinde differerent, vti fit in rebus, quas sola tantùm cogitatione speculamur. Placendi studium, displicendi metum procul haberent. Illud cogitarent, Deo, Ecclesiæ sanctæ, Societati vniuersæ gratissimam rem facturos, si magistratum crearent optimum: cùm id præsertim æquum esset de Sociorum virtute sentire, neminem fore, cui non id summè placiturum esset, quod futurum esset gratissimum Deo. Contrà verò si minùs idoneo onus imponerent, ad publica Societatis & Ecclesiæ damna ei inprimis, cuius gratia ducerentur, obfuturos: cui angoris, infamiæ, exitij sempiterni causam offerrent. Hæc capita quasi canones libenter amplexi secutique sunt & eius & secundi postea conuentus Patres.

16 *Decreta Lainij ad comitiorum integritatē.*

Ad tertiumdecimum Kalendas Iulias cœpti haberi cœtus. Eo die nihil decretum, nisi

17 *Cōgregatio inchoata.*

Digitized by Google

non videri quempiam præterea expectandum: vtque à Summo Pontifice solennis benedictio peteretur. Designati qui eius rei causa Pontificem conuenirent, Lainius & Salmeron. Hos postero die ad se adeuntes perbenignè Paulus accepit. Dixit inter cætera cum sensu ingenti, Hanc benedictam Societatem ego semper iuui: tum paulatim delapsus ad laudes beatæ Mariæ Magdalenæ, nominatim attigit, ac prædicauit, quòd ad Horas canonicas in sublime diebus singulis tolleretur, psallentium nimirum designans chorum, obiterque commendans, in quo defixum semper habebat animum. Adiecit probari sibi vt comitia inchoarentur. Sua libertate Patres in iis, & rebus quibuslibet statuendis penitus vterentur. Tantùm quo die creando Generali iretur in suffragium, pro se, quoniam Cardinalis Carpensis tum patronus Meldulam abiisset, Cardinalis Paciecus interesset. Ad se quandocunque opus esset, accederent: nunquam aditum patentem non fore: idque ita se velle Cardinalem Neapolitanum admonuit. Deinde hunc & Carolum Carraffam, quamdiu conuentus haberetur, subleuare Patrum inopiam iussit: quod liberaliter illi cùm Pontificis præstitere nomine nutuque, tum sua benignitate. Nulla mora fit. Postridie iterum coactis in vnum Patribus exponit Vicarius, quæ ad generalem conuentum spectantia à Beati Patris obitu gesta erant. Et quia exigi ad Constitutionum normam cuncta nequiuerant, quò conuentus legitimus censeretur, vt ea rata habeant, si videtur: &, si quid præterea commissum prætermissumue sit, vt ritè suppleant, monet: quod fecerunt. Tum statutum vti nulla de re antequam Præpositus crearetur, præterquam de eo creando agerent: & in ratione comitiorum è Constitutionibus explicanda prídie referretur, de quo disceptandum foret; ac sententiæ die proximo dicerentur: nec in concilium nisi cui suffragium esset, quisquam admitteretur. Hunc in modum diebus deinceps septem cœtus habiti, & omnis comitiorum ratio iis congruenter, quæ Beatus Ignatius tradiderat, constituta: nec pauca in eam è duodecim Lainij capitibus relata. Porro ex hac formula, ea quam postea quartus generalis conuentus edidit, iamque Societas ratam fixamque habet, magna ex parte confecta est. Quoniam verò significarat Pontifex, libenter se, quæ futura comitiorum esset ratio, cogniturum, compendio comprehensam ad eum attulit Lainius ac recitauit: & Paulus, quantum præ se tulit, probauit. Voluit tamen à quatuor Cardinalibus Pisano, Alexandrino, Tranensi & Reumano inspici expendique: ad quos continuò deducendum Lainium vni è sui cubiculi præfectis tradidit, iussa re commendari, vt confestim expediretur; adiectoque, vt iidem Cardinales sedulò reputarent, quod & ipse esset consideraturus, num absentium, quos valetudo aliaue causa tenuisset, obseruari suffragia expediret. Statuerant Patres, & Pontifex placere sibi demonstrauerat, vt luce Virgini Deiparæ Elisabetham inuisenti sacra creando Præposito iretur in suffragia[illegible]tur quarto ante Kalendas Iulias die [illegible]ncti Petri peruigilio, qui tum fortè dies [illegible]t Martis, vnde quatriduum antegrediens comitiorum diem, inchoandum erat, priorem concionem ad electores pro suo munere Vicarius habet. Iam pridem tota in Societate ad congregationis exitum, qui in maximam Dei laudem cederet, impetrandum extraordinaria pietatis munera exercebantur: ex eo tamen [illegible] cùm illi, qui laturi suffragium erant, multò ardentiùs in preces & Sacra facienda, [illegible] voluntaria verbera, ieiunia & alias pias corporis vexationes incubuerunt, cùm interim cognoscendis hominibus, vt maximè idoneo munus demandaretur; insisterent, quò præcipuè quatriduum spectat: tum reliqui Socij per Italiam, Romæque in domo Professorum, & in Collegio eadem pia opera ardentissimis studiis vsurpabant, partitis afflictationum ac precationum certis generibus, vt in aliis alij per vices exercerentur, ac potestate cuique facta, quoad Præpositus renunciaretur, seu mente, seu voce quantum placeret, orandi. Illud inueni etiam communiter iniunctum, vt qui sacerdotes non essent, ter, & quinquies, & septies quotidie orationem Dominicam & salutationem Angelicam pronunciarent, vt à Sacrosancta Trinitate per quinque Christi Domini vulnera ad felicem Generalis, qui secundùm cor Dei esset, delectum septem sancti Spiritus dona exposcerent. Die Veneris, qui supremus quatridui fuit, nunciant Cardinales absentium suffragia, ne exemplum prodatur, quod segniores quandoque ad conueniendum posteros reddat, admittenda non videri; redditaque comitiorum formula, nihil damnant, tantùm abstinendum censoris dicunt. Communi Patres consensu è Constitutionum præscripto, ad ambitum, & malas artes funditus extirpandas, qui vel sibi aliue ambiret, vel huiusmodi quippiam molientem si nosset, non deferret, non solùm omni suffragij iure in perpetuum spoliarant, sed etiam continuò graui anathematis vinculo, cuius absolutio vni Vicario, vel creato mox Præposito reseruaretur, irretiri voluerant. Quam seueritatem Cardinales cùm laudassent, ex qua quanta res integritate ageretur, intelligebant; temperandam tamen censuerunt, vt anathematum remotis laqueis, infamiæ nota, amissioque suffragij satis pœnarum esset. Nec Patres ei sententiæ, cùm viderent in præsentia benè pieque agi, nec periculi quidquam ab ambitu esse, ac longè plus apud quemque eorum hominum virtutem posse, quàm metum, repugnandum putauerunt. Illud modò testati sunt,

18 *Pontifex benignè auspiciis bene precatur.*

19 *Nihil ante creationem Præpositi tractandũ.*

20 *Rationem comitiorum Pontifex iubet à Cardinalibus quatuor expendi.*

21 *Societatis preces pro bono comitiorũ exitu.*

Absentium suffragia nõ obseruanda.

22 *Censuris abstinendũ Cardinales censent.*

Digitized by Google

23 *Cura seruandi Constitutiones.*

sunt, hoc, & si quæ alia minùs consentanea Constitutionibus fierent, nolle recipi in exemplum: sed in primo illo dumtaxat conuentu vim obtinere. Postero die sub auroram Vicarius in templo præsentibus electoribus, quibus eo die Sacrum facere instituta Societatis non permittebant, solenne Spiritus sancti peragit, iisdemque Christi Domini Corpus impertit. Inde cruce prælata, campana personante, Sociis Collegij sancti Spiritus hymnum concinentibus ordine bini incedentes in destinatum locum conscendunt. Is fuit illud ipsum conclaue, in quo Beatus Pater è vita decesserat, vt vel ipse eorum conspectus parietum, qui vir esset legendus, moneret; ac Deus eo loco, vnde Ignatium euocarat, ei similem redderet. Quod conclaue cum adiunctis aliquot hodieque extat, & religiosum est. Ordo Patrum in incessu, consessu, dicenda sententia, dando suffragio hic erat. Post Lainium Vicarium, & Polancum, qui congregationi à secretis, Paschasium, qui Assistens ad electionem creatus erat, honestissimus dabatur locus Professis, quorum Pontifices nomina, dum Societatem confirmant, diplomatibus suis inscripsere. Erant hi Salmeron, Bobadilla, Rodericius, nullo alio, quàm suæ dignitatis iure aduocati. Proximus succedebat Hieronymus Natalis, tanquam generalis Commissarius, nondum fine huius potestatis certa lege decreto. Tum Prouinciales Canisius Germaniæ superioris, Lusitaniæ Michaël Turrianus, Siciliæ Domeneccus, vnà cum Baptista de Barma, qui vices agebat Prouincialis Aragonensis: postremò cæteri Professi, Miro ex Aragonia, Pelletarius ex Italia, Lanoius & Vsmarus è superiore Germania, Euerardus ex inferiore: Ludouicus Consaluius, & Consaluus Vazius è Lusitania: Antonius Vinckius è Sicilia. Quibus accedebat Ioannes Plaza è Bætica, sed Borgiæ loco profectus. Atque in suis quique ordinibus, siue Prouincialium, seu tantùm Professorum, vt professionis vetustate, ita dignitate loci præibant. Nec plures viginti suffragiis ferendis interfuere, quà paucitate Professorum, quà causis antea demonstratis. Vbi in comitium ventum est, absoluto hymno, quo sancti Spiritus fauor inuocatur, cæteris Sociis summotis, qui statim cùm Sacrosanctam Eucharistiam sumpsissent, Litanias aggrediuntur, & precationem, quam ad creatum vsque Præpositum sex in classes distributi continuarent; Cardinalis Paciecus aduenit, interestque Latinæ concioni, quam secundam, vti Constitutiones monent, Canisius suffragiis Patrum demandatam habuit. Quibus in concionibus illud sedulò cauebatur, vt eorum, qui lecturi magistratum erant, sic animi ad summè idoneum legendum incitarentur, vt interim certus quispiam designari ab oratore nullo pacto videretur. Cùm finem Canisius dicendi fecisset, Cardinalis tantisper sese subducit, & interest rei diuinæ. Patres à Madridio in conclaui (his enim fuerat custos appositus) includuntur. Tempus id erat, quo ex percepta antè notitia statuere quemque apud se oportebat, quem facere Præpositum vellet, nulla ampliùs cum quopiam mortalium communicatione adhibita. Igitur seorsim singuli abiiciunt sese in genua, coramque augustissima præpotentis Dei, & cuncta videntis maiestate per vnius horæ spatium in deliberatione atque oratione persistunt. Posita sibi ante oculos, Dei rerum omnium procreatoris ac Domini Iesu maiore gloria, ad quam Societas per impensum & suæ & alienæ salutis ac perfectionis studium curandam conflata est, quis ad eum finem illam recturus aptissimè videretur, inuestigabant. Occurrebant difficillima tempora, nouæ huius familiæ vbique terrarum oppugnationes, longissimis interuallis tenera illius membra inter se dissita, incluso que vltrò citroque commeatus, vt ægerrimè contineri, vnoque & eodem formari animarique spiritu possent. Multa esse, vt in noua republica roboranda, multa de integro sancienda. Hunc primum fore post fundatorem Ignatium Generalem Præpositum, ad quem posteri veluti ad exemplar oculos referant. Vbique magni interesse qualis princeps duxque sit, longè tamen plurimùm in Societate, in qua penes vnum tanta est rerum potestas. Socios ex omnibus oris ac prouinciis, tum Christianos omnes, ad hæc ipsos miserè in fraudem demersos Septemtrionis populos; Indos quoque & reliquas barbaras gentes quasi tendentes supplices manus intuebantur. Ex hac hora pendere vtrùm eadem, qua genita erat, indole Societas adolesceret verum nacta parentem, an quasi alieno prodita absurdos in mores degeneraret. Huiusmodi inter cogitationes æstuantes quodam cum horrore dulcedine sancta perfusi, dum Patrum inter se virtutem doteque sedulò comparant, lacrymis tacitè per ora manantibus sinum solumque vbertim rigabant: ac rursus industriæ suæ diffisi, ad Dominum conuersi, vt ipse, qui corda nouit omnium, quem elegisset, ostenderet, suppliciter precabantur. Hora exacta redit Cardinalis, & cum Patribus includitur. Hîc primùm voce submissa præeunte Vicario sancti Spiritus hymnus, trecque orationes, prima Sacrosanctæ Trinitatis, altera sancti Spiritus, tertia Beatæ Virginis eius diei propria recitantur: tum omnes ad sua quisque loca sessum abeunt, & Cardinalis verba facere exorditur Pontificis nomine. Placere eius Beatitudini Patres in creando Præposito libertate sua in omnes partes vti: legerent modò virum probitate atque doctrina quem oporteret. Quamdiu esset continuandus magistratus, integrum Societati relinquere: in eam tamen

24 *Conclaue vbi congregatio habita.*

25 *Patres qui interfuere.*

26 *Concionem ad Patres habet Canisius.*

27 *Patrum tacita cuiusque secum deliberatio, qui maximè idoneus sit.*

28 *Verba Cardinalis ad Patres congregatos Pontificis nomine.*

Digitized by Google

tamen partem Pontificem inclinare, vt Generalis non certi temporis, sed perpetuus esset: nec alibi, quàm Romæ stabilem haberet sedem. Quod vtrumque Patres Societatis legibus consentaneum affirmantes, actis gratiis libentissimè excepere. Adiecit Cardinalis velle Sanctissimum Dominum congregationi vniuersæ notum ac certum esse, ipsum Societatis proprio quodam ac præcipuo modo patrocinium suscipere: neque ab ea pro communi tantùm omnium parente, sed pro singulari ac proprio velle haberi: ad quem sine cunctatione verecundiæque vlla retardatione quidquid vnquam foret opus, referret. Siquidem planè sibi cognitum esse cunctis ex oris quantum siue inter Christianos populos, siue alienos, ac præsertim inter hæreticos Societatis operâ vteretur Deus; quanta per eam vbiuis gentium commoda crearentur. Hæc aliaque plura cùm dixisset, quantum ad iusta comitia necesse esset, iturос in suffragium auctoritate Pontificis à cuiusuis censuræ impedimentis absoluit; &, si quæ incidissent, quocunque modo incidissent, vitia irrita facit, amolitur & corrigit.

29 *Suffragandi ratio.* Posthæc, vti erant admoniti Patres, nomen Præpositi scribunt. Schedulam quisque suam ad conficiendum suffragium præparatam gerebat hunc in modum. Ex altera facie adscripta iurisiurandi formula erat, ex altera verba suffragij communia, relicto dumtaxat spatio, in quod nomen inseretur Præpositi. Nomen ad hæc suffragantis in ima schedula obsignatum latebat, nullo modo nisi de totius concilij sententia, si grauissima incideret causa, relignandum. Nihil itaque nisi nomen eius, qui Præpositus diceretur, deerat: quod tum quisque consuetam sibi notarum figurationem immutans, ne chirographo auctor proderetur, adscripsit. His actis Lainius, Polancus, Paschasius surgunt, iurantque se bona fide suo functuros munere, suffragia accepturos, promulgaturos. Ac protinus Vicarius ad aram ibi positam accedens ante Christi Domini è cruce pendentis imaginem genibus flexis, crucis se figura manu signans, sanctissimaque Patris, Filij ac sancti Spiritus appellans nomina, iurisiurandi formulam in altera sui suffragij, vt dictum est, facie scriptam sublata voce, manu pectori admota pronunciat in hęc
„ verba, Ego Iacobus Lainez testem inuoco
„ Iesum Christum, qui est Sapientia æterna,
„ quòd eum eligo & nomino in Præpositum
„ Generalem Societatis Iesu, quem sentio ad
„ hoc onus ferendum aptissimum. Tum suffragium complicans, & ad mensam ante Cardinalem constitutam accedens in vrnam hunc paratam in vsum sanctissimo vndique Iesu pictam nomine, palàm demittit. Polancus cæterique omnes eadem veneratione, in eademque iurantes verba ordine subsequuntur. Quæ vbi ritè peracta, Secretarius Polancus vrna commota, singula educere aggreditur: atque, vt quodque extraxit, Cardinali porrigit. Is posteaquam Vicario Sociisque duobus tradidit inspiciendum, singulari caritate Secretarij munus obiens clara voce renunciat. Paschasius, Lanoius, Borgia tulere singula, Natalis quatuor. reliqua tredecim Lainius. Quare Paschasius, cùm is esset antiquissimus Professorum, quod alioqui, nisi ipse fieret Generalis, ad Vicarium pertinebat, electionis decretum concipit in hæc verba, Cùm in plena & legitima congregatione collato numero omnium suffragiorum plusquam media pars omnium (hic enim erat legitimus numerus suffragiorum) R. P. Iacobum Lainem nominauerit & elegerit; Ego Paschasius Broëttus auctoritate Sedis Apostolicæ, & vniuersæ Societatis eligo prædictum R. P. Iacobum Lainem in Præpositum Generalem Societatis Iesu, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Romæ in ædibus Societatis Iesu ipso die Visitationis Beatissimæ Virginis, anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo-octauo, assistente & præsidente Illustrissimo & Reuerendissimo D. Cardinali Pacecco Episcopo Albanensi ex parte S. D. N. Pauli Papæ Quarti. His scripto exceptis idem Paschasius nomine omnium suum subscripsit nomen: postque ipsum Secretarius item suum, qui & decretum sigillo Societatis ritè obsignauit: statimque is & Paschasius, moxque cæteri ordine ad venerandum progressi vtroque genu posito manum Præpositi osculantur. Illi neque magistratum, neque hanc venerationem defugere fas erat. Citiùs horæ spatio ab reditu Cardinalis absoluta comitia; qui continuò comburi suffragia eodem loco iussit. Obsidebat fores: domum viamque compleuerat ingens & domesticorum multitudo & extrariorum, exitum rei opperiens. Hæc, vt vulgata creatio est, gratulatione eam plausuque miro excepit. Patres electores pronunciato ibidem priuatim hymno, *Te Deum laudamus*, procedunt ordine in templum præeuntibus cum cruce Collegij alumnis, & inter eundum canticum Zachariæ canentibus. Vt ventum in templum est, idem solennis sancti Ambrosij Augustinique hymnus concinitur, & orationes tres, de Sanctissima Trinitate prima, in gratiarum actionem altera, tertia de Beatissima Virgine, cui sacra lux erat, adiiciuntur. Hìc verò tanta se diuina benignitas largitate effudit, vt plerique testati sint nunquam antea, complures licet annos in diuino obsequio posuissent, cælesti dulcedine vsque eò affluenter ac solidè recreatos. Ardebat insolitus feruor in vultu, lætitia toto ex oris habitu emicabat, præsertim ex oculis, ex quibus beatæ lacrymæ perenni manabant riuo. In vno Lainio, in quem oculi omnium erant intenti, nulla cernebantur lætitiæ signa, sed animus potius erectus & fortis, & alta cogitatione defixus, diuinaque fiducia plenus. Antequam egrederentur è templo nemini fas fuit ad exosculandas Præpositi manus accedere. At vbi domum secessit, filiorum se vndique venerabunda

30 *Lainius Præpositus renunciatur.*

31 *Gratulatio ex Lainij creatione.*

Digitized by Google

bunda obtulit cohors. Et Cardinalis Paciecus cùm Patribus conuiuium apparasset, ne præsentia sua gratulationem distraheret, domum suam cum summa, vt profitebatur, rerum gestarum approbatione, gaudioque exultans recessit, Pontifici mox Summo comitiorum exitum nunciaturus. Nec præter
32 *Præsisa Lainij electio.* vota, nec præter opinionem hominum hæc creatio euenit. Auctor est Ribadeneira prædixisse Beatum Ignatium ipsi Lainio sibi illum in eo munere successurum. Sebastianus Romæus vir sanctus, Collegij Romani Rector referebat, nocte Iunij postrema sibi in quiete, siue diuinum id fuerit indicium, siue ex opinione præcepta somnium, disertè nunciatum Lainium Præpositum fore: eumdemque à se visum tanquam Beatum Ignatium sinu gestantem. Et quidem quanta esset in existimatione Patrum Lainius id documento est, quòd quamuis inter omnes vulgatum esset genus eum quanquam nobile, non tamen è peruetustis Christianis ducere; id quidquid est, ita virtute aliisque præstantibus ornamentis oppressit, non modò vt eorum, qui præsentes interfuerant consensu tanto, quantum retuli, primus post Ignatium Præpositus declaratus sit; sed absentes etiam, quorum habita ratio non est, eumdem nominarent. Cardinales, quorum postero die gratulatum quinque accurrerunt, nonnihil inter gratulationem doloris significabant, quòd posthac auocante aliò curas magistratu, publica eius doctrina sacrisque concionibus carituri essent. Verùm ille, vt singularem à Deo facultatem illam optimè dicendi acceperat,
33 *Repetit publicas conciones.* nec dum Societas in hanc, quam cernimus, excreuerat molem, talentum nequaquam abscondit. haud ita multò pòst summè experitus suggesto se reddidit. Interim de sententia Patrum ad varios scribit Principum, quibus de munere ad se delato nuncians Societatem commendat. Ad Carpensem patronum has litteras dedit:

34 *Epistola Lainij ad Cardinalt Carpensem.*

Gratia & pax Domini nostri Christi Iesu in Amplitudinis vestræ anima cum assiduo spiritualium donorum incremento sit.

„ Antequam Societatis nostræ Præpositus
„ crearetur, Amplitudinem vestram admo-
„ nui, existimare nos die Visitationis Deipa-
„ ræ creatum iri, vti creatus quidem est, sed
„ maiore aliorum voluntate, quàm mea. Cùm
„ enim eum ego diem vehementer expete-
„ rem, vt Vicarij, quod sustinebam, onere li-
„ berarer, ducemque haberemus, sub cuius
„ obedientia ego, & cuncta Societas requiesce-
„ ret, visum his Patribus est meos imbecil-
„ les humeros ipsa Præpositi sarcina onerare.
„ Quæ sanè res valdè mihi acerbam faceret vi-
„ tam, nisi intelligerem ita Dei consilio fa-
„ ctum, eumque sperarem pariter cum pon-
„ dere vires ad ferendum nouas additurum:
„ multumque in patrocinio paternoque stu-
„ dio, & prouidentia Amplitudinis vestræ
„ reponerem, cui cum tota Societate me tra-
„ do: precorque tanquam penitus suos (vti re
„ vera in Christo Domino sumus) habeat com-
„ mendatos.
„

Ad cæteram gratulationem, qua Præpo-
35 *Litteraria gratulatio in Præpositi creatione.* siti creatio celebrata est, pro ludis inanibus salubria ingenij atque doctrinæ spectacula præbita. Locum his, quoniam Societas satis idoneum non habebat, ipse Pontifex destinauit abundè capacem, & pro tempestate frigidam ædem, quam ab figura vulgus, Rotundam; Ethnici, quòd cunctis dicarant diis, Pantheon nuncupabant. Initium factum postridie comitiorum, postquam Fluuius Cardulus (orator is bonus erat) eleganti oratione præluserat, Lamberto Auero, & Benedicto Pereria doctis ingeniosisque iuuenibus de rebus Theologicis positiones tuentibus. Præerant Emmanuel Sà, & Iacobus Ledesma. Generalis, ac reliqui Patres, Præsulum ingens corona, Cardinales octo cohonestabant. Continuatæ disputationes in diem octauum, cùm diebus singulis multa pro templi foribus carmina proponerentur; quæ cupidè spectabantur, & describebantur à multis. Cœtum quotidie puer è Collegij scholas adeuntibus ingenioso quopiam ac venusto dimittens carmine, in diem proximum inuitabat. Orationum ingens parata vis erat, tamen, cùm animaduersum esset non perinde iis, vt disputantium certaminibus coronam teneri, magnam partem omissæ sunt: tamen postremo die Latinè, Græcè, Hebraicè declamatum: datoque dramate, quod plausum maximum tulit, cuncta celebritas clausa. Magna per eos dies Societati accessio facta est ad famam doctrinæ atque virtutis disputantium pariter, ac disputationes regentium quasi in theatro spectata cùm excellenti scientia, tum modestia singulari. Eodem quo Præpositus creatus est die, Salmeron ad Pontificem missus, fine comitiorum nomine Societatis exposito, diem rogauit, quo adire illum, eique se coràm tradere vniuersi possent. Pridie Nonas Iulij admissi sunt numero quinque & viginti, ad suffragij latores Procuratoribus quoque prouinciarum, qui quinque erant, adiunctis. Sanctissimus Pater vbi eam familiam vidit exhilaratus, perque amanter excipiens, aliis cedere procul iussis, ad præcipuæ clementiæ significationem ad sese proximè aduocauit. Tum vndique flexis genibus circumfusam, vt eloquens ac fortassis præmeditatus erat, benigna perinde & accurata oratione latinè est allocutus. Tria precipuè pertractauit: commendauit successum comitiorum: laudauit, & adhortatus est Societatem: eamdem postremò, electumque Præpositum, suam prolixè operam pollicitus, cõprobauit. Excepere cum cura & fide oratio-

36

nem

nem cunctaque acta Canisius & alij Patrum, quibus & memoria excellens, & prudentia præstò erat. Et quemadmodum omnes in oras ad cæteram eo ipsi tempore Societatem transmisere, sic ego posteris propè ad litteram prodo. Læti, inquit, summo & immortali Deo gratias agimus, qui vobis singulare hoc beneficium his diebus est elargitus, vt, quemadmodum ex fida relatione comperimus, Præpositi Generalis creatio pia vobis, canonica & sancta contigerit. Non enim obscurè intelligimus electionem adeò consentientem atque concordem amore Spiritus sancti esse peractam: eaque tes nobis confirmat vos in vnitate spiritus ambulare, vnum & idem sapere, vestramque beatam Societatem supra firmam petram, in ipso angulari lapide, qui est Christus, fundatam esse. Et magni profectò referebat hunc actum primum ita feliciter cedere, & talibus conditionibus fieri; qui, vti est primus, ita aliorum quasi norma futurus sit. Quare magnam spem in Domino concipimus, nobisque pollicemur fore, vt diuina bonitas, quæ in vobis tam præclarè cœpit, eadem prosequatur; & vos conseruet, & augeat sua benedictione, idque in gloriam æternæ maiestatis suæ, & vtilitatem Ecclesiæ sanctæ. Hîc conuersus ad Lainium, In te, inquit, dilectissime fili, hæc sors cecidit. Præpositus & caput es huius benedictæ Societatis, quæ quanquam ab exiguis & infirmis est orta principiis (vt nos memores sumus, qui vobis ab initio fauorem & amorem nostrum declarauimus, neque hactenus intermittimus, neque intermittere volumus) non parum multa pertulit, atque interea tot incrementa accepit, atque tam vberes fructus Dei Ecclesiæ in vniuerso orbe terrarum attulit. Multorum enim testimonio cognoscimus, quanta per vos commoda Deus mundo pariat, & quàm felices conatus vestri, Deo cooperante, passim proueniant. Verùm ipsi cogitate, filij carissimi, vos non ad quietem & delicias, sed ad laborem & crucem vocatos esse. Proponite vobis Dominum & Saluatorem nostrum Christum Iesum, cuius exempla & verba animaduertite. Non est, inquit, seruus maior domino suo, neque discipulus supra magistrum, & eum qui misit illum. Veniat vobis in mentem Præcursor Domini, quem diuina voce sanctissimum esse accepimus: considerate beatissimum Apostolum Gentium, & Apostolorum Principem Petrum, qui sicut in diligendo Christo fuit cæteris ardentior, sic etiam in eodem imitando factus est similior. Quare iam moriturus humiliauit sese non solùm vsque ad mortem crucis, sed etiam vsque eò, vt ne dignum quidem se arbitraretur crucis perferre supplicium ad eum modum, quo Dominus & magister subiisset. Inuerso enim capite, siue, vt Græci dicunt, ἐπὶ κεφαλὴν, voluit crucifigi. Quod supplicij genus multi Romæ post eum sunt secuti & imitati. Perpendite denique Sanctorum exempla omnium cùm veteris, tum noui testamenti, qui per summos labores, & pericula maxima cælestem hereditatem adierunt. Ne putetis vos melioris esse conditionis, quàm legis vtriusque sanctos Dei legatos, de quibus sanctus Stephanus ait, Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? & Dominus: Mensuram implete patrum vestrorum. Quod vtique tum fecerunt, cùm Christum Dominum occiderunt. Similiter vobis continget. Multi enim non recipient vos, nec doctrinam vestram, sed persequentur vos & interficient, obsequium se præstare Deo arbitrantes. Perturbatissimum enim sæculum hoc est, quo Dominus vocauit istam beatam Societatem. Ecclesiam Dei dirismodis vexari, & vbique ferè oppugnari videmus. Oppugnant Christi sponsam non tantùm à fide alieni, Barbari, & qui nouis in insulis Christianum nomen hostiliter insectantur; sed etiam illi, qui communi nobiscum Christianorum nomine gloriantur, qui eodem baptismatis fonte renati sunt, & eorumdem Sacramentorum communicatione nobiscum vtuntur; quos tamen omnium maximè sanguinem nostrum sitire certum est. Proinde vos aduigilare oportet, minimeque segnes esse. Abiicite timorem quemuis, & hominum respectum, libero atque imperterrito animo nomen Domini confitentes, perque vniuersum mundum portantes, vt a duersus formidanda constantes, ita contra blandientia incorrupti. Nulla vos gratia, nulli fauores impediant, quo minùs vos veros & perfectos Dei seruos exhibeatis. Totos vos pro Ecclesia sancta impendite, vt sitis demum sacrificium Deo in odorem suauitatis in finem vsque perseuerantes, vt iucundam illam & cælestem vocem audire mereamini, Venite benedicti Patris mei. Cæterùm, quod ad creationem Generalis pertinet, eam nos libenter confirmamus, & non solùm eam, sed & hanc beatam Societatem, & omnia beneficia tam spiritualia, quàm temporalia, & priuilegia, quæ vel superiores Pontifices, vel nos ipsi concessimus, adprobamus & confirmamus, prompti & ad alia vobis concedenda, quæ ad Dei gloriam vobis necessaria erunt. Et auctoritate Domini nostri Iesu Christi nobis concessa, & Apostolorum Petri & Pauli, & nostra benedicimus vobis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Et benedictionem hanc nostram volumus non solùm ad vos, filij dilectissimi, qui præsentes adestis, pertinere, sed etiam ad absentes fratres vestros transmitti vbicunque terrarum sint: ac precamur Dominum, vt ipse in cælo ratam habeat, sicut nos in terris eius locum gerentes impertimus; & offerimus vos ante conspectum Domini nostri Iesu Christi: eumque precamur, vt vos & numero, & merito dignetur augere, vt nomen ipsius vniuersum per orbem portare valeatis; tandemque beatitudinem illam

37 *Verba Pontificis ad Patres cõgregationis.*

38 *Laudat comitiorũ vsum.*

Laudat Societatẽ.

39 *Adhortatur ad laborum cõstantiam.*

40 *Cõfirmat creationẽ Præpositi, & ipsam Societatẽ.*

Digitized by Google

„ illam consequamini, quam nec oculus vidit, nec
„ auris audiuit, nec in cor hominis ascendit: vtque
„ audire mereamini non eam vocem, Vt quid
„ enim terram occupat? succidite illam; sed eam,
„ Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fi-
„ delis, supra multa te cõstituam, intra in gaudium
„ Domini tui, iuuante eodem Domino nostro Iesu
„ Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit &
„ regnat per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Posthæc Cardinalis Tranensis (hic enim & Alexandrinus intererant) accedit ad summum Pontificem, ac vestem summouet, vt paterent osculo pedes: ac Patres ordine progressi osculantur: quibus vt accedebant, seorsim Paulus dextera crucem figurans benedicebat, intentis in vnumquemque paterna quadam clementia & hilaritate oculis, quorum non paucis præ interioris copia dulcedinis lacrymæ cadebant. Vbi hæc veneratio finita paucis Lainius fatur, creationem quidem pacatè riteque confectam esse; eam tamen vti cunctam Societatem eius Sanctitatis pedibus ac Sedi Apostolicæ humiliter submittere. Pro fauore ac beneficiis sibi totique Societati concessis non posse gratiarum satis agere: id certum haberet, pro felici statu eius Sanctitatis preces ab se assiduè porrigi; & hoc decus, hanc esse coronam Societatis, quòd talem haberet Pontificem, in eiusq; patrocinio ita esset. Rogare interim, vt cum eius benedictione, dum coacti adessent Patres, liceret cœtus habere, & quæ ad Societatem stabiliendam perficiendamque pertinerent, communiter pertractare. Volumus, inquit, concedimus, indulgemus vobis vt tractare liberè & statuere possitis, quæ necessaria videbuntur ad stabiliendam & augendam vestram Societatem. Si quid autem inciderit, in quo consilio putetis nostro vtendũ, adite, accurrite cum fiducia tanquam filij ad patrem. Nam quamuis magnis, peneque infinitis occupationibus detineamur, quæ nos profectò exercent, & vtinam pro Dei obsequio & gloria, volumus tamen semper vobis aditum patere. Habetis hîc hos Reuerendissimos Cardinales duos Tranensem atque Alexandrinũ, quibus res vestras curæ esse sentietis; & quibuscum conferre omnia poteritis, vt nos deinde vestro nomine alloquantur. Habetis & Cardinalem Neapolitanum nepotem nostrum, qui iuuandis vobis operam dabit, sicut illi demonstrauimus. Tandem sæpiùs benè precans, & interdum brachia super pectus veluti amplexurus componens dimisit. Hæc omnia quo ardore, quo sensu animi, quàm grauiter ac disertè gesta à Pontifice sint, difficile dictu est: nec facilè exequar quantũ lætitiæ paterna hæc eius indulgẽtia & oratio Patribus Societatis attulerit, quantum animi addiderit ad subeundos labores, inuadenda pericula, perpetiendas pro re Christiana calamitates. Videbantur sibi Dei vocem ex eius Vicarij & interpretis ore audisse. Et quoniam si quid aduersi eueniret, paratum sibi in eius tutela perfugium videbãt, ad alacriùs quiduis pro religione adeundũ excitabantur. Nã profectò ita res habet; tametsi Deo nitendũ præcipuè est, tamen vbi voluntas Principũ obsecundat, tũ promptiùs attentantur ardua, tum verò plus longè proficitur. Ergo alacres ac velut instauratis viribus Pastoris summi clementia Patres, ordinare illicò statum Societatis exorsi, ante omnia è Constitutionum præscripto, qui Præpositum iuuent Assistentes atque Admonitorẽ legunt. Admonitorem voluit Ignatius esse virum prudentem ac pium, qui Præpositum, si quid in eo maius ad obsequium & gloriam Dei requiri, vel sentiret ipse, vel Assistentes iudicarent, siue priuato in officio suo, siue in publici functione muneris; re cum Deo in precibus pertractata, libertate modesta, fideliq; humilitate admoneret. Sãctissimis quippe etiam viris cæci interdum næui adhærent, quos alienis necesse est oculis videant: quoque altiore quisque in gradu locatur, hoc magis fideli admonitore indiget. quia rarus alioqui ad hos censor accedit, vulgo quidem, quòd vitia sua pauci libenter audiunt: eoque verè dictum est, nullius rei maioribus Potestatibus, quàm vera dicentium inopiam esse: in Religiosis verò familiis, quòd inferiores (si suas bene agunt partes) intenti sibi Moderatorum facta vereri, quàm reuocare ad trutinam malunt. Assistentium verò munus est assiduè Præposito adesse, consilio illum, labore, diligentia subleuare: videre quæ eius necessaria corpori & rebus externis: per Admonitorem si quid in priuato eius publicoue officio desideret, indicare. His denique veluti fidelibus excubitoribus Societas demãdat suas partes sacramẽto adactis, si quid vllo vnquam tempore Præpositus (quod spes est fore nunquã) quo sit loco mouendus committat, Societatem ipsam admonituros. Magna enim illa, & sanè diuinitus collustrata mente Ignatius, cùm intelligeret nunquam tempus eiusmodi fore, quo non boni aliquot viri idoneique ad religiosum tenendum clauum in familia essent, quorum si quis cum potestate summa præesset, vniuersa ferinè rectè procederent; ab vno suspendit omnia. Tum eam comitiorum descripsit formã, vt propemodum fieri non possit, quin magistratus ad idoneum deferatur: dein eos illi adiutores & custodes apposuit, vt magno cum boni publici damno nequaquam diu possit errare. Creati tum Assistentes non omnino ex formula, quam postea quartus generalis conuentus edidit, sed ad plura suffragia ex nationibus iis, quarum copia fuit, Hieronymus Natalis, Ludouicus Consaluius, Ioannes Polancus, Christophorus Madridius, nec dum solennia vota professus. His deinde cunctam Societatem in partes quatuor distributam tuendam curandamque Lainius demandauit. Madridio Italia cum Sicilia: Natali Germania vtraque superior & inferior, itemque Gallia: Consaluio Lusitania, Brasilia, Æthiopia, India: Polanco Castella, Aragonia, Bætica commissa est. Idemq; Polancus à Lainio Secretarius, à cæteris Patribus Admonitor lectus est: qui super tot grauia munera diu Procuratoris quoque Generalis locum expleuit. Hæc ab iis tantùm gesta, qui Præpositum declararant. Ad cæterarum consultationes rerum aduocati cum iure suffragij prouinciarum quoque Procuratores Emmanuel Godinius Lusitaniæ, Georgius Serranus Indiæ, Antonius Cordesius Aragoniæ, Iacobus Gusmanus Italiæ, Iacobus Auellaneda Bæticæ. Quæ præcipuè in iis conuentibus acta, edita typis extant.

41 *Verba Lainij ad Pontificem.*

42 *Benignitas summa Pontificis erga Patres.*

43 *Principum benignitas famulis Dei quàm vtilis.*

44 *Admonitor in Societate quis sit.*

45 *Assistentiũ munus.*

46 *Perpetuitati disciplinæ quantum consuluerit B. Ignatius.*

47 *Polanci occupationes.*

Procuratores prouinciarũ quinque.

Digitized by Google

48 *Decreta post creatum Generalem.*

tant. Inter alia Vicarij auctoritatem non ad cogendum modò conuentum, sed ad Societatem quoque administrandam spectare declarauerunt. Apud eum Assistentes, qui Præposito adfuerint, manere eosdem, & suffragij sui in comitiis habere. Prouincialium cæterorumque magistratuum Præpositi morte haud tolli potestatem; atque eos, ne à nouo quidem Præposito ante congregationis finem, inconsulta ea moueri loco posse. Commissariorum verò munus nequaquam ordinarium esse debere, sed prout Generali Præposito visum è re fuerit: perque eius excessum eam quoque potestatem finiri: neque eos gesti iure muneris suffragium in comitiis habituros; nisi fortè in conuentu prouinciali eius, in qua versabuntur, prouinciæ, ad quem ipsi conuentum vocandi erunt, inter mittendos ad comitia lecti fuerint. Visum est per legitimum quoque scribam ac testes ritè declarandum, quod B. Ignatius decrerat, posteaque Pius Quintus edito diplomate cõprobauit, penes Generalem Præpositum ius esse quosuis ineundi contractus (modò ne domus Collegiaue iam constituta alienentur aut soluantur) atque potestatem ab eo huiusmodi omnem ita permanare in eos de Societate quos nominarit, vt neque ad contractus, neque ad Procuratorum lectionem totius cuiusquam familiæ, cogi haberiue conuentum necesse sit. Illud maximè laboratum suprema vt

49 *Constitutionibus quomodo summa manus imposita.*

Constitutionibus manus imponeretur. Ante omnia cas summopere venerati Patres firmas ratasq; habẽdas esse sanxerunt, prout Ignatij autographo editæ essent; ex quo exscriptũ diligenter exemplum, perque delectos accuratè recognitum collatumque omnium nomine subscripsit Polancus, & obsignauit. Nec verò solùm in vniuersum, sed ne singillatim quidem agi placuit, & in controuersiam vocari, quæ ad instituti substantiam pertinerent: de cæteris verò agi posse, verùm sine experimento, vel ratione clarissima nihil mutari fas esse. Atque adeò cùm post decretum frequentis congregationis cuiuis semel intercedendi, hoc est, liberè contradicendi ius detur; in abrogatione tamen veteris constitutionis, vel nouæ institutione fas esse iusserunt bis intercedi. Adeò primorum tenacem morum voluerunt esse posteritatem. Super hæc quidquid declaratione aut expolitione, siue in sententia, siue in verbis egere videretur, animaduersum summa cura tractatumq; est sic, vt quidquid vel minutissimo in apice immutaretur, fideliter referrent in acta. Ad extremum earum Latina versio à Polanco elaborata per designatos recognita, cumque exemplari collata Hispano, tandem comprobata est: sancitumque vt nulla præterea nisi de totius Societatis auctoritate versio fieret; eaque primo quoque tempore chalcographicis mandaretur typis; quod continuò in Collegio Romano fieri est cœptum. Prefixa est breuis præfatio, quam (quia deinde, ne quid Constitutionibus adderetur, quod non edidisset Ignatius, sublata est, neque cognitu videtur indigna) his

50 *Latina Constitutionũ versio edita à Polanco probatur.*

51 *Epistola Constitutionibus prefixa.*

„ visum est monumentis illigare: Homines mun-
„ do crucifixos, & quibus mundus ipse sit crucifi-
„ xus, vitæ nostræ ratio nos esse postulat: homines,
„ inquam, nouos, qui suis se affectibus exuerint, vt
„ Christum induerent; sibi mortuos, vt iustitiæ vi-
„ uerent. Qui, vt diuus Paulus ait, in laboribus, in
„ vigiliis, in ieiuniis, in castitate, in scientia, in lõga-
„ nimitate, in suauitate, in Spiritu sancto, in carita-
„ te non ficta, in verbo veritatis se Dei ministros
„ exhibeant: & per arma iustitiæ, à dextris & à si-
„ stris, per gloriam, & ignobilitatẽ; per infamiam,
„ & bonam famam; per prospera denique & ad-
„ uersa magnis itineribus ad cælestem patriam &
„ ipsi contendant, & alios etiam quacunque pos-
„ sunt ope studioque compellant: maximam Dei
„ gloriam semper intuentes. Hæc est summa, hic
„ scopus nostrarum Constitutionum.
„

Incommodus itineri æstus non incommodum ad plura componenda præbebat otium: tamen Ioannes Pelletarius, cùm Collegij res Ferrarienses per eius absentiam haud mediocriter laborarent, tertio Nonas Augusti discessit; & pòst paulò Petrus Canisius. Quippe cùm conuentus in Polonia, quem maximè ad religionis res spectare fama erat, appararetur; eamq; ob rem Pontifex Maximus Nuncium Satriani Episcopũ Camillum Mentuatum ad Poloniæ Regem mitteret, duos ei de Societate Theologos, & Canisium nominatim adiunxit. Profectus est igitur vnà cum Theodorico Gerardi Amsterodamensi florentis æui sacerdote, nuperque in Romano Collegio Theologici Doctoris rude donato. Is lectissimæ eius Collegij iuuentutis haud dubiè princeps habebatur. Nemo in pari expectatione erat: nemo cũctis, siue diuinis, siue humanis vsque eò instructus atq; perfectus donis. Cumq; ornamẽta cętera singularis cumularet pietas, ac modestia decoraret, vnus deliciæ omnium & amor erat.

52 *Canisius & Theodericus Amsterodamensis in Poloniam mittuntur.*

Decrerat Beatus Pater, vt qui solennia quatuor vota nuncuparent, simplicia quædam iis adiicerent, & formulam condiderat. De ea formula cùm relatum esset ad conuentum, non modò probata est, sed etiam dicto die, qui sancto Bartholomæo sacer fuit, omnes ex eadem (non enim omnes antè, nec eodẽ conceperant modo) iis se votis obligauerunt. Euangelicæ paupertatis integritas ea religione præcipuè communitur, & aditus ambitioni omnes vndique obstruuntur. Quippe nulla æquè vitia Religiosos cœtus vel penitus, vel maximam partem corrumpũt, quàm ambitio & auaritia, per quas cæterarum pestium turba omnis nullo negotio inuadit: & iis exclusis facilè alia ab toto corpore arcentur. Itaque sunt ea vota ad æternitatem disciplinæ, & Ordinis firmissima munimenta. Ac, si cui cognoscere curæ est, formula ipsa ad verbum est talis: Ego N. Pro-
„ fessus Societatis Iesu promitto Deo omnipoten-
„ ti, coram eius virgine matre, & tota curia cęlesti,
„ & coram R.P. Præposito Generali, vel coram N.
„ locum Generalis Præpositi tenẽte, nunquam me
„ acturum quacunque ratione, vel consensurum,
„ vt quæ ordinata sunt circa paupertatem in Con-
„ stitutionibus Societatis, immutentur, nisi quan-
„ do ex causa iusta rerum exigentium videretur
„ paupertas restringenda magis.
„

53 *Simplicia vota Professorum addita solennibus.*

Præterea promitto nunquam me acturum, vel
„ prętensurum, ne indirectè quidem, vt in aliquam
„ prælationem, vel dignitatem in Societate eligar,
„ vel promouear.
„

Tum si quem sciam id curare vel prætendere,
„

promitto

Digitized by Google

„ promitto illum, remque totam me manifestaturum Societati vel Præposito eius.

„ Promitto præterea nunquam me curaturum „ prætensurumue extra Societatem prælationem „ aliquam, vel dignitatem: nec cõsensurum in mei „ electionem, quantum in me fuerit, nisi coactum „ obedientia eius, qui mihi præcipere potest sub „ pœna peccati.

„ Insuper promitto, si quando acciderit, vt hac „ ratione in Præsidem alicuius Ecclesiæ promo„ uear, pro cura, quam de animæ meæ salute, ac re„ cta muneris mihi impositi administratione ge„ rere debeo; me eo loco ac numero habiturum „ Præpositum Societatis Generalem, vt nunquam „ consilium audire detrectem, quod vel ipse per „ se, vel quiuis alius de Societate, quem ad id ipse „ sibi substituerit, dare mihi dignabitur. Consiliis „ verò huiusmodi ita me pariturum semper esse „ promitto, si ea meliora esse, quàm quæ mihi in „ mentem venerint, iudicabo: omnia intelligendo „ iuxta Societatis Iesu Constitutiones & declara„ tiones. In tali loco, tali die, mense & anno, &c.

54 *De turbis anni superioris quid actum.*

Expectabant multi, vt grauius aliquid in superioris anni turbarum concitatores statueretur. Et quidẽ Pontius Assisio cùm venisset, petiissetq; copiam in conuentu dicendi, vt satisfaceret, ita remisse frigideq; egerat, vt resipuisse non crederetur. Dato negotio Salmeroni atque Paschasio curandi hominis, nihil proficiebant. Qua re animaduersa Natalis acriùs agendum ratus vehementer vrget obiurgatque, ac tandem, Deo iuuante, permouit. Rursus itaque à Patribus potestate dicendi facta, eo sensu animi, eaque submissione peccatum professus, satisfactionem offerens verba fecit, vt dignus planè venia visus sit. Nulla præterea de tota illa tempestate mentio. Quin & Viola, qui ad extremum Iulium, excusans ad se litteras, quibus vocabatur, minimè perlatas, Romam venerat, ad consultationes confestim receptus suo loco suffragium dedit.

55 *De choro & triennio Generalatus Pontificis iussu deliberatur.*

Pulcherrimè omnia procedebant, & iam finem plerique meditabantur, cùm Cardinalis Tranensis nunciat duobus in capitibus instituti Societatis aliquid adhuc dubij Paulo Pontifici residere. Primùm, num expediret, veluti cæteræ solent Religiosæ familiæ, Societatẽ ad Horas canonicas vti choro. Deinde, num consultius foret Generalis Præpositi munus non perpetuum, sed in triennium esse. His super capitibus ampliùs vt deliberent, placere Pontifici, ad seq; referant quod censuerint. Non timor solùm Patres, qui iam se rebantur in portu, sed ingens simul admiratio cepit, quî venisset in mentem Beatissimo Patri res adeò in Societatis ratione fixas & claras; quas & Paulus & Iulius Tertius summi sacrorum Antistites apertè confectis diplomatibus, nec non tacitè Cardinales illi, qui priore anno cuncta expenderãt, cùm re nulla damnata Constitutiones reddiderãt; ac modò ipsemet Paulus vnà cum declarato recèns Præposito tam promptèac liberaliter ratas habuisset comprobassetque, vocari in controuersiam velle, ac retractari. Obedienter tamen ac diligenter post multas ad Deum fusas preces, semel atque iterum decimo

56 *Nihil videtur mutandum.*

Kalendas Septembris, posteroque die de iis rebus disputatum. Nemine omnino discrepante suffragiis omnibus decretum est, nihil mutãdum videri. Lainio demandatum, qua resp̃ondendum Pontifici ratione esset. Præcipuè tamen de Generalis perpetuitate vt significaretur totius Societatis iudicium, conscripta hæc epistola; & omnes, præterquam ipse Præpositus, quem minùs decebat, sua ei nomina subscripsere: Beatissime „ 57 Pater, cùm Reuerendissimus Cardinalis Pacec- „ *Patrum* cus electioni nostri Præpositi iussu vestræ San- „ *epistola* ctitatis interfuit, antequàm ea fieret, vestræ Bea- „ *ad Pontificem de* titudinis mentem de qualitate personæ, quam „ *Generalatu perpetuo.* eligere deberemus, & animi propensione, vt electus perpetuus esset, potiùs quàm ad certum ac definitũ tempus, nobis significauit: quanquam „ vestra Sanctitas pro sua benignitate id nostræ „ congregationi integrum relinquebat. Nos om- „ nes lætissimis animis significationem hanc vo- „ luntatis vestrę Beatitudinis tanquam à Deo pro- „ fectam accepimus, qui vt & nos etiam idem sentiremus & optaremus faciebat. Postea vbi vestra „ Sanctitas ad pedum oscula nos admittere & tan- „ ta caritate ad diuinum obsequium excitare & in- „ flammare dignata est, præter cætera, eaque singularia, quæ nobis in Domino liberalissimè est „ elargita, electionem Præpositi, quem perpetuum „ elegeramus, libentissimè confirmauit. Qua de re „ quantas possumus diuinæ clementiæ, & vestræ „ Beatitudini gratias agimus. Cæterùm his diebus „ Reuerendissimus Cardinalis Tranensis nobis si- „ gnificauit vestram Sanctitatem etiam nunc de „ perpetuitate Præpositi aliquid dubij habere: „ proinde vt ea de re cogitaremus edixit. Quod & „ fecimus præmissis ad Deum orationibus: & cùm „ in cõgregatione semel atque iterum id esset pro- „ positum, omnes summo cõsensu nemine discrepante iudicauimus multò cõuenientius esse no- „ stræ Societati, vt noster Præpositus quamdiu vi- „ xerit, non mutetur. Quamuis tamen hæc ita sint, „ obedientiæ filij sumus, & quidem paratissimi ad „ ea omnia præstanda, quæ vestra Sanctitas impe- „ rabit. Quia verò fieri potest, vt de nostro iudicio „ certior fieri vestra Beatitudo fortasse velit, illud „ hic infrà subscripsimus, humiliter qualecunque „ id est, iudicio vestræ Beatitudinis subiicientes. „ Tertio Kalendas Septembris, salutis anno mille- „ simo quingentesimo quinquagesimo octauo. „

Rebus ita comparatis vnà cum Salmerone Lainius ad Pontificem, quo cõuenerat die, commissam sibi familiam, & beneficia Pontificum, quantum pietas ac modestia paterentur, tueri paratus adit, eamque epistolam defert. Sed quæ 58 causa bonum Põtificem immutasset, non liquet, *Pauli Pontificis animus ergà Societatem immutatus.* nisi quòd vehementia ingenia, vt quidque animum noua specie impulit, auidè arripiunt, & ad virtutem collata eo procliuiùs nunc in hanc partem, nunc in diuersam toto feruntur pondere, quod vtrobique conscientia rectæ mentis constat. De mente quidem optima Pauli nemini vnquam dubitare fas fuit. Cæterùm ita immutatus erat, vt prorsus alter ab eo, quem se paulò antè præbuerat, videretur. Simul primum in conspectum Patres venere, graui cum supercilio tristis ac minax cùm quædam submurmurasset, venisse sibi in mentem ait melius fore, si Præpositus non perpetuus, nec verò solùm in singulos aut binos annos, sed in triennium foret. Id Benedictinis

Digitized by Google

Monachis sanctæ Iustinæ, & Hispanensibus bene cessisse: posse tamen in triennium alterum refici. Sed pertinere ad Apostolicam Sedem exacto triennio, vel cõfirmare veterem, vel nouum præficere. Tum longè commotior ac vocalior orationem ad chorum vertit: cõtumaces appellans, quòd eum detrectassent: in eaque re pro hæreticis facerent: vereriqué se, ne quæ olim hinc pestis prodiret. Deliberatum sibi non ampliùs deformitatem huiusmodi tolerare: malumque illis, nisi parerent. Breui inde digressus ad increpandum, quòd in Societatem ex natione quauis tam multam iuuentutem reciperet, redit ad chorum. Denunciat velle eum omnino haberi, cum modo tamen, ita vt Præpositus, & similiter occupati exciperentur: nec ad cantum adigi velle, sed satis habiturum, si quemadmodũ sui Clerici pronunciarent. Ac ne fortè studiorum occupationes excusarentur, occurrit execrans studium, per quod officium diuinum omitteretur. Se quidé quamuis occupationibus tam multis obrueretur, nunquam tamen id prætermittere, in quo comitem Neapolitanum Cardinalem haberet. Hic præsens huic toti actioni interfuit. Vbi Pontifex siluit, submissè postulata dicendi venia impetrataque Lainius, Patrum epistolam nequaquã reddendam ratus, Quod, inquit, ad Generalatum

59 *Oratio qua Pontificis increpationi satisfecit Lainius.*

„ pertinet, Beatissime Pater, eum equidem nullo
„ modo venatus sum, nec optaui: &, quantum ad
„ me propriè spectat, non modò vt triennio finia-
„ tur, nihil repugno; sed sum etiam in beneficio
„ positurus, si hoc ipso die vestra Sanctitas eo me
„ munere liberet, ad quod gerendum nec facultatem in me, nec voluntatem agnosco. Cæterùm
„ vestra Beatitudo norit creationem ita à Patribus
„ institutam, vt Præpositum à se perpetuum creari
„ intenderent ex mente Sanctitatis vestræ. Cardi-
„ nalis enim Paciecus nobis duo denunciauit, pri-
„ mùm Sãctitati vestræ placere, vt Præpositus Ro-
„ mæ sedem haberet: deinde eamdem inclinare,
„ vt perpetuus idem esset; quam etiam in partem
„ consensu Patres inclinauerunt. Atque creatione
„ in hunc modum peracta Sanctitatẽ vestram adi-
„ uimus, quæ eam probauit confirmauitque. Ve-
„ rùm iam nihil moræ erit: parebo, vt dixi, perli-
„ benter. Vbi interfatus Pontifex, Nolo, inquit, munus deponas: nam declinatio ea & fuga laboris esset: quin etiam post triennium prorogari licebit. Tum Lainius, Quod verò ad chorum spectat, Sanctitas vestra meminerit, hoc primùm die suam nobis voluntatem declarasse: & vnde præceptum absit, ibi contumaciam esse non posse.
„ Quàm verò non pro hæreticis nos, sed contra eos
„ faciamus, satis facta loquuntur nostra: tum quia,
„ tametsi extra chorum, tamen diuinum officium
„ exequimur, & nulla causa prætermittimus: tum
„ quia etiam in choro vespertinam psalmodiam
„ peragimus: tum demum, quia contraria iis om-
„ nino docemus & prædicamus. Qua de causa odio
„ nos habent & insectantur, vt Papistas. Eoq; San-
„ ctitas vestra nos complecti deberet, & paterna
„ nobis explicare viscera, & meliorẽ habere spem
„ Deum nobis propitium fore. Porro in aggregandis ad Societatem cura & vigilantia adhibetur,
„ multoque maxima in admouendis ad professio-
„ nem. Testimonio esse potest, quòd editum ab Sanctitate vestra contra cœnobiorum desertores diploma in nullum omnino ex nostra Societate incidit. Hæc Lainius, & alia tam aptè subiecit, vt mitigatus Pontifex animum faceret etiam ad quædam petenda: quæ cùm dedisset, etiam precatorias coronas bono numero Indulgentiis donauit, & cereos agnos præbuit distribuendos Patribus in prouincias abituris; & ad vltimum Neapolitano Cardinali negotium dedit, vt quæ de Generalatu choroque egerat ad conuentum Patrum referret ipsius nomine, cõsulens Lainio, ne id negotij ipse assumeret. Sexto Idus Septembris Cardinalis adfuit, denunciauitque Patribus in conuentu, iubere Sanctissimum Dominũ Præpositi potestatem haud vltra tres annos esse; & sacerdotalem psalmodiam in choro institui: sic tamen, vt post triennium eumdem refici Præpositum liceret: & chorus quemadmodum & quatenus habendus esset, integrum Generali permitteretur. Iubere Pontificem hæc duo capita Constitutionibus addi. Paucis ad hæc nominé omnium Lainius, Societatem obedituram. Edictum dein ad calcem Constitutionum impressum. Animaduersa est hoc maximè tempore modestia robusta Lainij, quantumque Vicario Christi Domini obseruantiæ & venerationis deferret. Tametsi enim ea præscribebantur, quibus disciplina Societatis magnam partem euerteretur, inauditisque Patribus pro imperio & potestate præscribebantur; nunquam tamẽ vox maiestate illa sancta Pontificis Summi minùs digna ex ore Lainij excidit. Quin etiam cùm in priuata consuetudine paulò quidam commotiùs conquereretur, Lainius ex instituto laudare Pontificem aggressus, & enumerare quàm multa, quantique momenti ad Ecclesiæ restituendos mores sanctissimè institueret; eo id sensu animi fecit, vt pudore querulus ille in præsens suffunderetur, ac cæterorum nemo postea auderet, vel coram, vel absente Præposito, verbum super ea re inconsideratiùs fundere. Atque ita prorsus decet. Si iustè dissentis, resque ad te pertinet, cõsulto precibus Deo acriter quidem ac strenuè pro Dei maiore gloria, vt superiorem potestatem edoceas vigila, stude, connitere: sique nihil obtineas, tum fretus vidente omnia & regente Numine, in eius prouidentia acquiesce: salua tamen semper verecundia sit: salua Religiosa submissio. Parce ori. Silentium ac spes, vt Isaias iubet, sit fortitudo tua. Quæ cùm Præsidum sint partes, multò intolerabilius sit, si inferiores, ad quos nihil præterquam simplex obsequium spectat, petulanter linguas audeant in Sanctos Domini soluere, quorum & à iudicandis factis debuerant abstinere. Quod ad Præpositorum triennium pertinebat, tametsi grauis plaga censebatur; tamen in præsens haud multum creabat curæ, quòd multæ possent ante elapsum triennium conuersiones rerum euenire. Chorus qua instituendus ratione esset, continuò cœptum est agitari. Nam quanquam cõsociatio vocum ad laudes diuinas, & cãtus plena religionis occupatio est, & sanctissimè ab cœtibus Religiosis assumitur, tamen ea res tam grauis ac tanta est, vt rectè & ordine administrari non possit, nisi is, qui primò totam disciplinæ formam, & quasi œconomiam mente comprehendit & ordinat,

60 *Pontifex placatur.*

61 *Iubet tamẽ Generalatũ triennalem esse, & chorum haberi.*

62 *Modestia Lainij.*

63 *Quanta veneratio debeatur Præsulibus, maximeq; Pontificibus Summis.*

res

res ita dispensèt ac moderetur, vt in omnibus chorum respiciat; eiusque fermè vbique præcipuam rationem habeat. Itaque in Societate, vt aliò tota versa est, & ad procurationem animarum facta, suisque partibus perfecta & absoluta est nullo respectu chori; quem quamquam de cætero amabat, studio tamè maioris diuinæ gloriæ compensandum aliis muneribus Beatus Fundator putauit, difficultates se vndique inexpugnabiles offerebant. In Collegiis statim apparuit choro locum non esse. In his enim aliis docendi, aliis discendi cura distractis, nullus fiebat reliquus, qui cãtaret. Decretum igitur vt in Collegiis Dominicis festisque aliis diebus Missa tantùm, precesque Vespertinæ canerentur: chorus autem ad omnes Horas in Professorũ domibus haberetur. Eæ tantùm duæ cuncta in Societate tum erant, Romana & Olisiponensis. Sed in his etiam, quo rem propiùs ventum erat, difficilia plura inuenìebantur. In primis cùm omne diurnum nocturnumque spatium in suas partes distributum certis esset actionibus occupatum, tota vitæ quotidianæ ratio ac disciplina perturbanda erat, cunctaque suo loco mouenda: non pauca satis vtiliter institura posthabenda, vt choro spatium, quod non modicum occupat, quæreretur. Hoc verò & mutatione vitæ graue, & rerum cœptarum iactura noxium erat. Deinde, cùm chorus certa fixaque requirat tempora, pro instituto Societatis certas horas, quibus ad canendum adessent, præstituere non licebat. His ad confessiones ægrorum, illis ad iuuandos moribundos digressis: quibusdam ad custodias, vel ad nosocomia; nonnullis ad oppida pagosque erudiendæ inopi turbæ dimissis: aliis in prouincias longinquas, quò Pontifex iubeat, vel Christiana res poscat, legatis, quis resideret in choro? Quid sacris diebus, quid pridie fieret? cùm iis diebus confessarij, quamuis à prima luce sellam insiderent, haudquaquam sufficerent. Ac rem altiùs inspicientes ille commouebat metus, ne hac vna re in speciem salutari institutum Societatis, & Religiosæ integritas disciplinæ, & vitæ communis æqualitas olim funditus interiret. Videbant enim in cæteris quoque Religiosis Ordinibus, quoniam pauci quidã necessariò eximendi ab frequentandi chori sunt onere, aliis eamdem immunitatem sine causa appetentibus non pauca turbari. Quid igitur fieret in Societate, in qua causa cur abesset, nulli posset vnquam deesse? Nihil æquè noxium institutis ac legibus, quàm tales esse, quæ eludantur impunè. Nihil adeò exitiale cœnobiis, quàm æqualitatem non seruari, & onera assumi, quæ nequeant bene diuq; perferri. His, quia siue ante, siue post meridiem concionantur, licebit ab choro abesse: illi volent idem sibi licere, quòd superiori nocte ad moribundum excubarint. Erit qui, quòd laboriosissimum diem egerit audiendis confessionibus, vel pueris rusticisque erudiendis, necessariam sibi dicat quietem noctis. Et quia non rarò veræ causæ erunt, aditus non veris aperietur. Non deerũt, qui aucupentur negotia & munera, quibus gerendis idonei non sint, vt sint immunes à choro. At vbi in communi vita exceptiones vulgantur, & singulare quidquam irrepit, communitas illicò perit. querimoniæ, dissidia, malæ artes inuadunt. Quid? quòd ad quærendarum labores animarum nõ paucos ipse segniores effecturus haud dubiè chorus esset? Vidisse Ignatium, cùm ærumnosam hanc militiam institueret, quæ aut remorari, aut auocare aliò possent, longè omnia remouenda. Idcirco cùm, si vellet suo indulgere sensui, chorũ esset instituturus, abstinuisse, non modò vt remoueret impedimenta, sed vt omnes intelligerent, nisi hanc professi militiam in animarum tutelam incumberent, frustra esse: eaque se cogitatione ipsi acuerent ac stimularent. Iam verò introducto choro, satis eo præstitum ab se multos existimaturos. Ita refrixura animorum studia: ita paulatim operosam hanc vitam ad quietam & vmbratilem, neutra satis parte bene gesta, lapsuram cum maximo & priuatæ virtutis, & boni publici detrimento. Hæc omnia multoque his plura solicitudinem Patribus grauem iniiciebant. Vrgebat tamen summi imperium Principis: nec repugnare, nec saltem exonerare in eius auribus licebat curas. Qui præter hæc postea etiam significarat nescio quid superesse moliendum; quanquam nihil vltrà mouit. Cæterùm aliquid consolationis Cardinalis Iacobus Puteus attulit. Erat is ad cæteram auctoritatem ex dignitate amplissima, eximiaque virtute collectam, Pontificij Ciuilisq; Iuris prudentia clarus in paucis: qui vbi cognouit hoc in edicto nullam diplomatum, quibus instituta Societatis superiores Pontifices comprobauerant, factam esse mentionem; pro certo confirmauit, quoniam Tertij Pauli Iuliiq; Tertij acta sublata non essent, Pauli Quarti decretum vim dumtaxat mandati simplicis obtinere; nec diutiùs, quàm quamdiu mandans viueret, valiturum.

64 *Quas difficultates habeat chorus in Societate.*

65 *Cardinalis Puteus censet decretũ Pontificis de habẽdo choro habere vim solùm mandati simplicis.*

Hoc rerum in statu congregatio soluta est IV. Idus Septembris. Agitatum erat, num prouinciarum modus finiendus esset, vt nullæ conderetur in posterum cum suffragij iure ad Præpositum declarandum; ac decretum, vt potestas condendi nouas prouincias penes Generalem esset; quasq; condidisset, eæ suffragio quàm quæ iure optimo potirentur. Ergo Lainius ante omnia ordinandis prouinciis animum adiicit. In Italia pro vna, quæ ad id loci fuerat, designatæ tres, Neapolis, Lõgobardia & Hetruria. Neapolitanæ Præfectus Salmeron: reliquæ duæ in præsens Generali reseruatæ. Superior Germania prorogata Canisio: inferiori Præpositus Euerardus Mercurianus, qui ad Tornacensis Collegij, quod ciuitas votis omnibus expetebat, excitandas reliquias, duobus secum in subsidium adductis, profectus est. Duos quoque remissus in Galliam Paschasius duxit Violam & Pontium, misso huius in locum, quod spem ingressi Collegij Assinates flagitarant, Stephano Barcëlio sacerdote impigro ac pio. Domenecco Sicilia, Turriano Lusitania, Bustamantio Bætica prorogata. Data Araozio optione Aragoniæ, seu Castellæ, in Castella permansit; & Aragoniæ administrationem Barma suscepit, Francisco Strada, quò concionibus totus vacaret, ea cura exempto. Designati simul adhibito Assistentium consilio, qui Professi, quique formati Coadiutores creandi. Designatus nemo, qui non è Constitutionum norma vsquequaque

66 *Noua prouincia à Lainio instituta, veteres ordinata.*

idoneus

Digitized by Google

idoneus censeretur. Tum deducendis per Italiam, supplendisque Collegiis cura impensa. Vt posset idonea & prudens distributio fieri, iussi Rectores suorum quisque numerum, ætatem, facultates ingenij doctrinæque perscribere: & quanquam multi se Societati adiunxerant, plerique tamen spei potiùs bonæ, quàm præsentis auxilij erant. Inter cæteros Ludouicus Massellus & Vincentius Brunus accesserant. Hic medicus,

67 *Vincentius Brunus in Societatem admissus,*

& ab adolescentia prima vitę seuerioris cupidus, quam voto quoque in Franciscanorum Obseruantium Ordine, quem vnum eo tempore nouerat, se obstrinxerat secutorũ: sed cognita dein Societate, pro ingenij & modicę suæ valetudinis ratione interpretans in ea gratiùs diuinę maiestati seruiturum, ad eam se priore voto ritè solutus recepit. Ludouicus verò Massellus haud suo fidens iudicio ac sensui, virum bonum doctumq; è Benedictinis Tironum Magistrum de ineunda

68 *& Ludouicus Massellus.*

Societate, ad quam animo incitabatur, cõsuluit. Laurentij, parui tum fratris, qui deinde in Societatem Ludouicum secutus est, præcipuè tenebat cura. Benedictinus Magister ad Ioannem Marionum Neapoli fama sanctitatis celebrem è primis Theatinæ familiæ viris mittit. Ioannes audita oratione, post aliquantum silentij alto cum gemitu verba illa Christi Domini profert, *Si scires donum Dei, & quis est qui loquitur tecum.* Tum iterum silens cùm quasi admirans æternæ illius maiestatis benignitatem, qua hominum corda tacitis alloquitur motibus, ad se que trahit, aliquamdiu hæsisset, Abito, inquit, fili, ipsos consule Societatis Patres: rectiùs me illi norunt quid optimum factu sit: quod suadent, exequere. Tertio Kalendas Maij in Collegium Neapolitanum admissus est. His igitur aliisque Societas aucta, instructior in futurum, quàm in præsens erat. Atque interim egregios operarios amiserat.

Ioan.4.

69 *P. Andreas Galuanellus eximius operarius moritur:*

Andreas Galuanellus ceciderat Collegij Perusini lumen ac robur, qui verbis de Deo faciendis, & confitentibus expiandis cunctam ciuitatem rapiebat. Aduocabatur singulis propè diebus ad Sodalitates: bisque ac ter in die non rarò dicebat. Omnibus omni tempore operam promptam habebat, eam virtutis nactus opinionem, vt in viis tanquam Sanctum omnes venerarẽtur. Simul verò decubuit, ingens assiduè multitudo accurrit medicamenta solicitè conquirens; & vbi non proderant, insolabiliter plorans. Pridie Nonas Martias tandem pleuritis extinxit.

70 *& P. Philippus Faber ex cáritate morbo concepto.*

At Mutinense Collegium Philippo Fabro Rectore subducto penitus propè corruerat. Sæuientibus Mutinæ morbis Philippus veluti sui oblitus ad iuuandos ciues curam laboresq; conuertit. Adhortabantur amici (quòd contagij suspicio erat) vt ab ægrorum consuetudine abstineret. Sed ego (inquit dum Latinio rem nunciat) non video qui fieri possit, siue cum pace cõscientiæ meæ, qui tam grauem necessitatem intueor, siue absque eorum offensione, qui die ac nocte summis obtestationibus ad ægrorũ confessiones cateruatim vocant, si pusillum hoc auxilij, quod maiestas in nobis diuina reposuit, negem. Equidem certus sum, si Deo cordi fuerit valetudinem nobis ad sui nostrique obsequium conseruare, conseruaturum; sin potius suum calicem nobis porrigat, id veluti sapientissimum medicum, quòd animarum nostrarum saluti magis expediat, facturum esse. Satisque noui nil esse magnum paululum quid perpeti, atque adeò vitam eius causa, à quo millies accepimus, semel tradere. His cogitationibus ad labores mortemque paratus contagione afficitur, & IV. Kalendas Martias moritur. Magnus amator crucis, suique contemptor. Quòd in sacello Societatis locus non erat, in presbyterorum sepulcro templi maximi, funus omni Clero perhonorificè, & cũcta ciuitate cum suspiriis & prædicatione mira demortui prosequente, est conditus. Belga is erat è diœcesi Leodiensi, octauum Societatis, quartum circiter supra trigesimum ætatis agebat annum. Italus erat Galuanellus ex oppido Codignola diœceseos Fauentinæ, ætate vtraque & humanæ vitæ & religiosæ prouectior.

Ergo in horum supplementum Perusiam ac Mutinam subsidium missum. Multi quoque Patauium ad incrementa Collegij. Primum id Italorum Collegium erat, sed ad hanc diem tenue & obscurum iacuerat. Anno sæculi euntis tertio supra quinquagesimum vulgari cœperat tribus in auditoriis institutio puerilis; sed partim quòd à frequentia Collegium procul aberat, partim quòd Magistrorum minimè eminebat facultas, præsertim in ciuitate, quæ in omni genere præstantibus abundabat, solitudo in classibus erat. Cæterùm cùm priore anno Benedictus Palmius ab Vrbe missus, vtriusque Collegij Patauini Venetique Præses venisset, eius viri singularis facundia, & pietatis ardor simul publicum bonum, simul rem Societatis mirè prouexit. Aliquoties in Collegij ædicula, tum in templo vrbis principe, postremò in sanctæ Luciæ longo tempore verba fecit, ordinum omnium eo concursu atque certamine, vt longè plures templi excluderentur angustiis, quàm amplitudo reciperet. Et par erat audiendi studio obediendi alacritas. Ergo non solùm vulgò correcti mores, sed, cùm in vrbe & Academia aduenarum genere omni celebri corruptæ opiniones de religione grassarentur, ac nominatim Oecolampadij diuinorum Sacramentorum hostis secta glisceret; ita eos priuatim ac publicè sanctorum etiam Patrum codicibus in suggestum delatis redarguit, vt impiorum voluminum magna vis vltrò ab hominibus prolata tradita flaminis sit; & ad casta dogmata ipsi homines reuocati complures. Quo verò pudicitiæ consuleretur, nobiles matronæ non modò ab nugis munditiarum, luxuque immodico ad ornandum eum, qui absconditus est cordis homo, traductæ; sed conducta insuper domo, duabusque de suo numero impositis, ac necessaria vitæ subministrantes emergere lustrorum è cœno volentibus tutum perfugium comparatũt, dum cœnobij septis, vel alia conditione honesta illigarentur. Appendicula hæc maioris operis fuit, Sodalitatis, cui nomen à Pietate factum. Ea Palmij conflata vocibus, deuincta legibus, corroborata curis in hæc vsque tempora mirè ciuitati salubris stetit. Quotidie manè Sodales horæ dimidium meditationi, vesperi trientem exacto diei recognoscendo dabant: frequenter ac piè diuina obibant mysteria: ad eadem pari pietate obeunda

71 *Patauini Collegij magna incrementa.*

1.Pet.3.

72 *Sodalitas Pietatis instituitur.*

Digitized by Google

obeunda cæteros inflammabant. Conueniebant Dominico quoque die ad communes preces, & ad consultandum, qua maximè via occurrēdum inopiæ calamitosorum esset, quadripartita ciuitate, ac Præsidibus quatuor constitutis, quorum singuli singulas curarent partes. Omnibus præstò erant, & palàm egentibus, & maximè, quorum verecundia aggrauaret difficultates, & morbo afflictis: nec modò pecuniæ solatiis, sed etiam verborum alloquiis adhortantes ad patientiam, ad peccatorum odium & fugam, ad curandos animos Sacramentis. Nec pudebat ipsosmet Sodales pigebatúe emēdicare ostiatim per vrbem, vnde miseris subsidio venirent. Quam ad nouam speciem ciuitas in admirationem rapiebatur, nec finem faciebant Deo benedicendi, qui per famulum suum re vera Benedictum eam Parauij nouam lucem excitasset. Simul amari coliqúe Societas, nec quidquam vehementiùs expeti, quàm vt præclara ea cœpta idoneos in futurum administros nanciscèrentur. Ratiqúe plurimùm ex vsu ad id fore, si Collegium ab solitudine intra ciuitatis frequentiam transferretur, domum ædi sanctæ Luciæ propinquam, vnde in ædem ipsam pateret aditus, notarunt, datisque ad Lainium litteris institere, vt vellet in ea litterarum aperiri ludum, & in ipsa sanctæ Luciæ de Sacramentorum ministeria exerceri, pollicentes quidquid humanus postularet vsus, vltrò se collaturos. In hanc sententiam nobiles sapientesque viri Gabriel Fagnanus, Scipio Buzacarinus, Paulus Candius & Alexander Genua ad Lainium scripserūt. Fauebant egregiè, tum rerum diuinarum, tum humanarum Præsides Franciscus Pisanus Episcopus, Bernardus Georgius, & Lūdouicus Grittus Potestas & Capitaneus (sic vocant vrbanæ administrationi, reiqúe militari præfectos) & plerique Academicorum, & ipsi sanctæ Luciæ rectores. Ergo cùm visum esset piis ciuium votis obsecundandum, Paulus Candius domum sua impensa conduxit, in eaque tres Magistri docere per autumnum aggressi misso Edmundo Augerio, qui Rhetoris sustineret cum dignitate partes. Inde non modicè & scholarū amplificata dignitas, & discentium numerus auctus. Quę postea etiam celebritas mansit, cùm biennio pòst domino conductā domum reperente, & scilicet quia perincommodum erat domos duas incolere, in pristinam ad sanctæ Magdalenæ sedem totum Collegium remigrauit. Interim Palmius Venetias accitus apud Incurabiles primò, mox ad sancti Apostoli diuinas vibrare instituit faces, nec successu, nec approbatione minori, quàm modò Patauij fecerat: ex quibus & frequentia addita Sacramentis, & morum ingens commutatio facta, & multa saluberrimè instituta, & super omnia receptaculum puellis; quarum pudicitiæ tum paupertas, tum hominum improbitas insidiari periculosè solet. Quod contubernium hac etiam tempestate viget, & insigne Venetiis est, vt ad centum & quadraginta virgines numerentur, quæ legibus moribusque à Palmio descriptis sub honestarum feminarum cura, lectorumque aliorum, & quatuor è nobilitate virorum tutela sanctissimè educantur, donec vel ad matrimonij sancti nexum, vel ad beatiores cum sponso cælesti nuptias, vt maluerint, transferantur.

73 *Collegij pars maxima ad eadem S. Lucia transfertur.*

74 *Palmius multa Venetiis optimè gerit.*

Noua Collegia ex plurimis, quæ per Italiam petebantur, duo concessa, Nolanis vnum, Foroliuiensibus alterum. Iam diu Foroliuienses Collegium expetebant: atque Petrus Griffus Episcopus certam pecuniam ad extruendas in vsum illius ædes assignauerat. Eo vita perfuncto, Ioannes Petrus Aleottus successor rem strenuè perficiendam suscipit, instatque, vt Socij quamprimùm mittantur. Antequam Generalis crearetur, non visum est mittendos: verumtamen ad studia populi ac Pastoris fouenda, quidque paratum esset inspiciendum, missus est Laureto Raphaël Riera cum Iosepho & Hieronymo Cortesonis germanis fratribus, & Episcopi sororis filijs: qui quanquam nondum immigrarant in Societatem, recepti tamen in eam erant. Raphaël mira de Episcopi benignitate ac sedulitate nunciat: exædificationem bis diebus singulis ire visum, iamque tecta ad Sociorum duodecim habitationem extructa loco percelebri & intimo vrbis, vbi templum opportunum, & horti. Eumdem quoad ipse viueret, assignasse dimidium sui cuiusdam sacerdotij, vnde duodenis alendis rerum satis rediret. Supellectilem domesticam sacramque comparasse ex aliqua parte: quod deesset, tum ipsum, tum viros quosdam nobiles addituros. Quarto Nonas Octobris cœpit Collegium habitari. Socij ex Collegiis vicinis, Rector Ferraria vocatus Guidus Roilettus. Initio docendi facto, cùm qui Venetiis expectabatur indies, infimæ pueros classis instituturus, morbo substitisset, ipsemet Rector in ea classe prima litterarum tradidit rudimenta, non sine ingenti labore domestico idem muneri classique ac templo satisfaciens. Sed ardor animi, diuinaeq; opis copia in angustiis largior omnia sustinebat. Nouorum aduentu Religiosorum cuncta primò ciuitas, quæ iam diu famam eorum nunc præclaram, nunc dubiam acceperat, & quosdam ex ea spectarat viros, eoque magis in expectationem erecta erat; ad tam multorum conspectum, & certa in sede impigrè cæli thesauros per Sacramenta erogantium, concionantium, Christiana dogmata explicantium, ad necessitates quorumuis tota vrbe accurrentium, sui copiam benignissimè quocunque tempore summis & infimis facientium, excitata vehementer & exhilarata est. Deinde sancta æmulatio aliorū etiam Ordinum Religiosos homines impulit, vt idem tentarent. Itaque breui est factum, vt sacra tribunalia diuinaeq; araeferuerent: &, cùm antè perrarò vnus aliquis suggestum ascenderet, iam quatuor aut quinque præcipua templa per dies sanctiores Euangelicis interpretibus personarent.

75 *Foroliuiense Collegiū instituitur.*

Nolanum Collegium Maria Sancta Seuerina, vrbis olim Nolanæ Comes (quippe nupta olim fuerat cum Henrico Vrsino, qui vltimus Comitum eam ditionem possedit) pietate non minùs, quàm generis claritate nobilis matrona condidit. Vnde susceperit eam mētem, ex litteris, quas ad Lainium Vicarium sua exaratas manu superiore anno dederat, non ingratum erit cognoscere. Nolanam, inquit, ciuitatem, apud quam maximam & optimam vitæ meæ partem exegi, quamdiu

76 *& Nolanū.*

77 *Epistola fundatrīcis Collegij Nolani.*

Digitized by Google

„ quamdiu in ditione habui, multũ amaui, quòd
„ semper erga me obseruantissimam experta sum.
„ Nunc verò, posteaquàm mea esse in potestate
„ desiit, amo etiam magis. Cùm enim nihilo me,
„ quàm antè, obseruet minùs: & quicunque casus
„ incidat, nihilo secùs quàm si domina essem, tra-
„ ctet; hæc mihi officia eo sunt gratiora prioribus,
„ quòd illa videri necessaria poterant, hæc planè
„ sunt voluntaria. Agitanti autem mihi assiduè
„ quemadmodum tantorum meritorum gratiam
„ queam referre, in mentem venit, si curarem vt
„ ciuitas libera, suique iuris esset, ac multarũ præ-
„ terea dominatu vrbium potiretur, beneficium
„ multò leuius fore, quàm si ei Collegium è vestris
„ Patribus impetrare conarer; daremque operam,
„ vt Dei famulos adeò communi Domino caros,
„ ita proximorum saluti addictos, ad eamque cu-
„ randã solertes ac vigiles intra sua mœnia haberet.

His adiicit vrbem esse opulentam, incolis refertam nobilibus, morum facillimorum, multisque perdoctis. Quoad certa domus compararetur, media in vrbe celeberrimo loco in promptu esse viri nobilis ædes (is erat Hieronymus Mastrillius, qui deinde filios etiam duos Gregorium & Carolũ, de quibus suus erit dicendi locus, Societati dedit) quas gratis traderet incolẽdas; aureosque hoc initio reditus annui ducenos se pollicери, præter ea, quæ collatura in dies ciuium pietas foret. His litteris acceptis Lainius gratiis actis, reque in Præpositum, qui erat creandus, reiecta, Hieronymo Vigne Societatis homini amantissimo, vt qui ei se ipsum deuouerat, & Rectori Collegij Neapolitani Christophoro Mendozæ mandat negotium eam rem propiùs cognoscendi. Vix inierat dein Lainius magistratum, cùm secundùm gratulationem instat pia ac vigil Comes, aureis centum ad viaticum, & aliquid vestium comparandum missis, vt Collegium extemplò mittatur. Profectus est igitur Roma Ioannes Montoia Rector cum Sociis vndecim: quatuor in his sacerdotes ad Sacramenta ministranda, Deique verbum ferendum: tres Magistri Latinas litteras tradituri: duo domestici ministerij adiutores, & quos vsque ad numerum quaterdenum, Neapolitanum Collegium suppleturum erat ad subsidium ægrotantium, vel morientium Magistrorum, interim futuri discipuli. Hi omnes excepti sunt perhonorificè ac perhumaniter, multis primorum partim in equis, partim pedibus longè obuiàm egressis: quorum comitatu stipati, festo interim etiam nolarum sonitu publicam celebrante lætitiam vrbem Dominica sacri Aduentus quarta iniere. Ea ipsa nocte è sancti Felicis Nolanorum patroni corpore latex, qui sacer ac saluber habetur, (manna id genus liquoribus vulgus fecit nomen) manauit. Quod quanquàm non planè præter solitum euenit; tamen quia persuasum est ciuibus, vbi manat, felicitatem portendere, obseruata res est, & tanquam vetus patronus nouos hospites lætus ac fauens exciperet, cumulauit gratulationem, & spes omnium confirmauit. Anno insequenti Comes maiorem in dies fructum ex instituto Collegio capiens, magnificas ei ac peramplas, quæ Comitum Nolanorum fuerant, pretio comparatas ædes cum hortis attribuit; & in eas subinde migratum ab domo Mastrilliana. Quam ipsam tanta ex eo tempore prosecuta in omni genere felicitas est, vt Hieronymus in exemplis felicium hominum numeretur, & quidam dicerent quemadmodum ingressu suo Dominus in domum Zacchæi salutem importauit, ita receptam Societatem domui Mastrillæ faustitatem attulisse. Porro ad conficiendum annuum vectigal complures ciuium certam singulis annis, hi denûm, alij senûm, quidam binûm aureorum stipem, & consimilem alij spoponderunt, tanquam omnes vellent in sancti operis partem venire. Sed & ad vectigal, & ad templum quoque ædificandum ipsa plurimum Comes Nolana contulit, vt meritò parens habeatur. Quo in templo suum condi corpus, quod postea factum est, iussit. Hæc è multis, quæ flagitabantur, instituta Collegia. & in cæteris, qui aduocabant, populis ratio habita necessitatis: vt vbi præsentiore opus remedio esset, eò priùs accurreretur.

Vallis Tellina præferenda multis est visa. Iacet hæc Vallis inter Alpina iuga in Rhetis Comensi Episcopo diuinis in rebus, eadem in humanis Grisonum (hos olim Rhetos fuisse aiunt) ditioni subiecta. Inter eius oppida, nec infrequens, nec ignobile est, quod Pontem appellant. Hinc genus ducebat Antonius Quadrius Eques, vir apprimè pius, & in arte, quam tractabat, excellens. Chirurgum apud Ferdinandum Regem Romanorum agebat. Is perspecto quàm vtilia Germaniæ terræ Societatis studia essent, opportuna suæ quoque patriæ ratus fore, iam dudum aliquot impetrandis instabat, censum (vt in ea locorum tenuitate) ad fundandum Collegium satis luculentum destinans. Cum Petro Canisio plurimùm egit. Patres tot circa populorum calamitates ac pericula reputantes animo, dignamque prorsus auxilio caritatem Quadrij, Bobadillam ei pridem in Germania notum carumque, haud ignarum prouinciam quàm laboriosam subiret, mittunt. Ex eo, vbi Pontem venit, certiùs status rerum est cognitus. In illud Italiæ Germaniæque confinium, tum ex regionibus citra montes fæcem confluere hominum, tum è locis trans montes corruptos, corruptoresque descendere. Desertorum siue Ordinum Religiosorum, siue Catholicæ fidei receptaculũ ibi atq; asylum esse. Res administrari fermè per Lutheranos, quippe à Grisonibus impositos. Potestatem alloquendi populum Catholicis magistris fieri, si pecunia redimant: idcirco ægrè biduum principio ipsi Bobadillæ precariò concessum. Bonam indigenarum partem aduenarum peste vitiatam: præterea conuentum eo tempore à Grisonibus celebrari, in quo magnus erat timor, ne & sacrosanctum Missæ sacrificium; & cœnobium, quod vnum supererat Religiosorũ S. Dominici tolleretur; nedum spes esset Societatis domicilio locum aperiendi. Super has animorum difficultates narrabat Bobadilla benignam sibi tolerantiæ materiam ab loci natura esse. Inter horridas rupes, & sepulta niuibus iuga montium hiemandum, nec vestitu suppetente, neque victu insuetis ad vitam nisi ægerrimè sustinendam. Quippe incolas castaneis plurimùm, milioque interdum, paucos triticeo pane, eoque peratro victi-

78 *Magna gratulatione excepti Nolæ Patres.*

79 *Nocte proxima manna è corpore S. Felicis manat.*

80 *Nolanorum benignitas in Collegiũ.*

81 *Bobadilla missus in Vallem Tellinam.*

82 *Vbi Antonius Quadrius Collegium meditatur.*

83 *Status rerum in Valle Tellina.*

Digitized by Google

vlcitare: apud quos tam rara pecunia sit, vt duodecim nummos aureos, quos vnà cum socio toto in itinere ipse absumpsisset, pro immenso pondere mirarentur: neque æs, vnde ii rederentur, nisi motu ingenti, & longa circuitione multis ex partibus corradi posset: tamen sibi Christi gratia nixo, & animum ad plurima toleranda, & ad efficiendum aliquid spem adesse.

84 *Chorus Romæ cœptus.* Inter hæc Romæ quæ ad chorum necessaria erant, paratis, III. Kalendas Octobris luce S. Michaëli sacra initium fit cantandi. Dum disputabatur, quo modorum genere vtendum esset, ipsemet Pontifex, quod antè innuerat, fore sibi gratum significauit, si absque varietate vocum musicoque concentu, piè distinctèque pronunciantibus, quàm canentibus propiores, similiter ac Theatini simplicem & aptum ad intelligentiam ac motum populi cantum inirent; taliſque est initus. Nunquam aliàs tam Romæ populo Principibusque grata Societas. Fama erat, modò templum caperet, neminem ferè Præsulum fore, neminem è primoribus ciuium, qui Lainij concionibus non adesset: quin etiam & Religiosis, & liberis sacerdotibus ad excolendam pro virili Domini vineam excitatis, alia Romæ ac superioribus annis erat facies. Multi in suggestis concionatores, multi ad subsellia confessarij, multi ad sacram mensam cælestes epulas frequenti populo porrigentes. Templorum cultus nitidior, & maior ornatus, habendæ sacrosanctæ Eucharistiæ dignior sedes. Quæ qui cum præteriti negligentia temporis conferebant, non poterant non dulcedine magna repleri, & quasi renascente mundo Deum de tanto beneficio non infinitis laudibus cumulare. Præter auxilia & custodiis & nosocomiis allata, cùm difficillima esset annona, Lainij operâ instituta Sodalitas è nobilibus viris templum Societatis frequentantibus ad inopes subleuandos, præsertim qui præ pudore grauiùs laborabant, quorum non exiguus numerus erat. Quæ hodieque Sodalitas sanctorum Apostolorum nomine optimè de ciuitate merita perseuerat. In Romano Collegio studia litterarum florentissima: & quanquam multi non per Italiam modò, sed etiam in Germaniam, Boëmiam, Belgium & Gallias dimissi erant, tamen Socij extremo anno numerabantur centum ac tredecim. Quippe tam multos Deus quotidie submittebat, vt per autumnum ampliùs quadraginta recepti essent. Inter quos & eos, qui in Hispania recipiebantur, hoc intererat: quòd pauci Romæ accedebant ab scientia parati ad continuò res agendas; Iuris ciuilis artisque medicæ haud rari Doctores, at Philosophiæ Theologiæque, vel omnino, vel ita expertes, vt docendi iterum essent: cùm in Hispania contrà plerique se adiungerent humanarum diuinarumque rerum scientia clari, & concionandi animarumque negotia tractandi periti. Quod sanè admirabili modo sua Deus suauissima prouidentia faciebat, vt tantum opus, quod eius in laudem Societas erat ingressa, tueri posset, & præsentes ei operarios mittens, & his perpetim successuros. Inde autem factum est, vt pleraque munerum grauiorum per omnes ferè prouincias Hispani Patres ea tempestate tractarint.

85 *Ad Lainij conciones concursus.*

86 *Sodalitas sanctorum Apostolorū à Lainio instituta.*

87 *Discrimen eorum qui in Italia, & qui in Hispania Societati se adiungebant.*

Extremo anno Lainius commissæ sibi familiæ statum, quæque ad eam vel tuendam, vel prouehendam valere possent vbique terrarum attentè circumspiciens, impensè per litteras quædam rerum capita commendauit. Primum, vt, quoniam Deus illam tam breui spatio vsque eò amplificarat, siue genus personarum & numerus, quibus auxerat; siue prouinciæ, ad quas dilatauerat; siue in commune hominum adiumentum, quò cuncta ipsa Sodalitas & eius amplificatio tendit, feliciter gesta spectarentur; singuli de tot beneficiis eius benignissimæ maiestati præcipuo studio gratias agerent, tum id sanè officio postulante, tum vt hæc pia sedulitas cælestis Patris beneficentiam ad conseruanda concessa dona, & vberiora in dies pro eius maiore gloria, sanctæque Ecclesiæ emolumento largienda inuitaret. Quippe vulgo etiam constat, nullaque re, quàm grato ingratoue animo beneficentiæ fontem, vel exuberare, vel exarescere. Deinde summè commendauit, vt quotidie, quamque frequentissimè animarum, quæ in purgatorio igne cruciantur, studiosè meminissent. Nam quandoquidem Societas tantum exhaurit laborum, occupationibusque tam multis, siue litterariis, siue spiritualibus implicatur eo dumtaxat, secundùm Dei gloriam, consilio, vt homines ad æternam felicitatem consequendam iuuet, quem ad finem creati, pretioque tam grandi redempti sunt; consentaneum profectò esse, vt eumdem persequens caritatis spiritum, etiam ex hac vita digressis ad cursum conficiendum opituletur; ne iusta sit illis causa Societatis caritatem quasi imperfectam & mancam accusandi; & meritò liceat conqueri, se medio in itinere, eoque loco destitutos, vbi nullam omnino sibi ipsi opem queant afferre. Vtrumque hoc caput vehementer commendatum singulis Borgia quoque cupiebat: & in cæteris, quæ ratus animaduersione digna per litteras ad congregationem retulit, adnotauit: Ad hæc qui præerant, omnes admoniti, vt, quoniam non eius tantùm partis cui præfectus quisque est, sed magis totius spectare Ecclesiæ Dei, ac Societatis commune bonum debet; si quem fortè excellenti aliqua facultate præsertim gubernandi, docendi, concionandi præditum haberent, quem spes foret alibi, quàm vbi esset, vtiliùs operam nauaturum, id candidè Generalem Præpositum admonerent. Postremò, cùm in infimis Grammaticæ classibus latissimus offeratur campus diuinæ gloriæ seruiendi, optimeque de Christiana merendi republica, siuè quòd auditorum in iis classibus maior est numerus, siue quòd tenerior ac simplicior ætas aptior est ad pietatis recipiendam ac retinendam formam (cùm ferme, quæ prima insederunt animo, difficillimè aboleantur; &, vt vitæ posita initia sunt, ita reliquum consequatur) res tanti ponderis vt quàm aptissimè tractaretur, quoniam in quibus diutiùs quis versatur, ea ferè meliùs agit; viderent num homines idonei essent qui sanctissimo vtilissimoque huic muneri ætatem suam omnem vltrò deuouerent:

88 *Indicta gratiarū actio pro incremento Societatis:*

89 *& precatio pro defunctis, quæ Societati præcipuè conuenit.*

90 *Bonum magis commune præferendum minùs late patenti.*

91 *Perpetui Grammatica Magistri quærendi.*

Digitized by Google

92 *Qui missionem Indicæ cupiunt, debent Generalem admonere.*

ac similiter obseruarent, si qui libenter ad Indos ac Barbaros ituros se demonstrarent. Tam enim difficilem prouinciam iis præcipuè videri demandandam, qui ad eam præter Moderatorum iussa suopte quoque nutu ferantur. Quæ vbi denunciata Sociis Præpositi voluntas, cùm antè multi Indicam ambirent expeditionem, multò inde plures eam sibi aliis super alias litteris precari institere. Nam qui nutum antè obedientiæ taciti expectabant, cùm ipsa iam obedientia iuberet loqui, non modò nihil contra perfecti obsequij rationem cõmittere se certum habebant suis in ea re studiis declarandis; sed potiùs nisi indicarent, & obedientiæ, & ipsis Indorum animis, ad quos seruandos fortasse missi fuissent, si paratos se ad iter significassent, fraudi fore.

93 *Vita & obitus P. Danielis Paëibruck.*

Natali Christi die æternæ, vt certa sunt argumenta, ortus est vitæ Daniel Paëibruck Collegij Montis regalis in Sicilia Rector. Cùm ageret animam, rogauit ad solennem professionem, ad quam fuerat à Beato Patre designatus, quo tanto cum Societate coniunctior migraret, admitti: quod ei Domeneccus voluntatem Lainij interpretans, & quid de Daniele Ignatius sensisset memor, concedendũ putauit. Multis antequam obiret diebus Rectori Panormitani Collegij Paulo Achilli, & ipsi Prouinciali Domenecco, qui hæc ipsa scripsit, apparuisse sibi iuuenem vnà cum duobus comitibus confirmauit, ac denunciasse die Natali Domini migraturum è vita post prandium. Eò malum, cùm hæc narrauit, excesserat, vt Patres de viso ambigerent. Nemo enim omnium erat, qui ad eam vsque diem extracturum animam crederet. Vbi verò præstitutus dies adfuit, cùm perinde ac superioribus diebus, nihilo deteriùs haberet, multo magis de visi fide ambigebatur, cùm causa mortis noua non appareret. Verùm vti prædixerat, ita prorsus euenit. Post meridiem summa cum animi oriq́ue alacritate Panormi, vbi ægrotabat, edito tantum singultu, vinculis solutus est corporis. Habitum est inter cætera eius æternæ felicitatis indicia Collegij Montis regalis res continuò post eius obitum facta melior. Nam migraturo Patres salutationes ac mandata ad Socios beatos nominatim ac generatim dederant, resq́ue prouinciæ commendarant: quæ vt alacer acceperat, ita fideliter executus, sui potissimùm Collegij memor haud dubiè credebatur. Hic est Daniel à Denderamonda (Teneramondam alij vocant) qui anno sæculi huius XLIV. in Societatem Louanij receptus à Fabro, missusq́ue cum aliis in Lusitaniam, & inde remissus in Belgium, ac mox euocatus in Italiam Patauij Theologiæ stud js operam dedit. Inde anno quadragesimo septimo, rursus

94 in Belgium missus, breuiq́ue reuocatus, res in Sicilia præclaras gessit Panormi, Caranæ, aliisq́ue locis, & præcipuè in oppido Itala, vbi & populum ipsum, & Abbatiam Monachorum sancti Basilij ad egregiam Christianorum morum formam excoluit. Aliquot ibi consedit annos, nunc in monasterij oppidiq́; templis concionem sanctioribus diebus, & sexta quaque feria catechesim habens, nunc detergendis cõscientiis affixus, ne tum quidem cùm morbo ipse langueret, vacatione vtens imbecillitatis humanæ. Inimicitias extinxit, superstitiones sustulit, notitiam Christianæ disciplinæ vulgauit, ipsis quoque Monachorum ritibus Græcis, quos per imprudentiam despicere populus videbatur, publicè explicatis, auctoritatem & venerationem quam merentur, quæsiuit. Interdum quoque per diœcesim propè omnem Mamertinam excurrit Apostolico ritu, ad Dei regnum voce omnes manuq́ue inuitans; oppidatim & pagatim catechisticas scholas inducens. Quibus in excursionibus, non labores modò viarum, sed & non rarò famem ac sitim, & rerum, quas natura desiderat, inopiam tolerabat. Sed ita omnes molestias & penuriam temperabat Dominus, vt profiteretur expertum interea se centuplo maiorem consolationem, & animi corroborationem, & perceptionem supernæ lucis. Nam cùm & librorũ copia, & otium ad commentandum deesset, aderat tamen tanta ad dicendum vbertas, tanta ad quæstiones de officio, quamlibet impeditas diiudicandas perspicacia & solertia, absque omni angore, vt præsens Dei fauor oculis propè ac manibus teneretur. Nimirum verè humilis obedientisq́ue seruuli operosam caritatẽ respiciebat bonus ille Dominus, ac fouebat, qui humilibus dat gratiam, & laudem ex ore infantium perficit. Ille verò quò administrum se boni publici commodiorem redderet, non modò aliis disciplinis imbuerat diligenter animum, sed etiam Græcã linguam & Hebræam bene didicerat; & quidquid ab animarum vacabat opere, mira temporis parsimonia in sacra monumenta idiomatis iis legenda conferens, tum suam, tum alienam pietatem rigabat viuis fontibus & alebat. Iamq́ue ita munitus & instructus id agebat, vt ad Palæstinæ sacra loca ab impietatis, si consequi posset, tyrannide vindicanda destinaretur, quòd ea Beato quoque Patri fuisset cura, & Iudæorum conuersionis, erga quos ob Christi originem benignè afficiebatur, post illatum iam vltimis Indiarum gentibus Euangelium, appropinquasse tempus existimaret. Cæterùm sileri non debet, sub mortem, cùm rerum color ex sublucente iam futuræ vitæ radio cernitur, morsu non caruisse, ne fortè quid studij contulisset in peregrinas linguas, quod animis potuisset impendi.

Inter hæc Collegia Sicula magnis proficiebant incrementis. Haud alibi magis quàm Syracusis ipsa sibi paulatim collegarum virtus & nauitas ad notitiam & caritatem ciuitatis præluxit, cùm primò non solùm obscuri, sed vulgo etiam inuisi accessissent. Nouem haud ampliùs erant, pari numero tripertiti, sacerdotes, scholastici, familiarium operum administri. Nemo non ministerium implebat suum; verùm sacerdotes duo Ioannes Philippus Casinus, & Michaël Lætaualljs longè supra cæteros eminebant. Ille præter Collegij præfecturam quidquid mente sacerdos, vel ore, demum aure manuq́ue potest, in publicas ita conferebat rationes, vt laboriosa caritas cum simplicitate modestiaq́ue certaret. Hunc natu grandem iucundum erat inter paruulorum innocentium gregem, dilectam Christo ætatem, videre pro Christo repuerascentem. Senas ea tempestate quotidie ludus in Sicilia tenebat horas. Illum nec magnitudo frangebat laboris, nec longinquitas

95 *Syracusani Collegij seruor.*

96 *Michaëlis Lætaualij sanctitas.*

Digitized by Google

ginquitas delassabat tepori, nec puerilis quidquam ineptiæ commouebant. Superque ea totus in sacerdotalia ita se dabat munera, vt desideria naturæ non sentiret. Itaque hoc ipso datæ anno » litteræ talia de eo nunciant. Is, qui sacerdos & » Præceptor est, adeò in omnibus est mirus, vt fidem res excedat. In proximorum salute ita occupatus videtur, vt de nulla re alia cogitare eum » putes. Quoties ad vespertinas vsque horas non » pransum, & post bonam noctis exactam partem » non cœnatum confessiones audire illum videmus? Sancti huius animarum zeli eui dentius signum illud sit. Fortè nobiscum bonus iste Pater » pransus non fuerat. Post autem aliquot horas ad » prandium accersitus, Quid, inquit, num ego ad» huc pransus nõ sum? neganti, Equidem, respon» dit, comedisse me existimabam. Neque mirum: » proximos enim adiuuare, & in rectum iter ad» ducere, eius est cibus: cui si concederetur, non » rarò dubio procul & prandij & cœnæ hac ipsa » de causa obliuione caperetur. Hic idem præter » scholæ sibi impositum onus facilè sexcentorum » confessiones ordinarias audit, inter quos ex hu» ius vrbis primariis quidam sunt. Nunquam hunc » mœstum, nunquam piis non inuigilantem ope» ribus cernimus. Quid plura? Apud Syracusanos » iam ferè proprio nomine appellari desiit: Bona » siquidem ciuium pars Sanctũ illum Patrem nun» cupat. Hæc virtus, hæc fama Michaëlis erat hoc tempore, quam perpetuis deinceps auctibus, multis quoque & illustribus edendis miraculis consequens ætas vsque ad vltimum cumulauit. Cæterùm pestiferæ per æstatem Syracusis grassatæ febres, quæ multos mortalium rapuere, caritatem Patrum nudarũt, dum promiscuè ad summos & imos laborantium accurrunt, & agentibus animam totos interdum dies & noctes adsunt. Quod opus miram ab ciuibus gratiam iniuit, & Episcopus Hieronymus de Bononia ita commendabat, vt, quoniam summa rerum in morte agitur, nullum diceret conferri posse cum eo.

97 *Opus iuuandi moribundos maximum.*

98 *Petri Venusti Martyris egregij labores.*

Bibonense Collegium Petri Venusti postea Martyris auctoritas & industria sustinebat, gratia & fauore Ducum Petri Lunæ, eiusque coniugis Isabellæ Vegæ, quorum regebat animas, subnixa. Dumque his adest, vnà populis, apud quos illi per varias anni tempestates degebant, nunc Bibonæ, nunc Calatabellottæ, nunc Saccæ commoditates plurimas afferebat. Docebat assiduè in summis templis studio magno, facultate non exigua. Catechismum rudibus, quæstiones cõscientiæ Clericis exponebat: expiabat pœnitẽtia sontes: simultates tollebat: virginum cœnobia ad seueritatem disciplinæ pristinam reuocabat: colligebat ex opulentis luculentam stipem, & miserias inopum ostiatim leuabat: complures ob æs alienum vinctos persolutis nominibus liberabat: aderat ægris ac moribundis: aliisque, quas ministrabat caritas, mille viis omnibus omnium inseruiebat temporibus. Quæ dum maximè vrget Saccæ, Dux Isabella octauo à partu die III. Nonas Ianuarias funere sanè acerbo rapitur. Digna immortalitate femina, digna parentibus atque germanis: cui Christianorum decorũ nullum deesset; non sanctitas morum, non aduersus diuina studium, non ars & cura regendæ domus, non denique siue in subiectos clementia, siue benignitas in calamitosos: nostri verò nominis studiosa in paucis. Bibonensis Collegij parens fuit, quod meditabatur quàm optimè constitutis adæquare. In eius templo condi se iussit, cui perficiendo pecuniam legauit: & ingentem pridem thesaurum donarat præclaras Sanctorũ reliquias olim Romæ à parente sua (dum Ioannes Vega Caroli V. orator esset) conquisitione magna collectas. Inter acerrimos dolores hortante Patre Venusto quietis vt aliquantùm caperet, (nam etiam tum piis animum curis fatigabat) Pater, inquit, non id tempus est, cuius debeat fieri iactura. Flentibus circà se cunctis, sola læta erat, tota in immortalitatem versa, omnia habens solatia, omnes delicias in colloquiis, quæ cum Christo Domino crucifixo perpetua habebat. Adfuit morienti, laudauit demortuam pro concione Pater Venustus, & deinde ad Præpositum Lainium scribens sperare se confirmat, quamuis rarum illud virtutum omnium (sic enim loquitur) exemplum amissum esset, ac tantum Bibonensi primùm Collegio, tum aliis omnibus præsidium decessisset; tamen patrocinaturam eam è cælo, opemque Duci impetraturã, vt cœpta perficeret. Quod non temerè speratum subinde apparere cœpit, nouo Calatabellottæ domicilio, vbi æstate Dux agitabat, inchoato. Quod visum est Patribus concedendum non publici modò boni, sed etiam priuati respectu. Biennio antè cùm primùm adita Bibona est, è collegis duodecim exiguo interuallo quinque mors eripuerat. Proximo anno, tametsi vnus tantùm cecíderat iuuenis Perusinus, obedientia, simplicitate, suique contemptu singulari, & cæterarum exemplar virtutum, Hercules nomine; reliqui tamen vno alteroue excepto, decubuerant periculosè omnes, haud facilè euasuri, nisi è Collegij tectis migrassent. Quo tempore cùm oppidanorum in eos vniuersè omnium, tum priuatim Carmelitarum Religiosorum manifesta pietas facta est. Quippe receptis ad se non domicilium modò hospitaliter, sed omne dies ac noctes obsequiũ, vultusque & animos planè fraternos exhibuere. Ergo cùm in huiusmodi casus non alienum videretur Calatabellottensis sedes perfugium præbitura, & Duces pollicerentur alimenta, & se quoque aliquid collaturos oppidani ostenderent, & Vicarius Agrigentinus sanctæ Margaritæ dicatam cessisset ædem; Venustus Panormo primos incolas anni huius æstate duxit. Quatuor ii fuere, quorum Præfectus Angelus Policinus breui extinguitur ingenti damno prouinciæ. eam virtutis & ad agendum de superiore loco apud quemlibet cœtum facultatis eximiæ expectatione concitauerat. Petrus ei Mercatus successit, is, qui 101 postea expeditionem Indicam impetrauit, haud veteranus ex milite profano sacerdos. Cæterùm subinde Dux in Hispaniam cùm abiisset, populares, quos ad recipiendum Collegium nulla magis causa perpulerat, quàm vt oculis domini seruirent; vbi è conspectu ille euanuit, adeò se difficiles infensosque præbuere, vt deserenda statio videretur. Duratum est tamen, &, vt assolet, constantia vicit. Per autumnum vno aperto ludo,

100 *Calatabellota sedes inchoata.*

99 *Isabellæ Vegæ obitus & virtus.*

moxque

Digitized by Google

moxque duobus adiectis, vbi suos quisque suorumue liberos caritate viderunt ac benignitate paterna, religiosaque patientia gratuitò edoceri: simulque quos modò licenter vagos in puerilibus dolebant nugis ac vitiis adolescere, iam pietatis viderant atque humanitatis disciplinæ deditos; domi morigeros, foris modestos; excussas ex ore contumelias, è manu iniurias, lusorias è sinu pagellas; dispicere cœperunt, quid ad se boni haud cogitantes venisset. Vbi verò Iosephus Blondus è schola in templum sæpè digressus ipsum pro concione populum edocere instituit; nec sæciùs in pœnitentiæ sella munere sacerdotes suo, itemque per oppidum apud ægros & moribundos funguntur; quin & Magistri per vacuos operum dies circum vicos sparsi, vt in globos incidêre feriatorum, manipulatim noxas indicatum ad sacerdotes adducunt; denique conquisitis ostiatim ex horreis & loculis ditiorum solatijs tenuiorum penuriam leuant; ac tota sensim facies oppidi immutatur; tum scilicet mutatis animis, amore cum Patribus & veneratione certabant. Merces operæ vel prima fuit coërcita linguarum intemperantia. Ipse Sociorum conspectus atque occursus iniiciebat frænos, & faciebat cautiores, tum veneratione, tum quòd incastigatos se norant non abituros. Nec facile dictu est quantum cœtibus sacris iuxtà virorum ac feminarum cùm sermonibus & familiari vsu, tum exemplis ad sanctiorem vitam allatum sit incitamenti ac lucis.

102 *Publica vsilitates ex nona sede.*

103 *Catanenses schola.* Hoc eodem anno Catanæ, quod inchoatum biennio antè erat Collegium, ad iustam prouehi molem cœptum, duabus in eo discentium scholis institutis, quibus tertia mox & quarta adiectę. Omnes Catanensium ordines perpetuo semper tenore beneuolentiæ singularis, & incrementis fauere Collegij, & Patrum laboribus vsi sunt. Sancius hîc Ochioa Nauarrus per Antonij Vinckij absentiam, postque eius decessionem Rector curauit. Aduersus quem aliquanto pòst, cùm deplorata valetudine iaceret, tanta omnium caritas apparuit, ita vota votis accumulata, & continuata ieiunia, & nudis pedibus circa templa cursatum, vt creditum sit planè vi precationum fugientem è corpore animam retentam.

104 *Panormitani Collegii columnæ.* Mamertinum quoque & Panormitanum Collegia inclarescebant in dies magis. Huiusce profectus tum curæ, tum præcipuè sanctitati Rectoris tribuebatur Pauli Achillis. Acris quoque mirum in modum iuuabat Ioannis Baptistę Carminatæ facundia, qui necdum sacerdos in suggestum productus, moxque beneficio legis ante legitimam ætatem sacerdos creatus, conuersiones animorum (vt ipse testatur Paulus Achilles) mirabiles planè efficiebat. Messanæ non modò spectabilis, sed prorsus vltrà vires humanas habebatur Hieronymi Ottelli operosa solertia. Feriatis quibusque diebus in Collegij templo concionem matutino docebat; à meridie in basilica vrbis primaria, quæ Deiparæ sacra est, S. Pauli Epistolas exponebat. Inde sub vesperam in cœnobio deuotarum Deo virginum, quas ad conferendas res in medium, vitæque communitatem hortatibus suis compulerat, verba velut recens & integer faciebat. Quo triplici labore ita die fractus non est; vt quartum pòst paulò accumularit. Cùm enim reuersus ab Vrbe Domeneccus in Collegio Neapolitano conspectam sibi Sodalitatem narrasset, in qua per familiarem catechismi expositionem ad insignem virtutem homines formarentur; arripuit statim Ottellus industriam, emolumento sanè præclaro. Inde enim efficaci prodiere virtute viri, qui non modò in suas, sed latè tota Messana vicinorum in domos Christianæ formam innocentiæ operâ & exemplis introduxere. Hæc Ottelli cùm essent feriatis diebus nunquam intermissa munera, operosis illa erant. Intra domesticos parietes quotidie scholas de officiorum momentis habebat: superque ea sexta quaque feria libros Salomonis explanabat in templo: & priuatim domesticis Constitutiones Societatis declarabat. Denique & super mensam non rarò reficientium cibo mortali corpora, nutriebat animas immortali pabulo verbi Dei. Ad hæc superat propè fidem, quàm vnus multorum confessiones quotidie exciperet, quàm multis agentibus animam præstò esset, quanta consultorum turba assiduè vallaretur. Neque tanta hæc grauissimorum munerum varietas, siue solida fruge, siue approbatione communi destituebatur. Fuit cùm in verba Christi Domini, *Pater ignosce illis*, de condonandis iniuriis tanto egit motu, vt digressi è concione mortales velut attoniti alij ad aliorum genua, vt sibi per vicos occurrissent viri ac feminæ nobiles prouoluerentur, & inuicem veniam offensionum rogarent. Homines dissoluti, & ab rebus diuinis planè auersi, vt primum concionatorem sancti Nicolai (ita nominabant) siue curiositate pellecti, siue necessariorum adducti precibus audiebant, mutatis abibant animis, ac fermè ipsi se totos Ottello ducendos, fingendosque præbebant. Quàm verò cupidè audiretur, tametsi confertissima concio, & in occupādis locis concertatio, & amplificatum collatione auditorum voluntaria templum satis ostendit, tamen illud documenti loco ponatur. Cùm iam diu pomeridianas disputationes in templo principe haberet, Messanam venit doctus & eloquens cœnobita: qui, siue vltrò eum locum, siue ab quopiam (quocunque tandem studio) incitatus appetierit, adit Ottellum Canonicus è primis, communique Collegij nomine rogat, vt parcere pauliper sibi, & diuidere laborem cum viro præstanti, quem nominabat, velit. Dubitatio nulla fuit Ottello, quin nobilem illam palæstram athletæ nobili non modò libenter, sed cum gratiarum quoque actione cederet: simulque, ne quid laborum ipse remitteret, inchoatas disputationes in domestico persequi templo instituit. Auditores in Ecclesiam matricem ad nouum oratorem affixis per vrbem libellis inuitantur. Cæterùm vix in suggestum Ottellus processerat, ac dicere templo auditorum refertissimo exorsus erat, cùm Canonicorum ferè omne Collegium, præcipui ciuium, & aliquot è Magistratu, qua data via in cōcionem ingressi dicentem magnis vocibus interpellant; factam sibi dolent iniuriam, alium se præter eum nolle doctorem; descendat continuò, & ipsos sequatur. Nihil ille præferendum ratus obedientiæ cōtinuò descendit.

105 *Messanæ res præclarè Ottelli.*

Digitized by Google

dit. Tum verò velut humeris, & inter manus cum summa gratulatione rapitur, & concione vniuersa sequente, ad templum princeps transfertur. Ibi solennem tractatum habet, sed, vt erat nihilo magis voce, quàm re nuncius pacis ac prædicator modestiæ; ne quid dolerent, qui alterum euehebant, & aliquid factionis cooriretur, efficiendum ipsemet cum Canonicis sumpsit & effecit, cum bona gratia eorum dicere vt sibi in sancti Nicolai liceret; & vacuum oratori, quem vellent suggestum princeps reliquit. Huic tantæ tamque multiplici cõcionatoris industriæ etiam confessariorum respondebant Messanæ pro virili conatus. Voto se quidam eorum Paschales circa ferias obstrinxere non destituros quoad tricenos minimùm quisque audisset ex iis, qui confessionem ab annis quinque aut amplius omisissent. Et impigrè ad sanctam quasi venationem egressi, sagaciqué caritate viris tanquam venaticis catulis inter milites, inter agrestes, inter nauticam turbam, & alia negligentiora pietatis genera dimissis, voto vel in triplum satis fecere, inuentis præter cætera desperata capita hominibus tribus, qui nunquam omnino conscientiam sacerdoti (& prouectior erat ætas) aperuerant, vix lauacro tenus & nomine Christianis. Hoc autem æstu animorum dum suam quisque non tantùm Messanæ, sed vbique per insulam certatim administrant partem, nec gymnasiorum minus, quàm templorum studia feruent, interque se pulchro certamine litterarum magistri, criminum cognitores, diuini verbi præcones contendunt; atque vicissim alteri alteris porrigunt in loco manus, & mutua succurrunt ope; florebat sanè tota Sicilia, inque dies mirum in modum augescebat Societas cùm publicarum effectu rerum, tum Collegiorum firmamentis & celebritate nominis, & nouorum domiciliorum apparatu, denique & numerosæ sobolis accessu. Ludouicus Vngria vt se ex morbo reficeret, Messana in Montem fortem abierat. Inde reuertit non modò validus, sed quatuor auctus Sodalibus, inter quos indolis raræ Stephanus Tuccius fuit. Ob eamdem valetudinis reparandæ causam in oppidum Veneticum Angelus Sibilla adolescens missus, inde sacerdotem gentilem, atque cognominem suum raræ hominem bonitatis, seniorem Angelum Sibillam ad Tirocinium duxit. Quin haud alibi plures Societatem inire domus totæ cupierunt. Exiguo interuallo germani tres fratres Regij cum patruele & consobrino accesserunt. Ad hæc paria aliquot patrum ac filiorum: tum Oliuerij tres vnà cum parente: mox item cum parente Sardi fratres quatuor.

106 *Confessariorum fernor Messana.*

107 *Prouincia Siciliæ florentissimus status.*

108 *Tota domus Societatem expetunt.*

Rebus hoc secundo cursu euntibus non deerant casuum, aduersorum incursus; ne videlicet Satan pro domito se plancque subacto profiteri videretur, vel filiorum nota famulos suos, & characterem iustorum priuari Deus pateretur, ac demum negligentia, vel superbia, insidiosæ comites prosperitatis, obreperent. Hoc ipso anno longè lateque iniusta laborarunt infamia. Extra ædem Collegij, cui sanctus Nicolaus patronus dat nomen, altera erat eodem nomine Messanæ, quam Sanctus Nicolaus de Monte appellabant. In hac diuina curabat sacerdos opinione sanctitatis non vulgari: presbyter Ioannellus ei vocabulum erat. Is ibi totum per annum negotiosis diebus quotidie semel, feriatis verò bis ad concionem dicebat. Ibidem administrabat homologeseos & synaxeos Sacramenta non paucis: & præcipua cura feminas quasdam excoluerat. Has ferebat fama quinas senasque horas abalienatas ab sensibus permanere, & longissimum tempus sine vlla cibi fultura sustinere vitam. Paucis ante Pascha diebus rumor accidit primò ipsum presbyterum Ioannellum horas sex in ecstasi, & aliquot dies ieiunum perstitisse: deinde vulgatur mentis impotem factum. Agebant, opinor, hominem in insaniam conscientiæ fœdæ labes, iamque vltrix Numinis ira proferre in apertum occultata diu scelera maturum ducebat. Demum primo Paschæ die inter alia pro concione effudit quatuor alumnarum suarum sanctas esse; vnaq; nominatim appellata, Adorate eam, inquit, sancta est. A meridie verò rursus ad concionem reuersus de alia dixit, Altera est Virgo Maria in terris: adorate eam, adoraturi æternum in cælo. & protinus auditores in genua ad adorandum procubuere præter vnum Collegij sectatorem; quem presbyter Ioannellus, cùm semel iterumque, Et tu bellua quid cessas? intonuisset; haud satis intelligentem compellare de nomine, & increpare non dubitauit. Secundùm concionem discipularum quædam reddituræ vicem magistro, sanctum eum prædicare aggrediuntur: idq; se, quidquid Cardinales, quidquid Pontifex contrà sentiret, testaturas dato iugulo profitentur. Demum presbyter datur in vincula, postque fugam reprehensus ducitur ad sacros Quæsitores Panormum. Hic fœda & impia dictu confessus exuritur. Non discrepabat à nostris sacerdotij gradus & cultus. Propositum & munera videbantur eadem vtrorumque: sedulitas in speciem haud dispar: Sancti Nicolai titulus idem. Accessit iniquitas temporum, quòd subinde non pauci religionis corruptæ rei facti. Ergo per errorem vulgus, per maleuolentiam iniqui infamiam in nos vertunt tanta cum apud imperitos inuidia, vt satis mirari non possent, quòd iam spirandi nobis, nedum attingendi sacra, agendique cum populo potestas relinqueretur. Quæ opinio, cùm publicè noxia esset, faciendum sibi ciuitates principes putauere, vt eam diplomatis suis abolerent. Et Panormitanus quidem Prætor ac Iuratorum Magistratus hæc inter alia prodidere: Scimus & intrepidè fatemur sanctissimis horum Patrum institutis, doctrina & pietate plurimos apud nos quotidie, & in scientiis & in spiritu proficere, nec vnquam ab extructo eorum Collegio aliquam vel minimam criminis suspicionem subortam fuisse; quin plurima eorum operâ huic ciuitati emolumenta accessisse; vt nulli dubium sit eos verè in Societatem Iesu esse adscitos; vnde & hoc nomine meritò in hac vita nuncupantur. Quæ omnia cùm ita se habeant, nostra omnium auctoritate ac fide publicè testamur, hos Patres nunquam his, quæ sibi vulgò adscribuntur, criminibus fuisse adstrictos. Et, si qui sint, qui hanc conceperint opinionem, posthac deponant, aut sibi certò religioni vertant, quòd tantorum Patrum nomini tam facilè detrahant: nec illum sacerdotem

109 *Presbyteri Ioannelli fœda sacrilegia.*

116 *Ex Ioannello in Societatem infamia.*

111 *Testimonium pro Societate Panormitana norum.*

Digitized by Google

112 *Testimonium Mamertino rum.*

cerdotem in illorum vnquam Societatem admissum fuisse existimēt. Mamertini verò, postquam fidem fecerunt, Ioannello nihil cum Societate commercij fuisse, & Patres non modò à culpâ, sed etiam ab omni suspicione omnino abesse, subiiciunt. Quin etiam verè affirmare possumus, atque apud omnes liberè testificari ab extructo Collegio nunquam quidquam de illorum vitâ, moribus & doctrina auditū apud nos esse, quod non ad omnipotētis Dei laudem, & nostratium hominum ædificationem maximè pertineret. Scimus eos habendis concionibus, confessionibus audiendis, iuuentute litteris & moribus instruenda, sacris Litteris publicè interpretandis, docenda Christiana disciplina, ægrotis ac vinctis inuisendis, aliisque id genus operibus, nec id modico ciuitatis fructu & gaudio assiduè occupari. Vitam verò ita castam & incorruptam ab illis agi, vt exemplo non minùs, quàm eruditione & institutione prosint. Quo factum est, vt magnam probitatis ac doctrinæ famam & obtinuerint hactenus apud nostrates homines, & nunc quoque retineant. Quæ cùm ita sint oramus si qui sunt, qui falsò illi rumori fidem adhibuerint, eam opinionē longè abiciant, & quam de huius Societatis Iesu Patribus existimationem bene conceperant, eam liberè ac tutò conseruent. Huiusmodi testimoniis aliisque non leuioribus, quę ipsa constanti tenore Sociorum edebant facta paulatim extincta infamia est.

113 *Canisius de Exercitiis Beati Patris quid sentiret.*

Hæc dum per Italiam fiunt, Petrus Canisius in Poloniam cū Satriani Episcopo Pontificio Nuncio tendens, vbi Germaniam attigit, omnia Ingolstadij secunda reperit. Egregiè, quod caput & fons cæterarum est rerum, pietas domi procedebat; cuius instaurandæ gratia & multi ante eius aduentum, & pòst multò plures aliquamdiu ad spiritualia Beati Patris Exercitia recessere. Hoc optabat agebatq; Canisius, vt semper aliqui domi essent è Sociis, qui in illa se salutari palæstra exercerent: cùm diceret, sicut Beatus Pater per eas meditationes propriam illam quasi indolem sanctitatis ac formam hauserat, ita fore vt eius filiis; si accuratè conquirerent, per eadem subsidia spiritus idē impertiretur. Ergo Viennæ quoque ac Pragæ idem curauit. Viennam tristis præiuerat (seu fortè ibidem extiterat) rumor Canisium haud Tridento procul dira cæde mactatū. Quo amicus perculsus nuncio ad Collegiū cursu delatus, Patres tàm acerbo in casu, tantaq; iactura per consolandi studium solicitudine ac mœrore complebat, cùm ipse extemplò sanus ac saluus apparet Canisius. Ergo fit mira conuersio. Ruitur in amplexus, tanto dulciùs, quanto vehementiùs repentina animum feriunt, quantoque acrior à contrariis contrariorum est sensus. Et cumulauit lætitiam Pater, vbi creationē Præpositi, felicem Societatis progressionem, & præcipuam Dei in Romanas res indulgentiam, & alia id genus exposuit. Iam primum illi declarati nuncium Præpositi tanta vòluptate exceperant, vt octo continuis diebus communiter Deo gratularentur hymno Ambrosij & Augustini, cantico Zachariæ, & aliquot precatiunculis quotidie pronunciatis. At vbi res eas Canisius sancta plenaque grauitatis ac suauitatis oratione sub aspectum ponit, & appositè hortatus & aculeos intermiscet, omnium pectora nouus ardor vigorque ad strenuè cœpta vrgenda subire visus. Cæterùm vni maximè Sociorum non gaudium modò, sed & præsentem opem, atque adeò salutem viri Dei aduentus tulit. Plus biennium miser fictè se in Religione simulateq; versatum professus, demum obstinauerat animum prorsùs sacra claustra deserere, seque ad reuisendos parentes cognatosque proripere. Quæ diaboli ludibria inter Sodales vulgata hoc grauiorem omnibus curam & dolorem incusserant, quòd semper illē, quamuis simulasse diceret, bona obedientis religiosique hominis pignora & exempla præbuerat. At vbi ad retinendum pro se quisque connitur, non blandimentis, non precibus, non intentatis ab vindice Numinis ira minis, non fusis publicè priuatimque ad Deum precibus, non susceptis vltrò suppliciis, cùm totam pro se domum in squallore & angore cerneret, demoueri ab læua mente potuerat. Sed cordi fuit Deo, vt tempestiuè Canisius adueniret. Is pereuntem filium amanter complexus hortatur, vt aliquid sibi ipse infligat pœnæ, & flexis genibus extensisq; manibus cælestem Patrem precetur, vt ab ea se dæmonis fallacia eximat. Qui cùm paruisset, postridie ad Canisium prorsus alter redit, fatetur errorem, expiat generali confessione multis cum lactymis animum, postulat publicam pœnam, quò domesticis satisfaciat: exercitationes quoque Beati Patris, quas antè respuerat, vltrò petit, ingentique cum ardore obit. Denique sanctè vota instaurat, veroque animo diuinum ex integro capessit obsequium, lætis Sociis, nec mirantibus minùs, quàm si reddita vita moribundo esset. Res in commune bonum, quoad fas erat in obrutis hæreticorum colluuione vrbibus, haud malè gerebantur. Maximum ab puerorum institutione solatium accedebat. Numerus nequaquam ingens discentium erat: sed illi in Catholica religione constantes vsque eò, vt, ne vetitis diebus carnes attingerent, cùm vrgerent depraui parentes, nunc morbum simularent, nunc causas declinandæ mensæ comminiscerentur, nunc etiam simulantes in os inferre, furtim aliò proiicerent, nunc aliis atque aliis artibus oppugnationē eluderent. Permulti Canisium adiere rogitantes, vt iis certaminibus ereptos aliquò amandaret, sed ante omnia in Societatem adsciscret, quocunque innueret perrecturos; quidquid muneris aut laboris quantumuis duri infimique imponeret, exhausturos. Bono animo Prouincialis esse iussit: aliquot etiam in Seminarium Germanicum Romam misit. Adhæc Rector Viennensis Ioannes Victoria strenuus, & magni animi operarius Hispanorum ope ad pauperes adolescētes, quorum materia probaretur, alendos & imbuendos litteris contubernium instituerat, sapientissimis quibusque viris maximè inceptum probantibus. Quòd non præstantia solùm ingenia, quæ alioqui iacuissent in tenebris, & in sordidis opificiis consenuissent, per hanc opem excitarentur, & euocarentur in lucem: verùm etiam sacerdotum inopiæ, qua perniciosiùs propè nihil Germaniam fatigaret, aliqua ex parte consuleretur. Ferdinandus verò Imperator

114 *Patrū Viennensium de creatione Præpositi Generalis gratulatio.*

115 *Canisius periclitanti animæ vnius Sociorum succurrit.*

116 *Gymnasiorum vtilitas in Germania.*

117 *Vienna primum Collegium pauperum instituitur.*

118

Ferdinandi Imperatoris in Societatē benignitas.

perator paulò antè decretum ediderat, quo potestatem Societati faciebat vbique locorum suæ ditionis liberè omnino docendi, concionandi, suiq; instituti munia cætera obeundi. Cupiebat optimus Princeps ruentē in exitium Germaniam sustinere, sed angustiis vndique maximis vrgebatur. Canisium inuisentem excepit humanissimè, terq; cum eo familiariter, deq; arcanis cōscientię suæ prolixè egit. Et quia præcipuum ad religionē tuendam repositū in hac pusilla Iesu cohorte sibi rebatur præsidium; inde scilicet fiebat, vt quæ ad firmandam eam ornandamque pertinerent, procliuiùs quàm quisquam peteret, largiretur, inuitans vltrò, & extimulans ad petendum quidquid ex vsu foret. In Viennensi Academia plerique erant Doctorum dubiæ fidei, idcirco Societatis Doctores auctoritate Cæsarea confirmauit: eorumque duos in Academia diuinas tradere disciplinas voluit.

119 *Vita præclara & mors Theodorici Amsterodamij.*

Inter hæc satis læta Socio Canisius, magno Germania ipsa subsidio spoliatur. Theodoricus Gerardi Amsterodamius iā diu fama notus Viennæ, & expectatus, quanta cum gratulatione veniens exceptus fuerat, tanto cum mœrore omnium postridie quàm venerat, morbo correptus Kalendis Octobris occubuit. Theodoricus Canisius Petri germanus ex patre frater, & planè sanctitate germanus paucis antè mensibus Bononiæ vnà cum Paulo Hoffæo Theologiæ creatus Doctor in Germaniam missus, qui Amsterodamium Theodoricū & iam pridem adolescentē Louanij familiariter norat, & quicum in Romano Collegio arctissimè vixerat, hæc de eo litteris tradit: Bono genere & cōsulari satum: inde à puero eximiam præ se submissionem & pietatem tulisse: ingenio verò præstanti fuisse, & inter condiscipulos Louanij primā omnium consensu iudicum Philosophiæ lauream adeptū. Inde cùm ad Iuris prudentiā adigeretur à parentibus, nonnullam ei disciplinæ, ne cōtumax videretur, simulq; Theologiæ, ad quam toto ipse animi pondere ferebatur, dedisse operam, quoad cognita & adamata Societate, ad eam se parentibus insalutatis Romam trāstulit. Hīc verò ita probatum, vt ipse quidem Theodoricus Canisius nullius æquè exemplis profecerit: Martinus verò Olauius, qui Collegio præerat, & Amsterodamij præceptor in diuina scientia fuerat, vir in perspiciēdis inferiorum dotibus maximè oculatus, & in probandis virtutibus integer ac propè fastidiosus, dicere esset solitus in magna & eximia iuuentute, quæ in Romano Collegio ad totius Societatis seminarium educabatur, cùm multa in multis excelleret, ferè in quo nihil desideraret, præter Theodoricum Amsterodamium se quidem reperire neminem. Quippe moribus facillimis, modestiæ erga Socios singularis fuisse, obseruantiæ aduersus moderatores & obedientię exquisitæ, ardore ac dexteritate adiuuandi proximos insatiabili ac felici, vitæ suæ custodem vigilantissimum; tanta verò diligentia, vt è confessarij ac moderatorum ore nullum, vnde posset proficere, quin adnotaret, & in libellum referret, excidere verbum pateretur. Idem quidquid memoria dignum in Romanis Societatis domiciliis fieret, interioris quoque sui hominis vicissitudines, consolationes, molestias; &, vt quidque iuuisset, remedioque fuisset, singulis diebus perscriberet. Capita etiam omnium, quas siue Natalis, siue alij Patrum ad Socios cohortationes habuerāt, tum totas, quas biennio ad populū sacras habuerat scholas Lainius, scriptis mādasse: nihil quotidianorum munerum intermittentem. Quin adeò super hæc, cùm Philosophiam in Romano gymnasio doceret, Dominicis festisque aliis diebus modò carcerem adire solitum, modò confessionibus audiendis, modò tradendis rudi turbæ religionis initiis laborem impendere. Postremò & Collegio Germanico præfuisse Rectorem, pariaq; benignitatis & prudentiæ edidisse documenta. Nec verò discrepasse à vitæ sanctitate mortem. Sed pridie quàm moreretur, cùm vnà Theodoricus ipse Canisius familiariter cum eo ageret, repentè erectum ingeminasse, Concentum audio angelicum, carissime Canisi, comitare me: concentum angelicum audio. Vbi verò sacro est oleo perunctus, post ingentes de eo munere diuinæ bonitati gratias actas, de laudibus Societatis & vocationis excellentia dicere exorsum: ac circumfusis fratribus, qui pro eo non sine lacrymis prostrati in genua precabantur, postremum hoc verbum veluti sui monumentū reliquisse. Quemadmodum in sanctæ fidei rebus dubitare ac deliberare nefas est, ita in vocatione nullum dubitandi, nullum deliberandi esse locum relictum. Si quid igitur vnquam aduersus eam diabolus cogitationi obiiciat, illicò, vt sit in rebus fidei, abigendum.

120 *Constantia in Religiosæ vita quomodo tenenda.*

Hoc orbatus adiutore Petrus Canisius cum bona Ferdinandi gratia, qui & ad Regem Poloniæ, eiusque vxorem Reginam ipsius Ferdinandi filiam litteras in rei Catholicę, & Societatis commendationem vltrò promisit, & pariter denunciauit ipsius operā Canisij in conuentu, quem insequentis anni exortu erat habiturus Augustæ, vti velle; vnà cum Apostolico Nuncio, & ipso Theodorici desiderium grauiter ferente, persequitur in Poloniam iter. Præter labores immensos ex ea peregrinatione haud multum relatum est. Non multis antè annis errorum pestis nobile regnum inuaserat: sed siue Regis, siue Episcoporum incuria, ignauiaq; (nam vicissim accusabant) in pessimum iam redegerat locum. Constans erat opinio indulgentiam Regis obesse quàm plurimùm. De seuerè impiis puniendis, scalpelloque coërcenda serpenti peste sermonem respuebat omnem. Ea impunitate nequissimi homines ad licentiam abutebantur. Episcopi verò plerique senes, simulq; doctrina, & doctorum hominum destituti consiliis, iam vt desperata in re id potissimùm studebant, si mutandum solum esset (quod malo dominante futurum haud dubiè videbatur) vt haberent quo suum & suorum exilium tolerarent: eo fiebat, vt auaritiæ nomine malè ad vulgus audirent. Princeps hæreticorum celebrabatur Palatinus Vilnensis Nicolaus Radiuillus Dux Olicæ & Niesuisij, Georgij Radiuilli viri postea optimi & Cardinalis pater. Is primus apud Regem gratia ferebatur, idemque Catholicæ religionis funditus exterminādæ percupidus. Is Petricouiam, quò indictus conuentus erat, mille equitum superbo comitatu glorio-

121 *Regni Polonici status.*

Digitized by Google

sus & minax aduenit, nec magnifico mimùs non modò Procerum aliorum, sed Catholicorum quoque Episcoporum exceptus occursu est. Ea perturbatio rerum erat. Idem, quoniam Rex valetudine identidē incommoda tentabatur, omnia administrabat miscebatque. Tractanda in conuentu potissimùm erant tria, primum de Polonicarum, vt aiebant, executione legum: mox de subsidiis ad regni defensionem parandis: in postremum locum reiecta dicebatur causa religionis. In primo capite annus exactus tam superuacua interim Nuncij Pontificij mora, eaque ludificatione, vt videretur diuinitus ægrotasse Cardinalis Pisanus, qui ad eam legationem destinatus initio fuerat, ne inter hæreticos, quos impietatis comes barbaries efferauerat, amplissima illa

122 *Res à Canisio in Polonia gesta.* dignitas obsoleseeret. Nihil tamen animum inter has difficultates despondit Canisius: sed vigil, & vbique in omnes religionis tuendæ occasiones intentus Cracouiæ in conflu Doctorum ex Clero & academicis verba Latinè fecit, quæ prima nostri Ordinis publica vox in eo regno audita est. Tum Louicium ad Archiepiscopū Gnesnensem regni Primatem decrepita ætate senem digressus, multa cum eo item de religione contulit, multa eo breui mortuo cum successore: & eorum vterque Societatis in Poloniam aduocandæ propensam voluntatem significauit. Cæterùm ad iuuandum conuentum, atque molienda incommoda omnibus incubuit machinis, & librorum tempori opportunorum copia suggerenda, & precibus ante omnia sacrificiisque cùm suis & Societatis vniuersæ, tum sacerdotum, qui iam Petricouiam vndique confluxerāt; quos viritim conueniens excitabat edocebatque. Rarò enim alius in exposcēda pace & ope Numinis per seq; ac per alios solertior ac studiosior Canisio fuit.

123 *Sermones de Societate in Hispania.* Verùm enimuerò dum hæreticorum facibus ardet Septentrio, cœpere diri incendij haud modica fumare semina in ipsis Hispaniæ regnis, vbi religionis incorruptæ ad id locorum gloria, si vsquam, viguerat. Et apud omnes prope Christianos Principes constanti sermone vulgatur, inter hæreticos, qui alij atque alij quotidie docti plerique, nec infimę sortis auctoritatisq; prodebantur in lucem, multos ex Ordine hoc, in iisq; Franciscum Borgiam in custodiam datos, quosdam crematos, quosdā se fuga proripuisse. Nota erat cunctæ Societati sanctimonia Borgiæ, tamen vt in tumultu, aptoq; ad calumnias tempore non nihil solicitos habebat rumor. Qui rumor in Hispania ipsa non vnius generis erat. Alij eos errores proseminatos, alij eas turbas excitatas spargebant ab Theatinis (ita Societatis homines vocabant) Luthero ipso deterioribus: qui abalienare vulgi animos, & à Principibus, & ab aliis Religiosis familiis conarentur eo consilio, vt, cùm ad se omnia traxissent, tum demum vnico impetu in præceps darent, Ecclesiamque Dei à fundamentis euerterēt. Quæ aliaque multa cùm mendacij parens diabolus, dolens esse qui se conatibus suis opponerēt, passim dissiparet, Ferdinandus Valdesius Archiepiscopus Hispalensis per

124 *Testimonii maximi Quæstoris de innocētia Societatis.* Hispaniæ regna Philippi Regis sacrarū quæstionum Præses, auctoritate publica diluendam infamiam ratus, egregium de pietate Societatis testimonium edidit. Id è falsis rumoribus Deo lucrifaciente, vt familiæ huius innocentia ad abolendas & præsentis & præteriti suspiciones temporis seuerissimi illius iudicij testificatione tum maximè palàm fieret, cùm in iis quoque, à quibus longissimè antehac suspiciones abfuerant, errorum labes deprehendebatur. Et sanè Patres, quibus venire ad comitia Romam non licuit, visa est diuina manus in Hispania tenuisse. Nam ad pestem illam, siue eruendā in lucem, siue opprimendam studio & momento operis maximo laborarunt. Borgia inprimis, cuius operâ & cōsilio sacri Quæsitores assiduè vtebātur, vt ob eam rē nec Pintia digredi paterentur, nec facilè cuiquā præter eum & homines de Societate, conciones permitterēt. Quę res adeò malè habebat impiorū dogmatum

125 *Ab hæreticis venatur,* auctores, vt inde quoq; exosam vulgo facere Societatem conarētur. Itaque Hispali loco celebri, quem Gradus vocāt, libellus inuentus est ea sententia, Qui doctrinam Quæsitorū nosse cuperet, Theatinos adiret. Quod carmē, cùm, si rectè existimetur, ad commendationē Societatis pertineret; tamē ad eam pariter, & Quæsitores (viri egregij erant Carpius & Gasca) perstringendos impij proposuerant, quod plurimùm illi consuetudine Patrum ad familiarem vsque frequentemq; conuictum vterentur. Cæterùm Ioannes Vega mira-

126 batur nō modò in Societate, sed nec in quopiam, qui ex eius institutione penderet, compertum quidquam vitij fuisse: sic enim in Siciliam ad Domeneccum Iulio extremo scripsit: Non desunt „ quidam præsertim è Religiosis vehementer per- „ turbationibus exagitati, Societatēque, & quid- „ quid ab ea rectè fit, exagitantes, quos videtur „ Deus punisse. Namque morbus ac pestilētia Lu- „ therana, quæ his diebus comprehensa est, ex istis „ profecta est. Ac Societas nō modò in Religiosis „ alumnisque suis contaminata non est, sed etiam „ per eam ista venerunt in lucem mala: vniuersiq; „ qui apud Religiosos ex ea confessi sunt, integri „ perseuerarūt, & ab ista intacti lue, beneficio planè singulari Dei: cui gratiæ debentur infinitæ, ita „ regenti & illuminanti qui confidunt in illū. Hæc „ de qua Vega loquitur, diuina erga Societatē clementia, per temporis huius discrimen clarissimè comperta est Hispali. Hāc gratia & auctoritate florebat Constantinus Canonicus, qui Carolum

127 Quintum concionator secutus in Germaniam paulatim voluptatum deprauatus illecebris, post corruptam vitam tandē & mente vitiata pestem inde in Hispaniam reportarat. Rara erat facūdia, doctrina non vulgaris, actionis mira venustas; quibus quasi oblita delinimētis cùm argumenta per sese vēdibilia & speciosa de misericordia Dei, de immensis Christi meritis, de fidei summa vi, & id genus pertractaret, & vitæ sordes profunda simulatione occuleret, nimirum improuidam hami multitudinis cupiditatem facillimè inescabat. Sed virorum animos sapientium tanta illa, tamque perennis dulcedo & illecebra suauiloquentiæ cùm aduertisset, & latentis sub melle veneni suspicionem monuisset; diuersam nostri Patres, aliique vigilantes Dei administri insistendam sibi viam rati, contritionis inculcare laudes, & perfectæ confessionis, satisfactionis, tum rectè factorum necessitatem deprædicare

Digitized by Google

care instituunt. Non fefellit hæreticos per eam solertiam cuniculos opponi cuniculis suis. Ergo quorum prohibere actiones nequibant, vt auctoritatem eliderent, nullis in Societatem, vt magis ob nouitatem calumniis oportunam, parcere probris ac maledictis, clàm, palàm in circulis, in concionibus, vt etiam concionator è suggestu in eam fœdissimè debacchari sine omni dissimulatione non erubuerit. Quæ vbi frustra conantur, & (quæ vis erumpentis sensim est veritatis) in dies magis suspiciones aduersus eos inualescunt, Constantino venit in mentem Sociorum mores interiùs explorare. Quod, opinor, voluit Deus, vt testimonium innocẽtiæ ab ipsomet inimico exprimeret. Namque submissi exploratores postquam intentis auribus oculisque obseruauerant omnia, cùm referrent deprehendisse se homines proximorũ salutis cupidos, modestos, orationi deditos, procul à feminarum commercio; interfatus hîc Constantinus, Hactenus, inquit, sat est. Si dediti orationi sunt, & à mulieribus cauent, perseueraturos ne dubita. Sub hæc homini astuto ac perfido ea frons fuit, vt in ipsam se Societatem recipi postularet. Incompertum qua maximè causa, an vt illuderet, an vt venenũ inferret, an demum, quod aliquanto plus latebrarum speraret, vt præter modum stolidæ absurdæque sunt malè consciorum spes. Nondum hominis ad liquidũ manifesta erat, tamẽ clariùs iam sublucebat impietas. Inde Patres sumpto ad deliberandum spatio, cûm talia consilia lentò coquenda respondissent, Quæsitorem Carpium consulunt. Is quoque trahendam rem censuit. Cùm ecce Constantinus datur in vincula: alij super alios conscij ducũtur: pestilẽs vlcus per haud pauca, nec ignobilia serpens capita nudatur. Miratur attonita ciuitas tam se periculũ prope fuisse: &, quod modò imminens propter imprudẽtiam non pauebat, iam perfuncta licet, propter grauitatem exhorret. Denique iam velut retecta scena, sublatisq; personis veros intuens vultus, vt hiantes prædæ detestatur lupos, ita custodiæ intentos pastores amat. Quo rerum successũ non modò suam Deus Societatem intaminatam ab hæretici hominis admixtione seruauit, sed etiam per ipsa inimicorum probra & odia clariorem simul & cariorem fecit: cùm iam nihil ad vulgus fauorabile esset magis, quàm hæreticorum inimicitias & odia meruisse. Itaque hoc ipso anno Collegiũ, quod adhuc in domicilio habitabat conducto, ruinosam quidem, sed capaci satis opportunoq; sitã loco piorũ stipe domũ coẽmit. Vbi cõcinnata ædicula, postridie quã dedicata est, eam Quæsitores adiere, & alter Sacro facto diuinissimum ibi Sacramentũ perpetuò asseruandum reposuit.

128 *Constãtinus hæreticus in Societatem tentat ingressum.*

129 *Hispalensis Collegij incrementa.*

Molestior interim, vt agebatur inter Catholicos, latè per Hispaniam, & in Belgium vsque profecta in aula Regis Philippi gliscebat infamia, Iesuitas hæresim nouã inuehere, fas esse docentes arcanum violare sacræ confessionis; nempe, vt ab saluberrimo mysterio populũ auocarent, & in vltimum exitium traherent. Infamię origo hæc fuit. Audiebat Granatæ magni ieiunij tempore sacerdos noster confessionem feminæ. Graui in scelere dubitatio pupugit animũ iúsne fasq; esset absoluere, nisi particeps eius sceleris ad necessarium remediũ proderetur. Consultus Archiepiscopus Petrus Guerrerius vir & morum optimorum, & sapientiæ singularis, cùm omnino absoluendam negasset: & de sententia eius necessitas imposita feminæ esset, proditus reus est. Hinc lacrymæ. Ille doloris impotens tumultum excitauit. Protinus alij, partim (vt Archiepiscopus interpretabatur) amore licentiæ, partim (quod malim) bono studio; quòd controuersia propter ea, quæ adnectuntur & cohærent, grauis ac perplexa est, ita censentes excepere, & ventilauere succensam facem. Nihil ferè in Archiepiscopum, neque in vnum quemdam Sociorũ, sed omnia in vniuersum Ordinem exasperata verbis coniiciebantur, Societatem confessiones sacras euulgare. Quæ cùm intolerãda, publiceque exitialis infamia esset, Ioannes Ramirius noster verbi diuini inclytus præco deducendum ab errore populum censuit: quæque dicturus erat diligenter prẽmeditatus, & cum eodem Archiepiscopo, itemque Magistro Ioanne Auila communicatis, accedente eorum sententia, apud Incurabiles coram Quæsitoribus, quæ maximè vera ac bonis moribus cõsentanea iudicauit, exposuit: Fas quidem, tota quamuis vniuersitas rerum esset interitura, nunquam esse signum sacrosanctum cõfessionis resignare. Posse tamen incidere tempora, quibus sacerdos iure à cõfitente exigat, vt quempiam, siue socium & participẽ sceleris, siue quem hæreticum aut alia pestilẽti labe corruptũ norit, si remedij nulla præterea relicta via sit, ipsimet confessario, vel inter cõfessionem facta potestate ea notitia vtendi, si correctio fraterna futura sit; vel, quod ferè prẽstat, & ad iudicialem denunciationem necessarium est, extra confessionem indicet. Quod si abnuat facere, absolui nõ debeat, quemadmodum absolui non licet, qui vel reus furti, restituere alienam rem, vel quæ debeat alia, præstare non sit paratus. Talia ad restinguendum incendium dicta cùm essent, vehemẽtiùs inflammarunt. Continuò concionatores tres in suggestum progressi, nulla eiusmodi vnquam posse incidere damnant tempora, quòd re vera notitia illa ortum è Sacramẽto habeat: & iniuria semper in Sacramentum recidat; prodi mysteriorum fidem: absterreri à remediis salutaribus populum: nouum, noxium, impium dogma, aut verius mõstrum proferri. Consulitur in tam ancipiti cæcaq; causa rursus à bonis viris Archiepiscopus. Is, quæ docuerat Ramirius, diserte affirmat. Tum sponte sua Præsides omnes sacrorum Ordinum, ac doctissimum quemque tota ex vrbe conuocat: in eoq; concilio doctrina eadẽ approbatur. Quanquam fuere qui in prẽsens assensi, deinde ad concionẽ reuersi pro pristina sua opinione pugnarẽt. Quidam aiebant, quæ fingebantur tempora, ea solùm cogitatione depingi, re tamẽ ipsa nunquã cadere in humanos mores posse. Quare lubricã licẽtiam stirpitus excidendã: nec cõmittendum, vt dogma spargeretur, quo in procliui esset abuti, nec nisi sapientia & prudẽtia rara viri cõmodè vti possent. Tum Archiepiscopus cùm pro sua causa propugnans, tum de Societatis laborans infamia, consultis etiam per epistolã doctis aliarũ vrbium viris; ipsemet in concionem progressus quid tenendũ esset pronunciare constituit, silentio post-

130 *Vexatio Societatis tãquam confessiones retegeret.*

131

Digitized by Google

hæc de ea re cunctis indicto. Quod præclara cum Societatis commendatione, grauiterq; inuſtam ei iniquiſſimè notam deplorãs cùm feciſſet, tranquillitas redire viſa Granatæ. Magis tamẽ in ſpeciem obducta cicatrix, quàm perſanata intus bona fide plaga eſt. Subinde enim conſecutis poſtea temporibus refricata eſt in templis atq; gymnaſiis magno ſtrepitu adſcriptis etiam Societatis per eas oras opinionibus: à quibus ea, cùm re vera perabſurdæ ſint, quàm longiſſimè abeſt. Archiepiſcopus diſputationem accuratam de tota controuerſia ſcripſit, miſitq; Romam. Nec tacuerim ex hac maximè occaſione factũ vt cauſæ eorum, qui ſacrilego inceſtare ore Pœnitentiæ Sacramentum, & vitæ fontibus immiſcere venenum, pudicitiam confitentiũ ſolicitantes audent, iuris fierent ſacrorum Quæſitorum. Cæterùm adeò fœda maximè per Hiſpaniam ex tota illa actione fama in Societatem percrebuit, vt Borgia profiteretur haud ſæuiores aliàs in eam procellas extitiſſe. Ille quidem tam diuerſis pulſatus ſermonibus Vallisoleti Quæſitores cõuenit, rogauitque, ediceret ipſi orthodoxæ doctrinæ cuſtodes quid tenendum in eo genere videretur. Quippe Societatem, neque huic, neque diuerſę affixam ſententiæ, id modò cupere recta ire via; proque tenuitate ſua fideliter & ſapienter Deo Domino, ſalutique hominum deſeruire. Cui reſpõſum eſt, Qua ratione in confeſſionibus audiendis Societas vteretur, eam ſancti officij Collegio vehemẽter placere: ſolicitudinem omitterent, ſuoq; ritu cœptis inſtarẽt: ipſos aduerſis rumoribus occurſuros. Valuit ad quietem repręſentandam opera quoque Apoſtolici Nuncij. Is erat Leonardus Marinus tum Epiſcopus Albæ, dein Archiepiſcopus Lanciani è ſacro Prædicatorum Ordine, qui & conſolandos ſibi Socios data ad Borgiam epiſtola oppidò ſapienti duxit, quã huc afferri non nihil hiſtoriæ intereſt. Multum, inquit, doloris attulit mihi res Granatenſis, non confeſſarij Societatis cauſa. Is enim quod Deo debebat, pręſtitit; vt remedium tot ſacrilegiis afferretur: neque aliter agere poterat, cùm ea ſit Dei ipſius regula, quæ nequaquam, vt aduerſarij calumniantur, auocat homines à cõfeſſione, ſed ad eam aduocat. Non enim recta eſt via aduocandi ad Sacramenta, ſi patiaris ac diſſimules, vt peccata & ſacrilegia per ipſa Sacramenta committãtur; ſed ſi coneris, vt per adminiſtrationem rerum adeò ſanctarum à peccatis Chriſtiani liberentur, & iuſtitiam, ſanctitatem, gratiam Dei conſequantur. Quod mihi dolorem attulit inconſiderantia fuit concionatorum, qui, quod laudare ac fouere debuerant, id deformare & opprimere maluerũt. Cæterùm, Pater, memineris nunquam dæmonem in Eccleſia non ſeminaſſe zizania, vt inter ſeipſos Chriſti ſectatores committeret, idq; nõ per manifeſtam impietatem conatum, ſed zeli obtentu, & ſimulatione pietatis: quemadmodũ in præſentia zeli ſpecie moueri videntur Chriſtiani quidam, Religioſiq; profeſſi ad Societatis tranquillitatem turbandam. Quod mea quidem ſententia nihil eſt aliud, quàm opponere ſe præſidiis, quæ in hęc tam periculoſa tempora comparauit Deus Eccleſiæ ſuæ. Iſte verò aduerſantiũ zelus haud quaquam zelus eſt Domini, ſed admodum carnalis: cui quantumuis perſonam ſpiritus velint imponere, re vera zelus eſt contentionis, non quærens quæ Dei ſunt, ſed quæ per Societatis exiſtimationem detrahi putant ſibi. Itaque & hîc locum habet, quod dixit Apoſtolus, *Cùm ſit inter vos zelus & contentio, nónne carnales eſtis? & ſecundùm hominem ambulatis? Nunquid diuiſus eſt Chriſtus?* Quid eſt Paulus, quid Apollo? quid Dominicus ſanctus, quid ſanctus Franciſcus? Nónne miniſtri Dei ſunt, cuius & ipſa Societas eſt? Proinde abſiſtant diſſidium facere inter ſocietates ſodalitateſque vnius & eiuſdem Domini. Recordentur quod dixit Dominus Apoſtolis, qui prohibebant alios dæmonia eiicere in nomine Ieſu, *Qui non eſt aduerſum vos, pro vobis eſt.* Et illud Apoſtoli, *Siue per occaſionem, ſiue per bonam voluntatem Chriſtus annuncietur, & in hoc gaudeo, ſed & gaudebo.* Subeat & incõſulta Ioſuæ æmulatio pro Moyſe, cùm monuit eum, vt duos illos prophetare in caſtris prohiberet. Cui Moyſes dixit, *Quid æmularis pro me? Quis tribuat vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus ſpiritum ſuum?* Si bene ſanctorũ in ſchola horum magiſtrorum didiciſſent, ſcirent profectò Societatem foueri debere: eiq́ue fauendo obſequium præſtari Deo. Cęterùm nolo hæc viros Societatis commoueant: nolo quidquam eorum intepeſcat ardor. Suſtinuit ſemper Eccleſia electiq́ue eius hoc bellum, non à Tyrannis modò, & confeſſis Chriſtianę religionis hoſtibus, ſed ab iisquoque, qui ſanctitatem profitebantur. Proinde teneant locum ſuum: neque hæc exagitatio, quamuis ab hominibus Religioſis orta videatur, perturbet. Plura dicerem, ſi per otium liceret. Quanquam ſcio à Deo exercitatis hominibus nihil eſſe opus exhortatione mea. Dominus noſter in gratia ſua te cõſeruet. Oliuarij v. Kalendas Iunij, anno Domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo octauo. Seruus R. V. & filius Epiſcopus Marinus Nuncius.

132 *Quæſitoribus ſacris probatur Societatis ratio in cõfeſſionibus.*

133 *Epiſtola Nuncij Apoſtolici probantis & conſolantis Societatem.*

Ad Borgiæ auctoritatem augendam pertinuit Caroli quoque Imperatoris ſuprema voluntas, qui eum in teſtamẽti ſui procuratoribus ſcripſit. Quam rem pro magna commẽdatione fama celebrauit. Mortuus eſt Carolus xi. Kalẽdas Octobris, ad teſtamentum, quod antè fecerat, adiecto ſub vltimum ſpiritũ codicillo, quo ſeuerè in hæreticos animaduerti iubebat. In eius exequiis rogatus Borgia, vt verba faceret, iis Prophetæ verbis exorſus, *Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine*, egit de animi excellitate, miroq; cõſilio, quo vir ille magnus mortalibus rebus priuſquam ipſe deſereretur, deſertis; poſt tot ex hoſtibus reportatos triumphos, ſui præſtãtiſſimus victor, Imperij inſignia, regnorumq; tam multorũ coronas ad Chriſti crucifixi pedes abiecit, cura omni ad cæleſte regnum, ac beatam æternitatẽ ſibi deinceps parandam conuerſa. In cæteris eius virtutibus ab ipſomet audiuiſſe memorauit, à primo ac vigeſimo ætatis anno diebus ſingulis bonum ſpatium in oratione, quæ mente fit, poſuiſſe. Pro eius anima quòd Collegio Panormitano Abbatiam tradiderat, cũcta in Societate preces pro Collegiorum fundatoribus ſolẽnes factæ. Animaduerſum eſt inſigne documentum mortalitatis humanæ tres potentiſſimos germanos ſex menſibus, Carolum, eiuſq́ue ſorores Eleonoram & Mariam extinctos:

134 *Borgiam inter procuratores teſtamenti ſui Carolus V. deſignat.*

Pſal. 54.

1. Cor. 3.

Marc. 9.

Philip. 1.

Num. 11.

Digitized by Google

tinctos: simul & Philippi Regis coniux Maria Anglorum Regina sub Nouembris finem sublata inæstimabili religionis damno. Quo eodem die, vt planè videretur Britanniæ Deus iratus, quod vnum ei aduersus exitialia dogmata subsidium erat reliquum, Reginaldus Polus Cardinalis est mortuus. Cæterùm Borgia demandatam sibi à Cæsare exequendi testamenti prouinciam, cùm tale negotiorum genus interdictum Societatis legibus nosset, vehementer suscipere detrectabat. Verùm cùm id Lusitaniæ Princeps Ioanna ipsius Caroli filia, quæ pro Philippo Rege suo fratre Hispaniam regebat, ab Generali Præposito alioqui impetratura, præciperet, sexque docti Patres, iidemque maximæ homines auctoritatis in consilium adhibiti cunctandum negarent, præsertim quòd quædam extemplò transigenda moram non paterentur; ad Præpositum, vbi primùm licuit perscripta re, oneri cessit. Nec leue interim Societas incrementum accepit.

135 *Collegium Montellanũ incoli cœptum.*

Huius initio anni cœptum incoli Montellanum Collegium. Sex eò sacerdotes missi, Laici octo, Rector Alfonsus Lopius. Ipsis Ianuarij Kalendis noui templi encænia celebrata; quæ Magister Ioannes Auila insigni concione decorauit: in qua grauiter more suo disserens, hinc populum admonuit, quantum in Collegio boni reciperet, hinc ipsis collegis quidnam sibi vellet esse de Societate Iesu declarauit. Extruxerat id Collegium, redituque muniendum certo susceperat Catharina Fernandia à Corduba Plegi Marchio commodorum nostrorum supra quàm facilè cogitatu sit, cupida: magisque vt optimæ huius feminæ satisfieret votis, quàm quòd locus admodum capax esset, triennio antè receptum erat. Patebat tamen circà territorium amplum, per quod liceret excurri; quod & subitò fecere multi. Plurimum tamẽ laboris suscepit, resque gessit

136 insignes Pater Ioannes Cannas. In Collegio trifariam partita puerorum doctrina, quorum qui doctissimi vix ad Grãmaticæ initia satis præculti erant. Vtiliùs prouenichat labor nocturnus, cùm ii conuocarẽtur, qui ab opere agresti vespere domum repetebant. Hi fidei Christianæ summam edocebantur, quidam etiam legere ac scribere: tamque multi confluebant, vt quatuor eoq; plures, interdum septem satis operis haberent Magistri. Optima verò Princeps Sociorum aduentu, & sui populi gestiens profectu, multis diebus nihil meditabatur, dicebat, agebat, nisi de gratiis ob tam insigne, vt vocabat, beneficium diuinæ bonitati agendis: quosq; caros habebat, ac sibi bene velle norat, inuitabat rogabatque, vt se ad gratũ animum testificandum adiutarẽt. Quòd si principes viros feminasue nanciscerentur, quàm honestissimam apud eos Societatis excitare opinionem ope omni studebat, haud ignara iis initiis veritate (quam scitè quidam filiam temporis nominarunt) nondum planè adulta, complures errore ductos vehementer & recenti familiæ, & simul populi commodis aduersari: quos ab errore auelli, & priuatim ipsorum, & publicè interesset.

Adhæc Collegium Ocaniæ, Toleti domus instituta est, vtrique aditu patefacto Ioannis Silicæi Cardinalis, eiusdemque Archiepiscopi Toletani excessu.

137 *Ocanienſis Collegij ortus.*

Ocanienſis Collegij origo prima talis fuit. Ludouicus Calataiud indidem ciuis magno vir natu, Protonotarius Apostolicus dudum versabat animo, quod facultatum sibi Deus tribuerat, quam maximè in rem, quæ futura eidem gratissima esset, cõferre posset: neq; ei tum succurrebat quidquam potius, quàm vt cœnobium sacrarum virginũ conderet. Hæc dum is agitaret, Ioannes Ramirius Doctor & conciouator egregius (de quo nuper in Granatensibus rebus incidit mentio) ex disciplina Ioannis Auilæ profectus, etiam tum antequã nomen Societati daret, magna cum fama Madriti ad populum agebat, perq; vicinas vrbes & oppida identidem Euangelium circumferens excurrebat. Quem cùm Ludouicus Ocaniam accitum excepisset hospitio, necessitudine iuncta existimauit sibi diuinitus missum, quem diu quærebat, interpretẽ diuinę voluntatis. Ergo suum ei consilium aperuit. Laudauit Ramirius: tamen aliud quiddam animaduersione dignum venire sibi in mentẽ subiecit. Videri ad maiorem Dei gloriam pertinere, si Societati Iesu Collegiũ excitaret. Nam quòd Religiosi illi, quos optimè ipse nosset, non sibi dumtaxat viuerẽt sua virtute contenti, sed aliis quoque ad virtutẽ pertrahendis insisterent; iis aduocatis bonorum simul cœnobium hominum, simul Collegium bonos cæteros pro virili facientium Ocaniam habituram. Hac voce pro oraculo Ludouicus excepta tertio abhinc anno per litteras Ignatiũ admonet: Complutum ad Borgiam Commissarium properat: fundationis tabulas xvi. Kalendas Nouembris conficit: breuique Iacobus Cãrillius cum Sociis aliquot mittitur: qui domo quam Protonotarius extruxerat, in Collegij conformata modũ, angusto in sacello, dum idoneum pararetur templũ, consuetos iuuãdorum proximorũ labores auspicantur. Respondebant votis omnia, cùm secundissimũ cursum diabolus, vnde minimè debuit, opposita mole interrupit. Archiepiscopus Silicæus pro veteri ab Societate animi abalienatione, cognitis quæ Ocaniæ fiebant, quasi se inscio gererentur, Protonotarium sextum intra diem pœna maioris anathematis indicta, sistere se Toletum ad suum concilium iubet: & omnibus, qui Ocaniæ sacra aliqua cum potestate essent, eadem pœna proposita mandat, Collegium, monasterium, domum hospitalẽ suo iniussu ne inducãt, néve sinant induci: si quid tale cœptũ sit, ad concilium reiiciant suum. Hęc vbi viderũt Patres, ne Archiepiscopi animum magis exulcerarent, patienter modesteque cesserunt. Protonotarius ad dictã diem adfuit: eademq; die concionator Ramirius Madrito citatur. Sed is, cùm Protonotarius quidquid esset fraudis (si quid esset) id ad se totum traheret, confestim dimissus est. Ipse verò Ludouicus custodiæ est traditus, & in ea tres mẽses habitus, cùm homo octogenarius perfrigida tempestate cum pernicie valetudinis, incõmoda grauissima toleraret. Pertulit tamen omnia constanter, multumq; cõsolationis acceptis ab Ignatio litteris allatum sibi professus est; in extruendi Collegij curam adeò intentus, vt multa, quæ ei rei futura vsui erant, eo ipso tempore meditaretur & cõpararet. Sed cùm alia tandem via redimere libertatẽ nequiret, secretis tabulis testatus

138

Digitized by Google

cedere se non sponte, sed vt vexatione illa eriperetur, acta in speciem retractauit. Inde missus; &, quoad Silicæus superfuit, dissimulato consilio, vbi primùm ille decessit, de integro Collegium aduocat. Iacobus Carillius Rector iterum, & Ioannes Castaneda Minister cum reliquis ad legitimum numerum missi: quos magno cum plausu ciuitas cuncta susscepit; ac dulcedine summa perfusus veluti filios carissimos optimus Protonotarius amplexans in præparatis ædibus collocauit decimo octauo Kalendas Maij. Præceptores, qui huc mitterentur, interim Burgis amoti, quòd ibi propter tenuitatem initiorum nec satis pretij rediret ex opera, & angustiis simul domicilij, simul rei familiaris excluderentur.

139 *Toletani domicilij initium.*

Difficilior Toletum erat ingressus. Quanquam enim fama erat Silicæum cùm animam ageret, quo tempore incorrupta solent esse ac sincera iudicia, apertè professum se ad eam diem falsis præoccupatum sermonibus in errore versatum; sique vita maneret, longè aliter posthac Societatem habiturum: tamen haud pauci Canonicorum supererant, quorum in animis altè infixa prior sedebat opinio. Quippe eminentium personarum ea conditio est, vt assecias studiorum suorum, vtcunque ea sint, non modò vsui habeant, sed etiam post funus relinquant. Verùm Dei sapientia, vt artifex est mirè locuples, mollissimè aditum expediuit. Silicæo Bartholomæus Carranza Miranda è sacro Dominicanorum Ordine in Archiepiscopatu successit animo erga nos planè diuerso. Prima ei curarum fuit Societatem Toletum inducere: existimauitque consentiente Borgia, consultius esse in præsentia Professorum domum instituì, quàm Collegium; vt Socij ab studiorũ liberi curis totos se in vberrimam, quæ matura offerebatur, animorum messem darent. Kalendis Nouembris prægresso ad præparandas res Bustamantio, succedere domui præfuturus Petrus Domeneccus, Strada ad concionandum ac cæteri, ita vt breui septem sacerdotes, totidem sacerdotij expertes essent: interque hos Ægidius Consaluius, & Andreas Capilla ambo Theologię decursis spatiis, tametsi nondum initiati sacris: qui præter domestica munera & collocutiones cum populo ad suum ęquè profectum, & aliquod Patribus nomen, quod in ciuitate falsis rumoribus imbuta, necesse erat conciliandum, studia dum retractant, in Toletanæ Academiæ disputationibus, qua re multùm valebant, religiosæ modestiæ solidæque sapientiæ specimen præberent. Cæterùm Bustamantius, qui ad res præparãdas præiuerat, dùm diligenter perquirit, nihil tecti ne conductitium quidẽ, nisi immensa pecunia reperit. Quamobrẽ vbi cæteri superuenere, cùm se, quò reciperẽt, nõ haberent, essentque nouæ quædam & vacuæ ædes nuperà Silicæo ad Clericorũ Seminarium, quod Collegium infantium vocant, extructæ; in his nouos colonos Archiepiscopus tantisper, dum alia se offerret domus, constituit. Notarunt omnes rerum vicissitudinem, & plerique diuini consilij arcanum mirati passim iactabant à Deo planè hoc factum, vt Silicæi nihil minùs agentis manibus, iis, quos vsque eò auersabatur, domicilium extruxisse videretur. Verùm cùm haud deessent, qui per speciem grati in Silicæum animi factum improbarent, deque Antistite obloquerentur, veriti ne in tempus commodata sedes in perpetuum occuparetur; Patres conducta domo, quæ Roderici Lopij Auali erat, in sanctæ Magdalenæ parœcia, optima vrbis parte, in eam breui migrarunt.

140 *Belmontanum Collegium inchoatur.*

Belmontem quoque incolæ missi, in quibus Ioannes Quadra, & Petrus Rodericius adhuc Nouitius indidẽ oriundus, Petro Seuillano Rectore. Expetiuerat Collegium Villenæ Marchio Iacobus Lopius Paciecus, conueneratque cum honesto presbytero, vt sacerdotium nummùm aureorum sesquimille, quo is fruebatur, ad Collegij annuos reditus transferri vellet. Ioannes Lucas (hoc erat sacerdoti nomen) adeò vir bonus fuit, bonique publici præ suo amans, vt mortuo breui Marchione vltrò rem ipse promoueret, & Patres accerseret: eosque interim, dum sacerdotium ritè Collegio traderetur, benignè suis alebat sumptibus. Cæterùm hoc quoque, antequam res transigeretur, vita perfuncto, destituti omni subsidio Patres, substitere tamen ope freti diuina; domoque, in qua degebant, in aliquam Collegij redacta formam, Grammaticam docere, & munia instituti cætera obire aggressi, vtcunque licuit, in summis laboribus ac difficultatibus vitam aliquot annos tolerarunt, donec tandem certa subsidia prouidit Franciscæ Pontiæ Leoniæ pietas, vt fusiùs anno suo reddetur.

141 *Complutensis Collegij affinus secessus paratur.*

Hoc eodem tempore Complutensi Collegio subsidium ingens, planeque necessarium leuamentum accessit. Ita & cæli grauitas, & domicilij difficultates, & alia per ætatem Complutenses Socios vexabant incommoda, partem vt magnam quotannis lecto affligerentur, nonnulli occumberent: ac tribus antè annis prorsus ita cunctos strauerant morbi, vt nemine domi ad cæteros curandos incolumi, alienorum accersenda opera fuerit. Qua in calamitate egregiè se & ciuitatis exeruit pietas, & Religiosorum sancti Francisci: qui cognito Collegij statu, opem vltrò suam detulere. Autumno, qui eam ætatem secutus est, cùm Borgia ac Villanoua misera illa strage commoti, quo pacto in posterum malo occurrendum foret, circumspectarent; Doctor Mena, cui primæ inter docentes medicinam in Complutensi Gymnasio partes erãt, & Collegij nostri curabat ægros, apertè denunciauit, nisi æstiuum aliquod diuerticulum quæritarent, breui vniuersos absumptum iri. Tum Borgia pro ea caritate, qua & commissorum sibi fratrum valetudinem, & proximorum, quæ pro curari ab languentibus nequit, salutem amabat, Villanouam, & quosdam præterea Patrum in circumiectum agrum idoneam conquisitum stationem dimittit. Iis & Doctor ipse Mena spõte additur comes. Post multa adita loca ad Lorantiam veniunt pagum. Quatuor is leucis Compluto abest: super eum sacram ædiculam cernunt vetustate ac neglectu collapsam ac perditam, loco peramœno maximeque salubri. Fuerat olim Monachorum sancti Dominici à Silo ex Ordine S. Benedicti: deinde ad varios translata dominos in potestatem postremò venerat Fernandi à Fonte è sancti

Iusti

Digitized by Google

Iusti Complutensis Portionariis. Hunc locum vt vidit Mena, si optio sibi detur, nullum se præoptaturum ait. nec spreuere consilium Patres: verùm ad hanc diem impetrari minimè potuerat. Hoc verò anno cùm per æstatem rursus cunctam domum malè morbi mulctassent, acriùs vrgere aggressi, persoluto pretio, certisque conditionibus impositis ædiculam, & quæ ad eam pertinebant, quàm optimo iure impetrarunt; cui Iesus à Monte nomen factum. Ibi insequentibus annis amplum satis ædificium extructum, quò magistri atque discipuli per summos calores recipiunt sese: ac nihilo segnius in eo secessu religiosæ vitæ, studiorumque ratio omnis, temporumque distinctio, quàm Compluti seruatur. Nec modica in pagum ipsum redundant commoda, dum per interualla Socij eò delapsi litterario otio caritatis negotia intermiscent. Neque hac solùm re Complutense Collegium, sed incolarum etiam numero, rebus ad salutem ciuium gestis, receptisque in Societatem hominibus vehementer amplificatum hoc anno est. Rector Emmanuel Lopius in Collegij ac ciuitatis bonum intentus, nouis adiutoribus à Borgia impetratis, iam familiam ad triginta fermè perduxerat capita. Antonius Madridius euentu pulcherrimo sacris concionibus præerat, & cætera vehemens, & lacrymis, quas inter dictionem multas veras{q}; fundebat, blandissimè violentus, vt inde multi animaduersum dicerent, Hispanorum ingenia non tam terrore minisque, quàm leni pioque motu cieri. In visendis carcere clausis, & siue in nosocomio, siue in priuatis domibus ægrotis ac moribundis certatim suam cæteri industriam expromebant. Maximè populum commouit in Christiana doctrina institutio puerorum. Prodibant Socij tres quatuorue, quorum vnus sacerdos. Cogebant tintinnabulo pueros; quorum amplius mille conueniebant, longoque ordine per vrbis agebant vias diuinæ legis carmina concinentes: nec pauci corroboratæ ætatis omnium ordinum viri ac feminæ adiungebant sese. Toto agmine modò ad hoc, modò ad illud templum deducto, post exercitos pueros, simul caput aliquod Christianæ doctrinæ enucleatius tractabatur, simul ad amouendas parum pudicas, pia cantio iucundo ac facili modo adhibebatur. Postremò adhortatio, quæ ad omnes ætates pertineret, opportuna ac vehemens accedebat. Hac noua Compluti re, & ad quàm plurimos pertinente, vt quisque vel ipse intererat, vel liberi, aut alioqui coniuncti, mirificè omnium conciliatus amor. Parentes tum laborem industriamq; suspiciebant, qua puerorum deuoratis ineptiis leniter ab nugis abstracti ad discendum conuocabantur: tum gaudebant filios ea doceri publicè in templis, quæ mox priuatim ipsi domi docerentur à filiis. Sed illud ad memoriam & re & nouitate illustrius. Pridie Cineralium, quem potissimum diem cæci mortales licentiæ ac nequitiæ operatum habent, Patrem Antonium Madridium reputantem quàm multa eo die ad maiestatis diuinæ iniuriam fierent; quamq; indignum esset Christi cessare milites, dum ita Satanæ debacchantur prædones; dolor ingens incessit, ac peræquè ardor tum ipsum eundi, & ipsa impudicitiæ castra inuadèdi. Gratum Deo sacrificium fore, si vel ad breuem moram flagitium vnum aliquod prohiberet. Euentus docuit eum impetum diuinitus homini iniectum fuisse. Potestate illico à Rectore facta, cum socio vadit. Inter eundum in quosdam viros honestos incidit, secumque adducit. Ibat exæstuans animo, & insolito motu turbatus. Vbi peruenit, iubet vnum in locum perditas conuocari. Conuenere diuerso aliæ atque aliæ sensu. Hæ Patris ridebãt ineptias, qui eum diem ad concionem legisset: aliæ quid venisset ignaræ, subtimidè accedebant. Ille verò ad miserandum earum conspectum aliquamdiu hæret immotus. Animas Christi emptas & exornatas pretioso sanguine ita conspurcari ac proiicitam vilem inter Christianos haberi Deum, vt eius iniuriæ pretio venderentur, & earum officinæ publicæ essent, secum voluens, miseratione ac dolore distumpebatur. Hoc in æstu variante vultu colores, silentibus & attonitis spectatoribus priùs, cœpit oculis loqui, quàm lingua; copiosum in fletum erumpit, qui & conantem dicere interpellabat. Tandem vocibus interruptis interrogat, quanam ex re vitam miseræ tolerarent. Hominum, inquit, alij faciendis calceis, alij consuendis vestibus, hi domibus extruendis, illi tundendo ferro victitant, alij aliis artificiis: vos, agite, expromite, explicate quod vestrum artificium est? qua ex re vitam mortalium miserrimæ propagatis? Post quæ lacrymis propè obrutus, grauiterque singultiens, cùm diu conatus, tandem rupta voce dixisset, Iniuriis Deo parenti suo amantissimo, & Christo Iesu pro ipsis mortuo faciendis; & institutis ad hanc rem publicis officinis viuere; graue cunctarũ cordibus, tanquam pugione vulnus inflixit. Dein persequens orationem, Audistis, inquit, à Iuda olim venditũ Christum: semel is vendidit, & clanculùm. At vos quoties venditis? & venditisne saltem clanculùm? quæ in media vrbe quasi hastam publicè statuistis? Nec Iudas, nec impij Hebræorum sacerdotes ex illis triginta denariis attingere quidquam ausi sunt: at vos, respondete, panis quem comeditis, vnde est? vinum quod bibitis, vnde est? vestimenta ista, quibus tegimini, vnde sunt? nónne ex infami & impio quæstu mercatuque, quem palàm exercetis, contumeliarum Dei? & potestis viuere his viuentes? Tum grauiùs exardescens impetu animi exuberante vix ad quartam horæ partem ex inflammato pectore ardentia verba promens Dei patientiam, & intentum in pertinaces fulmen memorans, & Christi sanguinem, quo ablutas & consecratas audeba[illegible] contaminare animas, & igneum tartarum ad vorandum parentem. Dixerat, cùm exclamare miserabili stridore cœperunt, porrigeret dexteram, ex infami luto extraheret, paratas quidquid imperaret, facere. Hanc rem vt videre qui aderant, attoniti & lacrymabundi offerunt operam suam, domum, pecuniam, qua summoueantur in tutum. Inter hos alioque viros probos ad vnam omnes distributæ. Cumque insigni Christi gratiæ gloria de nequitiæ spiritu, quo die maximas edere solet strages, ipsis penitus direptis spoliatisque eius castris egregiè triumphatum.

142 *Antonij Madridij efficacissima concio.*

143 *Catechesis per compita.*

144 *Insignis meretricum conuersio.*

Multis in vrbibus citerioris præsertim Hispa- 145

Digitized by Google

niæ desæuiens pestilentia animos ad pietatem emolliebat, vt non tam faciendæ sementis, quàm fruges legendæ essent. Arripuere occasionem fortiter Patres, gnari laborum id genus martyrio comparari: nec caritatem esse maiorem, quàm animam pro amicis morti offerre. Valentiæ primùm Mironis Rectoris industria inopum turbæ, quæ præter vulgò gliscentem inopiam, dilapsis locupletibus, cessantibusque opificiis destituta in vrbe conficiebatur fame, præsentissima ope consultum est. Eius monitu pius Antistes octo Theologos viatico ac diplomatis attributis ad nobiles, qui salubria in loca secesserant, circumisit stipem vrbanæ plebi corrogatum: & ipsi Mironi, qui item ad eam conquisitionem excurrit, amplius mille nummûm aureorũ distribuendum dedit. Cùm primùm de pestilentia constitit, nemo omnium domi erat, qui non aueret flagitaretque iuuandis se sauciis consecrare; tamen Miro, ne simul vniuersos in discrimen coniceret, imbecillioribus Gandiam amandatis, sacerdotes tres ex omni numero legit, Martinum Alberrum, Alfonsum Lozanum, Petrum Parram, votique compotes fecit. Erga eos, cùm assiduè contagiosos adirent, audirent, alloquerentur, quouis officij genere solarentur, singularis Dei tutela emicuit. Nemo vnquam, quamdiu pestilentia tenuit, leui capitis dolore tentatus est: duos Laicos, qui nunquam domo prodibãt, domesticis ministeriis occupati, etsi non sustulit, tamen corripuit malum. Ita nunciarunt litteræ quadrimestres anno salutis millesimo quingentesimo quinquagesimo octauo ineunte Iunio datæ. Cæterùm duos Fratres eo publicę luis turbine abreptos Iacobum Sarauiam, & Martinum Gaonam vetus Valentiæ mortuorum Album recensет, & prouinciæ Aragoniæ historia narrat: quod post eas quadrimestres euenisse (cùm pestilentia, quanquam subinde intermittẽs, biennium propè tenuerit) certum videtur. Amborum virtus egregia memoratur. Et Sarauiæ etiam ante initam Societatem Valentiæ constat celebrem pietatem fuisse. Quidquid ex labore manuum sericis texendis, vltra suæ necessitatis remedia corradebat, largiebatur egentibus. Diebus feriatis in publico nosocomio ægris ministrabat: sanctioribus autem diebus luce prima amicos adibat, quos iuuabat diuina sumpturos, excitabatque ad sedulò sese comparandos. Inita Societate ad Euangelicam perfectionem cõnitens, singulari obedientia, simplicitate, caritate, curaq; Marthæ ministeriis seruiebat. Fuit cùm per vrbem ad negotia sua pergenti obuius homo colaphum impegit, tergoque verso iter aliò vertit. Quem Sarauia assecutus ad eius pedes, tanquam ipse iniuriam fecisset, veniam petens accidit, non sine sacrilegi percussoris rubore, & approbatione spectãtium. Alio tempore secundum litus Valentini maris vadens, repentinò in Mauros prædones, qui prædam ex maritima ora abigebant, incidit: prolatoque confestim sancto rosario (sic ille semper nominabat) Nihil vos formido, inquit, hoc fretus. Miram enim fiduciam in Beata Virgine habebat repositam. Ergo vti cõfidit, intactus euasit. Mortis supremo tempore immensas Deo gratias egit, quòd in Societate finire vitam dedisset.

Pestilentibus auxiliũ prabitum.

146 Iacobi Sarauia Laici fratris virtus.

Barcinone quoque perspecta in suos famulos Dei cura, qui cùm præter alienam beneficentiam nihil haberẽt in censu, dum ciuium plerosq; necessaria vitę, quę aliàs abundabãt, deficiunt, nihil vnquam desiderarunt. Nam & opulentorũ multi, cùm vrbem pestilentia orta desererent, memores fuere solitudinis eorum: & subinde Monachorũ Montis Serrati, eorumque inprimis Abbatis Benedicti à Tocco benignitas præstò fuit. Ventum erat quondam in vltimã vestis inopiam, nec succurrebat vnde parari posset, cùm mira opportunitate, quantum erat opus, arcanò submittitur. Transmiserat per alienas manus idem Abbas, id studens, quod semper è Christi Domini consilio faciebat, nomen vt suum ignoraretur; tanto scilicet immortalibus futurus conspectior, quanto magis mortalium oculos fugisset. Sed sancti illius monasterij præstantior longè munificentia fuit non in Barcinonense modò Collegium, sed in cunctam Societatem; quam confectis ritè litteris communi consensu in partem meritorum ac diuinarum suarum opum vocarunt. In eodem Barcinonensi Collegio vnus pro omnibus ereptus est Ioannes Gesti Rector, magnæ virtutis vir, & optimi exempli: qui dum quàm plurimos gaudet per diuina remedia ab animi morte metu mortis emergere, sese que in perennes labores & pericula animosè dat; hausta inde lue præsenti mercede dignatus est. Anno millesimo quingentesimo quinquagesimoquinto, destinatus totius Procurator Societatis Romam iturus ad portum quemdam descenderat, facturam mox vela nauem Italam conscensurus, cùm aliquamdiu reflante vento naui retardata litteræ Borgiæ superueniunt: quibus in Hispania retinetur. Quod visum est prouisum diuinitus. Namque nauim eam Algeriana classis eodem tempore in maria illa inuecta captiuam fecit. Catalaunus erat natione, ante initam Societatem Canonicus Villabelitrani; Gerundæque agebat concordibus animis studiisque cum altero sacerdote Mauritio Vigna nomine, qui Manresæ natus, & à matre, quæ olim Beatum Ignatium coluerat, piè educatus, cum lacte videbatur Societatis indolem hausisse. Itaque ambo pariter expiandis confitentibus, edocendisque rudibus, & id genus muneribus operam dabant. Vt verò Societatem vouerunt, in eam item pariter concessere; nec longo interuallo, dissimilique exitu vita perfuncti. Mauritius Compluti aliquamdiu sancto versatus in opere, dum Cæsaraugustæ cõstanti promptaque caritate omnia obit strenui sacerdotis munia, præcipueque moribundis adest, superioris anni æstate beato fine decessit. Cęsaraugustani Collegij primum in cælo germen; cuius corpus vnà cum vestimentis illibatum post biennium, nec quidquam graue olens, nec vlla violatum tabe repertum est.

147 Abbatis Benedicti à Tocco, & omnium Monachorũ Montis Serrati in Societatẽ benignitas.

148 P. Ioannes Gesti moritur vir magna virtutis.

149 Mauritij Vigna eximia pietas.

Murciæ vis exitialis atrociùs debacchata ipsorum quoque Patrum non paucos extinxit. Episcopo & reliquis propè omnibus, ad quos cura pertinebat, fuga dispersis, deserta erat ciuitas: plenæ iacentium ac morientium domus. Id supremæ necessitatis tempus & caritatis promendæ rati Patres circum ire vias: sacrosancta mysteria agentibus animam impertire: solari iacentes:

150 Murcia in pestilẽtium obsequio mortui.

excitare

Digitized by Google

excitare ad propitiandum Numen incolumes: non die, non nocte quietem capere. Tam excelsi animi caritatem miratus Episcopus, potestatem quo suis absoluendi ab sibi reseruatis criminibus fecit. His in laboribus maximè eminebat Patris Marcelli Salazarij ardor; cuius in omni genere, & in suo macerando corpore, & in iuuandis proximis, & in rerum diuinarum cultu insignis memoratur virtus. Is inter concionandum contagione attactus, in extrema concione populum rogauit, vt Deum pro se quoque precarentur; sentire se peste ictum. Octo antè annis Compluti Societatem ingressus, pridie Nonas Octobris lætissimo animo ac vultu, benefactis onustus ad Dominum emigrauit. Iam XVII. Kalendas Septembris Petrus Cabrera Catalaunus clara stirpe ortus obierat: postea Rector ipse Antonius Fontoua item Catalaunus est mortuus: cui ob religionem atque prudentiam Barma, cùm Romam abiret, partes suas in administranda prouincia delegarat.

151 *P. Marcellus Salazarius.*

152 *Petrus Cabrera, Antonius Fontoua.*

Horum in locum magno fœnore nouos Deus Socios reddidit. Salmanticæ adiunxit se Societati præter cæteros Franciscus Toletus, iam tum in Theologia Magistri ornatus insignibus, & anno ætatis circiter vigesimotertio publicus Philosophiæ interpres: de quo erat opinio paris æui æquè doctum tota in Hispania neminem esse. Adeò vt eius olim præceptor Dominicus Sotus præ ingenij miraculo solitus esset prodigium appellare. Sed & eximios, vt solet, ac sanè multos, ampliùs quatuor ac triginta Complutensis Academia submisit. Commouit plurimos Alfonsus Deza. Is inter eius Academiæ iuuenes propter rara decora, & magnarum laudum semina princeps habebatur: in eum conuersi oculi omnium erant. Eo Paschalis Mantius Theologiæ sancti Thomę vetus ac celebris professor, quamuis multas lustrasset inclytas vrbes, maioribus naturæ præsidiis ad litteras ornatum negabat quempiam à se cognitum. Iam Philosophicarum disciplinarum (artium vocant) Magister effectus (quo in decore primum obtinuerat locum) eumdem breui in Theologiæ Doctoribus habiturus; propter ingenij præstantiam morumque suauitatem, quo suis docentium honores, & pleraque eorum, quæ mortales mirantur & ambiunt, habebat in promptu, vltrò in sinum ambitiosiùs penè quàm ambiuntur, conuolatura. Sed his ille omnibus præposuit Domini crucem. Quæ res eo etiam inter Academicos motus ampliores exciuit, quòd inopina omnibus accidit. Amplius ille quidem anno vocante Deo tergiuersabatur, ita nostrorum hominum expers consuetudinis, vt quamuis eorum non paucos nosset, ac notus propè esset omnibus, neminem tamen esset allocutus. Sed Deus, qui iam tandem finire velitationem, & victoriam maturare volebat, collaturus quodammodo pedem, & ad decretoria arma rem deducturus, perpulit, vt per hebdomadam sanctam ad exercendum spiritum in Collegium se reciperet. Postero die quàm exercitationem occœperat, incidit in febrim; quæ morbum corpori, medicinam animæ tulit. Curari in Collegio voluit: nec satisdum bene conualuerat, cùm animo iam inde à primo vsu prudentiæ homologesi purgato, negauit se inde pedem ad sæculum ampliùs relaturum. Quia notus erat, & tamdiu deliberasse confirmarat, facta est manendi potestas. Quod vbi fama vulgatum est, multos dies nullus Compluti sermo nisi de ea re fuit. Idcirco solum damnare factum, vt videbatur, repentinum minùs audebant, quia Deza id ea iuuenis sapientia & grauitate fecerat. Hunc consecuti Ferdinandus Alcarazius Latini sermonis apprimè sciens, & laurea donatus poëta; mox Theologi quoque Doctoris insignibus donandus: & Martinus Gomius è Theologorum Academiæ Collegio, qui Maiores dicuntur. quod eo visum est mirum magis, quia cùm passim ad Societatem è cæteris venirent Collegiis, & ex eo nullus ad eam diem ad vllum accessisse Religiosorum Ordinem memoraretur, qui ibi versabantur, vulgò per iocum quasi in arce tuti dicebantur. Sed gratia Christi, cui nihil imperuium, nihil inexpugnabile est, clausta quoque illa parum salutaris munimenti refregit. His succesere tres docti bonæque indolis iuuenes Petri Sancij discipuli, iamque in Philosophia designati Magistri. Per hos visus est Deus viam ostendere præceptori. Nec dubitauit bonus magister vestigia discipulorum sequi. Ingressus est aliquanto maiore motu, quàm Deza, quia & corroborata magis auctoritas erat viri, & modo planè Compluti nouo in aditu sese gessit. Non solùm Doctor excellens Petrus Sancius, publicæq; Philosophiæ interpres erat, sed etiam Rector Academiæ cum insigni approbatione omnium, qui summus est ibi gradus honoris, fuerat. In concionibus etiam, quas non semel habuerat, non mediocrem adeptus erat nominis claritatem. Quæ animi egregia bona corporis honesta & venerabilis species decorabat. Dum missas ex India legit Patrum nostrorum litteras, animaduertere cœpit quantum in vltimis terris ii viri pro Dei causa laborum sumerent: simulq; ad sese retorta cura cogitare quàm segnis ipse desideret. Hinc noua orsus consilia animo volutare, ad æmulandum decus, atque ad ærumnarum ingentem cupiditatem accenditur: nec languidè rem transegit. Postquam cum Emmanuele Collegij Societatis Rectore, vt se reciperet conuenit, primùm auditores alloquitur in gymnasio, & bonam veniam petit. Se diu multumque animo mortalia versasse: fluxa cuncta, vitam hominum breuem incertamque reperisse. Vidisse præter animi salutisq; æternæ curã inania & ludicra omnia. Quid enim esse longũ morituris, quod vnà moriatur? Quid autẽ prodesse breuia æternùm victuris? Ergo decreuisse monstratam à Christo, recèns initam ab auditoribus quoque suis arctam, quæ ad æternitatem ducit, ingredi viam: pietatis ante omnia, dein etiam sui, qui ipsos & ex animo dilexerat, & nunc erat veriùs amaturus, meminissent. His similia multa cùm diceret, discipulos, qui eum amabant pariter & obseruabant, diuerti agitabant motus. His deinde certatim, quamuis repugnantem, duobusque è Doctorum Collegio præcipuis Magistris prosequentibus salutatum Academiæ Rectorem pergit. Qui dum hominis tanto cum comitatu aduentum miratur, Petrus ad eius repentè aduolutus pedes, faustam precationem, per

153 *Franciscus Toletus in Societatem adscitus.*

154 *& Alfonsus Deza.*

155 *Ferdinandus Alcarazius.*

156 *Martinus Gomius.*

157 *Petrus Sancius.*

quam

Digitized by Google

quam liceat in Societatem transire, petit. Rectori ludus principio videbatur: vt autem animaduertit seriò agi, noua re, Petri feruore, quem quasi æstuantem sibi ante pedes obiectum videbat; comitum, quorum plerisque confuso in vultu oculi madebant, conspectu, tam vberes in lacrymas soluitur, vt præ fletu formare vocem in verba non valeret. Pauca tandem in eius cõsilij præfatus laudem, millies bene precatus dimisit. Petrus eodem discipulorum & collegarum, & multorum è nobilibus academicis comitatu septus recta ad Societatis Collegium tendit. Partim fama celeriter sparsa, partim eius spectaculo agminis excitis hominibus ingens multitudo confluxit. Vt ventum ad Collegium, noluit Petrus pedem introferre, quoad Emmanuel Rector aduocatus prodiret. Itaque ad fores ipse, cumque eo vniuersa illa constitit multitudo. Vbi primùm Rector apparuit, in oculis omnium Sancius submittit se in genua, perque Dei amorem obtestatur, vt se licet immerentem recipere in famulorum Christi numerum velit. Hanc diu fuisse, hanc esse nunc maximè votorum suorum summam, in Dei seruitio viuere ac mori. Emmanuel admonitis qui aderant, haud nunc primùm id negotij secum à Doctore agi, complectitur, gratulatumque Deo ducit in templum. Prosequitur turba spectatorum & comitum. Ante sanctissimum Christi corpus pariter omnes (multitudinem vix templum capiebat) innixi genibus aliquantisper orant. Hîc verò in digressu vltimo iucundissimum spectaculum fuit, cùm veniam & commeatum petens Doctor humi se abiiceret, fleretque: cæteri omnes certatim etiã prouoluerentur, & rogarent pro se quisque sui memor esset, & quamuis obnitẽtibus oculi humescerent; & alta demum trahentes suspiria ægrè diuellerentur. Credi vix potest, qui toto oppido motus extiterit. Nunquam, quod homines recordarentur, rem talem perspectam Compluti narrabant. Et sanè humilitas & pietatis ardor, quo fevir tantus gerebat, quoque vocationis beneficium ponderans extollebat, nescio quid supra consuetudinem, & humano maius erat. Nec multò pòst, vt in sui, quem tanti faciebat, contemptu animum obfirmaret, vouit, quantum in se esset, totam vitam domestico vel obsonatori, vel coquo famulaturum: vt moderatoribus in regendo eius feruore vigilandum sedulò esset. Quoad Philosophicum stadium, cuius non longè distabat à meta, decurreret, iussus est, quamuis è Societate iam esset, & in Collegio versaretur, continuare in Academia publica docendi laborem. Multique deinceps, ac præter eos tres, quos dixi præcessisse, alij quatuor ex eius discipulis tam illustre exemplum secuti sunt. Decuit verò tam ex alto inchoare qui celsissimam molem fundabat; præterque cætera magna opera, in orbe terrarum nouo Mexicanæ prouinciæ cum summo earum gentium bono erat futurus parens: id consecutus, vt, quemadmodum ex laboribus Apostolicis apud Indos prima conceperat semina Apostolicę vitæ, ita nihil degeneres fructus, verùm pares seminibus ferret.

158

159 *Ludouici Medina*

Placentiæ quoque operario insigni Societas aucta, Ludouicus is Medina fuit è prima Abulensium nobilitate ciuis, iudicio vir acri, summaque prudentia: quam longo vsu, annos quadraginta iam natus ex multis hominum moribus, vrbibusque perspectis parauerat. Italia miles, Hispaniaque omni lustrata, nouum etiam peruagatus orbem, magnis vbique ac ferè semper è sententia rebus gestis; cùm simul (vt in communi vita) cultu pietatis eximio pacem conscientiæ quæreret, nunquam tamen toto in orbe terrarum, tantaque multitudine ac varietate gestarum rerum, in quo planè acquiesceret, locum negotiumue aiebat se reperisse, nisi postquam in Societatem conscriptus vilissima in ea vsus quotidiani ministeria exercebat. Tunc nimirum discere potuit quàm propè esset, quamque parabile, quod tam procul, tantoque labore frustra quæsierat; cùm intus in ipso esset animo, quod extrà venabatur. Ille verò tam insperato fruens bono nullum susceptæ vitæ dilaudandæ admirandæque finem faciebat. Præerat Collegio Placentino Martinus Gutterrius, qui vt mediocri nec sua, nec suorum virtute erat contentus, & robustam Tironis videbat alacritatem, multa ei liberaliter indulsit, per quæ militarem iactationem atque ferociam omnino sub Christi iugum mitteret. Nam publicè siuit per vias pallio tunicaque exutum incedere. Ad lanios emptum obsonia instar mancipij, in forum ad raphanos vendendos mittebat. Iumenta etiam quædam in mercatu venalia duxit, & alia duo agens plus quinquaginta leucarum iter solus confecit; vt ipsum pro Christo virum ac militem adeò nobilem factum iumentum agnosceres. Rem, quam satis possidebat amplam, in pauperes & religiosas causas erogauit: nec pauca in Collegium Abulense contulit. Creatus subinde sacerdos (vt semel de eo narrem) consentaneam tirocinio militiam, liberandis defendendisque à peccatis animis ad vltimum spiritum exegit scienter, strenuè, feliciter. Demortui lingua post duodecim annos, cætero capite corporeque in ditionem mortis planè redacto, rubens ac vegeta perinde ac si viueret, inuenta est. Constabat hominem in tota vita scientem nunquam mentitum. Itaque rem mirantibus Patribus testimonium ac decus eximiæ illius fidei visum est. Nec verò abhorrens est præmium: nec profectò, si rectè existimetur, magis mirum hominis mortui incorruptam vigere linguam, quàm viui nunquam tam longa ætate, tamque diuturna militia fuisse mendacio temeratam.

præstantissima virtus.

160

Inter hæc læta Ioanne Vega mortuo, non leue incommodum & Societas & Hispania omnis accepit. Adfuit illi supremo tempore Borgia aliiq; de Societate, quorum conspectu recreari se optimus senex aiebat. Vsque ad extremum spiritum mentem illam, qua tãtum semper valuerat, tamque sanctè vsus erat, Deus fecit vt haberet in potestate, nec nisi de Deo loqueretur. Denique, *Cupio dissolui, & esse cum Christo*, ingeminans, vndecimo Kalendas Ianuarias vicina iam luce feliciter expirauit. Preces & Sacra multa pro eius anima Deo vbique facta, aliaque edita memoris animi signa, quę & parenti salutaria, & filiis quos planè suæ erga Societatem caritatis heredes reliquit, gratissima accidere. Viuet viri memoria, administra-

161 *Ioannes Vega moritur.*

Digitized by Google

ministratæque ab eo reipublicæ forma inter prima Christiani imperij vigebit exempla, dum Roma, dum Vallisoletum, dum prouinciæ aliæ, ac Sicilia nominatim, superstes erit.

162 *Petrus Martinius & Petrus Domeneccus cum classe in Africam missi.*

Eodem anno Præfecto regiæ classis Martino Corduba Alcaudeti Comiti bellum in Africam & milites deportanti, duo, vti postulauerat, è Societate sacerdotes cũ Laico vno, Petrus Martinius, & Petrus Domeneccus adiecti comites. Hi, dum conscensionem expectant, in agrum Murcianum egressi cum salute plurimorũ mortalium excursionem fecere. Nec Africana ipsos expeditio, quamuis armati malè gesserint, perinde frustrata est; prout diuinorum est militum, quàm humanorum alea certior. Cùm enim Oranum, quæ vrbs in maritima Africæ ora sita Hispanorum præsidijs tenetur, classis prosperè attigisset; hîc Patres, dum promouetur ad Mostaganũ exercitus, ad militum, qui in nosocomio plus quingentis decumbebant, animos & corpora subleuanda, subsistere iussi sunt. Ægrè initio illi tulere se in nosocomium quasi ad vmbram & otium retrusos, qui cupiebant casuum participes omnium, vti belli nomine abducti fuerant, ita militibus in præsenti cõflictus discrimine præstò esse. Ac fuisset sanè præsidium opportunũ. Nam Christianus exercitus Barbarorum multitudine sine modo prægrauante, ad internecionem propè deletus; &, qui superfuerant, à Barbaris capti sunt. Cuius cladis perlato in Hispaniam nuncio non magis cæteri suos è militibus cognatos carosque, quàm Socios nostri suos luxere pro mortuis, & solemnibus tota prouincia precum & sacrificiorum piaculis lustrauere. Verùm illos diuina prouidentia dies noctesque in ægrorum salutem intentos ad diuturniorem militiam reseruauit. Ac Petrum Martinium clarior pro Christo martyrij, quod in Florida orbis noui prouincia deinde fecit, manebat triumphus.

163 *Conimbricensis Collegij magnitudo.*

In Lusitania rerum, si vspiam, florentissimus status. Institutæ formabantur, & reditibus fundabantur Collegia. De nouis instituendis erant qui seriò agitarent. Conimbricæ ad centum & quinquaginta Socij numerabantur. In regio Collegio, quod vocabant Artium, quatuor erant classes Dialecticę omnique Philosophię tradendæ: decem Grammaticæ, & humanioribus litteris, præter vnam, in qua caritas, quæ omnia sustinet, ipsa internoscere elementa atque formare calamo puerilem ætatem docebat. Adhæc linguæ Græcæ & Hebraicæ præceptores. Petrus Perpinianus in admirationem cunctos rapiebat cùm cæteris eloquentiæ partibus, tum actionis præcipuè dignitate. Cùm alij quamuis eloquentes vix ad horæ dimidium patienter audirentur, horas ei vel binas fauentes animos, recentissimas præbebant aures. Qui vtinam, quod & ipse hoc tempore meditabatur, & Michaël Turrianus auctor erat, Beati Ignatij vitam, & Societatis Historiam conscripsisset. Eius inprimis celebritate nominis fiebat, vt fama vulgò esset, apud Societatem iacere Philosophiam, florere Humanitatem. Quod planè erat alienum à vero. Nec Petrus Fonseca sapientiæ studia minore cum facultate tractabat. Sed videlicet in his æmuli aderãt, non item in illis. Comparatumque vsu est, vt homines haud libenter omnia ad vnum, siue hominem, siue cœtum deferre soliti, quædam eo dent liberaliùs, quo cætera impuniùs detrahant. Dedit operam tamen Michaël Prouincialis, quia aduersa fama haud multò secùs ex vano, quàm ex vero nocet, vt ea, quantum fieri potest, aboleretur: quod breui est consecutus, doctrinæ viribus in conspectum disputando datis, ipsisque disputationibus, ac reliqua studiorum ratione in eam, quam ex Vrbe detulerat, redacta formam; adhæc & Fonseca athleta iam nobili repetere arenam eamdem iusso. Frequentabant gymnasium mille circiter auditores, in quibus multi è multis Religiosorum familijs: quorum, vt par est, inter condiscipulos modestia & sedulitas eminebat. Iam tum agitari cœptum de via, qua Philosophorum immensi labores tum magnis variisque voluminibus versandis, tum multis exscribendis in compendium mitterentur: datumque Fonsecæ negotium cõmentarios æquè magistris ac discipulis ad id vtiles concinnandi. Quanquàm ille postea magis indulsit ingenio, quàm vsui seruiuit. Ad reliqua ornamenta, quibus post autumnales ferias exhilarari noua studiorum auspicia excitarique solent, accessit hoc anno ænigmatum interpretandorum certamen. Condita ea diligenter, & artificiosis implicata ambagibus proposita communiter sunt scholasticorum curiosæ sagacitati, delectis ex vniuersa Academia iudicibus, quos cum virtutis generisque commẽdatione sapientia anteferret, & præmiis propositis, qui callida inuolucra propius fidem ac certiùs euoluissent. Placuit, magnoque animorum æstu susceptum certamen est, & maiore posteris frequentatum est annis. Spinosa profectò illecebra non tam exacuendis, quàm torquendis apta ingeniis; nec tam sæpè solertium quàm felicium honestamentum.

164 *Ænigmatũ explicandorum certamen.*

Ad res præclarè extra Europam gerendas ingentia duo annus hic adiecit præsidia; primùm nouos rerum publicarum procuratores, & sua sponte ad omnem laudem factos, & mandatis Reginæ Lusitanæ Cardinalisque Henrici incitatos. Hi fuere in Brasilia Mendus Sà, in India Constantinus Brigantinus. Deinde quotidianas preces, quas cuncta in Societate Lainius ad impetrandam à Deo Sociis inter alienas à fide nationes dimicantibus opem edixit. Ea porrò hinc consecuta est in melius rerum conuersio, vt planè diuini Numinis præsentia, & quantum in Principibus momenti ad populi pietatem fouendam sit, apparuerit. Adhęc Brasili neophyti, qui præsertim in vrbe S. Saluatoris residui erant, nec fuga cum cæteris euanuerant, paulatim cicurabantur. Nihil erat quod rudem populum ad pietatem pelliceret vehementiùs, quàm restituta ægrotantibus, quos in templum deducebant, Patrum precibus sanitas. Diuina bonitas ad captum gentis indulgentia mira descendens, multis quoque infantibus, qui viuere nullo pacto videbantur posse, statim vt sacro tincti sunt flumine, vtramque tribuit vitam. In his vnum cùm animam ageret, impius genitor adduci non poterat, vt admoueri vitalibus aquis pateretur: cuius pertinaciam cùm Socij diu frustra concussam, tandem conuersis ad Deum vocibus expugnassent,

165 *Res Brasilica.*

166 *Miracula sanitatum.*

Digitized by Google

sent; allato infante, raptimque, ne serò res conficeretur, omnibus quæ de more præeunt, cerimoniis prætermissis, baptizato, mirum dictu repentè salutaris vndæ attactu, clara omnes (vt re ipsa contigit) restitutæ ei salutis viderunt indicia.

167 *Patrum nanitas & humilitas.*

Hæc Dei clementia auctoritatem Patribus, diuinis rebus venerationem augebat. Et sanè naui illi fideleſque cælestis agricolæ adiutores, quo sterilius colebant solum, hoc magis intendebant curam. Ac ne quid omitterent, quod siue Christianorum veterum pietatem fouere, siue Ethnicorum inuitare animos posset; non modò sæpiùs quàm solerent antè, nosocomium visere hoc anno instituerunt; verùm etiam iis, qui carcere tenebantur, in summa inopia, cùm aliud leuamentum nõ suppeteret, adportare suis humeris aquã, suis manibus sordida eluere vasa, aliaque seruilia obire officia non refugerunt. Quæ caritas pariter & humilitas acriùs, quàm quoduis verborũ genus cùm aliorum, tum præcipuè vinctorũ (quod genus hominum maximè solet incurabile esse) dura corda deliniuit. Tertiodecimo Kalendas Februarias hominis in ea regione principis; quẽ Gatum vocabant, filius additus est fidelium cœtui, & Sebastiani donatus nomine. Magna erat pompa celebrandus baptismus, sed catechumeni id valetudo non tulit: morbo dein superante, cùm tandem IV. Nonas Aprilis sæpissimè diuinum Iesu nomen appellans, in complexu Domini cruciſque animam exhalasset, quod baptismo debebatur splendoris & magnificentiæ, redditum est pompæ funeris: permultumque cæteros Ethnicos ac de mortui cognatos ille honos erga res Christianas affecit. Pudicitiæ hîc exemplum memoria dignum subiiciam per seque, & multò magis pro regionum effusa intemperantia mirum, liliorum specimen, quæ illas quoque inter horrentes spinas cuncta edomans aura diuini Spiritus procreat educatque. Brasila puella in Christiano ritu matronæ Christianæ domi educata ad cæteram insignem pietatem sua planè sponte, nullius mortalium, sed (vt fides haud dubia est) cælestium tantũ instinctu, apud animum suum statuit omni ope ad vltimum vsque illibatum tueri pudoris florem. Ea mox diuendita in manus incidit dominorum religione quidem Christianorum, qui tamen haud rarò Christi sanguinem per summam indignitatem fœdæ appetitioni posthaberent. Hos magnanima virgo turpiter solicitantes, non modò obtestationibus lacrymisque repulit semper victrix; sed etiam sæpè rubore perfusos in admirationem inusitatæ in barbara seruaque sanctimoniæ adduxit. Ac muniendo suo thesauro assiduè intenta cùm animaduertisset heros magna pietate Christi in patibulo fixi effigiem colere, paruulam sibi eiusmodi imaginem ad collum appendit: nec cessabat interim, quacunque posset via, oris sibi speciẽ deformare. Nihilo tamen minùs flagitiosos dominorum animos tartareus vrebat ignis. Ab vno ex iis abducitur per speciem negotij in villam, vt ibi Christi ouiculam ab omni humano desertã præsidio infamis lupus inuaderet. Quid hîc ageret tantas compulsa in angustias ancilla Christi? Christi ipsius effigiem, quam ferebat è ceruice suspensam, inter vberes lacrymas, & ardentia suspiria manu suscipit, flexisque ante sacrilegum prædonem genibus, Per ego te, inquit, hunc, quem adoras, quæso restorque, absiste: ne attinge me: ne, contrà si faxis, malum te aliquod nec opinatum percellat. Permouit hæc actio insanum hominem. Qui demum desperata victoria victricem ancillam dignus ipse catena, fœdumque diaboli mancipium indigenæ vendendam curauit. Nihilo is melior aut temperantior erat: ab cuius tamen importunitate inuicta cælestis sponsa Regis sæpè ad honestas fugiebat matronas. Tanta demum virtute cognita Patres, stipe corrogata emptam virginem in tutoque collocatam nosocomij ministeriis destinarunt.

168 *Notabile exemplum pudicitiæ.*

169 *Res Indicæ.*

Prouinciæ Indiæ partium alia aliarum conditio & fortuna fuit. Circa Goam, suprà que & infra sat prosperè gesta res. In Molucis & in Iaponia sæuierunt bella: nec minus exhaustum æruminarum, quàm fructuum collectum. Cum Constantino Prorege modicũ Patribus subsidium Marcus Prancudus & Andreas Fernandius Goam venere. In Goano Collegio hoc anno mille nongenti sexdecim baptizati: multi etiam in Boreali supra Goam tractu ad fidem adiuncti. Salsettana in insula, Bazaini ac Tanaæ. In his homo septuagenarius, qui ab remotis regionibus vix trahens spiritum, senio pelliumque, quibus inuolutus erat, squallore horridus, ad baptismum se venisse prædicans, diuina scilicet manu ductus, altero post eum susceptum die suauissimè expirauit. Non paucos etiam pueros ibi & puellas, quos parentes Mauris parabant vendere, emêre, vt solebant, Socij, & fecere Christi libertos. Felicem omnino mercaturam eo maximè nomine, quòd intereos infantes cùm quidam sacro renati fonte haud multò pòst vitæ periculis morte subducerentur, non erat dubium, quin exiguo iis pretio emeretur æternitas, Gratia Christo, cuius iam omne superante pretium comparata erat sanguine. Iamque in extructa Tanaæ ad alendos pueros domo, in fideque instituendos centum ac triginta versabantur. Adhæc prope Tanaam, deserto in agro, sed trium vbertate fontium, & aliis commoditatibus opportuno, quem P. Consaluus Rodericius regia stipe coëmit, pagus conditus, & neophytorum in eo populus collocatus: quo faciliùs institui ac defendi ab Saracenorum impietate & importunitate possent. Pago nomen ab Sanctissima Trinitate factum: eidemque templum ibidem exædificatum est ad vlciscendam diaboli iniuriam: cuius videlicet instinctu percelebri olim in Pagodo quasi ad veræ sempiternæque Trinitatis æmulationem tres dij ita ficti, vt tria ex vno trunco extarent capita, colebantur. Verè enim sanctus Philosophus, idemq; Martyr Iustinus ait astutè dæmones, vt Christiana sacra obscurarent, fecisse, vt Poëtæ iis similia (quæ nimirum inter Ethnicos fusa sunt) multa confingerent. Id diuinissimæ Trinitati primum tota in India templum stetit.

170 *Pagus Sanctissimæ Trinitatis conditus.*

Apol. 2. ad Anton.

Infra Goam etiam in ora Piscaria ad faciliorem eruditionem nouum in pagum Christiani traducti. Eamque ob rem P. Iacobus Soueralius captus, malè acceptus, ac propè extinctus ab Ethnico est pagi domino, vnde Christiani migrauerant. Cæterùm in excolenda recenti illa longeq; sparsa

171 *Piscaria ora ves.*

Digitized by Google

sparsa Domini vinea Patres omnes ex laboribus grauiter ægrotarunt: & Michaël Barulus ex iis, qui destinati Æthiopiæ erant, pridie sacri Aduentus ad laborum suorum percipiendos in æterna beatitate fructus in vicem Æthiopiæ cælum petiuit. Consaluus Prouincialis, vt onus aliquo pacto leuaret, interdum Goam aliquos ad quietem modicam euocare instituit, aliis interim in decedentium locum submissis. Nec animis eorum minus, quàm corporibus consulens, simul omnes in ora Piscaria quater in anno conuenire, seque inuicem excitare ad pietatem ac vota instaurare iussit. quod salubre inprimis inuentum fuisse euentus ostendit. Quippe longo pòst tempore longinquis ab oris, cum suis quisque ærumnarum frugumque manipulis conuenientes, gaudio primùm inenarrabili reuisebant se inuicem & complectebantur; deinde paucis, quibus vnà erant, diebus disciplinæ Religiosæ tum regustabant otium, tum seueritatem vsurpabant. Certatim ab Henrico iniungi publicas sibi pro erratis rogabãt pœnas. Cunctis feruentibus, dum aliud alius voluntarię afflictationis impetratum genus in publicum profert, omnium adhuc magis iis ab exemplis tanquam pluribus copulatis ignibus inardescebat pietas. Simpliciter amanterque indicabant inter se quæ quis in alio desideraret, & emendationis, & exercendæ humilitatis causa. Adhæc suarum exposito Ecclesiarum statu, in commune de earum promouendarum via & ratione consultabant; & opportunos Henricus stimulos, apta cuique monita adhibebat. Ita demum eluta generali confessione conscientia, votisque instauratis, aucti viribus animisque, recentes & integri ad opus digredientes, & sibi fructuosiùs laborabant & proximis.

172 *Res Cocinenses.*

Cocini hoc tempore Melchior Nunnius, qui anno superiore ad regendum id Collegium venerat, paruis æquè ac magnis in rebus oraculi instar consulebatur. Pacem inter multos, ex quibus factiones & publicum timebatur exitium, conciliauit. Duos præterea duces, qui sibi & vim armata manu intentabant, & inuicem struebant insidias, vt arma & fraudes cum ira ponerent, flexit. Quam ad rem egregiam operam etiam contulit Franciscanorum Custos. Cùm Episcopus ille Armenius (de quo suprà memini) tandem Cocinum venisset, Proëpiscopi diligentia datus est in custodiam: & Melchior, qui cum eo disputaret, accitus. Adeoque veritati Deus fauit, vt conuictus hæreticus publicè cunctos errores de scripto recantarit. Verùm ne fortasse libertatem nactus ad ingenium, quod facilè vsu venit, & ad exitiale magisterium rediret, Goam primùm missus est, inde asportatur in Lusitaniam.

173 *Insignis cõuersio hominis nocentis.*

Illud mirabile diuinæ bonitatis documentum in homine prorsus immerente est editum. Quadraginta annos graui animi languore miser conflictabatur: nec sincerè vnquam sacris medicis patefecerat morbum. Cupiebat Melchiorem conuenire, & apud eum virus emouere: sed innumerabiles Satan moras & obices opponebat. Tandem cùm ex vehementi dolore stomachi decumberet, Patrem accersiit. Cumque soli in cubiculo essent, ita repentè obstructis faucibus angi torquerique cœpit, vt penitus viloquendi intercepta proximè abesset à morte. Melchiorem improuisa res nonnihil commouit, tamen ad opem diuinam confugiens super laborantem properè Euangelij sancti Ioannis initium recitat. Attollit oculos miser, ac recepta voce adfuisse diabolum narrat, qui se non modò non sineret loqui, sed etiam faucibus arctissimè pressis conaretur extinguere. Nimirum prædam nolebat tamdiu possessam eripi, sed protinus raptare secum in tartarum. Quod prædo teterrimus, quantum in ipso est, statim vt quem in letale crimen impulit, semper molitur. Verùm clementia boni pastoris, quæ tot annos abetrantem insecuta erat ouiculam, non sustinuit, cùm iam se redderet, deuorari. Ita quamuis indignante & oppugnante Satana anima illa tyrannidem eius magno sensu, magnaque farciendi tot annorum iacturam voluntate per accuratam homologesim excussit.

174 *Res Moluccenses.*

In Molucis capto ab Lusitanis Cacile Aerio Rege Ternatino, qui præter vim & opes auctoritate, doctrina cultuque superstitionis, summum Mahometismi munimentum erat, & à quo Cacizij tanquam ab supremo Antistite petebant responsa, spes erat magnam Euangelio sublatam moram. Sed contrà euenit. Et suapte sponte ob insitam in Regem caritatem, & filio eius incitante Ternatini sumptis armis tumultu ac terrore compleuere omnia, vt priore anno memorare exorsus eram. Vrbem dein Ternatem graui obsidione cinxerunt. Sub huius tumultus initium Alfonsus Castrius glorioſum finem sortitus est.

175 *Pretiosa mors Patris Alfonsi Castrij.*

Insulæ Iris, quæ haud vna plus leuca Ternate distat, incolæ quidam Mahometani ipsius missu Regis Aerij, in cuius ditione erant, ad Mauricam eum regionem vexerant, vt, cùm Ecclesiarum statum earum composuisset, & Sociis eas, quos vexerat, assignasset, retrò Ternatem, inde in Bacciarum profecturus, se reciperet. Inter hæc captus Rex, bellum exortum, omnia hostibus circà occupata maria. Misit nuncium Viera, qui moneret, ne sic ardente bello, reditum tentaret; verùm serus fuit: iam maturata profectione Alfonsus aderat. In tempore magis nuncius venit ab captiuo Rege (vt fama tulit) permutationem cum eo sui sperante submissus ad nautas, vt hominem comprehenderent. Illi sine mora, veluti rabidi prædones libros famuli Dei, sacrum calicem, ac cæterum apparatum rei diuinæ, & quidquid ad humanæ necessitatis vehebat vsum, diripiunt: mancipiis etiam tribus, quæ eum comitabantur, manus iniiciunt; & ipsum adorti vestimentis omnibus nudatum, crassoque circa collum fune implicito, totum in modum cruci affixi arctè ad nauigium alligant: tum ita vinctum nudumque ad captiui Regis filium sub ipsam Ternatem, quam obsidebat, deportant. Barbarum licet pectus, vt cui longo vsu nota Patris inter Christianos dignitas ac veneratio erat, ea species commiseratione & quadam verecundia pupugit. Itaque satis constat femoralia sibi ipsum, & indusium detraxisse, & eius texisse nuditatem. Inde cùm postularet sibi captiuum tradi, vt custodia fida seruaret, prædones ob eam rem negantes tradi necesse esse; custodiam enim se in omnes partes

Digitized by Google

intentam tutissimamque adhibituros, secum
176 in suam insulam Iri auexere. Huc vbi ventum, rursus donatis à Regulo integumentis spoliant, & exiguo tantùm panno femoribus circumiecto, manibus post tergum vinctis, prægraui ad collum alligato stipite, aperto sub cælo statuunt: atque ita triginta dies totidemque noctes habuere. Quod maximè videtur tormenti genus benigna Dei sapientia permisisse, tanto pretiosiorem athletæ suo vt laboraret coronam. Nam ob ærumnas euangelizandi, & earum inclementiam regionum (vt vero simillimum est) siue qua alia causa adeò valetudinem attenuarat, vt leuissimæ ad nudum corpus appulsu auræ offenderetur: eamque ob rem ne noctu quidem ad quietem vestes deponeret, nec obsoletum indusium cum recenti, nisi quàm clementissima tempestate mutaret. Cæterùm Mahometanis haud satis fuit ad eum modum sub dio, cæli ac tempestatum iniuriis expositum, vinculis ac ponderibus oneratum, & nudum tamdiu habere; sed nec interim destiterunt cùm aliis diuexare modis, tum lacerare verberibus. Quodque supplicium erat acerbius, non rarò sanctas aures vulnerabant impiis vocibus, per quas ad defectionem ab Christo, & transitionem ad Mahometum solicitabant, comiter haud dubiè & liberaliter habituri, si persuaderi posset. Cæterùm heros inuictus non modò impium ratus verum Deum pro falso Prophetа deserere, verùm etiam prorsus insanum, minutissimam stillam vitæ mortalis immortalitatis iactura emere; metuque momento præteruolantis mortis in mortem ruere sempiternam; nihil subire, nihil perpeti recusabat, modò (vt sanctus Martyr Ignatius loquebatur) Christum Iesum nanciscereturcui se non modò communi cum cæteris Christianis, sed etiam proprio nexu in Societate hac obstrinxisse fidem recordabatur. Mahometani vbi nihil profici vident, & hominem Dei cùm reliquis cruciamentis, tum inedia propè incredibili ita consumptum, vt spes nulla vitæ superesset, maturare ei mortem decreuere, rati quòd tantopere intentam custodiam Regulus commendarat, non aliter meliùs custodituros. Ergo sicariis duobus mactandum tradunt. Illi arreptum per asperas cautes secundùm litus deducunt, locum, qui maximè placeret, tanto sceleri delecturi. Ibat Pater specie quidem spirans cadauer, at animi eo vigore, vt velut exhausta mala non consumpsissent robur, sed pondus tantum leuassent corporis, abrupta & confragosa saxa leuitate quadam mira superuaderet. Quin adeò tanquam non ad necem, sed ad conuiuium properaret, notabat ipsemet loca idonea, interslstensque tortoribus demonstrabat. Quòd cùm semel atque iterum fecisset, occurrit modica planities exesæ rupi subiecta, in qua magnus iacebat truncus, quem maris vndæ alluebant. Atque Alfonsus, Nónne hic locus placet? inquit. Cùm placere hunc demum respondissent, rogauit vt tantisper vincula sibi manuum, quas adhuc vinctas post tergum habebat, leuarent: illisque renuentibus, Agite, inquit, soluite, núm ne fugiam timetis? Nihil est quod timeatis.

Quod ita comiter, itaque eos blandè intuens, & quasi subridens dixit, vt fera pectora mitigarit. Vbi solutus est, continuò abiicit se in genua, liberasque ad cælum manus & oculos tollens, vultu sereno ac pio aliquantisper orat: ac protinus finita oratione, incumbens trunco, Iam verò, inquit, quod cordi est perpetrate. Accurrerant è sparsis per litus ad spectaculum piscatores nonnulli, & alij quidam è simplici vulgo, qui inter miserationem & horrorem suum Alfonsi securitatem, & vultum placidissimum mirabantur. Statim ergo vt sacra illa victima ad ictum se composuit, grauem ei plagam sub costas carnificum alter infligit, & alteram, qua demum confectus est, alter superaddit: dein addita mortuo tertia, exanime corpus in mare
178 deuoluunt. Hic exitus beatissimum Martyrem cælo inuexit. Neque enim hanc illi pretiosi tituli gloriam, modò rem ex æquo bonoque æstimet, quisquam negabit. Quippe causa necis nulla fingi probabilis potest, quæ non velut è semine ex odio Christianæ religionis oriretur. Nam si, quemadmodum fama tulit, principio comprehensus tantùm fuisset, vt cum Rege permutaretur, non ea fuisset necis causa, sed custodiæ diligentis: nec debuit ita torqueri, tam diuque, tam acerbè vexari, sed potiùs cum cura & humanitate atque honore haberi. Deinde nunquam constat tanto interuallo de permutatione factum verbum. Irienses aiebant à se comprehensum, quòd eius operâ ipsorum Rex captus esset. Sed apertissima erat vanitas, cùm ipsimet nossent Patrem semper Ternate abfuisse, & à Lusitano Præfecto non modò non solitum consuli, sed etiam magnopere diuexatum. Denique ignorare non poterant, si qua ei ab Rege dissidendi causa esset, vnicam esse eam, quòd ille Christianis rebus per mille dolos aduersaretur. Igitur illa maximè videntur in sanctum virum causa incitati, vt dolorem suum ex capto Rege in eum effunderent, & grauem Christianis dolorem reponerent, cùm magistrum & quasi Patrem eorum adeò carum ipsis ac venerandum excruciarent. Quæ causa eò redit, vt propterea Alfonsus occisus sit non modò quòd Christianus, sed etiam quòd Christianorũ doctor ac pater esset. Verùm quid plura? Cùm constet sæpiùs conatos ad Mahometum pertrahere, cui dubium sit, si fidem ille sanctissimam prodere voluisset, quin & donatus vita, & maximis præmiis cohonestatus esset? Nam inter cæteros Cacizius professus est eum ab se interrogatum, num vellet Mahometanus fieri: & Patrem ne voce quidem responso dignatum hominem, sed graui supercilio renutuque refellisse. Ex quo Cacizio cùm quæsitum postea esset, quid ita solicitasset, respondit, vt ad filium Regis, ad quem iter intenderat, nuncium eum deferret. Ex quo apparet, quàm optata res Mahometanis esset. Qui igitur maluit mori, quàm Christum deserere, qua re maiorem potuit caritatem in Christum ostendere, impensiusque religionem eius testificari? Et placuit
179 benignissimo Domino, qui nunquam liberalitate vincitur, suo testi reddere vicem, non modò confitendo illum coram Patre cælesti & Angelis

Quadam mira consecuta mortem.

gelis Dei, sed etiam inter mortales. Nam corpus, quod proiectum in mare diximus, tertio die eodem repertum est loco, vnde proiecerant, diuino quodam fulgore splendens; ac vulneribus ita recenti aspersis sanguine, vt si eodem momento inflicta essent. Quæ res eo admirabilior visa est, quòd eo loco maris æstus rapidissimi instar torrentis cuncta euerrit. Hæc autem vulgata omnia nihilo minores apud Mahometanos, quàm apud nostros Alfonso venerationem conciliarunt. Ac Regem Gelioli Mahometanum, & hostem Christianorum, cùm audiret quanta Alfonsus constantia mortem oppetiisset, dixisse ferunt, Quid simile Cacizij nostri? Adhæc ex ipsomet Iris insulæ Præfecto, & Magistratibus certò est cognitum, quotquot Alfonsi necis participes fuerant, miserabili tandem mortis genere periisse; alios tormentis in bello discerptos, alios fœdis toto corpore enatis pustulis, paulatim cute exesa horrendum in modum vlulantes sacro igne consumptos. Denique eum etiam, qui abreptum Patris sacrum calicem vendiderat, membris mirè tumefactis animam exhalasse. Et hos omnes tum demũ, cùm iram Dei vindicem sentirẽt, voce supplici Alfonsum ac diuinum auxilium imploraſſe ferunt. Viera, vbi primùm patefacto pace commeatu licuit, sacra ossa lectum misit. Fuit hic beatus sacerdos iam inde

180 *Vita Patris Alfonsi Martyris.*

à puero pietati apprimè deditus, ad eamque quasi à natura factus: præterea valdè ærumnarum, ac vitæ pro Christo fundendæ cupidus: præclarus suimet humanæque auræ contemptor. Olissipone honestis ortus parentibus (Pater aurifex admodum locuples erat) ac diligenter in pietate educatus ac litteris, Societatem ad vltimos rerum Indos petiit. Vbi conscendit, egregiam de consanguineis victoriam asportauit. Accurrit enim cum propinquorum globo frater ad nauim non modò ætate grauior, sed & Doctoris laurea venerandus; & conquisitum Alfonsum cùm in latebra reperisset, per vim ad nauarchum extraxit. Sed Alfonsus negauit se hominem nosse; non enim pro fratre se habere, qui ad Christi signa tendenti sibi impedimento esset. Qua constantia victus Doctor domum inanis cum globo suo reuertit. Alfonsus autem, vnaque iuuenis alter eiusdem consilij socius, morumque simillimorum manere in naui non modò constantes, sed adeò, siue alia obliti omnia, siue prouidentia Numinis freti, vt quod viatici comparauerant, inferre negligerent. Quin etiam cùm P. Franciscus Viera (is qui hæc prodidit litteris, & hoc ipso tempore in Moluco versabatur, & tunc animos iuuenum Olissippone regebat) eos vltimùm salutans inferri iussisset; magnanimi iuuenes recenti feruore dilatante cor, ne rerum earum custodia occuparet, breui omnia in tenuissimum quemque naualis turbæ erogarunt, totumque ipsi iter confecerunt emendicato, quadam arca bombardarij pietate commodata pro diuersorio, lecto, mensa sellaque vtentes: vniuersumque tempus vel lectioni sacræ, vel meditationi ac precibus, vel piis inter se colloquiis, vel ægrorum ministerio tribuentes. interimque adeò inter labores, & interdum inter ludibria procaciorum secura mente ac læta; vt à Mozambico in Indiam, cùm se intuerentur, risum inuicem tenere non possent. Aduectos in Indiam vtrumque Xauerius 181
in Societatem recepit, & alter breui sanctè decessit. Alfonsum Goæ laboriosis ministeriis, ac pietatis tirocinio exercitum, & quodam quasi œconomi munere sapienter functum, demum & sacerdotem creatum secum Malacam idem Xauerius duxit, vbi & primum Sacrum fecit. Cocini in itinere, mox Malacæ concionari iussum, quod magna populi approbatione executus est, vt Cocinenses quidem concionatorem sibi deposcerent, ad Molucas misit anno millesimo quingentesimo quadragesimonono vertente. Hîc multa & grauia non modò à Mahometanis & Barbaris aliis pertulit, sed etiam ab Europæis atque domesticis mansuetudine ac modestia singulari. Cibo permodico vtebatur, nec alio quàm pane & paululo piscis, cui nullum condimentum, ne oleum quidem aut salem adhibebat. At quærendis Christo animis, Ecclesiæque propagandæ vel supra vires intentus erat; idioma gentis quàm optimè assecutus. Ita demum haudquaquam referta odoratis mercibus naui ad inopes terras rediit, sed ærumnis diues, & onustus animarum manipulis æternæ felicitatis portum triumphans inuectus est. Dies triumphi non liquet, nec omnino est certus annus. Nam epistola, quam ego vidi, in qua eius mors nunciatur, Kalendis Ianuarij huius anni data apertè significat anno priore mortuum: quod tamen esse non potuit, si, vt scribit Viera, amplius triginta dies habitus in vinculis est. Siquidem Decembri ineunte ortum est bellum. Quare vel dies per errorem adscriptus epistolæ est, vel antequam moreretur, de morte sparsus est rumor, vel certè, qui Vieræ post sedatum bellum, tum scilicet, cùm ex hostibus ipsis inquirendi facultas fuit, elapsis iam aliquot mensibus seriem rei narrarunt, vinculorum tempori aliquid adiecere. Attamen inter anni huius & superioris confinia certum est beatum hunc ei finem contigisse. Atque hoc ego anno potiùs retuli, vt vbi indubitata non affero, ab iis, qui ante me scripsere, quàm minimùm discedam. Dum Alfonsus ad beata euolat cæli gaudia, Ternate extre- 182 *Obsidio Ternatina.*
ma tolerabantur. Ex obsidione caritas primùm annonæ, inde inopia, pòst fames orta. Accessit, vt assolet, morbi genus exitiale, qui pueros præcipuè & indigenas strauit. Expectabatur à Ioanne Baccianensi Rege nuper ad Christum conuerso auxilium, sed nunquam apparebat. Præfectus desperans vrbem diutiùs obtineri posse, ea deserta, recipere Lusitanos omnes in arcem cogitabat; in eaque tutanda, si foret opus, fortiter mori: cùm repentè Baccianensis Regis conspecta est classis. Inprimis agebatur nauis, in qua Ferdinandus Osorius è Societate, quem ad Regem à Francisco Viera suprà missum retuli, prælatam statuerat crucem, in eademque ipse vehebatur æger. Huius aduentu classis laxata obsidio est, & inita quædam pacis ratio, quæ diu non stetit. Quare cùm sæuirent in dies magis mala, ac Regis desiderio populi tumultuarentur, ac Præfectus nec Regem

Digitized by Google

gem redderet, nec bellum ſtrenuè adminiſtraret, inito inter ſe conſilio Luſitani milites ipſummet ſuum Præfectum extremum ſub annum vinciunt, & Regem populis reddunt. Id conſilium diſturbare non potuit Viera: ita exacerbati omnium erant animi: ita neceſſarium oſtendebant tempora. Valuit tamen eius auctoritas, vt quàm leuiſſimo res tumultu gereretur. In obſidione vel maximè Vieræ virtus enituit. Præfecto aſſiduè præſtò fuit conſilio: militibus animos ſtrenuè addidit: ægrotis ſolandis operâ & alloquio nullum non ſubiit laborem. Inter egentes & ægros, quæ ad alendos toto anno varia per oppida Socios, & ad morborum comparauerat caſus, perbenignè diſtribuit. Denique ad vrbem totam in fide continendam impendio valuit. Cæterorum Sociorum ſemper non nemo in nauigiis diſcurſabat ad pugnam, crucem præferens, & ſocios nauales militeſque confitmans, inter hinc atque hinc horrendo ſibilo præteruolantes miſſos hoſtilibus tormentis globos. At Regem Baccianenſem ad ferendum Luſitanis auxilium nihil niſi Ferdinandi adduxit auctoritas. Vbi enim ad eum peruenit, ſtatim de excitandis per varia loca ſanctæ crucis inſignibus cœpit agere. Rex eo ſe obſequentem

183 *Baccianenſis Regis feruor.*

alacriùs præbuit, quòd narrabat proxima nocte viſum ſibi in quiete puerum, qui paruam crucem, quam geſtabat in capſula, porrigens adhortabatur eum vt caperet, quòd ingens per eius opem eſſet futurus. Sacro igitur Epiphaniorum die, quòd templum nondum erat extructum, in extemporariam arborum ramis conſertam domum conuenere quidam è Ternate Chriſtiani, Luſitani aliquot, Rexque cum ſuis ad crucem in vnum è præfinitis locum deportandam. Ibi Oſorius ſecundùm piam exhortationem linteo indutus amiculo Litanias flexis genibus præit; Regemque omnium primum ad ſuſtollendam, quæ humi iacebat, crucem aggredi iubet. Sanctum onus alacriter vnà cum Proceribus Rege ſubeunte, proſequente cæleſtium ſalutationem Oſorio, ad deſtinatam ventum eſt ſedem. Hîc ſuis Rex manibus humum molitur, ac triumphale ſtatuit ſignum, cæteris vndique genibus humi poſitis, & Oſorio precationes tempori conuenientes elata piaque voce peragente. Summa animi iucunditate peracta res. Addidit capitale edictum Rex, ni ſui omnes quotidie manè genua ante crucem flecterent. His Ternatinum bellum, quod retuli, cùm interueniſſet, & Luſitanis opem Ioannes tuliſſet, inde reuerſus pia perſequi cœpta inſtitit. Duo cum eo Baccianum Socij rediere, qui promulgandis Chriſtianæ fidei rudimentis intenti, diuiſa in regiones vrbe, ſingulis magiſtros ſingulos è gente præpoſuere. Sub noctem ad ipſos quotidie Patres

184 multitudo frequens conueniebat. Itaque & domus & viæ, & ſacræ iam extructæ ædes, ſiue concinentium diuina dogmata puerorum, ſiue tradentium ac diſcentium vocibus perſonabant. Antequam Rex Ioannes Ternate diſcederet, ibi eius filia paruula, Regis neptis Ternatini, quam is parenti, ſtatim vt baptiſmo eſt initiatus, clanculùm eripuerat, ſacro admota eſt fonti celeberrimo ritu, & Conſtantiæ nomine appellata.

In Iaponia Balthaſar Gagus relicto Firandi Villela, vnà cum Ioanne Fernandio Facatam abiit ad inchoandam domum ædemque ſacram in agro, quem Rex Bungi donauerat. Erat Facata vrbs, vt bellicoſa in gente, quieta inprimis. Pacem negotiatores, quibus abundabat, præſtare dicebantur: qui pecunia motus bellicos, vt primùm præſenſerant, anteuertebant. Inde maior ſpes erat fore, vt pacato in ſolo diuini verbi ſementis feliciùs proueniret. Annum iam ibi Gagus agebat; domoque ac templo extructo conciones oppidò frequentabantur: iamque nonnulli Chriſtiana ſacra complexi, ſtudio, vt in naſcente Eccleſia vſu venit, ſummo religionem colebant: cùm, quemadmodum proximo anno commemorandum erit, ſecundum rei progreſſum exorta ibi quoque belli tempeſtas debilitauit. Interim Villela Firandenſi Eccleſiæ amplificandæ egregio cum ſucceſſu curam impendit. E tribus Firandi Proceribus iam vnus olim erat Chriſtianus Antonius nomine. Hunc ita Villela excoluit incenditque, vt poſt familiam ſuam omnem ſacro admotam lauacro etiam populares admoueri vehementer optaret. Ipſemet pagos & paruas quaſdam inſulas Tacuximam & Iquicaquin ſuæ ditioni ſubiectas obibat, Patrem circumducens, adhortationibuſque & omni ſedulitatis genere diuinum iuuans opus. Ita duobus menſibus mille trecenti Chriſto adiuncti; ac tria fana ſimulacris perpurgata impiis, vero Dei cultui deſtinata. Idola paſſim comminuebantur. Crucis veneranda ſigna multis ſtatuebantur locis. Latior in dies religionis campus aperiebatur. Scilicet & liuore diabolus rumpebatur. Ergo ſucceſſum adeò cælo lætum, terræ ſalutarem non percoquens, in omnes ſe vertit formas, vt omnia peſſumdet. Præpollens in Bonziorum natione Cœnobiarcha (Firugadaque ei ab loco, cui præerat, cognomentum) Satanici adminiſter furoris fuit: quem non tam neglectus ſuorum deorum, quàm proprius incitabat dolor, quòd cum Villela congreſſus planè irretitus victuſque è diſputatione, & inde obrutus ignominia diſceſſerat. Hic Ethnicorum Procerum altero ſibi aggregato Firandenſem ita concitauit populum, vt ſacram ædem demoliti, non modò alias, verùm etiam præcipuam crucem, quæ iam pridem Firandi ſtabat, inciderint, ac Villelam protinus è ſuis finibus exturbarint. Quo tempore ad impiorum terrendos animos, ſolandoſque Chriſtianos & alia prodigia, & palàm conſpecta ſunt ſalutiferæ crucis in cælo ſigna: eque tribus, qui præcipuæ ſanctæ cruci, diuinoque pacis ſigno ſacrilegas admouere manus auſi fuerant, coorta ſubitò rixa duo poſtridie eodem, vbi crux ſteterat, loco, mutuis confixi vulneribus inuenti ſunt: tertius nunquam apparuit. Nihilo tamen ſegniùs pertinax Bonziorum furor poſt eiectum incredibili Chriſtianorum dolore Gaſparem, ipſoſmet aggreſſus neophytorum pertentare animos, machinis omnibus, vt ad impietatem reuocaret, adniſus eſt. Sed infinita Dei

185 *Facata in Iaponia noua Eccleſia inchoatur.*

186 *Firandi res geſta.*

187 *P. Gaſpar Villela Firando exigitur.*

boni-

Digitized by Google

bonitas, quibus iam dederat fidem, constantiam addidit, vt nihil non mallent perpeti, quàm ab semel cognita susceptaque veritate auelli. Gaspar hos inter turbines tempori tantisper cedens, Facatam concessit: inde Funaium abiit. In Bungo res paulò sedatiores hoc anno fuere. Ibi maiorem in dies auctoritatem Christiana res nanciscebatur. Nosocomij fama Meacum vsque peruaserat. Pietas gratuitò ægris & alienigenis impensa, sed magis restituta præter spem per Ludouicum Almeidam quamplurimis salus admirationi erat.

Hæc vltimo in orbe terrarum strenuè Socij in propaganda ad omnes gentes religione sancta moliebantur, ferebantque; cùm Romæ Lainius filiorum suæ curę commissorum hanc partem in Brasilia Indiaque exulantem, quo longiùs, & grauioribus in ærumnis positam tanto sibi fouendam studiosiùs ratus, cùm iussisset pro iis (quemadmodum dixi) ab vniuersa Societate in Europa preces sedulò ad Deum quotidie fundi, accurata etiam epistola alloqui voluit. Ea tres in partes distributa, in prima vocationis Indicæ præstantiam ex grauitate operis, & operariorum dignitate, præcipuaque sorte ostendit: in secunda quanta iis imposita sit seriò ad perfectam tendendi virtutem necessitas: in postrema multa tradit præcepta, quibus ad suam tum animi, tum corporis tuendam salutem, & ad aliorum adiumentum vtantur. Ipsammet epistolam sacro quodam & Apostolico stylo scriptam, si cui otium & cura est inspicere, exemplum Latinè fideliter ex autographo Hispano redditum infrà scriptum est: Tametsi, Patres in Christo carissimi, de rebus quidem necessariis litteræ ad Præpositos dantur: quæ autem solent per Societatem ad commune solatium & incitamentum scribi, ea ad vos è Lusitania transmittuntur, ideoque aliæ à me litteræ non admodum necessariæ videbantur; volui tamen has ego in præsentiarum scribere, vt inuicem consolemur, ac testimonio sint vos mihi penitus in animo scriptos hærere; institutumque esse, vt quilibet Fratrum nostrorum quotidie non domi nostræ solùm, & in Romano Collegio, sed vbicunque in Europa Societas nostra sit, proprias ad Deum preces exequatur pro nobis; vt multorum rogatu diuina & summa bonitas vos in dies magis perfectos efficiat seruos suos, vtiliorque instrumenta diuinæ suæ prouidentiæ ad abducendas quamplurimas animas è tenebris impietatis & peccatorum ad lucem cognitionis & amoris sui, dirigendasque in viam sui sancti obsequij: vt tendant ad vltimum ac beatum finem, propter quem creauit eas, redemitque sanguine suo Christus Dominus noster. Magnum, fratres carissimi, beneficium, magna indulgentia est diuinæ summæque bonitatis in eos vniuersè omnes, quos ad hanc minimam vocat Societatem suam; gratiæque suæ ope dignatur, per quam secundùm eius instituta vitam degant. Eorum tamen, quibus ea sors euenit, vt in eius seruitium istis in regionibus elaborent, singulare inprimis est donum, tum propter momentum & grauitatem operis, quod vos tractatis, tum propter operariorum priuilegium. Atque operis quidem grauitas inde cernitur, quòd non de conseruandis modò iuuandisque Christianis agitur, qui iam per fidem habent initium salutis suæ, quemadmodum apud nos fit; verùm etiam de quamplurimis, qui omnino erant diaboli mancipia, pariterque cum eo filij iræ ac perditionis, ad sanctæ statum libertatis, adoptionemque filiorum Dei, & communionem hereditatis cum Christo in regno eius, & ad sempiternam felicitatem traducendis. Priuilegium verò operariorum inde apparet, quòd vobis valdè singulariter datum est, non modò vt multa faciatis bona, sed etiam vt multa perferatis mala, multasque ærumnas pro Christo Domino nostro, præter operam & industriam, etiam vitam impendentes, tamque assiduis offerentes periculis ad eius obsequium, ac modo quodam excellenti tum negotiorum genere, tum promeritorum sanctos eius Apostolos ac discipulos imitantes, eius nomen atque notitiam inferentes gentibus, interque eas agentes vitam, & obeuntes mortem ad eius gloriam, & adiumentum animarum, quæ item res eius sunt, & adeò caras habet. Atque adeò quanquam in caritate erga vos nostra nullus est locus inuidiæ; in multis tamen harum regionum ardentissima flagrant studia vobiscum tam præstantis expeditionis sortiendi partem. Qui omnes si voti compotes fierent, multos sanè vos in eximia ista sorte ac prærogatiua socios haberetis. Sed tandem mittentur, quos placuerit Deo in eam rem segregare. Semper enim aliquot ex his quoque prouinciis mittentur. Equidem confirmare hoc vobis possum, fratres mei, vobis qui istis in terris versamini, necessitatem planè quàm magnam impositam esse ad absolutam perfectionem in veris solidisque virtutibus enitendi. Primùm quidem, quia occasionem peropportunam & facultatem habetis, per quam excoquatis eas atque perficiatis cùm ærumnarum igne & camino tribulationis, tum præcipua Christi Domini præsentia, quæ talia patientibus exhibetur & adest; tantoque maiorem iucunditatem & consolationum afferre diuinarum copiam solet, quanto maior est inopia humanarum. Deinde, quia ad id, quod propositum istic vobis est, ad conuersionem conseruationemque animarum quamplurimarum, tanto habiliora eritis atque efficaciora diuinæ manus adminicula, quanto maiori integritate, humilitate, obedientia, patientia, caritate possideri vos ab ea tractarique & agi sinetis. Illud quoque vobis proponite, oportere vos vniuersis harum terrarum hominibus, siue è Societate, siue extraneis, qui oculos in vos conuersos habemus, non consolationem modò, sed etiam singulare admodum adiumentum præbere, vt in diuino seruitio per exemplum vestrarum virtutum, earumque asperitatum, quas pro Christo Domino toleratis, excitemur omnes atque crescamus. Hæc ita cùm sint, carissimi fratres, quamuis in studio diuini honoris, animarumque saluandarum siti proficere semper & crescere intus in animo debeatis, idque etiam foris per caritatis ac misericordiæ

188 *Lainij epistola ad Brasilia & India Socios.*

Digitized by Google

» cordiæ erga illas opera palàm facere; tamen & » in defatigandis vestris corporibus debet esse » modus, & ad conseruationem vestri spiritus de- » bet aliquod tempus assumi. Ergo quandoqui- » dem vos tanquam hostias viuas integrè Deo » procreatori nostro ac Domino obtulistis, vt » vos vsquequaque in negotia gloriæ & obsequij » eius, & suarum animarum iuuamen impenda- » tis; id ita exequi mementote, vt corpus qui- » dem diu perferre laborum suorum onus pos- » sit, curantes & valetudinem ei, & necessarias » ad opus vires tueri: anima verò vestra nequa- » quam se ipsa, vt alienis intenta sit, negligat: » quoniam Christi Domini sententia, nihil vo- » bis prodesset totum mundum lucrari, si detri- » mentum vestræ animæ faceretis. Nec non ipsa » quanto ad omnem sui perfectionem acriùs con- » nitetur, tanto ad alienas iuuandas euadet vti- » lior. Proinde necessarium valdè est, cautè vt » ambuletis in medio nationis prauæ atque per- » uersæ, vt inter eam puritatem omnimodam con- » seruetis; vtque quod vobis præsidiorum deest à » clausstris, vigilantia moderatorum, decretisque » ac regulis Societatis nostræ, quas fieri non po- » terit, vt vbique omnes seruetis; id sanctus ti- » mor amorque Dei compensет, ac diligens ob- » seruatio votorum, & earum instituti partium, » quascunque licebit; tum aliqua collectio ani- » mi, qua singulis diebus ad orandum vos reci- » piatis, & in conscientiam vitamque vestram in- » quiratis; pariterque rationem ac viam recog- » noscatis, qua cum proximis agitis. Quòd si » occupationum multitudo spatium vobis hisce » in actionibus quamdiu vellетis quotidie im- » morandi minus relinquit, certè inter ipsasmet » occupationes arripi aliqua possunt tempora: ac frequenti Dei recordatione, mentisque ad » eum coniectu quamuis breui continuatio exer- » citiorum spiritualium, quæ cùm otium neces- » tates proximorum concedunt, consueta sunt, » compensari potest. Illud tamen existiman- » dum est, quantumlibet occupati sitis, tamen » quotannis aliquot fore dies, quibus diebus » vos, qui ad conuersionem & conseruatio- » nem Christianorum peregrinamini, receptum » habeatis, vt studiosiùs vobismetipsis reno- » uandis in spiritu, & corroborandis vacetis: » modumque inspiciatis, quo res administratis » cum proximis, si qua fortè in re commodio- » rem possitis efficere ad maius adiumentum eo- » rum, maioremque gloriam Dei Domini no- » stri; communicantes quàm licet plurima cum » moderatoribus; & obedientiam illis, quan- » tum in vobis est, perfectam præstantes. Hac » enim via aptiores ipsi reddemini, quos diui- » na Sapientia in suo sancto seruitio gubernet ac » regat, vti ego vos facere, & suauissimam in » vestris rebus, paternamque eius prouiden- » tiam sentire confido. Ita infinitam ac sum- » mam bonitatem precor, vt id assiduè senti- » tis; vestrumque omnium peculiare patro- » cinium gerat, suamque vobis sanctam bene- » dictionem impertiat, per quam crescatis in » virtutibus, in numero & fructu sancti obse- » quij sui: ac demum cunctis vbique terrarum » det suam gratiam, vt intelligant semper & exe- » quantur eius sanctissimam voluntatem. Preci- » bus vestris me, vnaque vestros harum prouin- » ciarum fratres omnes commendo plurimùm. » Romæ pridie Idus Decembris, anno salutis hu- » manæ millesimo quingentesimo quinquages- » mooctauo.



HISTO-

Digitized by Google

HISTORIAE SOCIETATIS IESV

LIBER TERTIVS.

1559. NOVI initium anni lætum Romæ fecit ab Christophoro Madridio Assistente VIII. Idus Ianuarias edita solennium votorum professio, qui nouo exemplo vltimóque ante eam creatus est Assistens, addita postea lege, ne nisi ex Professis nominari fas esset. Paulò pòst domi foriſque acerbitatem nonnullam præbuit immatura mors Roberti Nobilij Cardinalis. Eius animam, veluti in Societate vixisset, quandoquidem se ille totum ei deuouerát, nec per ipsum, quo minùs in conuictum quoque veniret, steterat, cuncta Societas vsitatis precum sacrificiorumque suffragiis prosecuta est. Quo minùs ego aliena videbor referre, si è multis, quæ de mira præstantissimi adolescentis virtute alij narrant, pauca, quæ tum Ioannes Polancus eius confessarius Sociis nunciauit, posteritati his annalibus tradam. Mons ei Politianus magnarum parens virtutum patria fuit. Duodeuigesimum agebat annum cùm est mortuus, tertiumdecimum cùm à Iulio Tertio Summo Pontifice suo magno auunculo Cardinalis est factus. Optimè educatus, & à pueritia prima studiis rerum piarum addictus: propè tribus ante supremum diem annis familiariùs se Societati & institutioni Ioannis Polanci dedit. Exercitatione spiritus ex Beati Ignatij præscripto, qui satis alioqui rerum cælestium amore calebat, totus succensus est. Ex eo tempore magis ac magis titulos illustres, fastumque omnem, in æterna bona, & Christi Domini paupertatem coniectis oculis, fastidire: multum quotidie temporis meditationi, precationi, seruandæ conscientiæ dare: aliquoties in hebdomada Christianum ieiunium vsurpare, asperum induere cilicium, innocentia membra lacerare flagris: ita feruere ac rapi, vt summum Polanco in adducendis habenis negotium esset. Enixè principio domestici obsistebant, sed constantior feliciorque fuit, vt æquum erat, Robertus. Multos eorum, à quibus ad inanem adolescentium lætitiam, nunc illecebris blanditiisque, nunc inanium obiectu terrorum auocabatur, ad seueriorem ipse vitam adhortationibus suis, constantique virtutis exemplo traxit; atque in his Vincentium Nobilium parentem suum. Ingenuo pudore, egregia pudicitiæ cæterarumque virtutum fama consecutus id erat, quod de celebri quorumdam Sanctorum virtute narratur, vt coram eo quantæuis nobilitatis ac dignitatis viri linguæ cohiberent intemperantiam, nec verbum sibi minùs sanctum excidere paterentur. Ipsis Cardinalium primis grauitate morum ac maturitate consilij venerationi, ac propè miraculo erat. Memor Christi Domini humilitatis, qui non venit ministrari, sed ministrare, famulorum operâ summa cum verecundia, & parcissimè vtebatur; ac nominatim ad vestiendum exuendumque se omne respuebat ministerium extra manus suas: nec vesperi, vbi cubitum in conclaue se recepisset, nec manè priusquam ipse aduocasset, aditum ad se cuiquam volebat patere; quo liberiùs vel in precibus ac meditatione quamdiu libitum esset, persisteret, vel corpusculum afflictaret. Super vna tantùm culcitra, sæpè nudis super asseribus, interdum in nuda cubabat humo. Sed hoc Polancus tertium vbi comperit, seriò interdixit, semper vigil & anxius, ne tantam indolem immodicus ardor opprimeret; ingentique subsidio, quod sibi omnes in eo spondebant, Ecclesia sancta fraudaretur. Verùm aliud agebat Deus, qui volebat in censum pietate adolescentem multorum vsuram temporum intenti operis compendio adæquare. Censu 3
erat, pro gradu illo amplissimo, haud amplo satis: animo tamen haud aliàs ægriore visus est, quàm cùm à domesticis, vt præterea Abbatiæ cuiusdam, quæ vltrò offerebantur, vectigalia susciperet, vrgebatur. Indigentibus quantum plurimum licebat, vel de viuo decerpens, benignè faciebat. Famulos doctosque homines, quos domi multos ad suæ adiumenta doctrinæ, & profectum in disciplinis habebat, ab se, quasi loco mercedis sacerdotia, pecuniamque sacram vetabat expectare: sed præsenti mercede, luculentisque subinde donis magnificè remunerabatur. Cæterùm illud curans impensiùs, vt meliores, quàm ditiores faceret; modò singulos, modò vniuersos alloquens ad Christianum compellebat officium: sæpè certum opus, quod agerent, hunc atque illum secretò conueniens, præscribebat: sæpè e iam omnibus in vnum conuocatis ex sacro quopiam volumine locum accommodatum tempori recitabat, quod vice esset concionis. Quod munus & voluntate magna faciebat & venustate; addente etiam facultati gratiam ætate ac purpura. Illud identidem denunciabat, gratificari sibi qui cuperet, seriò virtuti se traderet. Qui non induceret animum Christiano homi-

1 *Eximia mors Roberti Nobilij Cardinalis, qui Societati se deuouit.*

2

Digitized by Google

ne dignam vitam viuere, apud se locum ei non esse. Qua sedulitate est factum, vt fermè omnis eius familia vitiorum expers, diuina Sacramenta certatim repeteret. Ingenio erat præstanti, & ad disciplinarum omnium habili studia: sacra tamen, ad quæ propensiùs ferebatur, præsertim genus Theologiæ, quod mysticum vocant, tractabat frequentiùs. Latinè Græceque doctus, & humaniorum litterarum perbene sciens, adhæc in Rhetoricis ac Dialecticis versatus diligenter, reliquas sapientiæ grauiores partes persequebatur. Memoria quoque prospera erat; Lainiique conciones, à quibus nunquam aberat, vbi primùm se domum receperat, manu sua accuratè mandabat litteris. 4 Ad Christi Domini consilia flagrantissimis studiis, totoque animo rapiebatur. Eo purpuram exuere, & nobile capitis gestamen ponere; planeque se abdicare terrenis possessionibus, & cum sancta paupertate & humilitate Christo Domino in eius Societate famulari summè habuit in votis: suumque animum assiduè diuinæ maiestati offerebat: nec destitit flagitare, donec à Patribus nostris præcisa omni spe est admonitus, maiori (quod Societati est propositum) bono Ecclesiæ sanctæ fore, si, quandoquidem eo loco positus à Deo fuerat, ad perfectionem suo gradui consentaneam contendens, in sacro senatu, extraque eum, & vbi vbi se ferret occasio, totum se ac penitus Deo, publicæque vtilitati impenderet. Quibus ille vocibus ita acquieuit, vt cùm summam Constitutionum & regulas, quibus Collegij Romani vita quotidiana descripta erat, impetrasset; ex his totam vitæ suæ rationem componeret, atque omni ope conniteretur, vt ex Euangelicis consiliis & Societatis moribus quidquid summus ille dignitatis gradus permittebat, studiosè teneret. Gratissimæ illi deliciæ tecta, hominesque Societatis: in his dum esset, cum his dum ageret, bene sibi suauiterque putabat esse. Haud temerè Sociorum quisquam erga Præpositum Generalem veneratione & obedientia erat pari. Dumque in dies magis diuinorum gustus animum capit, iam facultates, iam decus amplissimæ dignitatis pro graui sarcina tolerabat. Si quando inuitatu ac precibus hominum, quibus modestia vetaret non parere, ad sumptuosius vocaretur conuiuium, discruciabatur intimis sensibus, quòd seruitij id genus declinare nulla via posset. Denique & externa oris specie, ac multò magis interioris forma ac dignitate hominis Angelo similis, cùm dignus eo mundus non esset, haud diu permissus est in exilio esse; viamque inuenit Deus, qua hominem sibi carum in sinu honorum, in opum ac deliciarum affluentia, in blandissimo flore ætatis ita excoleret, vt non aliarum modò virtutum insignibus, sed illustri etiam patientiæ ornatum corona in cælum eueheret. Quotidiana sex mensium febri variisque doloribus exercitus est; ac postremis octoginta diebus alterilaterum ita est coactus insistere, vt in alterum conuerti nequiret; idque, cui incumbebat, vlcus traheret ac putresceret. Nec tamen fortis adolescens quamuis macie miserandum in modum extenuatus, tam longa grauique vexatione in querimoniam versus est vnquam; nec visus patiendo defatigari, nec vel leuiter vitæ amore tangi. Sacrosanctam Eucharistiam octauo quoque die, ac sæpè frequentiùs quamdiu ægrotauit, ad se voluit afferri: ad eamque adorandam ac suscipiendam primis mensibus iubens se è lecto deponi, genua humi flectebat, quod postea ob nimiam semiuiui corpusculi imbecillitatem fieri confessarius vetuit. Vicina 5 iam morte benignitate & alacritate incredibili familiares consolabatur, adhortans, ne quòd eis ipse eriperetur, dolerent; sed vt ei Domino, qui nunquam moritur, nec cuiquam eripi potest inuito, assuescerent animis & obsequiis adhærere. Adiiciebat se quidem nunquam antea putasse rem adeò, vt experiebatur, suauem esse ad mortem appropinquare. Nimirum nec profusæ in luxum atque libidines, aut inania sæculi Christi Domini opes; nec vexati mercenarij inopesque; nec quæsita malis artibus potentia, aut alia de horum genere hominum Principum dira sub mortis tempus tormenta malè conscium lacerabant animum: & felicitatem, resque mortales, vti sine amore possederat, ita relinquebat sine dolore. Initio eius diei, quo vita defunctus est, cùm Polancum aduocasset, ei confessus, & aliquamdiu de rebus cælestibus collocutus, significauit gratum sibi fore, si iret, curaretque vt Socij Collegij ac Domus Deo se commendarent. Ita inter preces & sacrificia, quæ cum cura studioque pro eo fiebant, ad Dominum profectus est sextodecimo Kalendas Februarias, desiderium sui ingens, & virtutum excellentium toti Vrbi ac Romanæ inprimis curiæ odorem blandissimum relinquens, translatus è Collegio Cardinalium in concilium Beatorum. Suprema ex eo audita vox est, Humilitas, Humilitas, Humilitas. siue vt in eius commendatione virtutis, quam maximè adamarat, summique pretij nouerat, expiraret; siue vt se ipse, quod paulò antè Christum Dominum alloquens dixerat, Adimpleui mandata tua, quasi nimiùm sibi tribuisset, corriperet.

6 *Lainius ordinanda Societati intentus.*

Interim Lainius vnà cum Assistentibus ordinandæ Societati erat intentus. Conueniebant propè quotidie, Rectorum, Prouincialium, aliorum munerum regulas, è Constitutionibus & Beati Ignatij monitis concinnabant. Inter cætera visum est modum præfinire in sanctissimæ vsu Eucharistiæ laicis apud nostros confitentibus concedendo: scriptumque est ad vniuersam Societatem, Tametsi ab diuinissimi eius cibi vsurpatione frequenti immensi existant fructus; quia tamen, nisi ea quoque in re modus adhibeatur, haud leuia, nec pauca præter decorum admittere pronum est, moderationem iustam videri, si laici octauo quoque die vsurpent. Quòd si 7 quem præcipua eò pietas ferat, vt aliquando etiam inter hebdomadam cupiat sacris mysteriis frui, ei festo seu profesto die posse concedi. Cæterùm vt singulis diebus mysteria diuinissima laici sumant, permitti nequaquam debere, nisi si quis fortè ita viuat, vt vita eius perpetua ad sacrosanctam communionem præparatio videatur.

Sæcularibus laicis non permittenda quotidiana communio.

Digitized by Google

tur. Ac ne huiusmodi quidem hominibus id concedendi potestatem in manu confessarij esse oportere, sed consilium exquirendum, consensumque expectandum Rectoris: quandoquidem Beatus Ignatius etiam eos, quibus quotidiana diuinæ mensæ consuetudo iam erat, quanquam non cogendos, tamen adhortandos aiebat, vt id rarius factitarent. Constitutum præterea ad Religiosæ disciplinæ Collegiorumque perpetuitatem, vt cuiusque Collegij ordinarius numerus, qui adhuc Sociorum quaterdenûm fuerat, posthac vicenûm esset. Iam inde ab exortu Societatis mos erat ad Præpositum Generalem nomina Sociorum adscriptis, cuiusque viribus & facultatibus mittere, quo quisque ad priuatum & commune bonum aptiùs regi & admoueri ad opera posset: id vt explicatiùs distinctiusque fieret, tradita forma & proposita capita; de quibus nominatim significaretur. Super hæc ad maiorem omnium inter se membrorum consensionem & conuenientiam, cumque totius Ordinis capite coniunctionem retinendam, visum est ex vsu fore, si qui è prouinciis virtute ingenioque præstantes, Romam erudiendi mitterentur, vnde postea digressi consentientem in omnes partes viuendi sentiendique rationem ferrent.

8 *Collegiorũ minimorũ numerus.*

9 *Communicatio inter prouincias.*

Hoc tempore pulchrum ac forte illud factum accidit summi Pontificis, cùm Paulus Quartus cognatos suos ab publica administratione summotos, præter Cardinalem Neapolitanum Alfonsum Carraffam, quem nulli affinem culpæ comperit, Vrbe omnes expulit, & ad leuanda populi onera, ad corrigendos mores, ad conseruandam religionem multa & præclara decreta condidit. Erga Societatem magna paterni animi, veraque caritatis præbebat indicia. Aduocabat Lainium frequentissimè, longisque congressibus cum eo, quæ statuebat, communicabat, & quædam eius admonitu decernebat. Curarum prima erat incorruptam tueri Catholicam fidem: quod Rex Philippus haud segniùs agens eam maximè ob rem è Belgio referre se in Hispaniam cogitabat, vt deprehensam superiore anno pestem opprimeret: ac seuerè scripserat nolle hac in causa mortalium cuiuspiam rationem haberi, ac ne suo quidem, si nocens esset, filio parci. Nec secùs est actum. Pintiæ primùm, dein Hispali supplicia de impiis memorabilia sumpta. Pintiani autem exempli vbi ad Pontificem perlatus est nuncius (æstate enim hac ineunte est editum) supra quàm credi facilè queat, Beatissimus Pater & gaudio gestiit, & amore aduersus Regem accensus est. Morbo, qui diu presserat, ex eo die vehementer leuatus est. Aduocato Lainio ampliùs horis duabus super eo potissimùm facinore sermonem produxit, nunquam Catholicum verè Catholici Regis animum finem faciens laudandi, confirmansque, vniuersi licet mortales mundusque totus conueniret, ad gratias hac de re clementissimo Domino agendas, nunquam pares gratias fore. Ad vltimum digrediente Lainio, In virtute, inquit, sanctæ obedientiæ vobis mando, vt pro carissimo filio meo Philippo Rege preces sedulò faciatis. Non apud Pontificem modò, sed apud omne genus hominum Lainius in pretio erat. Clarorum iuxtà & obscurorum hominum propè agmina, partim consilij, partim auxilij gratia, siue in huius caducæ, siue in æternæ vitæ negotiis ad eum confugiebant. Ille in reliquis curis euangelizandi munus nequaquam intermittebat. Vulgabatur Christianum per orbem, vnde homines conueniunt Romam, & quò ab Vrbe commercia pertinent, miræ eius sapientiæ & eloquentiæ Apostolicæ fama. Ad audiendum tam multi confluebant, vt bis hoc anno amplificatum sit templum, operâ præcipuè Fuluij Cornei Cardinalis, qui verus Societatis amicus, præter id, quod de suo largiebatur (tametsi nequaquam facultates adæquabant beneuolentiam) vltrò viros opulentos Principesque conueniens, re commendata, rogabat vt nomen suum albo, quod porrigebat, adscriberent, & quantum quisque in animo haberet conferre, profiterentur. Quanto verò clariorem Deus Lainium faciebat, hoc se ipse abiiciebat magis ad infimum quemque, siue externum, siue domesticum humanissimè audiendum, solandum erudiendumque descendens: vilia domi idẽtidem obiens ministeria, nec laboribus sordibusque culinæ abstinens. Idem sibi quàm curæ esset Societatis instituta inuiolata seruari, non leui pignore testatus est. Christophorum Lainium ex ea suum germanum fratrem eiecit, quòd ille (nihil enim vltrà scribit ad Borgiam) id mereretur. Hunc deinde regredi cupientem ad optimi fratris memoriam primùm Borgia ipse iam Præpositus, iterumque dimissum rursus Claudius Aquauiua Generalis recepit, & ad vltimum quietè ac religiosè perseuerantem bona mors abstulit.

10 *Pontificis summi virtus.*

12 *Fuluij Cornei Cardinalis in Societatẽ beneuolentia.*

Æstate huius anni Ludouicus Consaluius Assistens dimittendus in Lusitaniam fuit Sebastiano Regi puero Magister futurus. Scripsit initio ad Lainium Regina auia vehementer rogans, vt Ludouicum Lusitaniæ redderet: id è re Societatis & Christianorum publica fore. Sed cùm facilè esset ostensum pluris interesse ad Ecclesiæ Societatisque rationes in Vrbe illum manere, tum planè exposuit, videre se quanta res ageretur in bona sui nepotis institutione: certumque sibi esse non alium ei magistrum tradere, quàm hominem de Societate, nec apparere Ludouico parem. Huncigitur Lainius pro eo, quanti res regni Lusitani, quanti Indiarum, ac magna ex parte Ecclesiæ Dei, quanti Societatis felicitatem faceret, primo quoque tempore cum bona venia mitteret. Respondet de Assistentium consilio Lainius, Nihil esse, quod Societas Lusitanis Regibus non & cupiat & velit: ne que Ludouicum auidiùs ab ipsa peti, quàm & illum ac sese, si cui vsui sit, paratus ipse sit tradere. Verùm, quoniam Consaluius vnus ex Assistentibus sit, quos nõ Præpositus, sed generale Patrum concilium creat, Præpositoque quasi custodes apponit, nec fas esse sibi diu ab se abfuturum dimittere, neque negotium de mittendo vrgere; tamen Societatem per litteras consulturum. Existimauit Regina per veras licet causas, moras & declinationẽ muneris quæri; nec in totum suspicio aberrabat. Cumulat itaq; litteras, & Laurentio

13 *Assistens Consaluius designatur Regis Sebastiani præceptor.*

11 *Lainij auctoritas.*

Digitized by Google

rentio Petrio de Tauora, quem in Vrbem futurum ad Pontificem oratorem suum mittebat, dat in mandatis, id inprimis omni ope curet efficiatque, sibi vt Consaluius concedatur. Bonus hic Pater, postquam creatus erat Assistens, diuturno vexatus morbo, in eumque non absque graui periculo relapsus, satis aperto miraculo, sacro pane, qui sancti Nicolai dicitur, gustato, eodemque die febri solutus euaserat. Iamque viribus confirmatis, & egregiam Lainio in statuenda Societate, cuius institutorum, perfamiliariter Beato Ignatio vsus, in paucis erat peritus, nauabat operam, & res Collegij Germanici, quod nuper admissis Italorum nobilium ad conuictum filiis, haud pœnitendum habebat progressum, optimè procurabat. Ab hoc autem instituendi Regis munere toto animi impetu refugiebat. Non enim solùm strepitum, alienosque à Religiosa simplicitate mores horrebat aulæ, sed lubricum planè locum videbat esse, vbi non sua magis æterna salus, quàm Ordinis fama periclitaretur. Optimo Reginæ animo satisfacere haud arduum fore; at cæterorum, siue domesticorum, siue alienorum iudicia perinde futura, vt quisque affectus animo esset. Haud paucos eorum, qui sapere sibi eximiè viderentur, æmulos paratos: & scilicet tanquam de præcepta prouincia dolituros, deque Societate, quasi res eiusmodi vltrò ambierit, oblocuturos. Cumque vbique terrarum vulgò inuisi soleant esse, qui Religiosis è septis terunt potentum limina, præcipuo tamen quodam modo Lusitanæ genti inuisos esse: idque plus nimio domestico nobis compertum exemplo, qui muneribus caritatis humiliter obeundis nomen cùm secundissimum & fauorem eximium adepti essemus; posteaquam vnus quidam aliquando conspectus in regia esset, ita tota viluisset familia, vt ex eo tempore ad hanc diem non adeò multi in eam magni admodum nominis se Lusitani dedissent. Quæ res, si quemquã, se maximè absterrere deberent. Quippe admodum se vulgo notum, magnis affinium & consanguineorum necessitudinibus implicitum, & obuallatum cæteruis esse, qui neque summoueri, neque regi possent ita, vt nusquam se commouerent; nilque committerent, vnde communis conflaretur inuidia. Ad hæc neque affabilitatem, neque doctrinam, neque prudentiam Magistro regio necessariam sibi adesse. Periculum quoque esse, ne iuniores Sociorum oculos ad speciosa munera adiicere, & sanctam humilitatem, & latebras ærumnasque Indicas incipiant fastidire. Fac tamen cætera nulla sint, Quid rogo incertius, quid mutabilius ingenio & adolescentis, & Regis? Regni Proceres non semper eos esse, quos oporteret; & tamen vsu ita euenire, vt eorum peruersissimus quisque ad Regum præcipuè adolescentium animos intimè insinuet se omnibus viis & artibus. Horum conseruare amicitiam, simulque Deo ac Regi fidem præstare, non opis humanæ, suæ certæ minimè esse. Atqui nil magis ad omnes iuuandos, suaque non incassum obeunda munera Societati necessarium, quàm animos Principum, quantum fas sit, omnium beneuolos, beneque existimantes habere. Denique in se vnum coniectos fore Lusitanorum, ac cæterarum gentium oculos. Quidquid vnquam Sebastianus egerit, attentarit, quod quispiam secùs velit, continuò id Ludouico, imò nequaquam Ludouico, sed ad inuidiam, toti Iesuitarum nomini attributum iri. Hæc reputans Consaluius & diligenter in Præpositi concilio dixit, & scripta, vt per otium considerarentur, dedit, hodieque in nostro tabulario asseruantur. Plerisque tamen Prouincialium Præsidum, quorum per litteras exquisitæ sententiæ, ita censentibus, quoniam optimè meritæ Reginæ salua gratia diutiùs repugnari nequibat, ratus mittendum Lainius, his monitis diligenter instruxit. Quando (inquit) vt vides, Pater, iste calix exsorbendus est, prouidendum erit, vt, quoad fieri poterit, difficultates omnes fiducia, & imploratione opis diuinæ, tum virtute curaque superes. Cum Societate nunc, cùm maximè coniunctum te præstes oportet; & per eam confidas diuinum tibi auxilium ad impositum munus, & cætera omnia affuturum: nec parcas operæ, si quid illi vsquam locorum commodare queas. Denique & in Vrbem litteras singulis mensibus dato. Vestitus, totaque habendi corporis ratio à communi Sociorum non discrepabit, sic tamen, vt valetudinis, & boni exempli ratio habeatur. Et quanquam nonnisi Præposito Generali ius in te erit, tamen in nostris domiciliis habitabis; &, quæ instituti solennia munera sunt, pro viribus, quantum per otium licebit, tractabis. In Regis educatione extra sacrificia & preces, quæ prima adiumenta erunt, dabis operam, vt, & quæ Christianum hominem, & quæ Regem nosse decet, percipiat. Quamobrem ex vsu fuerit, te scriptorum quempiam ex his perlegisse, qui de puerorum, quique de Principum institutione præcepta tradunt. Ante omnia illud enitere, vt altè imbibat, nec solùm mente, sed & voluntate comprehendat decreta quædam vniuersalia ac dogmata, quæ præcipui momenti sint cùm ad vitam Christiana sanctitate dignam instituendam, tum ad regnum rectè & sapienter administrandum. Habeat eas sententias ad manus, magnique æstimet: atque ex merito amet. Ex illis enim principiis multæ trahentur valdè ad vsum vtiles conclusiones. Principia autem quæ dico, talia sunt:

1. Quando cordi ita fuit Deo extollere illum & honorare, æquum esse vt sibi vicissim cordi sit gloria Christi Domini; vt in suis regnis vigeat religio, & amplificetur, præsertim in Indiis: & penitus animo insitam habeat aduersus Apostolicam Sedem obseruantiam ac pietatem.

2. Deinde si regnum terrenum amat, multò amandum magis cæleste: longeque æternùm mansura ante fugacia fugacis huius vitæ habenda. Quòd si regni terreni iacturam facere nulla mercede vellet, multò minùs committendum, vt cæleste cum re vlla commutet. Vnde intelligat quantopere letale cauendum crimen sit, per quod cæleste regnum amittitur.

3. Adhæc statuat apud se plus Deo, quàm suis, vel alienis humanis opibus fidendum; eoque consuescat in difficultatibus primùm omnium

per

14 *Difficultates Regij magisterij.*

15

16 *Monita quæ Lainius Consaluio dedit Magistro Regis futuro.*

17 *Decreta quædam Christiana, quibus Regulorũ animi imbuendi.*

18

19

Digitized by Google

„ per preces ad Deum confugere: & pro captu ad
„ ſtudium orandi afficiatur, & diuina tum ad ſuum
„ profectum, tum ad exemplum popularium fre-
„ quentet.

20 „ 4. Præterea ſententiam obfirmet nullo modo
„ ferendum, vt quiſquam omnium praua ſibi lo-
„ quatur ac ſuadeat: neque adminiſtris vtendum,
„ nec ad latera habendos niſi viros bonos, quem-
„ que pro ſuo modo; eamque vulgari famam velit,
„ qui gratiam ſuam ament, virtutem iis colendam;
„ grauioraque munera, ſacra præſertim, nonniſi
„ ad hos delatum iri.

21 „ 5. Super hæc fructum amplitudinis & opum
„ ſuarum eſſe debere, de quàm plurimis bene me-
„ reri: ac proinde liberalitatem atque beneficen-
„ tiam pro ingenti virtute colat.

22 „ 6. Perſuaſum etiam habeat patrocinium ſibi
„ deſtitutorum omnium demandatum; ſe patrem
„ inopum ac pupillorum eſſe debere, clementer
„ iis, cùm ad ſe perfugiunt, copiam ſui faciat: idem
„ ſuis adminiſtris iniungat: ac notum vulgo ſit,
„ eiuſmodi hominum miſerorum tutelam penes
„ Regem eſſe.

23 „ 7. Præterea conſtantiam ſibi & fortitudinem
„ neceſſariam eſſe, vt ab externis iniuriis regnum
„ tueatur: &, ſi qui caſus incidat, ſuæ ditionis Dy-
„ naſtas coërceat: meritiſque pœnis, maximè ſi im-
„ becillos premant, afficiat. Atque vniuersè terro-
„ ri ſit ſceleſtis, ametur à bonis.

24 „ 8. Ad extremum inſtitiam, pacem, annonam
Quomodo cũ populo & aulicis Conſaluio agendum. „ vbique ab ſe imperio ſuo præſtandam. Hæc fer-
„ mè ſumma eorum eſt, quę cum Rege ages. Quod
„ ad cæteros pertinet, prouidebis, vt omnes intel-
„ ligant nullo te modo cancellos muneris tui
„ tranſilire velle. Hoc profiteberis: hoc apud om-
„ nes, qui quid abs te extra magiſtri officium re-
„ quiſierint, excuſabis. Non tamen, ſi quid fortè
„ aliquando ad commune bonum & Dei gloriam
„ rari cuiuſdam ac magni vſus offeratur, auctor
„ ſum vt defugias: cæterùm id eiuſmodi velim
„ eſſe, vt trahi ad alias res in exemplum non poſſit.
„ In aula extraque eam, cum quibus ages, eorum
„ gratiam & beneuolentiam prouidebis, vt reli-
„ gioſa comitate & appoſita oratione Societati
„ tibique concilies & conſerues, eò intentus, vt
„ omnium pietatem promoueas, hos ad confiten-
„ da peccata, illos ad commentationes ſpiritus,
„ alios ad benignitatem in pauperes, alios ad recta
„ alia ſtudia, prout cuiuſque ingenium & facultas
„ erit, inducens. Ita ſperandum erit facturum
„ Deum, vt iſtius te, quam pro eius gloria ſubis;
„ moleſtæ procurationis nequaquam pœniteat.
His Ludouicus monitis egregiè paratus ab Vrbe diſcedens, nequaquam poſſuerat ſpem Reginam, ſimulatque coràm alloqueretur, de ſententia deducendi. Ea de cauſa in eius locum Aſſiſtens nemo in præſentia ſuffectus eſt. At Collegio Germanico reuocatus è Belgio Ribadeneira (quòd Philippus Rex, apud quem adhuc negotia egerat Societatis, Hiſpaniam cogitabat, moxque repetiit) dum tantiſper quieſcit, ac ſtudia Theologiæ abſoluit, præeſſe Superintendens eſt iuſſus.

25 *Lainij ad Socios Romanos de* Lainius die Viſitationi Deiparæ ſacro, quo die priore anno ad gubernacula admotus erat, concionibus ad populum parumper intermiſſis, ſalubri planè conſilio & neceſſario priuatim domi Sodales alloqui inſtituit. Ad eam enim diem operarum paucitas, & negotiorum copia fecerat, vt multa communi potiùs lege caritatis, quàm certis Conſtitutionum decretis regerentur: Deoque, vt conſueuit initiis, vberiore ſuæ gratiæ vi, quod ordinato magiſterio deerat, ſupplente, res bellè proceſſerat. Itaque plerique eorum temporum Patres, quod è duobus imperfectis tanto eſt præoptandum, quantum ruſticitas ſancta ſcientiæ peccatrici anteſtat, id quidem habebant, vt actione magis quàm cognitione interioris ſapientiæ rerumque diuinarum excellerent; tamen, cùm ab Tirocinij diſciplina, vel exigua, vel nulla magnam partem ſtatim ad res agendas producti, ne ipſum quidem volumen Conſtitutionum vidiſſent; carebant optimo, hoc eſt coniunctione ipſa actionis & intelligentiæ, eoque, quod ad conflandam vnam perpetuandamque familiam inprimis eſt neceſſarium: nempe vt eadem omnes formarentur diſciplina, vno & eodem ſenſu imbuerentur: vnde ſimul fiducia conſtantiaque in rebus agendis cooriretur. Quæ virtutes tum exiſtunt maximè, cùm quis non modò rectè, verùm etiam ex quadam quaſi arte agit; & quoad fert humana prudentia, rectè agere ſe intelligit. Iam verò ſat numeroſa erat Romæ Societas. Ducenti ampliùs, quorum centum & quinquaginta in Romano Collegio, maxima pars indole, animique ardore nobiles ex omnibus propè gentibus ſuauiſſimo diuini ſpiritus claſſico contra nationum omnium ſuperſtitiones ac vitia exercitum præclarum molientis in vna velut caſtra compulſi. Non ex Italia modò & Luſitania, aliiſque Hiſpaniæ, Galliæque, & Germaniæ diuerſis prouinciis, ſed etiam Græci, Illyrici, Scoti, Belgæ, Pannones, aliarumque nationum aderant. Qui omnes litterarum diſciplinis quàm accuratiſſimè domi excolebantur: linguas alienas diſcebant; & modò ſua, modò Latina, interdum Græca Hebræaque habendis concionibus exercebantur. Foris autem diebus feſtis ad parœcias, ad virginum ſacra cœnobia, ad cuſtodias, noſocomia, fora & compita Vrbis egreſſi, tum Paſchalibus autumnalibuſque feriis per agri Sabini Latiniique pagos & oppida ſparſi, pueris & rudioribus aliis edocendis, conſolandis mœſtis, vocandis ad confeſſionem nocentibus, eorumque expiandis animis, & cæleſti pabulo reficiendis, omne genus hominum Chriſtiana benignitate complexi pio cuncta motu vbique miſcebant, & bella præclarè conficiebant maxima, dum erudiebantur ad bellum. Vt igitur è tot hominum nationumque generibus per omnem mox orbem terræ ſerendis vnum in corpus ac mores ſtabiles eoſdemque vbique Societas adoleſceret; faciendum erat, eamdem vt omnes inſtituti formam haberent animo comprehenſam. Cuius rei grauitatem probè perpendens Lainius, ſuarumque hanc diſciplinam partium ratus, in aulam domus Profeſſæ quotquot licuit è Romæ degentibus Sociis conuocatis, libellum, ex quo recipiendi Tirones probantur, cui Examen eſt nomen, & Conſtitutiones explicare Dominicis quibuſque diebus adortus eſt:

Societatis diſciplina exhortationes.

26 *Collegij Romani ſpecies per id tempus.*

27

Auidè

Digitized by Google

Auidè audiebatur magna cum proficiendi cura, magno cum lætitiæ sensu. Discebat quisque propriam susceptæ ab se professionis rationem atque præstantiam, simul quæ ad perfectionem sibi propositam viæ ferrent, cognoscebat, simul ad eas strenuè ineundas excitabatur. Nouum planè in Societate spectaculum erat, ac cælesti suauitate plenissimum adeò numerosum sanctorum populum, in quo tam multi præter excellentiam pietatis, alij doctrina, alij rebus gestis insignes, alij ingenio aliisque donis naturæ præstantes, cernebantur è tot tamque inter se morum ac regionum varietate discretis gẽtibus, intra angusta septa collectum vno conspectu intueri in summo silentio, consensione maxima, habitu permodesto, emicante in vultu innocentia è sui ducis & Patris ore pendentem.

28 *Prouincia Longobardia constituitur, & Palmio demandatur.*

Hæc Romæ dum feruent, idem in Italiæ prouinciis sedulò procurabant in Sicilia Domenecchus, Neapoli Salmeron, in Longobardia Benedictus Palmius. Is enim die Assumptæ in cælum Virgini sacro cùm solennem Professionem quatuor votorum emisisset, continuò renunciatus est Prouincialis, & Longobardia prouincia constituta, ea, quæ multis pòst annis in Mediolanensem & Venetam partita est. Foroliuiense tamen Collegium, vti Lauretanum, & cætera quæ in Hetruria erant, per se etiamnum Generalis administrabat. Ad hæc autem inspicienda, & in proprios Societatis conformanda mores, simul vt modica per Caniculæ æstum ab Theologiæ doctrina requiete vires valdè affectas recrearet, missus ex Vrbe est Emmanuel Sà. Quintodecimo Kalendas Septembris grauis annis ac benefactis Paulus IV. Pontifex decessit. Vix eo plura quispiam & salubriora ad lapsos reipublicæ restituendos mores, conseruandamque religionis castitatem ad eam diem decrerat: tamen (vt est ferè iniquus arbiter populus, & seueritatis osor: apud quem vnica offensio quamuis multorũ gratiam benefactorum extinguit) in demortui Pontificis eiusque gentis monumenta fœdè sæuitum est. Fuere in metu Patres quoque Societatis, quòd fuerat in tumultu conclamatum, domos Theatinorum (quo nomine & nos vulgus appellat) solo æquandas. Nihil tamen iniurię neque nobis, neque venerabilibus Religiosis, è quibus Pontifex fuerat, factum est. Hunc vulgi furorem reuersi in Vrbem suis ex oppidis Dynastæ Romani detestati sunt: protinusque omnia, quæ Paulus sanciuerat, duplicata pœna, qui violare auderet, rata esse iusserunt. Ipsum verò Pontificem vel inimici fatebantur vitam sanctorũ modo finisse. Ita mente ac sensibus vsque ad extremum spiritum viguit, vt conuocatos Cardinales hora ante obitum Latinè facundeque alloqueretur, grauiter eis sanctæ Inquisitionis officium, & consensionem in Pastore optimo subrogando commendans. Et quoniam Cardinalis à Cueua seriùs aduenit, eadem propriè illi Hispanicè iterauit. Sublato Paulo, quanquam Patribus, quæ in Societate ille nouauerat, antequã nouus crearetur Pontifex, mouere animus non erat; sententiam tamen Cardinalis à Puteo memoria repetentibus solicitudo incessit, ne, si sacerdotalem psalmodiam coacti in chorum exequi perseuerarent, iuri suo, & primis institutis officerent. Ergo eumdem Cardinalem ac præterea quatuor, qui inter omnes Iuris Pontificij Cæsareique; peritos, doctissimi & auctoritatis erant grauissimæ, censuere consulendos. Iuris prudentium summo consensu vnũ omnium responsum fuit, Quoniam Paulus res legibus Societatis diplomatisque; Pontificũ illas confirmantibus aduersas tantùm verbo præcepisset, diplomatis iis non abrogatis, id quod ipse præceperit, vim habuisse mãdati. Quo vnà cum vita eius qui mandauit finito, superiorum decreta Pontificum suam vim pristinam obtinere. Si cantare pergerent, periculum fore, ne mandatum pro perpetua lege sibi vltrò ipsi suscepisse viderentur. His auditis Lainius, re Domino, cui summè, vt in rebus cęteris ita in hac placere studebat, plurimùm commendata, adhibitis idoneis testibus, ac legitimo scriba profitetur & contestatur, animi sui non esse, siue se, siue Societatem noua, qua alioqui non teneatur, lege obstringere, neque aliis in rebus, neque in duobus capitibus à Paulo IV. imperatis. Ac ne per dissimulationem aut incuriam Societatis libertati fraudi esset, nouoque; eam nexu aliquo obligaret, sacerdotalis psalmodiæ ex choro exequendæ morem iussu Pauli inductum, quod iussum consulti Iuris extinctum censebãt, vltrò bonaque fide intermittere. Id ipsum professi contestatique sunt etiam Assistentes: ex eaque die cantari desitum est. Quod leuamentum vt fabrica disciplinæ huius ac temperatio planè postulat, ita curæ est ferè vniuersis (nam nulla area paleis caret) ne ad socordiam aut reuerentiæ imminutionem abutantur. Cogitant quippe quantum negotij sit cum maiestate diuina in congressum venire, & sustinere legationem pro gente humana. Nec immeritò id sacerdotale officium nuncupari, vt quo nullum grauius sacerdoti debeat esse munus. Cogitant, vt Cyprianus monet, se sub conspectu Dei stare: placendum esse diuinis oculis & habitu corporis, & modo vocis. Itaque dum muneribus obedientiæ & caritatis seruiunt, illud pariter enituntur, vt quæ ad excitandam erigendamque; mentem in Deum adiumenta ex choro desiderant, ea suppleant priuata solertia & attentione. Patris Fabri more multis ac præclaris adminiculis, quæ vel suo quisque ingenio excogitauit, vel à Fabro ipso aliisue sumpsit, vtuntur ad cogitationem cælesti illo figendam in opere, & animum ad gustum pietatis afficiendum. Nec defuere vnquam (Deo gratia) qui non modò stata psalmodiæ interualla ac iusta tempora, vel inter graues occupationes seuerè obseruarent; verùm etiam de genibus eam exequerentur: multi etiam in templo ante diuinissimum Christi corpus, ac mentis viribus ita aduocatis (quam rem silentium ipsum, & operis omnis vacuitas iuuat) vt proxima meditationi referta sensuum pulcherrimorum, & mirè fructuosa pronunciatio sit.

29 *Paulus IV. moritur.*

30 *Chorus in Societate intermittitur.*

31

Simul quoque vbi decessit summus Pontifex Paulus, & pro eius animæ expiatione multum sacrificiorum ac precum est factum, & pro felici comitiorum Pontificalium exitu, vt Pastorem, qui secundùm cor suum esset, Deus laboranti Ecclesiæ largiretur, multa edicta. Perpetuus enim Societati nostræ mos

32 *Societati plurimum curæ est præces facere pro publicis difficultatibus.*

Digitized by Google

mos fuit rebus humanis pro virili consulere non impensa modò opera, sed etiam (quod sacri omnes cœtus & debent & faciunt) omni Religiosi cultus sedulitate pacando conciliandoque Numine. Igitur cùm præter priuatam cuiusque curam, & ordinaria placamẽta, vbi tempus aliquod reipublicæ postulat, alia extra ordinem decernantur, hæc eo tempore decreta sunt: Vt in singulis Societatis domicilijs Litaniæ ob eam rem communiter quotidie recitarentur; vt sacerdotij expertes quotidie præter consuetas orationes seperatim alias instituerent; sacerdotes in Sacris omnibus eius rei nominatim meminissent, & bina Sacra in hebdomada ea mente singuli facerent. Adhæc semel quauis hebdomada Christiano ritu singuli ieiunarent, semel se publicè verberarent, ita domicilij cuiusque Socijs distributis, vt suos quilibet dies ieiunantes flagellumque subeuntes haberet. Adhæc communia omnium pietatis officia, complura Romani alumni Collegij per autumnales ferias propriè addidere. Multi, in hisque Doctores, celebresq; Patres eorum comites, qui Domui Professæ quæritabant stipem, ostiatim per Vrbem mendicarũt: alij adiere nosocomia ęgrorum animis corporibusque auxilio futuri: vilibus alij laboribus domi fungebantur: plus quadraginta exercitationes spiritus retractarunt: plus triginta ad alia alij religiosa loca iere peregrinatum certis præmuniti præceptis, quo labor itineris fructuosior pietati esset. Et quanquam vt in interregno, turbulenta erant tempora, omnes diuina bonitas reduxit incolumes egregiè exercitos ad paupertatis disciplinam, excitatosque ad progressum in ea, cæteraque sui deiectione abdicationeque faciendum; adhæc & manipulis onustos ex obiter nauatâ proximorum animis operâ. Non enim priuatis tantùm sermonibus, vt inquemque inciderant in via, sed obuiorum etiam oppidorum in foris & compitis, posteaquam emendicauerant stipem, declamationibus publicis homines ad Christianũ officium impellebant. Nec deerant è populis, qui rogarent vt diu manerent, nec qui domum suam vbi commodè pernoctarent, conarentur adducere: sed illi cùm dicerent aptum pauperibus receptaculum, proprieq; ipsis à Deo paratum xenodochium esse, eò alacriter diuertebant; velut nefas existimantes seu domum suam alienæ posthabere, seu veteris ius hospitij nouo mutare.

33 *Romani Collegij ferior.*

Exactis ferijs autumni solemni die repetita studia sunt nunquam antea instructiore gymnasio cùm docentium, tum auditorũ præstantia & numero. Theologicæ subtilitatis interpretes Iacobus Ledesma, & Iacobus Auellaneda: adhæc Emmanuel Sa è peregrinatione sua reuersus, & solennia vota postridie Kal. Nouembris professus, corpore animoq; vegetior diuinos libros interpretabatur. Philosophiæ partem, quæ tertio anno traditur, Benedictus Pererius; quæ altero Hieronymus Turrianus exequebatur: Dialecticã Franciscus Toletus exorsus. Hunc P. Franciscus Borgia dum Societatis totius bono ex Lainij monitu seruit, priuataque rationes post communes habet, dignum luce Romana ratus, ex Hispania Tirocinij præter morem ex beneficio contractis spatijs, miserat. Romã extremo attigit vere. Iussus à Natali, qui Collegium Præses moderabatur, è

34 *Præceptores in Collegio Romano eximij.*

Metaphysicis quædam extra ordinẽ enarrare; tale ingenij doctrinæque specimen dedit, vt continuò designatus sit ordinarius Magister. Et quoniam, qui sibi traderentur in disciplinã præstantissimè putabatur instituturus, magistros q; edituros egregios, ex omni Italia Siciliaq; & alijs euocati prouincijs triginta illi de Societate auditores attributi sunt: externorũquoq; haud paulò pluribus solito fama eadẽ excitis. Porro in Collegio quamuis octo mensium spatio in varias terræ dimissi partes centũ ac triginta essent, nihil tamẽ de numero, quem suprà posui imminutũ erat. Tam multos ad suam Iesus militiam assiduè conuocabat. Maximè excelluit manipulus nobilis Patauio missus, in quo Antonius Posseuinus fuit, ac tres germani fratres Gagliardi. Quorum ad Religionem diuina vocatio, tum per se ipsa, tum quia magnũ Societati, nec leue Ecclesiæ Dei momentum attulit, digna memoria est: eo quidẽ tempore haud multa magis homines sermonibus celebrarũt. Florebat ea tempestate & nobiliũ auditorum, & excellentiũ Magistrorũ frequentia Patauinus Bos (id publicæ Academię vocabulũ.) nam præter nobiles transmontanos aderant studiorũ causa Patauij Marcus Antonius Columna, Ioan. Franciscus Gambara, Franciscus & Scipio Gonzagæ, Guido Ferrerius, Nicolaus Sfondratus, & Hippolytus Aldobrandinus, qui omnes postea Cardinales fuere, duoque postremi etiam summi Pontifices, ille Gregorius XIV. hic Clemens VIII. His alijsque academicis, inter quos gymnasium publicum frequentabant, Gagliardi fratres indidẽ cites haud minùs, quàm cũctæ patriæ in pretio, ac raro spectaculo erant. Achilles natu maximus alterum & vigesimum agebat annum, Leonettus & Ludouicus proximè succedebant, hic decimũ octauum nondum egressus, anno ille maior. In exiguo ætatis discrimine, in virtutũ animorumq; mira consensione, in excellentiũ similitudine ingeniorũ, in generis & fortunarũ ornamentis, formæ quoque dignitas, totiusq; corporis iusta proceritas honestamento erat. Græci Latiniq; sermonis probè gnari omnes: & Ludouicus legũ ac Iuris; Achilles & Leonettus naturæ cognitione eximij, diu in Marci Antonij Genuæ clari ætate ea Philosophi disciplina versati. Ad hæc tum voce, tum organis musicis canere docti, alijsq; exculti nobilitati decoris artibus omnium ad se animos & amores allexerant. P. Simon Rodericius, vnus è decem primis, qui Patauij degebat hoc tempore, haud dubiè pronunciabat, si potestas sibi fieret è cuncta Italia tres pro arbitratu legendi adolescentes, pluribus, quàm germanos hosce tres naturæ donis ornatos haud vsquã confidere inuenturũ. Patre olim ornatissimo ciue, nuper matre amissa, hoc videbatur proximũ, vti homines in ætatis flore, & lubrico flexu relicti, dum cupiditatũ vis exæstuat, quarum instrumenta, ab re domestica bene constituti, nulla desiderabant, sui iuris mancipijq; effecti, atque impunitatem nacti, more plerorumq; facultatibus ingenijq; & corporis bonis ad licentiam abuterentur; vel certè præclaras crescẽdi spes, quæ vndique blandiebantur, respicerent. At illi speciosis vitæ huius ac blandis inuitamentis ardua & ad vulgus humilia hortamenta Christi Domini prętulere. Cõciones Benedicti Palmij, quibus Pata-

35 *Tres Gagliardi fratres in Societatem insigni Dei vocatione veniunt.*

Digitized by Google

uinam ciuitatē piè omnē, vti ſuprà eſt memoratū, permiſcuit, adiumēto cum primis fuerunt. Ludouicus natu minimus præiuit, præluxitq; maioribus: qui cùm diu ſecretò cū Patribus de ineunda Societate egiſſet, rem Leonetto & Achilli tandē expoſuit. Hi quanquam aliàs ab talibus vitæ religioſę curis adoleſcentē auerterāt, tamē adeò tum viderunt ardentē, atq; in propoſito fixum, vt tentandū nullo modo cenſerent. Ita Ludouicus die
36 S. Ioannis Baptiſtæ natali in Patauinū Collegiū à Lucio Crucio Rectore admittitur, deſerens quidem cum dolore germanos, quòd eos & virtutis merito & ſanguinis amabat quàm ſuauiſſimè, & obſeruabat; ſed nulla ratione ſuſpicans fore, vt eoſdem aliquādo in diuino famulatu conſeruos haberet. Cæterùm non multis pòſt diebus diuina vtrumq; bonitas acribus vrgere ſtimulis cœpit, ac Leonettū magis: qui vt proceſſus in humanæ ſapientiæ ſtudijs peramplos effecerat, ita diuinæ Philoſophiæ gradibus præcurrebat, diutinos amans ſeceſſus, precationibus longis ac rerū æternarum meditationibus accuratis intentus. Quare breui ſtatuit ipſe totū ſe reddere Deo, & preſſa à Ludouico ſequi veſtigia. Quo autem id primo quoq; tempore minùs exequeretur, amor & verecundia Achillis retardabat: quem ſi deſertum à Ludouico, ipſe quoq; ſtatim relinqueret, magnopere verebatur, ne acerbo nimiùm dolore vulneraret. Venerabatur itaq; ſupplex Deum, vt quàm cōmodiſſimā rei tranſigendæ viam ſapientia ipſe ſua infinita monſtraret. Sub idē tempus Achilles quid Leonettus coqueret, omnino neſcius, cùm rei domeſticæ cauſa, quam vt natu maximus ipſe adminiſtrabat, ruri agitaret; deprehēdens in procuratoribus & agricolis fraudem, totoq; in negotio tricas ac ſpinas, in eam cogitationē venit, vt ſecum reputaret mortalibus diuitijs nō niſi ad breue tempus licere frui; animi verò, ſi quis rectè excoluerit, fructū eſſe ſempiternū. Quod dum attentiùs animo voluit, penituſq; diuina vi & luce corroborante inſpicit, ſtatuit æterna pro caducis nequaquā in periculū dare; ac Patauium regreſſus rectà ad Collegiū tendit, enixè rogans, vt ſe, quamuis inutilem futurum agnoſceret (ſic enim loquebatur) in Societatē reciperēt. Fit bona ſpes. Cum ea domum è Collegio conſilium Leonetto ſuum indicaturus redit. Et quia certò ſibi perſuadebat nec opinatū id ei ac permoleſtū futurum, præmeditatur verba, quibus deliniat: ſimul ad patientiam, & Chriſtiano homine dignam ſanctitatem inter ſęculi pericula ſtrenue conſeruandam hortatur. Ea ſimul ad Leonetti aures acciderunt, protinus animo cōmotus, idem ſibi conſilij aliquamdiu eſſe reſpondet; nec aliam rem moræ fuiſſe, niſi quòd viam non reperiret, qua fratris dulciſſimi auelleretur conuictu, quicum non arctiore ſanguinis, quā beneuolentiæ nexu iunctū ſeſe ſentiret. Iam verò clementiæ ſummæ Numinis & ſapientiæ quantas capere humanus animus queat, agere & habere gratias, quòd non ſolum ſe voti compotē faceret, ſed etiam fratrē nouo ac pręſtabiliore germanitatis vinculo colligaret. His dictis iam ambo ex intimis præcordijs cōmoti, & liquidiſſima voluptate perfuſi mutuos ruunt in amplexus: dein pariter ad Collegiū profecti diuino ſeruitio offerūt ſeſe, coniunctis precibus inſtantes vt quamprimū intra religioſa munimenta liceret abdi. Perfamiliariter cum his adoleſcentibus virè primaria nobilitate Patauina natu grandis agebat Paulus Candius, qui vndeviginti annos apud Iacobum Cardinalē Sabelliū plurimū à ſecretis Romæ verſatus, cùm, vt tandē ſibi ſe redderet, Patauiū repetiſſet, quòd cum patre horum adoleſcentiū coniunctiſſimè vixerat, in eorū pręcipuè ſe cōſuetudinē dederat. Is eodem tempore receptū in Societatē meditans, nihil perinde cauebat, quàm ne rem alicunde illi odorarētur, metuens ne vel moleſti ſibi diſſuadendo, vel diuulganda re moræ aliquo pacto eſſent. Haud minùs intenta cura, eamdemque ob cauſam Achilles ac Leonettus circumſpiciebāt, ne ſua conſilia Candio pellucerēt. Itaq; quamuis aſſiduè vnà & amātiſſimè verſarentur, amicitiæ tamē fructu carebāt maximo; quòd ſe inuicem cùm ſocij eſſent, quaſi aduerſarios formidabāt. At Palmius, cui pectora patebāt omniū, videbatq; nonniſi conſtantiæ & feruoris acceſſionē ex mutua conſiliorū cōmunicatione ſecuturā, Achillem impulit, vt rem Candio explicaret. Qui cùm ſe quoq; ipſe ſumma cū voluptate aperuiſſet, exinde cōiunctis ſtudijs ad negotiū quàm celerrimè conficiendū vertēre curam. Interim Leonettus in morbum incidit: quo
38 Deus ad Antonij Poſſeuini maturanda conſilia vſus eſt. Mantuanus is ciuis erat, ſex & viginti annorū iuuenis: cui à prima ætate tantus ſciendi ardor inhæſerat, vt, cùm ad quietē ſe noctu componeret, tibiam ad columellam alligaret; & vbi primùm ſe ab ſopore primo commouiſſet, eo velut monitore excitatus ad ſtudia ſurgeret. Ex qua puerili ſolertia, vtilis quam ad vltimū vſque tenuit, cōſuetudo coorta eſt, vt interrupta noctu quiete, horas aliquot magno per ſilentiū illud profectu, curis grauiſſimis daret. Ergo addita naturæ ingenijque præſtantię diligenti cultura, græcè perdoctus, idemq; humanitatis, Philoſophię, aliarūq; doctrinarū bene peritus, innocentia quoq; morū modeſtiaq; ſpectatus ac ſuauiloquentia; quę grata oris decorabat maieſtas, notis omnibus carus, & apud virorū principū multos, à quibus certatim expetebatur, gratioſus erat: diuque hæſit tam multa ſibi talenta à cæleſti Domino credita humi ne foderet in terrenas, vti ſæculū inuitabat, abiecta curas, an ad ſua & Domini lucra, quò Deus ipſe vocabat, ſanctis negotijs occuparet. Et vicit tandem, quæ debuit, pars. Aliquamdiu Romæ in
39 litterarū cognitione verſatus, Iulio III. Pontifice cùm ab multis Procerū ab Latinis epiſtolis cuperetur; quo opportuniùs ſapientiæ ab ſe ſtudia inchoata cōſummaret, maluit ſe ad Herculē Gonzagam Cardinalem, qui dein Tridenti S. Synodi Præſes deceſſit, accedere, à quo Franciſco fratris filio, & Scipioni pronepoti Gonzagis, qui ambo pòſt Cardinales fuerunt, ſtudiorū ſocius & moderator appoſitus eſt. Patauiū cum his profectus Philoſophiæ, quæ magna iam ex parte decurrerat, pergebat conficere ſpatia, audiens & Calabrū & Genuam claros fama Doctores. Sed illū breui deſeruit, hominē deteſtatus, qui impij Auerrois ita erroribus affixus hęreret, vt in Chriſtianis dogmatibus fœdè nutaret. Alterum, quamuis hominem alioqui probum, ferre non poterat, quòd & ipſe ex interpretis Arabis impietate ad ſingularē mentem Ariſtotelis dicta detorquens, frequenti nobiliq; iuuenum auditorio venenum haud ſentiens

37 Pauli Candij vocatio.

Antonij Poſſeuini ad Societatem acceſſus.

Digitized by Google

tiens propinabat. Hæ indignitates, & aulicorum corrupti mores salubrē interdum Posseuini animo infigebant aculeum, vt prorsus ab sęculi tanta prauitate fugam meditaretur. Quin etiam cùm in lectionem incidisset diuinorum librorum adhibita explanatione Lyrani, sic est ea delectatus, vt in hanc vocem eruperit, Hic meorum studiorū finis, hæc meta erit. Cæterùm post Pascha anni ante hunc proximi, cùm solennia piè admodum peregisset, hanc veluti vocem ab animo sibi suo ingeri audiuit, En, quia confessus es, & sacrosanctam Eucharistiam sumpsisti, ab criminibus abstinuisti tot dies: ergò si rursus eadem præsidia adhibueris, diebus rursus totidem abstinebis; eoque pacto diuina hæc Sacramenta si frequentare deinceps perrexeris, vitam in Dei gratia perpetuò duces. Hæc sancta cogitatio altè menti impressa vitæ melioris initium fuit. Indè enim quāquam propè furtim sacris diebus cœpit ad mysteria diuina frequens accedere, vehementer insuper incensus libello, quem de frequenti vsu Eucharistiæ Bonsignorius Cacciaguerra non multò antè vulgarat; ad quem etiam legendum multos 40
sodalium impulit. Inter hæc Ferdinandus Gonzaga Francisci pater in Belgio moritur; & Francisco Isabella Capuana parens Mediolano deducēda Neapolim fuit. Quod iter, ne studiorū interpellaret cursum, magnopere declinare cupiens Posseuinus, simulare etiam morbū sæpiùs cogitauit, ignarus scilicet quàm salutaris futura animæ suę, quanto beatiorē apertura cursum peregrinatio esset. Quippe Neapoli ab Hispano nobili ac pio, quem rogarat, bonū vt sibi aliquē confessarium demonstraret, ad Christophorū Mendozā Collegij Societatis Rectorē missus est: cumque Rector Ioannem Nicolaum Petrellam Itriensem assignasset, is auctor fuit generalis confessionis, inauditæ ante eam diem Posseuino rei, ab ætate vltima retexendæ. Qua pér otium ac sedulò peracta, simulq; permotus ingenti numero in Collegij templo Sacramēta frequentantiū, ita profecit vt iam non clanculū, sed luce palam, & bis in hebdomada obire eadem cœperit: &, ad Societatē, quā propè ad id loci ignorarat, animū sic adiecerit, vt obseruatis, quantū familiari ex cōsuetudine licuit, eius institutis ac moribus, ad edocēdos ignaros, falsaq; imbutos opinione dedocendos, breui ea, satisque graui commentario exposuerit. 41
Mantuam inde repetentē adeò grauis concussit cōcertatio carnis ac spiritus, vt ex fatigatione febris cooriretur. Retardabat per speciem pietatis ab cęlesti Philosophia tum erga senes parentes, & egenos nepotes caritas: tum quòd cùm vniuersalem Historiā scriberet (quā ad rem Principū quidam incitauerant) videbatur sibi in publica commoda satis operæ posse cōferre, si exempla virtutum in id opus, & incitamēta pietatis aptè locoq; insereret. Vbi Mantuam inter hunc ęstum attigit, S. Antonij apud Fossanum præceptoria donatur. Quod Cardinalis Hercules, & Franciscus Gonzaga cū fecissent, vt eo sibi nexu hominē arctiùs deuincirent, admirabilis Deus meliora ordiens, prestantibus rebus, ad quas deinde per occasionē eius præceptorię Posseuini operā vsus est, viam aperiebat. Quippe Fossanū Posseuinus ad ineundā rite sacerdotij eius possessionē profectus, cùm eas oras hæresis infectas tabe reperisset, cōmiseratione commotus est; & sacros reditus ad se, qui nihil vnquā Ecclesiæ inseruiuerat, peruenire propiùs cernens, acribus cōscientiæ stimulis ad interiora mutandæ vitæ consilia cœpit vrgeri. Adeò vel ea, quæ solent esse pietatis impedimenta, misericors Deus ijs, quos diligit, in incitamēta vertit. Itaque 42
Patauiū mox reuersus Benedicti Palmij conciones audire, & apud Patres bis quaq; hebdomada homologesim instaurare pergit; cumq; Leonetto Gagliardo veteri amico, cuius sapientiam & virtutē ætate longè maiorē suspiciebat, coniunctiùs agere. Iamque more nostrorū hominum non suo dumtaxat bono contentus, sed ad pietatē pellicere quamplurimos studens, quem sibi perutilē expertus erat Cacciaguerræ libellū, eius edenda typis, vt inter iuuenes sereret, noua exempla curauit. Quod cùm factū esset, multos ipsemet eorum libellorū ad præcipuos etiā tota in vrbe confessarios tulit, rogans vt ad cōfessionē accedentibus dono darent; & indicās, si qui præterea opus forent, vbinam prostarent venales. Interim Gagliardi eo, quem dixi, modo ad Societatē animū applicant: & Leonetti morbus incidit, qui Posseuino, quemadmodū instituerā demonstrare, maturandi consilij causa fuit. Dum enim pro officio ægrum inuisit, Leonettus sensim illato sermone, Quoniam te, inquit, Posseuine ex animo diligo, nec ambiguū habeo, quin verus amicus ipse sis, nefas duxerim quidquā te à me, multò magis grauissimā rem celari. Scito igitur deliberatum mihi ac statutū esse, nuncio mortalibus curis remisso, nomen in Societatem Iesu dare. Ac ne id quoque ignores, præcipuum ad id calcar fuit, quòd studia Philosophiæ ea ratione, quā nosti, hac in Academia ab Doctoribus primæ notæ tractentur. Vides enim quā fermè Auerrois iurata mācipia sint, vt paulatim diuinum nobis obscuretur lumen, & quā de anima intelligēre Arabs impius opinionē architectatus est, sensim incautis mentibus instilletur. Pupugit hæc denunciatio Posseuinū, vt qui vera dici à Leonetto expertus ipse quoq; erat, & eum magni faciebat. Itaque respondet, Hæc tua, Leonette, vox faciet, vt ego pariter, quod dudū parturio, tandē pariam. Inque ea defixus cura famulo domū remisso, rectà ad Collegiū profectus à Palmio impetrat, vt ea nocte agere in Collegio liceat, quòd de animæ suæ rebus deliberare velit. Postridie manè, qui dies S. Bernardo erat sacer, 43
sanctissimū Sacramentum Eucharistiæ à Palmio susceperus tacitè apud se vouet, simulatque nepotibus suis vnde studia litterarū prosequantur, prouiderit, in Societatē se continuo transiturum. Quę cū diceret, repentè interiori voce, quasi Dei reprehendētis audita, Ergone tuis nepotibus me credis prospicere non posse sine te? voto se planè libero obstrinxit, adiiciēs ne gradū quidē vllum honoris, quoad viueret, nec sacerdotiorū emolumenta accepturū. Cùm hæc secum tacitus inscio Palmio peregisset, diuinam ei hostiam Pater porrexit; summisseq; (vt postea ex eo est cognitum) dixit, Domine da huic spiritū tuum: quod videtur omnino impetratū. Ardere enim subitò Posseuinus: vixque sui potens ad Palmium adhuc in sacrario agendis de more Deo gratijs insistentem raptus, coramq; eo prouolutus in genua, Pater,

Digitized by Google

apud Deũ testis mihi esto, inquit, Diuinę ego Maiestati sciens volensque Societatẽ ingressurũ me, nec sacerdotia, neque honorem vnquam vllum accepturũ spondeo ac voueo. Palmius initio aliquid aperire ratus velle, quod (vt vsu venit) memoriam in confessione fugisset, vbi vouendi formulam cõcipientẽ animaduertit, veritus ne æstu nimio haud satis sui compos temere auferretur, voce, nutu, demũ opposita ad os eius manu cohibere conatus est. Ille tamẽ voti sui carmẽ constãter absoluit, adiecitq;, Quod dixi, erit. Eoq; die ac nocte insequenti summa tranquillitate conscientiæ (vt in victoria, primitijsq; spiritus vsu venire solet) purissimoq; cælestiũ deliciarum gustu fruens in Collegio mansit. Animaduertit Posseuinus diuinæ prouidentiæ erga sese benignitatẽ. Nam si paulò seriùs voto se illigasset, periculum erat, ne ambitionis torrente apud nouum Pontificem Pium IV. quo creato Franciscus Gonzaga Romã ad Cardinalatus occasionẽ, venit, abriperetur: nec alia speciosa minùs irritamenta ignaro ipso Palmius auertit, cũ Otho Cardinalis Truchses id ageret, vt hominem ab epistolis apud Ferdinandum Cæsarẽ collocaret. His gestis, & magno gaudio cum Gagliardis, & Candio consilijs studijsq; cõiunctis, vnà omnes pariter eò curam intenderant, vt ab rebus se domesticis quàm celerrimè expedirẽt; cùm ab Lainio venere ad Palmiũ litterę, recipi omnes in Societatẽ, & mitti Romã debere. Sed nondum præfinitus ante sęcula numerus expletus erat. Educabatur cum Gagliardis eorum æqualis, & ciuis, & consanguineus Franciscus Butironius, quem ad impẽsas numerosę eius domus aliquantum leuandas apud se habebant. Hunc discessuri alloquũtur, & causam, quam ob rem Romam cogitarent, exponunt, adijcientes ei se facultatẽ relinquere, vnde cœpta litterarum studia sine domestico damno persequeretur. Verùm is quoque deprehensus est iam diu consilia eadem versans. Quare vnà cum cæteris Romam profectus, & adscriptus in Societatem indefessus in Christi vinea operarius ad mortem vsque perseuerauit. Ineunte Septembri pars terrestri itinere, pars mari Lauretũ versus proficiscuntur. Laureti summo cum animi sensu, vbi se Deiparæ dedicassent, vt in Societatem filij sui Mater clementissima aditum aperire, in eaque tueri ac protegere vellet precati, iam vno agmine omnes Ludouicus, Leonettus, Achilles, Posseuinus, Candius ac Butironius Lucio Crucio, qui Rector Patauinus fuerat, duce iter persequuntur. Antequã Tolentinum venirent, Vincentiũ Belmagium alterum è duobus famulis, quos ducebat alloquẽs Posseuinus, quam ob causam Romam petat, exponit, additq;, En Vincenti, si ipse quoque inducas animum Christo te penitus mancipare, iam mihi fratris vice eris; & quem adhuc mihi famulatum impendisti, eum tibi ego bona gratia repẽdam. Quem sermonem audiens Vincentius non solùm non probauit, sed præoccupans relinquere à quo se Romæ deserendum intellexit, in patriam causatus regredi velle, retro iter vertit. At vbi Lauretũ venit, quod benigna heri inuitatio non potuit, Deiparæ tutela perfecit. Omissa longiùs progrediendi cura, patriam & omnia oblitus ab Rectore Oliuerio summis precibus vt in Societatẽ admitteretur, institit; admissusq; magnis breui progressibus in virtute factis dum pietate ac diligentia memorabili Lauretani Collegij ægrotis inseruit, felici morte religiosam vitam clausit: primus, qui è nobili illo cœtu ad beata cæli præmia peruenirent; vt & ibi vim Christi vocis agnosceres, Erunt nouissimi primi. Illi iter persecuti die S. Michaëli sacro Romam intrarunt, domique Professorum magna gratulatione ab Lainio & cęteris Patribus excepti sunt. Vbi Gagliardorum quoq; famulus dominos imitatus, communem cum ijs cælestis Domini seruiturẽ suscepit. Patauij interim re sparsa in vulgus, haud tardum est cogitare, qui motus animorum, qui sermones extiterint. Ludouicus Butironius, Franciscí, cuius suprà memini, frater idem paulò pòst consilium inijt. At Ioannes Andreas Tertius inter Bergomates cum primis nobilis, cùm Patauiũ ex patria rediens clausam Gagliardorũ domum locandamq; vidisset inscriptam, quid ijs factum esset percunctatus, vt rem cognouit, maturare quod iam pridem coquebat, ipse quoq; decreuit. Consulto Palmio subitò iter ingressus aduolat Romã, impetrataq; Societate bonã in Dei obsequio ad extremam senectã nauauit operam. His igitur omnibus post breuia Tirocinij rudimẽta, vt eius temporis vsus ferebat, apud Professos posita Collegium Romanũ initio Nouembris est auctũ.

44 *Francisci Butironij vocatio.*

45 *Vincentij Belmagij vocatio.*

46 *Ioannis Andreæ Tertij ad Societatẽ accessus.*

Inter hæc Cardinalibus in Vaticanũ conclaue de more ad Pontificem creandum inclusis, nec conuenientibus, Otho Cardinalis Augustanus Lainium ad se per libellũ postridie Kalend. Decembres accersit. Aiebat habere se in maximis, quibus premebatur angustijs, quæ non nisi cum ipso cõmunicata vellet. Vt conspectus intra septa illa Iacobus est, aliquot Cardinales, quibus præstans in omni genere viri virtus iam pridem cognita erat, quique ab eius institutione ferè pendebãt, agere inter se de eo in S. Petri Sede locando cœperunt. Videbatur diuinitus missus ad dissensionẽ tam longam in Pontifice è Cardinalium legendo corpore finiendam. Hunc ad promouẽdam quam Paulus IV. instituerat, publicorum correctionem morum, hunc ad hæreses iugulandas ingenio & sapientia quàm aptissimum fore. At enim vbi quanta res moueretur, humillimus Pater inaudijt, inhorruit, bonaque petita venia raptim se oculis eorum subduxit, tanquam de se indignis modis accipiẽdo agi sensisset. Non tamẽ hæc fuga Cardinalium consilia repentè discussit; sed duodecim è grauissimis iam ad summum illi honorẽ demandandum consenserãt, haud incœpto facilè destituri, nisi vel sanctiones reuerití essent, vel inueterata iam exẽpla, non aliunde Pontificem, quàm è sacro Collegio assumendi. Hæc & apud multos vulgata Romę tum sunt, & Otho ipse Cardinalis Augustanus post Lainij obitũ pro concione in exequijs, quas ei magnificas Dilingæ fecit, publicè prædicauit. Quamuis in Italia hoc anno ad ciuitates circiter quadraginta Societas vocaretur; Patribus tamen in Socijs idoneè litteris ac pietate formandis, atque in subsidijs magis pro necessitate præsenti extra Italiã, & ad inchoata Collegia submittendis, quàm instituendis nouis, quæ ægrè tuerẽtur, intentis, nulla missa colonia est: tantũ sedis Tusculanæ iactum est fundamen-

47 *Actum de Lainio creando Pontifice.*

48

Digitized by Google

Domicilia Tusculanũ inchoatur.

mentum. In excursionibus, quibus alumni Collegij oppida circa Romam lustrarunt, ita placuere Tusculanis, vt communi consilio ciuitas, & primorum aliqui priuatim oblato templo domoq; perpetuam sedem aliquot Socijs offerrent. Quòd cælo apprime salubri nec nisi decimo ab Roma milliario ea vrbs est, visum est, quod deinde successit, ad Collegij Romani vel ægros, vel fessos studiorũ laboribus recreandos id diuerticulum fore peropportunũ, cùm præsertim meminissent B. Ignatij vocem, qui tanta se sperare Collegij Romani incrementa solitus erat dicere, vt multis circà talibus diuersorijs ad temporũ varietates opus haberet. Tertio igitur Nonas Iunias, qui domus templiq; possessionẽ iniret, sedemq; pluribus incolis compararet, missus est vnà cum Socio rei domesticæ administro P. Organtinus Gneccus Brixianus, is qui condentibus hęc nobis adhuc superstes in Iaponia erat. Stipe initio victitabant emendicata; tamen comiter benigneque quod necessitas desideraret conferebatur.

49 *Bobadilla labores in Valle Tellina.*

Bobadilla in Vallem Tellinam superiore anno profectus aspera cuncta deuorans, nulli parcens labori, assiduè purgandis animis aure ac voce, assiduè religioni excolendæ & defendendæ intentus, haud rarò bis in die ad concionẽ dicens, nec vno fixus loco, sed alia atque alia lustrans oppida magnũ apud omnes Catholicos desideriũ Societatis excitit. Præcætero animarũ quæstu quatuordecim adolescentulorum gregem Romam ad Societatis Tirociniũ misit; quorũ aduentus gratissimus fuit tum numero, quòd vni conficiendæ familiæ satis per se erant, tum præcipuè subsidijs, quæ opportunè ijs regionibus parabantur. Quãquam Romani Patres cognito mox caritate maiore susceptos, quàm cura lectos, Bobadillã admonuerunt, satis Tellinensium esse, parceret vltrà alios mittere. Ex eo numero fuit Franciscus Foglianus laboriosa pietate, & ante omnia Sanctissimę Trinitatis impensissimo cultu posteà claritatem adeptus. Bobadilla, vbi se dedit occasio, dignum excelsitate animi sui, Christianaq; libertate facinus edidit. Burmij feria secunda sanctioris hebdomadæ de diuinissimo Eucharistiæ mysterio cùm verba feciſſet, tantiq; veritatẽ Sacramenti fortiter ac planè ostendisset, res ad Lutheranum Prætorem, qui per eos dies summa cum potestate missus à Grisonibus venerat, defertur.

50 *Libertas in profitenda fide Catholica.*

Is protinus Bobadillam iubet acciri. Vetabant amici parere, vtque honesta se fuga multorũ reseruaret bono, certatim suadebant; sed ille tempus id palàm profitendæ fidei, constantiæq; promendæ ratus, sistit se audacter; ac Prætore quærente quid procõcione dixisset, præcipua capita, & rationum firmamenta retulit non spiritu minore, quàm è suggestu protulerat. Hæreticus admiratus fiduciam, vbi attentè audiuit omnia, nil ausus moliri, cum significatione obseruantiæ Patrem ab sese dimisit. Non tamẽ diutiùs anno Bobadilla inter Alpes versatus est. Iaderensis & Epidaurius Antistes (Iaderam & Epidaurum hodie Zaram & Ragusam appellant) ita apud P. Generalem instituere, vt fuerit illis tradendus.

51 *In Illyricũ mittitur.*

Alacrisque Nicolaus Illyricas quoque rupes cultum ijt, adeò nullo, quod ad commoda corporis attinet, domiciliorum nostrorum ad degendum respectu, vt, cùm Venetijs ad Illyricos nauigaturus ab domestico adolescente interrogaretur, Essentne in Illyrico Collegia Societatis, iucũdè, vt solebat, responderit, se Collegia ferre secum in manica: simul fortasse significaturus promptum sibi esse Collegia vbi vellet, noua condere. Prorsus enim eueniebat, vt quò pedem cunque tulisset, nonnullo statim excitato motu in Vrbem scriberet, paratũ iam Collegium esse. Sed exitus deinde plerumque cùm falleret, iam Patres Romani, quæ parum processura crederẽt, velut prouerbio, Collegia Bobadillæ vocabant. Eius discessum Tellinenses perinde quasi parente orbarentur, mœrore ac lacrymis honestarunt. Eoque sibi magis properandum censuit eques Antonius Quadrius vti stabili Societatẽ domo censuq; firmaret. Ritu itaque solenni, tabulisque publicis Augustæ Vindelicorum facultatibus suis in eam rem donatis, Pontem ad possessionem quoque coràm transferendam contendit. Eam, qui rite Societatis iniret nomine, Dauid Wolfius natione Hibernus ab Mutinensi Collegio, quod regebat, missus est; cætera simul cogniturus, quæ ad Collegiũ quàm celerrimè statuendũ vsui forent.

52 *Collegium in Valle Tellina paratur.*

Inter Collegia Italica cùm satis cuncta rem pietatis prosperè administraret, nullius tamen latiùs industria & nomẽ quàm Lauretani patebat. Maximè per agrum omnem Picenum celebre ac venerandũ erat. Quippe non solùm oppidatim ad sanctissimã Deiparæ cellam adeuntibus populis semper expositã præbebat operam; sed identidẽ ad ipsa oppida strenuis sacerdotibus missis, eosdẽ domi excolebat, vt iam ipsi populi cum gaudio faterentur se Patrum cura Lauretanorum longè meliores effectos.

53 *Lauretani Collegij fructus.*

Cæterùm in Monte Luponio (oppidum haud ignobile est octauo circiter ab Laureto lapide) conciliatam huius initio anni pacem secundissima fama longè ac latè circumtulit. Quippe inter primores iam diu gliscentes inimicitiæ ingentem popularium turbam trahebant in partes. Cæsar Brancatius ægri Piceni Prætor pacificationẽ tentarat: & auctoritate peruicerat, vt iuuenis è primis vnica parenti stirps inermis ac seminudus, quò satisfaceret, supplex ab inimico veniam precaretur. Quod cùm demum iuuenis Christiana animi excelsitate faceret, inimicus prodita, quam Prætori dederat, fide inermem ac supplicem crudeliter interemit. Id prope Recinetensis vrbis portã euenit, in qua ad detestationẽ indignissimæ cædis dirum proditorẽ pendulum, capite in terram depresso, pedibus sublimẽ pinxere. Recruduere scilicet ex barbara illa immanitate, & vsque eò exasperata sunt odia, vt non animo quisquam, non auribus nomen admitteret pacis; pueri per vicos arundinibus armati Arma, & vltio clamitarent. Prætor Brancatius Lauretani Collegij Patribus rem impensè commendat. Oliuerius ipse Rector cum altero sacerdote Carolo Caietano negotium suscipit. Crebras habent conciones: nunc hos priuatim, nunc illos pertentant. Perparum, aut nihil promouent. Theophilus ante alios obstinauerat iras, alterius factionis princeps; & videbatur misericordia dignus: quòd is erat pater, cui nefaria proditione miserrimam orbitatẽ inimicus induxerat supplici filio, qui vnicus erat, mactato. Complures

54 *Pax insignis in Mõte Luponio.*

Digitized by Google

iam dies Oliuerius & Carolus machinas omnes admorant, vt obdurata pectora expugnarent nullo aut perexiguo processu. Quod cùm Prætor resciſſet, inſuperque iam Patres reditum infecta desperataque re meditari, edicto seuerè oppidanis denunciat, qui paci obstent, eorum se tecta demoliturum; &, etiamsi totum delere oppidum oporteret, æquaturum solo, ac sale seminaturum. Secundùm quam denunciationē pergit Oliuerius omnem expromere industriam, si fortè sanis consilijs terror aures aperuiſſet. Sed cū amplius nihil extorqueret, & iam propè mensem ab Collegij sui custodia nequidquam abesſet, supremùm allocuturus ac salutaturus populum in suggestū procedit. Acriter primùm inuehitur in eos, qui pacem vnicum Dei filiorum pignus, ac bonum planè diuinum Satanico opere impedirent. Increpat deinde cognatos, affines, amicos, quòd nō suorum quisq; animos ad concordiam omni ope compellerent. Ad extremum ante oculos ponit, qui simultates ac factiones foueant quę diuina eos, quæque humana supplicia maneant; quibus se ipsi assiduè miserrimi mortalium damnis atque cruciatibus vltrò mactent conficiantque. Hæc aliaque vbi quàm grauiſſimè potuit, intonuit, cum socio viam corripuit. Iter iam ferè medium emensos assequuntur in celeribus equis ab Magistratu missi ciues; rogantque & obtestantur, vt redeant, affulgere spem pacis: Magistratum, vt ea tandem coalesceret, omnem operam polliceri. Patres tantisper reluctati, dum tergiuersando cupiditatem accenderent, retro vertunt iter. Nouo impetu, & maiore quadam vi dant sese in opus; ac demum pia eorum vota & sacrificia, multorumque ex oppidanis lacrymas respiciente Numine, pars vtraque obligat fidem in pacem se consensuram. Accersuntur extemplò Macerata ab Prætore, qui eius nomine rite pacificationi consignandæ interſint. Decernuntur graues pœnæ, ac nominatim æterna proscriptio, & ædium euersio, qui post hæc pacem violarint. Condicitur dies craſtinus, quo fieret magna cerimonia de Spiritu sancto sacrificium, & pax in templo promulgaretur. Cōuenit eo dīe populus vniuersus. Post Sacrum peractū concionem Oliuerius loco temporique consentaneam habuit. Qua cùm satis iam mitigata pectora permulsiſſet, vbi primùm ille siluit, & clara voce promulgata pax est; irruerunt in amplexus, & mutua oscula viri virorum, feminæ feminarum, tanto cum sensu, vt pleriſque vbertim lacrymæ ora sinumque rigarent. Diffusaque in omnes lætitia, iam puerorum greges pro vltione & armis, pacem discursantes ludibundi per oppidum, pacem crebris vocibus acclamarunt. Triginta nominatim capita tabulis publicis in pacem dedēre nomina. Cuius lætitiæ appendix accessit ex itinere in Monte quoque Sancto pacis magnopere expetitæ iactum fundamentum.

55 *Mors Cornelij Vishauai.*

In Lauretano Collegio Cornelius Vishauæus, qui duobus antè annis eò venerat, Octauo Kalendas Septembris ex morbo adeò placidè animam efflauit, cùm quidem robusto & succi pleno corpore esſet, vt mortis vitæq; confinia circumstantes fefellerint. Oculi, quos semiclausos turbidosque multas horas habuerat, reserati exhilaratiq; sunt repentè vbi exceſſit. Color viuus ori rubicundiorque suffusus, ac tota facies lætior signa edebant potiùs vitæ, quàm mortis. Ea res cōceptam priùs de viri sanctitate opinionem vehementer affirmauit auxitque. Ante cognitam Societatem Louanij nomen collegerat raræ virtutis. Accersitus inde Romam, & cum primis Mamertini Collegij colonis in Siciliam missus ibidē Tironibus, posteaque Romæ alumnis Collegij spirituali disciplina imbuendis præfuit. Eius hoc 56 in genere monita magni fiebant. Referam nonnulla, quæ tradita sibi Ledesma in diario adnotauit, valdeque vsui profiteturfuiſſe. *Dicta eius notabilia.* Ad sanctæ humilitatis commendationem dicebat gaudere Deum res ex nihilo facere, quòd is modus infinitæ eius virtutis proprius sit, & clariùs eam prodat. Vt igitur hanc rerum vniuersitatem, & pulcherrimam speciem ex nihilo procreauit, ita in animis hominum mundum ornatumque virtutū ex nihilo, ideſt ex humilitate, qua suum quisque nihilum profiteatur, efficere, superbos infinitis 57 tentationibus subiacere, quòd id Deus permittat, vt diffidere sibi discant. Perinde enim Deum facere, atque magnanimus Rex, qui quamdiu fidentem sibi hostem videt, oppugnare nō cessat: prostrato verò cadentique ac manus danti clementer ignoscit. Porro viam ad radices imas hu- 58 militatis perueniendi esſe obedientiam cæcam, per quam simpliciter, quæ spiritualis Pater præceperit, fiant. Hanc enim cæcam obedientiam quasi instar talpæ aptiſſimam esſe ad cuniculos sub terra agendos, qui ad radices imas humilitatis perducant. Item obedientiam genus teli esſe aduersus omnes tentationes habile & opportunum, idq; Christū Dominū docuiſſe, qui omnes diaboli petitiones semel, iterum ac tertiò eadem voce, Scriptum est, respondens, obedientia, quæ legi diuinæ debetur, repulit. Ita nobis, quoquo modo oppugnemur, Scriptū est, præceptum est, iussum est respondendo, & inexploratò iussis obtemperando esſe vincendum. Vt obedientiæ via quàm tuta esſet, doceret, aiebat Angelos quoque custodes eorum, qui disciplinæ Patris spiritualis rite subiecti sunt, eiusdem Patris parere iussis, vt ad maiorem vtilitatem suæ fidei commissorum conspirent. Quare ijs in rebus, quas spiritualis præcipit magiſter, Angeli munus dumtaxat esſe eas discipulo reuocare in mentem, ad easq; inuitare atque allicere. Qua pro sententia præclarè sanè id facit, quod religiosæ magiſter subtilitatis facilè inter omnes primus, Magnus Gre- In 1. Regū. gorius docet. Quippe Deum animaduertit non antè Samueli, quem vocabat, causam cur euocaret aperuiſſe, quàm Heli sacerdos ei potestatem audiendi feciſſet; & continuò subdit, Opus namque subiecti diuinitus inspiratum, tunc Deo gratum esſe cognoscitur, si Maioris imperio aut permiſſione peragatur. Vocat itaque Dominus, & vocationis causam tacet, vt permittente magiſtro, semetipsum vocato subiecto insinuet. Aiebat præterea Vishauæus, benefacta quæ ab consilio confessarij proficiscuntur, quasi tenui velo, vt fit in liquoribus, percolari, eoque esſe puriora. Dæmonem pugnare hasta, gladio, se ipso: hasta, 59 cùm quasi eminus externarum rerum specie obiecta solicitat: gladio, cùm per corpus nos nostrum

Digitized by Google

ſtrum quaſi cominus aggreditur: ſe ipſo, cùm phantaſiam ipſam inuadit, eamque variè mouet: & id tertium certamen eſſe grauiſſimum: & hoc maximè viros pietati deditos oppugnare; hancq; eſſe non in vltimis cauſam, cur viros bonos è ſæculo Deus ad Religionẽ vocet, vt Magiſtri, quorum hac in pugna inſtitutio rectioque eſt neceſſaria, ſuppetant; quorum ductu à præſtigijs tuti dæmonum, expeditum in virtutis ſtadio teneant curſum. Hoc in genere fuit, quod ſe expertum refert Ledeſma. Is motus quoſdam interiores ſentiebat, quibus, vt ſibi videbatur, magnopere ad laudem Dei ac Domini Ieſu prouocabatur. Hos Cornelio cùm aperuiſſet, ſubiecit ille credere ſe eos ſenſus ab dæmonio meridiano eſſe. Quam vocem ita ægrè tulit Ledeſma, vt mortem mallet, quàm ita eſſe. Atqui (inquit Vishauæus) iſta ipſa ægritudo dæmonis prodit veſtigia indignantis ſuas illuſtrari atque diſſolui fraudes. Nec multò pòſt cogitanti ampliùs ea ſuper re Ledeſmæ ita prorſus eſt viſum. Animaduertit enim eo ſenſu paulatim ſe ad ſpiritum blaſphemiæ pertrahi, atque ad iudicandum Deum eſſe ingratum, quòd ſe tot tantaque eius cauſa facientem non ita reſpiceret, nec audiret, quemadmodum cupiebat. Angores mentis, & (vt dicimus) deſolationes, maxima omnium, quæ ſubire Dei cauſa homines queant, cruciamenta nominabat. Tres enim eſſe malorum, ſiue iniuriarum gradus, facti, dicti, cogitati. Cogitata aliena, quia non lædant, deſpici à mortalibus: dicta, nempe contumelias ludibriaque, multo duci grauiora: facta verò grauiſſima, vt verba, vulnera, necem. Contraria his Dei famulis euenire. Verberari ſui Domini cauſa, vulnerari, occidi leuiſſima videri. Multo ſæpè arduũ magis maledicta, falſas criminationes, irriſiones bene perpeti: at verò longè difficillimum perferre conſtanter quas dæmon inijciat menti anguſtias; præſertim cùm longè abeſſe Chriſtus Dominus dilectus videtur, ac planè ſuum famulum abieciſſe. Qua de cauſa, qui ad necem pro Chriſto ferendam paratus eſt, haud magnum facere, niſi ad hunc quoque animi cruciatum perferendum ſeſe obduret. Eos tamen, qui nimiùm & inconſideratè quamuis rectum ob finem laborare ſemper atque torqueri appetunt, non liberales, ſed prodigos appellabat. Et eos, qui obiecto ſcrupulo, ſi fortè inter ſacerdotales preces attentio interrupta eſt, eas à capite repetunt, ſimiliter dicebat facere, atque ſi quis iter faciens equo, cui inſidet, è via aberrante, ad iter repetendum in eum locum, vnde primùm profectus ſit, redeat. In rebus gerendis ſi alienę ſe cogitationes, ſiue abſurdæ, ſiue in ſpeciem bonæ ingerant, haud cum ijs anxiè luctandum, ſed quaſi obſtructis auribus, & auerſis oculis porro vrgendum pacatè, quod eſt in manibus. Nam ſi famulus ab hero quopiam miſſus, dum fortè per forum tranſit, cum ſingulis, qui fiunt obuij, & interpellant, interſiſtere, congredi, & conſerere manum velit, haud functurum ſedulò officio famuli: meliùs facturum, ſi mandato intentus Domini, nihil laborans quid alij, amici inimiciúe dictitent aut moliantur, tacitus quietuſque pergat. De peccatorum ac vitiorum cognitione ſic diſſerebat. Quemadmodum nocte pauca videntur, & magna dumtaxat; interdiu verò plura, & minuta quoque; ac in radio ſolis, qui fortè obſcuram in domum per rimam permeet, minutiſſimorum corpuſculorum multitudo innumerabilis cernitur. Quòd ſi quis omnia illa eiuſmodi corpuſcula, quæ circumquaque per aërem volitant, conſpiceret, circumfuſum ſe vndique & clauſum quaſi puluerea nebula videret, cupereteque ex ea quamprimùm educi. Ita quoſdam mortalium verſari tenebricoſa in nocte, qui non niſi pauca quædã, & vaſtæ molis ſcelera diſpiciunt: quoſdam in luce diurna, & hos multo plures ac leues etiam videre noxas: quibuſdam denique peculiarem Chriſti Ieſu, diuiniq; ſolis affulgere radium: hoſque non videre ſolùm maculas leues, verùm etiam hominum opera quàm rudia, manca & imperfecta ſint: taliumque ſe imbecillitatum atque debilitatum denſa turba vndique circumuallatos ac preſſos. Quare etiam deſpicere ſeſe, & cupere vehementer ex ea quaſi nebula quàm celerrimè liberari. Talia erant Vishauæi monita, quæ non tradebat alijs accuratiùs, quàm in rem ipſe, cùm tempus poſceret, conferebat. Comperio hominem bonum, cùm ſingularia à Deo munera accepiſſet, haud procul abfuiſſe, quin & initio cùm ad Societatem acceſſit (qua de cauſa tantopere probatus à Fabro eſt) & poſteà in Romano Collegio, præſtigijs dæmonis illuderetur. Sed ſolidam virtutem obedientiæ conſtantia mirè probauit. Nam & principio verſari ſe velut puerum à Fabro patientiſſimè tulit, & nouiſſimè miſſus ab Vrbe Lauretum Oliuerio regendum ſe in omnes partes fingendumque ſumma æquitate permiſit. Ad pellendos ex obſeſſis corporibus dæmones multùm valebat, & libentiſſimè cum feris ijs tortoribus conſerebat manus: tamen Patres, qui potiorem ſemper duxerunt ex animis, quàm è corporibus abigendorum dæmonum curam, non niſi rarò congreſſum eiuſmodi, quòd præſertim cum ſtrepitu vis magna populi ſpectatum accurreret, permittebant. Ille autem fræna illa obedientiæ æquus ferebat & tacitus, animi eius tranquillitatem non leuiter mirantibus rerum gnaris.

62 *P. Iuuenalis Boterus magna vir virtute moritur.*

In Sicilia deceſſit Panormi Pater Iuuenalis Boterus. firmamentum habebatur Collegij. Nobilitatis flos eo confeſſario vtebatur, & optimis ab eo regebatur præceptis. Domeſticorum quoque confeſſionibus præerat; & præcipua quadam, dum optimè conſtitueret, cœnobium virginum (cui S. Ioannis à Rollione nomen) formabat cura. Indefatigabilis caritatis, obedientiæ & humilitatis exemplum domi foriſque. Cuncta ciuitas ad viri occaſum ingemuit. Et fuiſſet profecto miſerandus, niſi perpetua conſcientiæ munditia, & quotidiano ſacrificio vitam ita inſtituiſſet, vt deprehendere mors imparatũ non poſſet. Nono Kalend. Decembris cùm lætus & incolumis cubitum ſtato tempore abijſſet, ea nocte obdormiuit in Domino: poſtridieque manè ita lectulus, ita ipſe compoſitus inuentus eſt, ac ſi placidè requieſceret; vt ingreſſus primò Paulus Achilles, quò confeſſionem apud eum de more peragereret, deceptus imagine dormientis ſuſpen-

Digitized by Google

so pede recesserit. Ad funus multitudo ciuium supra templi capacitatem concurrit, multisque multorum cohonestatum est lacrymis: & certatim petita, quæ in Patris Sancti (sic enim vocabant) monumentum asseruarentur. Inter turbam ad manus oscula contendentē accessere Mahometani duo, qui interrogati cur id facerent ipsi non Christiani, responderunt se id facere, quòd nossent Patrem illum virtute præstantem fuisse. Benium in Taurinis oppidum patriam habuit: in Societate octennium, vel paulo ampliùs vixit.

Hoc rerum in Italia statu, vltra Alpes tribus initium domicilijs est factum; Apamiensi in Aquitania, Monachiensi in Bauaria, & nonnullum Augustano in superiore Germania, de quo primùm prodere aggredior. Petricouiensia Polonorum comitia quarto Idus Februarij tandem soluta veriùs, quàm absoluta sunt, exitu quàm timebatur, meliore. Nam tametsi grauissimè Regem oppugnarunt hæretici, non potuit tamen adduci, vt quidquam statui pateretur aduersus Episcopos, vel vt in religione mutaretur. Misso conuentu Canisius auehens secum in præcordijs Polonos omnes (amauerat enim etiam indolem gentis, eique suos cupidè labores dicarat) Petricouia raptim Augustam contendit, vbi ab Othone Cardinali, & Ferdinando Cæsare cupidissimè expectabatur, virtute eius atque industria ad Catholicæ fidei propugnationem in conuentu, qui ibidem celebrabatur, vsuris. Augustæ dum agit, omnique ope, & ante omnia suis ad Deum, alienisque suo impulsu clamoribus contendit, res ex ambiguis initijs ac progressionibus in exitū euasere minimè pœnitendū. Interim Prædicator ordinarius Ecclesiæ principis è Dominicana familia, prorsusq; ea dignus & familia & sella Ecclesiastes, Ioan. Faber moritur. Cardinalis Otho, qui vias rimabatur omnes, quibus in opulentam ac nobilem illam ciuitatem, & maxima ex parte hæreticorum furore oppressam (vix enim pars decima Catholicorum censebatur) præsidium Societatis induceret; hanc occasionem vehementer exaggerans, dat ad Lainium litteras, rogatque etiam atque etiam, vti Canisium in demortui concionatoris locum suffici patiatur: id fieri prouinciæ sine incommodo posse, ad quam subinde reuisendam, Augusta, quæ velut in medio sita sit, licebit excurrere. Id ipsum commune Canonicorum concilium proprijs litteris impensè orat. Lainius, qui nihilo minùs attentè ad suos milites, quaqua daretur aditus, in eiusmodi loca immittendos excubabat, haud grauatè Cardinalis, & Canonicorum postulatis morem gerit. Ita Canisio cum tribus Socijs Augustæ diuersorium datur, in spem veriùs Collegij, quàm exordium: quanquam res ab ipso interim, & ab Socijs gestæ quamlibet numerosæ domus industriam adæquarunt.

63 *Petrus Canisius concionator Augustanis traditur.*

64 *Monachijs Collegium inchoatur.*

Monachij verò Bauarus Dux Albertus, vt Collegium hoc anno inchoaretur, instituit. Nam, quemadmodum ipse litteris quinto Nonas Iulias datis ad Lainium scribit, expectatione quam olim egregiam de Societate conceperat, haud falsus, sed è Collegij successu Ingolstadiani experimento edoctus, quò Patrum conatus ferantur, quamque ad Dei gloriam, probam iuuentutis institutionem, Ecclesiæ sanctæ emolumentum accommodati sint, paulatim in alijs quoque ditionis suæ oppidis Collegia instituere meditabatur. Ac ne res Monachiensis longiùs duceretur, aliquot ponendis initijs, & ad sedes cæteris metandas postulat quàm celerrimè mitti. Missi autumno sunt nouem, Rectorque Theodoricus Canisius Vienna, vbi Theologiam tradebat, accitus. Sedem habuere partem ampli monasterij Augustinianorum Patrum. Ipsis enim, temporum iniquitate, ad pauciſſimos ibi redactis, ea pars sola & vacua relicta erat. Eorumdem templo cōmuniter vtebantur. Docere initio, quòd gymnasia nulla erant, in quibusdam cubiculis exorsi.

65 *Res Gallica.*

In Gallijs nunquam antè spes maior bene rem & publicam orthodoxæ religionis, & priuatam Societatis gerendi affulserat, si propria fuisset. Collegij ædificatio Billomæi incumbente in eam rem strenuè Ioanne Baptista Viola feruebat. Pridie Kalendas Iunias ritu consueto Episcopus primarium in fundamenta lapidem iecit: sub idemque tempus bona eidem Collegio certa ac perpetua rite donauit. Parisijs Paschasius, & Pontius sua impensè munera procurabant. Spem erant ingressi fore, vt iussu regio decretum illud nomine Sorbonicum emēdaretur. Et sanè Henricus Catholicæ rei perstudiosum fautoremque Societatis ferebat se se. Cuius rei illud præ cæteris haud dictu magnum, nisi quòd Regum vel nutibus pondus est, circumferebatur documentum. In cœtu Procerum è præcipuo flore Galliæ Iesuitarum orta mentione (iam enim hoc nomen increbescebat) interrogauit singulos Rex de nouo illo hominum genere quid sentirent; ac cæteris vel doctrinæ famam, vel vitæ innocentiā, vel studium propagandæ religiōnis, vel alia huius generis cum laude memorantibus; cùm vnus quoque inuentus esset, qui egregios virtutis simulatores & hypocritas videri sibi responderet, graui Rex vultu, Fabor & ipse quid sentiam, inquit, Næ isti, meam fidem, viri egregij probique sunt: vitam Apostolicam viuunt; ac fructus, quemadmodum rectè compertum habeo, ferunt præclaros toto orbe terrarum. Christianissimo igitur Rege sic animato, ad spem optatissimi euentus Hispanorum quoque Procerum accedebat fauor, qui, cùm Philippus Rex Elisabetham Henrici filiam duxisset, per occasionem nuptiarum in Gallias venerant: cùm repentè incidit grauis illa clades, quæ & Galliam, & rempublicam omnem Christianam perculit, vel tam graui verbere ad fragilitatem naturę, & felicitatis humanę cogitandam, modumque seruandum in rebus Deo excitante mortales. Henricus enim Rex dum genere omni publicæ hilaritatis nuptialem cohonestat pompam, eo magis quòd lætitia multiplex celebrabatur, cùm eodem tempore alteram filiam nomine Claudiam Lotharingo Duci Carolo, & Margaritam sororem Emmanueli Philiberto Duci Sabaudiæ collocasset; vt erat animi excelsi, viriumque robustarum inire ipsemet voluit ludicrum hasta certamen. Inter ea belli simulacra cùm facinora Rege digna multa feciſſet, laxato diuturna consertatione oris integumento, hastęque ab æmulo impactæ fragmine, quà viam reperit, subeunte, grauiter in oculo ictus vndecimo die

66 *Henricus II. Rex quid de Societate sentiret.*

67 *Miserabili casu occiditur.*

Digitized by Google

68 *Ludouici Corbinelli ad Societatem vocatio.*

die interijt. Interfuit ei spectaculo Florentinus ciuis, acri iudicio vir, & genere nobilis; qui morte vago errore fugitans peregrinas cursabat oras. Vbi enim pro gracilitate corporis, & valetudinis tenuitate, ad hæc tristiore habitu ingenij, diserte medicus ei denunciauit, nisi ab solitudine in hominum se congressus, hilarioremque conuictum daret, haud diu luce vsurum, tale vitæ genus instituit. Aliquot sodalium fidissimorum assumptis, quibus etiam, vt erat copiosus, ad impensam suppeditabat, cum ijs varias obire regiones instituit, ita temperans iter, disponensque mansiones, vt in quemque locum in id tempus occurreret, cùm is locus vel amœnitate præcipua, vel religiosa celebritate, aut humana hilaritate ac pompa visendum aliquid fruendumq; offerret. In hunc modum Italia propemodum omni, tum Hispania, & aliquot ad Septemtrionem peragratus prouincijs, nuptialis, quem dixi, apparatus fama, quæ longè manarat, excitus, ad tempus Lutetiam venit. Hîc verò cùm multa sanè magnifica ac mira spectasset, ad extremum regio illo casu ita est commotus, vt cura ad sese conuersa, & ad reputanda animo, quæ tot terrarum circumeundis spatijs vsquam vidisset humanę felicitatis & gratulationis documenta; scitè animaduerterit nulla vsquam obtigisse ad liquidum pura, quibus non aduersi aliquid acerbiq; intermixtum esset. Eamque sensim intrans cogitationem, eò demum profecit, vt aliquot pòst annis in sinum se huius familiæ contulerit, ac penitus Christo manciparit, apud quem vnum vera atque sincera est quies: &, si quid amari interdum hæc exilij conditio affert, non id perniciosum, aut fruge cassum est, sed præterquam quòd in præsens vbertate melioris dulcedinis penè obruitur, est etiam in futurum pretium ac semen beatæ perennitatis. Ludouicus Corbinellus hic fuit, cui nimium quantum (vt suo fusiùs memorabitur loco) Societas vniuersa, & Collegium nominatim Romanum debet. Ita Dei sapientissima bonitas per huius vitæ calamitates amorem æternæ suscitat. Henricus quoque Rex eam admonitionem diuinæ attribuit iræ, quòd lentior ipse in hæreticis coërcendis fuisse sibi videretur. Quare Franciscum filium, qui fuit Rex Secundus hoc nomine, spondere voluit in eos se animaduersurum; obtenturumque constanter ac defensurum Catholicam fidem. Quamdiu ægrotauit, qui ad se adituri essent, voluit omnes, prout ipse statim vt vulneratus est, fecit, expiare confessione noxas, & ad diuinam mensam accedere: siue vt faciliùs sua morumque submissione ac pietate cæleste Numen placaret; siue vt fideliores haberet administros; siue, quod facilè reor, odio hæreticorum, ne supremo eo tempore quisquam ad se, nisi sacrosanctis illis Catholicæ fidei insignibus ab impiorum turba discretus accederet.

69 *Henricus Rex quàm piè mortem obierit.*

70 *Apamiense Collegium Societati destinatur.*

Sublato Rege præsidio humanorum maximo Societas destituta in Gallia est. Tamen nonnihil promouit noua, de qua dudũ indicaui, Appamijs sede posita. Appamię siue Aparama in Aquitaniæ extrema ora vrbs est modica ad Pyrenæorũ radices, ab Tolosa & Hispaniæ finibus vnius circiter diei spatio distans, vberi agro, tenui cælo, nec insalubri, cęterùm ventis infesto. Incolarum pleriq; opifices haud opum magnarum, ingenio apto ad disciplinas; tum quidè, vt latè patebat impietas, haud multùm diuinis dediti rebus, cupidi tamen audiendi si esset, qui de Deo, rebusq; cælestibus verba faceret: eóque præsentiore indigi ope, quo propiores non iam periculo sed exitio erãt, cùm circumstarent hæretici Principes, & pessimi quique hæreticorum ex alijs prouincijs in eum se angulum abderent. Huius vrbis Episcopus Robertus Pelleuæus Nicolai frater Ambianensis Episcopi, quem postea Cardinalem Pius Quintus creauit, multa prolixè pollicitus cum Paschasio & Pontio Parisijs egit, vt aliquot è Societate lectis viris, quod ibi erat Collegium, cum reditu annuo traderetur. Lecti sunt missique ex Italia tres egregij viri. Ioannes Pelletarius, qui adhuc ab exordio primo Ferrariense Collegiũ rexerat, priùs inde Romam euocatus, ibique Doctoris ad gradũ euectus; Edmundus Augerius insignis Poëta, & orator in schola, idemque & ad agendum cũ populo bonus, Patauio accitus; Ioannes Rogerius è Collegio Romano missus ad Philosophiam Theologiamq; edocendam ab scientia & ingenio paratus. Hi tres vnà cum adiutore domesticarum rerum per autumnum Appamias attigerunt. At enim longè alium atque Antistes descripserat rerum inueniunt statum. Erant è concilio ciuitatis publico pars bona hæretici. Hi Iesuitas vbi videre, sat gnari haudquaquam id genus hominum conuenire secum, omni vi modoque procul arcendos statuunt. Conuocatur concilium. Conuentum cum Episcopo clamant, vt magistros mitteret, non cœnobitas. Nam his quidem inopis turbæ labores per desidiam vorantibus, plusquam satis esset vrbem abundare: & magistros se expectasse, quos vbi vsus ferret, summouere, ejcere, adigere ad officium integrum esset; non genus id hominum, quibus semel receptis seruiendum perpetuò esset. Deinde vtiles reipublicæ, vitæque communi velle suis liberis tradi disciplinas, scientiam ciuilis Iuris ac medendi; per quas suum cuique ius, tum salus ac vita seruatur. Quid sibi cum Philosophorum ineptijs, & arcanis Theologorũ mysterijs? Postremò iam idoneos esse Musæo magistros, cur posthabeant notos ignotis? His cùm singulos fraudulenti veteratores antea priuatim implessent, ac postea eadem in concilio publicè vociferarentur, qui contrà seriò pugnaret absente Episcopo, nullus erat. Nemo enim erat, qui simulatis declamatoribus detraheret personam, ostenderetque nequaquam eos boni publici studio, sed religionis Catholicæ odio duci: qui populo simplici, ac Societatis ignaro demonstraret omnium primam diuinarum rerum habendam curam; & quo magis eo tempore grassaretur impietas, eo excipiendos accersendosque studiosiùs propugnatores. Adesse Societatem non ad populi damna, sed ad salutem: ac simul poneret ante oculos quanti ad commune priuatumque bonum interfit teneros adolescentium animos vnà cum litteris pietate, probisque moribus informari. Non magis quærendos, qui humana, quàm qui diuina doceant iura: nec magis suum cuique esse, liteseque & iniurias tolli, quòd sciantur, quã quòd vigeant ac seruentur leges. Denique planè iniquum esse salute

71 *Hæretici aduersantur.*

72

corpo-

Digitized by Google

corporis sanitatem mentis posteriorem ducere: cumque tam cari sint, qui ciuibus vitam hanc caducam ad incertum ac breue spatium prorogant, eos negligi, qui beatam æternamque conatu omni student afferre. Igitur dum nemo est, qui refutet hæreticos, Catholicos doceat, lecti illi Patres cuiusuis inclytæ Academiæ luce digni excluduntur: nec nisi in angusto tuguriolo in ædibus Episcopi viri quatuor excepti sunt: vbi lecto, qui vnicus erat, inter se partito, ita cubabant, vt alijs alia re carentibus nulli non patientiæ maior, quàm quietis materia esset. Vicem dolebant Epi-
73 *Constantia Sociorum Apamiensium.* scopi, quòd ita contemptui esset, suam verò gaudebant; & (vt scribit Augerius) quia receptaculum non erat præsepi absimile, diuinarũ pauperatem cunarum, & quibus cæli Rex receptus à mortalibus est, ædes considerantes, è modica illa imitatione liquidissimæ voluptatis capiebant fructum. Nempe ea est benignitas Christi Domini, vt qui eius causa aspera appetunt, eis diuinæ abundantia suauitatis omnẽ sæpè asperitatis sensum extinguat. Nec despondere animum magistri constantes; sed ope freti cælesti, è tuguriolo suo egressi ascendunt in suggestum frequenter, aç verba ad populum de vita æterna & beata, de sempiternis, quæ manent impios pœnis, de abluendis confessione peccatis, de omni denique Christianorum officiorum ratione faciunt. Quæ populus audiens, nouamq; facundiam, & ardorẽ pietatis demiràs, breui cœpit agnoscere, quid ad se hominum veniisset: passimque ferebant Pelletario sacrum oratorem haud vnquam Appamijs auditum parem. Iamque fama vicinas egressa in oras Fuxum (est id oppidum ad ipsos montes Pyrenæos situm in ditione Nauarrę Regis) Augerius aduocatur, & rem Christo duce optimè gerit. Denique qui vnde vitam tolerarent, nihil habebant, paulò pòst ærario freti paternæ Numinis prouidentiæ domum Appamijs satis amplam conducunt: ibique præter cætera in rem pietatis consueta, litterarum quoque doctrinam euulgant, ingenti cum bonorum gaudio, frementibus hæreticis, acriusque in solicitudinem versis, & vias omnes indagantibus, quibus aduersos doctrinæ vitæque suæ homines exturbarent.

74 *Res à Ludouico Codretto inter Allobroges gesta.* Interim Ludouicus Codrettus inter Allobroges Anessij circaque per diœcesim constantia pari curaque & religionem defendit & excoluit. Geneuensis Episcopi sedes, postquam Genevam ipsam hæretici per impiam contumaciam occuparant, Anessium translata erat. Mediocre id oppidum (Nicy incolę vocant) ad radices montium in feraci planitie, nec inamœna situm est, propter lacum, qui nomen ab ipso mutuatus oppido, ad mille quingentos passus in latitudinem, dena autem millia in longitudinem patet. Verùm quo propiùs ab Geneua aberat, hoc præsentius religioni sanæ discrimen, tanquam ex contagione imminebat. Quamobrem Franciscus Baccodius Ecclesię eius Episcopus, dum Pontifex Datarium ipsum Romæ tenet, Ludouicũ pro se cùm ad populum muniendum, tum præcipuè ad Clerum subleuandum misit. Reperit ille mortales haud malè per se animatos ad religionis pristinæ tuendam integritatem. Celebrabatur constanti fama (& ex ipsis Ludouicus accepit hæreticis) editum Geneuæ miraculum ab Ioanne Caluino sectæ terrimæ inuentore, qui hominẽ ex compacto simulantem se mortuum, viuere cùm iussisset, re ipsa enecarat. Non deerant tamen quorum paulatim aures ad Sirenum tartarearum susurros, pariterque mentes mollescerent. Agasones passim & aniculæ sparsas à Caluino de prædestinatione, & hominis libertate sententias blaterabant: passim ex Apostolo Paulo arcana verba, quæ vix licet sacris Doctoribus loqui, profano ore, & stolido corde contaminabant, hactenus intelligentes, quoad satis foret ad venenum ex vitali succo trahendum. Hoc rerum ancipiti statu hinc bonitate gentis, hinc necessitate stimulatus Pater omnes aduocat & animi sui vires & corporis. Vbi Salanciæ, quod paterni soli caritati debebat, menstruæ obsequio doctrinæ persoluit, Anessium concessit. Inde curiatim per vrbem, per diœcesim pagatim excurrere. Ad ipsas Geneuæ portas processit. Bis, ter, interdum sæpiùs in die dicere, sæpè extra ædes in patentibus areis; vt esset concurrenti multitudini locus: quæ constipatione, gemitu, fletu, errorum detestatione, correctione morum ostendebat diuini verbi semen in solum minimè malignum cadere. Non pauci accurrebant è corruptis locis hæretici, quanquam furtim suorũ metu Magistratuum. Præcipua cura Ludouicus præmunire rudiorum imbecillitatem aduersus impiorum fallacias: simplicioribus vel ætate, vel captu instillare lac: Clero, & sapientia adultioribus solidiores prębere escas ex Apostoli Pauli epistolis, quas binis quaque hebdomada promebat scholis. Grata erat ordinibus cunctis probitas & nauitas sacerdotis. Ergo cõsensu Vicarius, & Canonici rogant, vt, quando Episcopus absit, Suffraganei locum accipiat. Verùm ille tametsi nihilo minùs laboris appetens, quàm fugitans honoris erat, tamẽ locum, in quo minor esset laborum debitio, ac solutio promptior, commutare cum eo noluit, qui augeret debitum, ac fermè soluendi minueret facultatem. Sperare itaq; se respondit, tutiorem sibi æternam salutem expeditioremque libero ea cura fore: & Lainium, ne quid imperiosiùs tentaretur, vt quàm cõmodissimè obstaret, admonuit. Habebant Anessiani gymnasium Collegiumque sanè pro loco egregium. Id quoque Ludouico regendum tradere voluerũt. Quin & illud seriò cœptũ est agi, vt Societati permitteretur. Sed Ludouicus cùm ab superioris anni æstate hunc penè totum annum, qua contentione cœperat, continuasset labores, omniaque meliora fecisset; relicto Anessij Patre Renato Fusellerio, qui proximè adiutor accesserat, patientissimæ caritatis sacerdote, ad Episcopatum Lodeuensem Benij Episcopi accitu, qui ex Lainio impetrarat, discessit.

75

76

77 *Sardiniæ Collegiorũ initia.* Hoc eodem anno Societati primùm Sardinia ad stabilem sedem adita. Aperuerunt aditum ante alios viri ex eadem insula duo, Petrus Spiga, & Alexius Fõtana, ille Calaritanus patria, hic Sassaritanus: diuiniſque ille magis, hic humanis præsidijs iuuit. Spiga missus adolescens Parisios ob
78 *Petri Spigæ ad Societatẽ accessus, & eximia virtus* celebritatem Academiæ ad sapientiæ studia, & inde post naturæ cognitionem, ad Theologiam transgressus Louanium, nomen ibi Societati dedit anno euntis sæculi quinquagesimo primo.

Nec

Digitized by Google

Nec multis pòst diebus perferuntur ab suis litteræ, quibus monebant, vt, postquam Doctorum esset cohonestatus titulis, togam sibi ei loco decoram, & cætera compararet insignia, magnificoque in habitu, & Doctorum ornatu spectandum se ciuium suorum oculis, & patriæ optanti redderet. Quæ litteræ cùm fortè sordidato, purgandisq; culinæ vasis occupato redditæ essent, risum tenere non potuit, quòd ludicro sæculo tam pulchrè esset illusum. Fontana & ipse adolescens egressus è patria, & in Hispaniam profectus per pacis ac belli artes cognitus, ab Carolo Quinto primùm creatus Eques, dein scriba Cæsareorum decretorum cooptatus est. Dum Cæsarem in Germaniam, & in Belgium sequitur, cognita Societate, & à Fabro Iaioque ad pietatem excultus, gratiam toti Ordini bonam rependit. Nam quocunque loco opus fuit, fidele studium, & apud Carolum, & apud Philippum nauauit; tumq; potissimùm, cùm de adiungendis Mamertino Collegio & Panormitano Abbatijs ageretur. Beatus Ignatius litteras de rebus ex Dei gloria per Socios vbique terrarum gestis interdum communicare cum eo solebat: vnde ille vt verus amicus, non secùs ac sua rè lætabatur: & illud officium pro optatissimo beneficio numerabat. Per quas litteras cùm olim quantum in Corsica Patrum duorum laboribus renouata esset pietas, cognouisset; Sardiniam ei vicinam vehementer Ignatio commẽdauit: iam tum fortasse molies animo, quod postmodum in rem contulit. Quippe Louanij Spigam nactus, cum eo studia ad patriæ opem, Societatemque eò introducendam coniungit, vt ex Belgio ab Sardis duobus in vnum tam diuersa peregrinatione coniunctis tantum Sardiniæ bonum crearetur. Vterque iam valetudine affecta erat. Eius recuperandæ occasione ad effectum consiliorum vtuntur. Planè vt infirma mundi elegisse Deus ad confundenda fortia videretur. Anno M.D.LVII. ambo proficiscũtur è Belgio: & Fõtana etiã Sardinię quęstura ab Philippo Rege nobilitatus. Aliquanto tempore Spiga præcessit.

Hom. 17. in Euang. Erat is sacerdotum eo de genere, quos Gregorius Magnus per salem à Christo Domino descriptos interpretatur, vt quisquis eis iungitur sapore vitæ æternæ condiatur. Itaque totum per iter, ac maximè postquam ex Liburno portu conscenderat, obuios quoque & comites & vectores nunquã intermisit sapientibus monitis & cõtinentibus vitę suæ exemplis facere meliores. Fœda dicta, & voces impias, & temerariam iurandi prolapsionẽ ex nautis vectoribusq; sustulit. Cùm verò non sine graui discrimine piratarũ & Gallicę classis aduersi morarentur venti, adeò pertinaciter, vt gubernator exclamaret, profectò in naui aliquem esse impium Christi desertorem: vsus occasione Spiga ad vnum omnes ad sacram homologesim impulit, audijtque. Idem & alias preces & acrem corpusculi sui verberationem ad placandum Deum cùm adhibuisset, tempestas facta placidior, copiam fecit vectores ad portum, cui Posata nomen est, exponendi. Inde Calarim Petrus pedestri itinere postridie Idus Maias peruenit. Hic verò cùm se vnum in tota videret 79
insula, miseris modis angebatur, quòd non posset omnibus præstò esse, cupiens vel in frusta discerpi, spargique, si quid id tantæ solitudini conferret. Tamen vltra & valetudinem ac vires enitens, idem nosocomij ægrotis adesse, idem vinctis in carcere, idem ægris per vrbem, idem inopi turbæ, nec secùs reliquæ ciuitati. Dominico quoque die sacrificabat in carcere, vinctorum fami, siti, nuditati, causis etiam, quoad æquitas ferret, consulebat. Pedore & sordibus fœdos amantissimè amplectebatur, osculabatur, flexis genibus cõsolabatur, quamuis deterrerẽt circumstantes, ne & ipse fœdis bestiolis, vt fiebat, oppleretur. Semel quaque hebdomada assumpto quopiam è sacerdotibus comite per vrbem emendicabat, vnde necessitates egentium, præsertim præverecundia dissimulantium leuarentur. In nosocomio tum consolabatur omnes, tum maximè excubabat, nequem immunitum supremis mysterijs necessitas vltima occuparet. Vbi animaduersum per vrbem est moribundis eum operam libenter nauare, nemo ferè in id discrimen veniebat, ad quem non accerseretur. Dabat se insigniter flagitiosorum in gratiam, & multos ad bonam frugem retraxit. Arcanum bellum concubinis mouit, & paria vix vlla reliqua facta sunt. Alia sustulit grauia & publica scelera. Sanctimonialium quoque cœnobium ad infamiam dissolutum correxit. Audiebatur libentissimè de suggestu & à populo, & à Sodalitatibus, ad quas statis diebus dicebat. Iamque eò nomen sanctitatis 80
creuerat, vt Prorex Aluarus Madrigalis, Proregina, aulici, & ciuium primi quique animis suis regendis adhiberent, & vel obuium in vijs singularibus officijs honorarent: quæ illi ruborem quauis contumelia grauiorem afferebant, nunquam læto nisi cùm inter inopes ægrosque destitutos, & miserorum turbas agitaret: quòd tales Christus Redemptor singulari benignitatis prærogatiua dignatus esset. Denique Prorege, & vrbano Magistratu instante, tota illi nosocomij administratio traditur. Quam ille procurationem, comperto rem pessimo loco esse, vtque noctes diesque vitam in nosocomio exigeret, bona fide suscepit, omnibus interim litteris per Christi Iesu pretiosam necem obtestãs Lainium, vt in messem adeò paratam messorum vnum saltem par alterumue summitteret: eis se ostiatim emendicaturum: & (vt gentis bonitas promittebat) abunde corrogaturum quidquid humanis vsibus foret opus.

Hæc autem dum Calari Spiga curat, Sassarim 81
Fontana venit, parumque abfuit, quin præclara *Sassaritani Collegij origo.*
eius consilia potentium amicorum importunæ voces aliò verterent. Grauiter adeò molesteque institere, vt propè inuitum cogerent in matrimonium consentire. sed Deus, qui meliorem homini prolem destinarat, ita morbo implicuit, vt intacta coniuge vitam finiret. Cuius in obitu miseranda res accidit. Cùm enim ad moribundum in angustum & scilicet ruinosum conclaue conuenissent homines circiter centum: vix eo mortuo contignatio fatiscens corruit, secumque turbam trahens omnem, quinque extinxit, plus quinq; & viginti malè mulctatis. Testamentum condiderat in hanc sententiam: Vti res sua familiaris annuis incrementis amplificaretur, quoad mille aureorum nummûm, ac præterea ducenûm annui census efficeret: tum duceni certis operibus, millenifundando Sassari Collegio Societa-

tis

Digitized by Google

tis tribuerentur. Qua ſumma confecta, niſi Præpoſitus Generalis poſt ſextum ab re ſibi denunciata menſem operas mitteret, gymnaſium pu-
82 blicum inſtitueretur. Re nunciata Romam Lainius, quanquam homines non ſtatim miſit, quia deſtinatus teſtamento reditus ex poſſeſſionibus non reficiebatur; tamen ſtatim Fontanæ gratè ac liberaliter Sacra preceſque fundatori ſolemnes totam per Societatem edixit. Tum dato Spigæ negotio, vt de hereditate ampliùs cognoſceret: cùm ille Saſſarim profectus nunciaret vix multis annis decretum vectigal expletum iri, & arte diaboli eam conditionem appoſitam in longum trahentis, quod prorſus impedire nequiuerat; & Saſſaritanus Prætor Antiochus Bellitus, & miſſus ex Hiſpania regius Viſitator Petrus Clauerius omnibus precibus inſtarent, vt aliquot de Societate ad exordium mitterentur, Lainius Franciſcum Borgiam monuit, vt ex Hiſpania ſacerdo-
83 tem lectum par mitteret. Balthaſar Pinna Catalaunus, & Franciſcus Antonius Luſitanus, cum Laico Ioanne Ambroſio Nauarro lecti, præſtantis omnes pietatis: ſed Ioannem aduerſa valetudo in annum vertentem retardauit. Ipſos quoque Patres clauſum tempeſtatibus mare diu retinuit in oppido maritimo Catalauniæ, vbi in xenodochio publico ex emendicata ſtipe victitantes magna populi & approbatione & vtilitate interim concionibus, confeſſionibus, & docendis per vicos rudimenta Chriſtiana pueris tempus optimè collocarunt. Quia tempeſtates negotiatorum cæleſtium morari nauigationem poſſunt, ſedulitatem induſtriæ, & caritatis negotia, & ſancta lucra impedire non poſſunt. Nec alioqui ſine diuino conſilio eam retardationem cecidiſſe exiſtimatum eſt. Quatuordecim piratici Turcarum lẽbi eam ipſam, qua Patres erant vehendi, nauim opperientes mare Sardoum inſederant. Atque ita euenit, vtquo die ſeu expectatione feſſi, ſeu qua alia cauſa Turcæ oras alias petiere, eo Patres pridie Idus Nouembris vela facerent, & ſecundo vento validiſſimè impellente, tanquam libero iam mari ad reſarciendam moram biduo Algerium deucherentur. Hîc cognitis, quæ euaſiſſent, periculis, nec niſi biduo antè claſſem, quæ diu in inſidijs ad excipiendam eam nauim ſubſederat, vicino ex portu ſoluiſſe, multum Deo gratulati ſunt: poſtridieque eos Algerenſis Epiſcopus
84 ſuis in equis Saſſarim miſit. Diuerſati mitio apud affinem hominis, cum quo ex Hiſpania vecti erant, bonam ei hoſpitij gratiam retulere. Nam ex veteri quodam, publiceque noto crimine abſtraxerunt. Inde Ioannes Canus Alexij Fontanæ neceſſarius, & teſtamenti curator, apud ſe habuit. Ad eorum conſpectum ſuſtulere in cælum gratulabundi Saſſaritani manus. Tanquam è cælo miſſos intuebantur. Amictus modeſtiam, grauitatem inceſſus, totius habitum oris pium ac venerandum; adhæc in ſacrificando dignitatem, & alia omnia mirabantur. Vbi verò etiam de ſuggeſtu agere Pinna cœpit, & aliorum præbitus munerum guſtus eſt, tum planè nihil auidiùs cupere, quàm primo quoque tempore Collegium condi. Pinna Calarim ad Proregem, ad quem commẽdatitias ab Ioanna Principe Hiſpaniarum Gubernatrice litteras ferebat, excurrit. Quem vt aduentantem accepit Spiga, in eius ſinum effuſo curſu ſe contulit. Lætatus eſt hominis virtute Pinna, illicoque altiſſimam eius humilitatem, obedientiam & caritatem perſpexit. Sed quòd noſocomij procurationem ne tricis quidem pecuniarijs repudiatis, ſuſcepiſſet, haud ſatis probauit. Ille verò, qui & ab Vrbe iam monitus erat, vt rebus quàm citiſſimè compoſitis expediret ſe, & ad vſitatiora Societati munera totum referret; nihil cunctandum ratus extemplò procurationem abdicat, & quamuis adeò eſſet Calari venerandus ac ſalutaris, religioſi amore conuictus, & obediẽtię ſtudio Pinnæ ſe penitus tradit, & cũ eo Saſſarim migrat. Ciuitas ve- 85
ro Turritana (hoc enim nomine Saſſaris ex veteribus turribus, quæ proximè aberat, vrbs prænobilis, gaudet) in dies Patrum aduentu lætior, quoniam de Fontanæ hereditate, quæ à præſcripta ſumma dimidio fermè diſtabat, nefas erat attingi; aliũde eis benignè ſuppeditauit: priuatim quoque vel tenuiſſimis conferentibus alacritate prorſus & pietate mirabili. Quin & recta ad humanos & ſacros vſus præmolita Dei cura cenſebatur. Sacram ædiculam, & conclauia quædam multis antè annis matrona nobilis Catharina Floria Sanctimonialibus habendis extruxerat, & ante rem perfectam è vita decedẽs, Archiepiſcopo atque Vicario eius delegauerat perficiendæ curam. Cæterùm quia præterea rerum eius nihil extabat, & Valentiæ in Hiſpania alia cogitantes omnia cognati degebant, quia Saſſari creditores quidam extiterant, iuſque ſibi in eas ædes vindicauerant; tandem obliterata cœnobij cogitatione, omnes pariter cum ſacello, haud ſine religionis iniuria, cùm dedicatum iam eſſet, Liguribus mercatoribus locatæ erant. Ædes has pia ciuitas peropportunas Collegio rata, mercedes, quas in triennium præſoluerant, mercatoribus reddit, & Patribus vtendas, dum mancipium rite curaretur, attribuit. Huc anni inſequentis Februario Balthaſar Pinna Rector, Petrus Spiga, 86
& Franciſcus Antonius generoſa Societatis in Sardinia ſemina commigrarunt; & veluti officina pietatis aperta, quo maiorem gentis humanitatem in dies, & capaciorem ſanctitatis habilitatem deprehendebant, hoc ſe impenſiùs in commoditates publicas dediderunt; vt nihil iam optandum ciuitati præter tenerioris ætatis inſtitutionem reſtaret, quam ſummi infimique pariter precibus omnibus flagitabant. Hoc fuit initium coloniarum noſtrarum in Sardinia, quæ propter opportunitatem adminiſtrationis Aragoniæ prouinciæ contributa eſt.

In Hiſpania eodem anno Collegia tria inſtituta, Lucronienſe, Palẽtinum, Segobienſe. Lucro- 87
nienſis initia Thomas de Iangues è prima eius ciuitatis nobilitate poſuit: qui cùm Deo ſe nobiſcũ dedicaſſet, id, quod ad ſe patrimonij pertinebat, conſilio Chriſti Domini pauperum in vſus diſtributurus, nec ad diuturnitatem firmius, nec ad patriæ emolumẽta commodius opus inuenit, quàm ſi ad Collegium Lucronii extruendum conferret. Pecunia erat non magna: placuit tamen conſilium Borgiæ; ipſumque Thomam, ac Hieronymum Ruizium Portillum Lucronium ire iuſſit, eam pecuniam vt reciperent, & animos ciuium, quemadmodum affecti eſſent ad excipiendum Collegium, explorarent, præpararentq;. Id prio-

Lucronienſe Collegiũ inchoatur.

re

Digitized by Google

re anno est gestum cùm maximè falsus ille & infestus feruebat rumor, homines Societatis pestiferæ fatores disciplinæ, & planè hæreticos deprehensos; & ob id crimen ab Quæsitoribus sacris datos in vincula. Itaq; initio Lucrienses Thomæ atque Hieronymi congressum fugere, horrere conspectũ, quasi impios detestari. At vbi paulatim Deo adiuuante, in lucem veritas venit, & principes primùm ciuitatis, præsertim Canonici, & Clerus omnis, dein reliquus populus editum nobis testimonium à Præside sancti officii cognouere; & cùm cæteris piis procurationibus, tum publicis verbis specimen datum professionis & facultatis, tum verò conuersis animis cuncta ciuitas eos colere, amplecti, Collegium flagitare; multi suam ad id operam pollicerì. Ante omnes eniti Franciscus Medranus vir nobilis, & Canonicus; qui ad negotium vrgendum Pintiam ad
88 Borgiam vltro contendit. Rursus igitur ineunte hoc anno coëmpta domo, & nonnullo instrumento sacerdotes quatuor, laici duo missi. In his idem Portillus fuit; & è vicino pago, vbi confirmandæ valetudinis causa versabatur, qui Collegio præesset, P. Petrus Martinius accitus. Populi Cleriq; ingens gratulatio fuit. Iam certi ad dicẽdum dies per Quadragesimã attributi aliis erant: sic tamen recentium hospitum verba amabant, vt ijs Canonici ad dicendum tertiam quintamq; feriam, & sabbatum destinarint: diebus autem festis atque Dominicis & ante & post meridiẽ dicere voluerint. Animaduertit hoc loco Borgia altissimum Dei consilium, qui ad magnas agendas res, quibus ei placitum est hominibus & adminiculis vtitur: cùm horum Patrum, qui res tantas Lucronij gerebant, plerique valetudinarij, &
89 aliis domicilijs oneri potiùs, quàm subsidio essent. Non tamen lætum hunc rerum cursum hostis humani generis, & mendacij pater ferre pacatus diu potuit. Fuere qui non priuatis modò sermonibus, sed è loco quoque superiori, in templis palàm inuehi nouos in hospites inciperent. Peruertere eos ac nouare omnia: per speciem frequentandorum Sacramentorum id agere, vt ea in contemptum adducant. Aduenisse, vt omnia ad se deriuent, rapiant: vt veteres Religiosos diu de ciuitate Lucronensi optimè meritos auctoritate ac piorum beneficentia, vnde ad id loci vitæ necessitates tolerarint, spolient. Quas contra voces recentes coloni fiducia in Christi Iesu prouidentia collocata, quæ sui muneris erant strenuè ac diligenter exequendo, tum silentio & patientia, commendandoque suis in precibus Deo, & sincera caritate in sermonibus ad populum eos ipsos qui sibi erant infensi, denique omni officii Christiani & caritatis genere certabant. Verùm quanquam hæc efficacia quidem & vera sunt aduersus obtrectationes arma Christianorum; quia tamen lenta esse solent, pars populi haud exigua in præsens abalienata ab Collegio est, non sine magna communis boni iactura. Auctores habeo viros pios, qui Lucronij indeusque ab Collegij incunabulis fuere, è quatuor concionatoribus, qui contra intemperantiùs declamarunt, progressu temporum vnum, dum suggestum ascenderet, attonito populo repentina morte colla-

90 *Diuina pœna in obtrectatores Collẽgij Lucrõensis.*

psum; alterum in itinere decidisse è mula, subitoque extinctum; tertium misero item mortis genere sublatum: postremum iam ætate grauem, rebus tempore patefactis, siue etiam fine trium animaduerso cùm incidisset in Collegii Rectorem, ad eius se abiecisse pedes, peccatumq; confitentem veniam petiisse; & quod perperam egerat, mutaturum promisisse. Quod abunde præstitit, exinde priuatim ac publicè instituta & homines, quos antè vituperabat, vbique assidueque dilaudans.

Segobiæ propter celebritatem vrbis iam diu 91 *Segobiensis Collegij primordia.*
Borgia Collegium extrui, præclaram præuidens paratam messem, auebat. Vias explòranti hanc indidẽ ciues obtulere. Sexaginta antè annis Ioannes Arias Auila Episcopus pecuniæ quiddam legarat, vnde excipiendis pauperibus hospitale tectum extrueretur. Ea res cùm aliquamdiu neglecta, & penè obliuione sepulta iacuisset, successor Antistes pecuniam in egentes præsertim occultos ac bene natos distribuere cœpit. Verùm plerique ciuium ac fermè nobilissimi quique agendum apud Pontificem putarant, vt is voluntatẽ demortui interpretans, eum reditum in Collegij fundationem verti fineret, quod esset ex vtilitate publica haud paulo magis futurum. Scribitur Romã; ac dummodo Ordinarij Antistitis accedat cõsensus, res impetratur. Episcopus hoc tempore erat 92
Franciscus à sancta Maria ex ordine sancti Hieronymi, qui vehementer quidem Societatem expetebat: verùm, vt cœperat ex ea pecunia arcanis certorum nobilium calamitatibus opem ferre, miseratione eorum tactus, nec videns quid posthac habituri perfugij essent, religioni sibi duxit consuetis eos fraudare subsidijs: auctorque fuit, quò scrupulus sibi omnis eximeretur, agendi cum Romano Pontifice, vt rem totam nulla apposita cõditione ipse transigeret. Aegrè tulit hanc interpositam moram Clerus, & ciuitas: atque Fernandus Solierus Ecclesiæ primariæ Archipresbyter per litteras primùm, dein coràm conueniens Borgiam, orat & obtestatur, ne differat Socios mittere, se ad ponenda initia terna aureorum millia, nonnihil & alios collaturos. Æqua Francisco visa postulatio est: qui fidendum in Dei causa Deo assiduè prædicans, sacerdotes duos, Christophorum Rodericium, & Fernandum Solierum Archipresbyteri propinquum, qui princeps negotij auctor erat, cum totidem adiutoribus ad præparandam ædem præmittit.
Haud vlla tota in Hispania vrbs facilè fuit, quæ 93 *Segobiensiũ in Societatẽ caritas.*
maiori omnium gratulatione ordinum nostros colonos exciperet. Fuere de principibus viris qui vltrò conquisitum per vrbem stipem ad prima velut Collegij armamenta irent: & primo statim circuitu nummos aureos centum, & tritici aliquem numerum corrogarunt. Ludouicus Mendoza vetus amicus, & B. Ignatij Romæ olim consuetudine vsus, multa ad instruendam domum largitus est. Monachi Carthusienses, quibus & rei & caritatis affatim erat, multa pollicebantur. Ipsa communi consilio ciuitas bonam pecuniæ summam lignorumque struem de publico douauit. Itaque breui conducitur domus, & quantum initia ferunt, commodè adornatur, ac Borgia Sociorum numerum explet. Primus Segobiensis

Digitized by Google

94 Collegij Rector Ludouicus Santanderus fuit. Is præcipuè concionibus operat dabat, adeoq; salutariter placebat, vt ad vrbis diuersa templa certatim sine quiete vlla aduocaretur: eiusque præsides templi perbeatos se crederent, qui cæteros præueniissent, suoque de suggestu ad populum sæpiùs produxissent. Hęc celebritas concionum, ac reliqua Societatis munera dum sedulò obeuntur, fecere, vt breui Segobia alia sibi ciuitas videretur. Quippe qui rem diligentiùs obseruabant, nihil vsquam neglectum, verùm priuatim ac publicè in nouam exculta speciem videbant omnia. In sacris ædibus ad expianda peccata, diuinasque sumendas epulas haud solitam antè frequentiam: adiri nosocomia, ibique iacentibus consolationem verbis, opem re pioque ministerio afferri: ijsdem necessaria cognitu Christianorum exponi dogmatum, & præberi aurem peccata promentibus: adiri carcerem, atque eum quoque in quamdam templi faciem versum: moribūdis esse qui diurnis nocturnisque temporibus adessent: adolescentes ac pueros litterarum, & Christianæ fidei disciplina eruditi. Quæ duo vel maximè probabantur in vulgus; quòd apertè ijs rebus laborare antè ciuitatem sentiebant ac querebantur. Tres in classes litteraria institutio distributa, præsumque oratione, quam in templo haberi principe voluere; & quidquid nobilitatis doctrinæque Segobiæ fuit, studiosissimè celebrauit. Eam habuit ingenio & indole quàm ætate prouectior Iosephus Acosta: eoque maiorem admirationem concitauit, quòd ferebant hoc homine adolescente atque imberbi maturum magis nulla in Academia à se oratorem auditum. Ad rudimenta verò Christianæ doctrinæ tradenda vsitato Societati more, sed nouo Segobiæ spectaculo bini terniue diebus sacris prodibant Patres præcinente campanula: pioque ac facili carmine præeuntes puerorum agmen respondentium in sacras ædes, quas binas huic muneri Proepiscopus destinarat, ducebant, omnibus, quà agmen incederet, ad fenestras foresque domorum spectatum effusis. Plusquam tria puerorum millia conueniebant. Adultæ verò ætatis partim visendæ rei nouæ studio, partim discendi virorum æquè ac mulierum multitudo ingens, passim affirmantium se Christianos esse nunc demum hac maximè re didicisse.

95

96

97 *Palentini Collegij ortus.* Palentinum quoque Collegium, quanquam ab tenui exordio, feliciter inchoatum. Lectissima ibi femina erat Teresa Quignonia Comes Montis acuti, Sueruque & Eleonora Vegæ, illa soror, hi liberi Ioannis Vegæ, quem priore anno de Societate deque Christiana tota republica optimè meritum ex humanis abijsse memorauimus. His oprantibus, & pro Ioannis, & ipsorum met meritis iure quodam repetentibus denegari Sociorū aliquot nefas visum. Quinq; missi Petro Saauedra Rectore. Ad impensas primùm eorum, qui acciuerant Procerum, tum reliquorum ciuium priuatim ac publicè benignitas prompta fuit.

98 *Domus Albaizinia Granatæ.* Granatæ in ea regione, cui nomen Albaizin, noua in Maurorū auxiliū ipsisimet postulantibus ex ea gente Christianis bonis, est posita sedes. Pars ea vrbis est Septētrioni obuersa in monte sita, ab Mauris olim Biatia elapsis condita; in quam Reges Catholici Granata recepta Mauros omnes, quibus manendi mens fuit, compulerant. Ad octingēta domicilia numerabātur. Obiecere principio se pio conatui haud sanè pauci planè desperatum de hominum eo genere, ac sæpè aliàs tentata ac tractata incassum remedia memorantes. At Bustamantius Bæticæ Prouincialis, quòd infelix turba nimiùm premeretur, & contemptui esset, haud nihil causæ opinabatur, quam ob rem in tantum ab hominibus primò, tum etiam ritibus Christianis abhorreret. Idcirco sinceri liberalisq; in eos animi, ac veræ humanitatis & caritatis documenta edi oportere; vt, cùm homines amare cœpissent, ad religionem sensim afficerentur. Quòd si grandiorū natu obdurati annis, inueteratoq; odio & scelere corrupti animi medicinam respuerent, at pueros certè quidem allici posse. Eorum si puris ac teneris mentibus Christi amor cultusque pedetentim & leniter instilletur, haud nihil profectum iri. Nec primo statim mense, vel anno ab incepto desistendum: neque si oculis ipsis continuò non cernatur progressio, existimandum promoueri nihil. Patientia, constantia, mora longa opus esse, fore demū vt mutatio, quæ initio fallebat, postmodum appareat. Sic gignentia occultis adolescere incrementis: sic horarum indicem radium, aut sagittā facere progressionem, nec cerni: nec semina dum terræ latent in gremio, quòd non statim herbescentem fundant viriditatem, in perditis numerari. Hac sedulitate perspecta optimus Antistes Petrus Guerrerius (quoniam vbi animarū salus, & Christi honos agitur, nihil non experiundum est; cùm quantumuis euentus desit, saluus certusque sit experienti sui laboris fructus) domicilium conducendum, ædemque sacram (ea sancti Bartholomæi fuit) hunc in vsum destinandam curauit. Vix diuersoriolum humile & peranguſtum inueniri potuit: læto Bustamantio, quòd, & dæmoni ea cœpta terrori esse intelligeret & Christo Domino eam tenuitatē humilitatemq; gratam speraret fore. Principio missi eò sub ętatem mediam terni è Societate Patres Fratresq;. Frequētissimas hi continuò in tectis, sub dio, vbi vbi se daret occasio, habere concionculas, pietatē, & verum amorem erga eam gentem spirantes. Puerorum agmina per vias agere, preculas more Christiano & sanctæ initia fidei concinētium: amico omnes alloquio excipere, conuenire, qua re cunq; liceret, iuuare. Ad hæc ratio doctrinæ huiusmodi instituta. In ædem sacram quotidie pueri puellæque conueniebant. Sub ipsum limen, vt primùm quisque inferebat pedem, vernaculo carmine, *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum*, modulatè inclamabant. Progressi lustralem ad fontem sacrum sibi inspergebant rorem, & crucem figurabant: & interim, vt sibi aqua benedicta salus esset ac vita, in sanctissimæ Trinitatis nomine precabantur, idq; item haud sine cantu. Nihil enim ætati illi garrulę canoræque blandius cantilenis: & res cum cātu demissa fideliùs in memoria insidet, ipso custode cantu. Tum protinus in genua proiecti, Orationem Dominicam, & salutationem Angelicam pronunciabāt. Dein segregati diuersa in spatia pueri ac puellæ memoriter certam rudimentorum sanctæ

99 *Mauritæ neophytis quomodo iuuandi.*

100 *Sedulitas Patrum in iuuandis Granatæ Mauritis.*

Digitized by Google

ctæ fidei partem reddebant, & aliquamdiu interrogatiunculis exercebantur. Postremò virginibus, ijsque puerorum, quos domesticæ difficultates & artificia auocabant, dimissis, reliqui fiebant fermè ducenti, qui noscitare & figurare litteras docebantur: & antequam dimitterentur, Sacro, quod eam ob causam fiebat, intererant. Ternæ horæ ante & post meridiem hac
101 in doctrina ponebantur. Placuit Archiepiscopo huic spectaculo aliquando interesse; ac summè eo delectatus ad cęteram benignitatem aliquantum pecuniæ, vnde pueris charta, calami, atramentum, abecedariæ tabellæ emerętur, donauit. Nec quidquam fuit quod æquè puerorum conciliaret parentes, atque hic gratuitus ac liberalis eorum filios instituendi labor, præsertim admirantes Patrum quosdam eo munere occupatos, quos paulò antè in sæculo honoribus norant opibusq; pollentes, vixque ipsi ausi essent affari. Iam passim sanctum Christi nomen in cantiunculis audiebatur. Precationibus omnibus, Laus Iesu Christo, eiusq; Matri Mariæ Virgini adiungebant. Salutandi quoque formula vulgaris erat, Laus Iesu Christo. Pendebant pueris ab latere precatoria rosaria, ipsique in scholis discebant, ac suos domi docebant ex iis facere preces. Petebant cruces, quas illis appenderent, ac piè venerabantur. Multo quietius solito, quamuis inquieti natura, agitabant. Denique cùm oculis auribusque sacra Christiana assiduè obuersarentur, fore, vt eadem teneris quoque animis per Christi gratiam adhærescerent, spes magna erat: nec progressum absimilem fausta initia promittebant. Addidit his postea ingeniosa caritas matronas duas religione & auctoritate claras, quæ
102 domicilio in eadem regione posito virginibus Mauricis per puellarium doctrinam operum, quam gratuitam exercebant, Christianam infunderent sanctimoniam. Consiliis eæ Patrum regebantur. Et vulgò acceptus fuit labor: nec paucæ ad cœnobium virgines ex earum disciplina transgressæ: aliæ cum veteribus Christianis nuptæ: aliæ inter suos ad vltimum piè vixerunt. Super hæc in tractum egressi Patres asperum saltibus, & torrentibus impeditum, cui Alpuxarræ nomen, vbi pagi quidam Mauricorum erant, tum adultorum multos rectè instituêre, tum etiam pueros inde quosdam parentum voluntate in Albaizinum deduxere; iuuenisque probi, qui Societatem auebat, custodiæ tradiderunt. Quibus laboribus quanquam euentus auarè respondit, tamen multarum factum est lucrum animarum, vsque dum hatio perfida rebellauit. Puerorũ interim disciplina egregiè semper
103 *Institutionẽ puerilem quanti faceret Bustamantius.* processit, triumphante omnium maximè Bustamantio: qui quantũ in puerili institutione reponeret, ad Lainium scribens palàm fecit his verbis: Superioribus, inquit, diebus P. Franciscus exemplum eius epistolæ ad nos misit, per quam
" iussu Paternitatis vestræ Magister Polancus præ
" cæteris monitis iubet significare, si qui sint, quos
" ad pueros infimarum classium instituendos præ-
" cipua voluntatis propensio ferat: quòd id mu-
" nus magni ad animorum vtilitatem momenti sit,
" & gloriam Domini nostri. Laus illi æterna sit,
" qui tam pium Paternitati vestræ animum largitus
est in eam procurationem: quæ, nisi ego fallor, "
omniũ, quæ in Societate nostra sunt, maxima est. "
Equidem nequaquam in me eas pietatis ac prudętiæ partes agnosco, quę necessariè tam excelso "
sunt operi; tamen Paternitati vestræ sic, tanquam "
ante Christi tribunal stanti, significo testorq; rem "
nullã omniũ esse, adquam maiore studio animus "
meus, quàm ad puerorum institutionem feratur. "
Quòd si vestra Paternitas Hispali, siue Granatæ, "
vbi, si res ordine geratur, paruulorum plures, cre- "
do, duobus millibus conuenirent, ita me scholæ "
præficeret, vt quantum meæ vires ferrent, legere "
ac scribere docerem, ac de cætero præcipua mea "
esset cura in regendis puerulis, bonisque moribus imbuendis; sperarem fore, vt diuina maiestas "
& mihi, & illis in huiusmodi ministerio plurimum præstò esset. Neque idcirco ego intermitterem, si quando iuberer, audire confessiones, "
& concionari: tametsi non foret exiguum pro "
mea tenuitate, si audiendis modò exhortandisq; "
paruulis illis tenerer. Deus testis est me vehemẽter id postulare, quòd planè iudico plures fore "
idoneos ad Prouincialis munus, quàm regendorum in his, quas dixi, vrbibus puerorum, vbi tanta confluet multitudo. Præterquam quòd hæc "
occupatio cùm sellularia & quieta sit, illa Prouincialis tam vaga perennisque cursus, multò est "
aptior ætati meæ nonum iam & quinquagesimũ "
annum ingressæ. Est etiam causa cur id cupiam, vt "
simul ijs, qui olim mihi adeò præter merita aliquid in sæculo tribuerunt, exempli aliquid præbeatur; simul ab errore vindicentur, si qui fortè "
in Societate negotium tam nobile nequaquam "
eo, quo debet, numero habent. Per Christi Iesu "
amorem quæso Paternitatẽ vestram precorque, "
iubeat hac super re preces ad Deum fieri; mihique responsum det paucis. Lainius collaudata "
hominis alacritate atque modestia contentum
esse iussit de cætero muneribus ijs, quæ obedientia designaret.

Ita res in Hispania minimè pœnitendis incre- 104
mentis tranquillè admodum procedebant, cùm *Borgia libellus ab sacris Quæsitoribus interdicitur.*
res noua, contraque omnem expectationem solicitudinem ac metum non leuem ingessit. Editur ab concilio sanctæ Inquisitionis librorum damnatorum index, in quo præ cæteris hoc erat carmen, Liber, cui nomen opera Christiani à Francisco Borgia Gandiæ Duce cõscriptus. Scripserat Franciscus Hispanicè quædam opuscula iam tum olim Dux ante initam Societatem ad suum potiùs, quàm alienum vsum: sed cùm fortè ad bibliopolarum veniissent manus, rati, quod euenit, nomine Ducis Gandiæ, ac miraculo nec opinatę rei, quòd ab tali viro eius generis scripta prodirent, emptorem facilè inuentura, haud semel nouis editionibus euulgarunt. Verùm plurima licet exempla distraherentur, libelli tamẽ exiguitas faciebat, vt quæstus haud ita magnus extaret. Itaque inuentus est, qui compendij maioris viam ingrediens, adiectis ad libellũ Borgię vndecim auctorũ opusculis, vnumque in corpus redactis, id iam grãde satis volumen, quo vendibilius faceret, vnius Gandiæ Ducis titulo insigniret. Et erat sanè in adiunctis operibus, quod ijs præsertim dubijs turbulentisque temporibus censura meritò notaretur. Erat Segobiæ Borgia iter Montellam

Digitized by Google

105 tellam intendens rogatu Ducis Ferię, eius parentē Marchionē Plegi vehemēter ægram, quòd is Anglicanæ feminæ, quāquā primariæ, vt postea cognitum est, ac pudicę se nuptijs illigarat, cō solaturus; cùm index ille adfertur. Atq; vt erat egregius sui contemptor, siąue par vtrobique Dei gloria ageretur, infamiæ, quàm humanæ laudis appetentior; miratus potiùs est, gnarus tale opus abse non profectū, quàm quidquam est perturbatus. Illud molestè ferebat, de praua nostrorū hominum doctrina superiore anno exortos, necdum satis abolitos eo quasi testimonio adfirmari sermones; detrahiąue sibi Societatiąue auctoritatem, quæ diuinæ gloriæ administris apud populum ad animas curandas est necessaria. Tamen re diuino consilio permissa, assumptoąue sibi ad eam præcipuè patrono Diuo Paulo, qui tutelaris in solenni menstrua sortitione obtigerat, tum Araozio commendata, & litteris ad Lainium datis, quibus quid consilij suscipiendum esset, rogabat, Montellam primùm, inde accersitu Henrici Cardinalis in Lusitaniam pergit. Non potuit

106 *Quo animo ferendi casus humani.* ille nuncius curam non mouere Romanis Patribus. Sed viris ab æternæ mentis numine pendere solitis præsens consolatio deesse non potuit. Itaque Lainius Borgiæ hunc in modum rescripsit. Quanquam ea res dolorem sibi nonnullum crearit, siue quòd Francisci turbaretur quies, siue quòd remorari publicum bonum posset; tamen adfuisse Deum sua clementia, vt pacato & æquo animo ferret, confidens eamdem Dei bonitatem tantum fortitudinis atque suauitatis ipsius animo Borgiæ tribuisse, non modò vt scripta sua interdici volens libenśque pateretur, siquid ab ijs incommodi pro temporum conditione animis timeretur; sed etiam pro Dei gloria, & earumdem animarum vtilitate paratus esset vitam proijcere.

„ Itaque, inquit, postquam id ex Deo precatus
„ sum, ex te etiam contendo, vt casum hunc omni
„ cum pace atque tranquillitate cùm interiore,
„ tum exteriore suscipias, debitaque cum verecun-
„ dia aduersus sancti officij Præsides, his maximè
„ temporibus, cùm Satan tot grassatur vijs ad su-
„ perseminanda Catholicæ religioni zizania. Atq;
„ hac re, tum imploranda suppliciter Dei ope, nos-
„ que totos ac penitus eius prouidentiæ submit-
„ tendo, nec non alijs ei placitis vtendo præsidijs,
„ de quibus ex Araozio cognosces; confido boni-
„ tatem atque sapientiam æternam tanto suæ glo-
„ riæ fructum, nostrarumq; animarum profectum
„ ampliorem inde elicituram, quanto prima specie
„ imbecillitati humanæ mentis occasio videri pos-
107 „ set damni maioris. Ad Araozium verò scripsit:
Ante omnia ab intentandis litibus abstinendum (quod ipse quoque per se Borgia statim ab initio apud animum suum statuerat) & omnem erga sanctum officium intrinsecus atque extrinsecus conseruandam venerationem, & caritatem. Deinde benevolè submisseque, & absque omni iudiciali forma curandum, vt, quoniam constabat, & bibliopola confitebatur, opuscula illa nequaquam Borgię esse, proscriptionis carmen ita conciperetur, vt non à Duce conscripta, sed titulo Ducis inscripta diceret. Postremò, quod ipse scripserat P. Franciscus, cùm scripsisset non modò talium Tiro ante initam Societatem, sed etiam cùm ijs in prouincijs suspicio hæresum nulla esset, siquid fortè iam tempus poscceret accuratiùs declarari, ipsummet declarare posse. Nam id esse quod sanctus quoque Augustinus contra Iulianum de S. Ioanne Chrysostomo disputat, cùm ait, Non aliter putabat intelligi: & hæreticis nondum litigantibus securiùs in Ecclesia loquebatur. Atque ita curandum, vt, si quæ notata essent, eorum copia fieret; atque ex ijs recognitos Pater libellos vel vernacula lingua; vel, si mallent, Latina publicaret. Longè autem plurimum ad rerum existimationem in Censorum iudicijs præiudicijsque, & studijs inesse. Hactenus res hoc anno progressa quantum Borgiæ ad ornamenta patientiæ, & nouum etiam quemdam rerum cursum profecerit, posteriores annales reddent. Cap. 6.

108 *Academia Eborensis instituitur, & Societati traditur.* In Lusitania Eborensis Academia Romani Pōtificis auctoritate ab Henrico Cardinali, eodemque vrbis eius Archiepiscopo instituta est, & Societati cōmissa. Addiderat animum successus optimo Antistiti, vt Collegio, quod olim ab tenuibus orsus erat initijs, noua incrementa ac decora assiduè venaretur. Tres Theologiæ Magistri, duo quæstionum conscientiæ, quatuor Philosophiæ decreti: præterea septē ad Humanitatis & Grammaticę disciplinam, ac postremò vnus, qui prima legendi scribendiq; rudimenta traderet. Octingenti fermè extra pueros abecedarios, auditores affluxere. Sanctis omnibus die sacro inita est magna celebritate possessio, quam venustè acta per externos adolescētes tragœdia cumulauit. Chori præcipuè eius tragœdiæ, & rei nouitate, & modorum genere placuerunt. Itaque diu sacris quoque in ædibus celeberrimo quoque die eos modos ac numeros vsurparunt. Academici festum tubarum fistularumque cantum, quem circumtulere per vrbem, & militaria vltrò spectacula addidere, tum suam vt lætitiam promerent, tum Cardinali vt officiosè gratularentur. Die sancti Nicolai primū magisterij ritè collatus honor septem ac viginti adolescētibus Philosophica spatia decorè nuper in eodem Collegio ante Academiam excitatam emensis.

Æthiopiam hoc anno bella turbarunt. Brasiliæ Indiæque res, vti superiore anno cœperant, secundo prouectæ cursu: vtrôque sacrorum Antistites è Lusitania missi. Et in Brasiliā nouo cum

109 *Brasilia secundus Episcopus.* Episcopo Petro Leitone, quem secundum Pastorem noua illa Ecclesia habuit, supplemētum Socijs duo sacerdotes, laici quinque aduecti. Hi & litteras attulere, quibus Lainium creatum Generalem significabatur, & pastoralem eam epistolam, quam ipsemet scripserat: quam veluti à sancto Spiritu sibi destinatam non incredibili modò cum voluptate perlegere, sed etiam singillatim eius capita per otium in solenni meditatione pertractarunt. In Prouincialis munere Emmanuēli

110 *& secundus Societatis Prouincialis.* Nobregę, cuius valdè afflicta erat valetudo, subrogatus est Ludouicus Grana; quo in vrbe S. Saluatoris plurimùm agente, vbi Prętoris & Episcopi erat sedes, ad S. Vincentij Præfecturā, eius loco Socijs regendis Nobrega ire iussus est. Circa vrbem S. Saluatoris aliquot ex indigenis conflati pagi, numero Christianorum valdè augebantur, Prætore vel metu continente, ne more suo diffluerent. Proximo vrbi pago à sancto Paulo, duo-

Digitized by Google

duobus alijs à sancto Spiritu, & sancto Ioanne facta nomina. In his ad excolendos pueros ampliùs ducenos bini fermè de Societate morabantur. Ad eosdem festis diebus sacrificatum sacerdotes adibant. In pago sancti Pauli maximè diuinus feruebat cultus hominis præcipuè è gentis primoribus, qui ab secunda origine Garzias Sà vocatus est, insigni ardore. Circumibat strenuus & flagrantissimus Christi gloriæ neophytus ostiatim pagum, singulosque conueniens acerrimè ad sacra Christiana adhortabatur. Nouus Episcopus nonnulla in re cœpit initio à Patribus dissentire. Rectæ Præsul mentis nouo terrarum in orbe quædam scilicet reperit haud quaquam ei formæ respondentia, quam ipsi sibi olim in alio orbe terrarum cogitatione finxerat ad eas regendas gentes. Sed vbi quid locorum ac gentis ferret ingenium experimento didicit, concordibus studijs omne officij genus in Patres depromens, in correctionem veterum Christianorum, culturam recentium, Ethnicorum adiunctionem incubuit.

111 *Damanensis Collegij origo.*

In India sub huius anni initium sedem Damani Societas posuit. Est Damanum in boreali supra Goam plaga, Bazainum inter ac Dium; ad quod oppugnandum Constantinus Prorex iturus, Consaluum tum Prouincialem, & quosdam è Dominicana Franciscanaque familia secum ire voluit. Consaluus P. Albertum Arausium, & aliquot Seminarij Goani pueros, qui inter Sacra concinerent, secum duxit. Cum eo Prorex, quod postea semper fecit, antequam conscenderet, confessione animum expiauit. Atque in ea expeditione opportunitatem habuit sua de dilatando Euangelio ardentissima studia per otium ei penitus explicandi. Vbi primùm in Damani conspectum venere, leuata confessione conscientia pugnatores sua distributos in agminà exposuit. Præsidiarij, qui erant mixti Abassinis Mauri, non expectauere congressum. Iis fuga dilapsis oppidani portis vltrò patefactis pacatè Proregem admittũt. Hunc Deo felicem Consaluus exitum, vt parerat, acceptum referens, continuò cum exercitu ingressus rectà ad Mahometicum fanum pergit, ibique omnium primus diabolum adortus, victricia crucis signa multis constituit locis. Atque vsus potestate ijs regionibus à Romanis Pontificibus Societati permissa æde expiata, vt esset templum Dei viui, quæ fuerat dæmonum receptaculum, in ea ingenti animi sui totiusque exercitus voluptate diuinam victimam eodem die immolauit; quod ei soli facere licuit. Quippe sacerdotes alij cùm iuxtà ac milites, vt ijs in certamine, quod rebãtur futurum, præstò esse possent, curassent corpora; vnus ipse id, quod euenit, sperans futurum, quasique præsagiens consultò ad cælestes epulas, gratesque Deo agendas, & protinus consecrandum cælesti victima oppidum ieiunium, conseruarat. Postero die, qui in Februarias Kalendas incidit, celebertima supplicatio ab toto exercitu habita est festo tormentorum strepitu, & puerorum], quos Consaluus duxerat, cantu cælo vndique personante. Die insequenti Purificationi Deiparæ sacro Consaluus magna cum omnium approbatione verba fecit. Prorex impigrè curam eò intendit, vt indigenarum aliqui tanquam ad totius populi primitias quàm primùm Deo reddendas, Christi religione imbuerentur: & voti compos est factus. Tum præsidio relicto, cui Iacobum Noroniam præfecit, Goam rediturus ab Consaluo instituit, vt, ad præsidiariorum solatium & culturam, & ad oppidanos initiandos aliquem eo loco Sociorum relinqueret. Deberi maximè eam Societati prouinciam affirmans, quando ipsemet Consaluus, cùm primum ibi sacrificium fecit, vacuæ possessionem sedis quodammodo occupasset. Ita Pater Albertus Arausius manere interim iussus. Aegrè ferebat Consaluus Apostolo Thomæ Indiæ patrono nullum post apertas Lusitanis eas oras, conditum Goæ templũ. Itaque Constantinus Goam reuersus, auctore eo, ad gratias Deo agendas, honorandumque sanctum eius Apostolum, templum Goæ magnificum cœpit extruere: & Consaluus Marcum Prancudum, qui anno antè aduectus in Indiam Collegij Goani ad eam diem minister fuerat, vnaque Fernandum Aluarium ab Goa Damanum misit. Verùm Arausius mala vtens valetudine, quòd neque Bazaini, neque Damani conualesceret, vocatus Goam, cùm Idibus Nouembris ad Collegium peruenisset, sexto pòst die Christianis rite munitus sacris ad cælestes emeritorum domos translatus est. 113

112 *Consalui Siluerie res Damani gestæ.*

Meliaporæ in colonia Lusitanorum ad sancti Thomæ sepulcrum Alfonsus Cyprianus, vbi diu vitam egerat, sicuti egerat, sanctè finiuit. Hispanus natione grandis natu ad Societatem Romæ, quantum satis certa argumenta fidem faciunt, accessit. Nam in Romana quidem vixisse domo, & Balneoregij operã præclarè posuisse anno primo & quadragesimo, & eodem anno in Lusitaniam missum nulla dubitatio est. Igitur quamuis ætas deuexa annorum fermè duodesexaginta postulare quietem videretur, amandatus in extremum Orientem immensas illas longissimæ nauigationis, & laboriosissimæ expeditionis molestias, obedientiæ & caritatis studio, quasi iuuentæ vigore adiuit ac superauit. Vbi venit in Indiam senescente cuntis sęculi anno quadragesimo sexto aliquamdiu Goæ, tum propè annum in ora Piscaria egit sub beato Martyre Criminali; de cuius martyrio, perspectisque ab se virtutibus præclaram epistolam ad Beatum Ignatium scripsit. Inter cætera, eximiæ eius paupertati concessum Dei munere, argumentatur, vt ita Barbari spoliarent, abiectumque humi prorsus nudum cadauer relinquerent. Fuisse enim verè pauperem voluntate acre, in victu, vestitu, cubitu, rebus denique vniuersis: & addit, magno opus fore volumine, si quas in eo virtutes datum fuerat sibi videre, singillatim exequi vellet. Deinde Meliaporam in S. Thomæ coloniam, quam Ciromandelem indigenæ vocant, missus per annos ferè vndecim primus eo loco de Societate post Xauerium strenuam operam excolendis veteribus Christianis, simulq; conseruandis & adiungendis nouis impendit; vt omnibus tanta in homine sene contentio admirationi esset, & sanctũ Patrem plerique vulgò nominitarent. Reconciliandis inter se dissidentibus & auctoritate pollebat & cura. Arcani fori negotia penè omnia in 114 *Alfonsi Cypriani mors & sanctitas.*

115 *Cypriani testimonium de virtute B. Martyris Criminalis.*

Digitized by Google

eum vnum incubuere. Infirmioris ætatis sedulò rudes mentes Christianis dogmatis & virtutibus imbuebat. Frequens agebat ad populum pro suggestu, vitiorum insectator vehemens & peracer. Nec sanè erat molli brachio agendas res. In eum Indię angulum perditissimi quique, & commissorum supplicia fugitantes abdebant sese. Tum, vbi copia rerum ac voluptatum ex amœnitate & vbertate loci ad impunitatem accesserat (magistratuum enim vires noxiorum opibus opprimebantur) mirum quàm celeriter, quamque fœdè mortalium inclinatos mores omnino præcipitarent. Itaque sicubi homines essent, qui verbo confiterentur se nosse Deum, factis autem negarent; sicubi deterrima illa sors perditorum dominaretur, qui lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis, in ea maximè colonia Cyprianus existimabat vigere: eoque actioribus stimulis, concussuque ac punctu grauiore opus esse, vt consopitæ scelerum veterno mentes excitarentur. Et fidelem Dei legatum præter ipsorum iacturam Europæorum, quos dolebat in ijs oris damnum facere animarum, ad quas Indorũ colligendis Deo animis tendebatur, cõficiebat iustissimus dolor, quòd pessimis eorum factis abalienata gens non homines modò Christianos, sed & Christi sacrosancta dogmata exhorreret. Itaque intonare non desinebat eis verba exprobrantis per Ieremiam & Ezechielem Dei, *Commaculastis nomen meum, & polluistis in Gentibus.* Christianos aiebat in Europa premi à concionatoribus, vrgerique sacrarum Litterarum testimonijs; at apud alienos à fide, qui necdum oracula diuina suscipiunt, testimonia operum necessaria: horum autem immensam esse malorum copiam, nullam bonorum. Adeò vt insultantes Ethnici eam peruersitatem non immeritò conuicio exprobrarent, cùm dicerent, Isti externi quid tantum hærent in terra non sua? cùm vsque eò sonent cęlum sibi paratum esse, atque eò se cùm occumbunt migrare, quid ita affixi terræ sunt, tantiq; res terræ faciunt? Nimirum id iam fiebat, quod sanctus Chrysostomus hac oratione deplorat, Multi illorum (de Ethnicis loquitur) cùm viderint nostrorum aliquos verbo quidem & vocabulo Christianos appellari; cęterùm sicut ipsos rapere, pecuniæ cupidos esse, inuidere, insidiari, dolos plectere, aliaque omnia facere, crapulæ voluptatique vacare; non iam nos audiunt, neque si rationabiles sint admonitiones nostræ: sed existimant omnia nostra deceptiones, & ijsdẽ criminibus omnes obnoxios. Cogita, obsecro, quantis illi digni sint supplicijs: quandoquidem non solùm sibi ipsis inextinguibilem ignem coaceruant, sed & alijs auctores sunt, vt in errore perseuerent, & ne virtutem addiscant, obturent aures. Et adhæc in causa sunt, vt etiã virtutũ studiosi accusentur & reprehendantur, & (quod omnibus grauius) per ipsos Dominus blasphemetur. Hæc igitur adeò indigna ac pernicioſa Christianorum veterum corruptela ita vrebat Apostolicum Cyprianipectus, vt finem nullum faceret scelera incessendi: magnum insuper ob ea publicumque aliquod à Deo supplicium pertimescens. Et fuit cùm oraculum inter concionem fudit. Peregrinæ nauis gubernator per summam iniuriam neophyto coniugem raptam, nec improbante nauarcho in nauim impositam, cùm frustra conatus Pater esset nefarium cœptum prohibere, auexit. Vt publica fuit, adeoque grauis iniuria, ita plerosque grauiter perculit. Ergo progressus in concionem Cyprianus, Age, inquit, eant, auehant vxorem alienam: assequetur profugos ira cælestis: naufragium infame petibit: qui luscus est, cæcus fiet; qui balbus, omnino mutus. atque ita prorsus euenit. Tempestas adorta euntes, cùm diu in salo iactasset, demum fracta naui, rebusque omnibus amissis in litus eiecit. Tum nauarchus haudquaquam falsò interpretans naufragium ab Deo vindice in pœnam raptę mulieris immissum, rabie percitus in raptorem inuehitur; & oculo, qui vnicus ei restabat, effosso cæcum ex lusco fecit: idemq; siue insana diutinaque inter tempestatem vociferatione, siue aliter Deo vlciscenti placuit, ex balbutiente factus est mutus: vt reseruata vtrique vita ad id tantùm videretur, quò diuinæ secum documenta iræ ostẽtui circumferrent: inque altero lumen extinctum videre ac vigilare Numen; in altero præmortua lingua vatem Cyprianum fuisse testimonio esset. Atque is quidem etiam migrationis suæ diem, quæ in Kalendas Sextiles incidit, vt, cùm vincula Apostolorum Principis veneramur, nexu ipse corporis solueretur, apertè socio Ioanni Lopio, virtutum & ipsi magnarum viro prædixit. Tum verò vbi mortem oppetijt, quid ei virtutis, quid auctoritatis apud populum esset, planius factum est. Melchior Nunnius Patriarchæ Nunnij frater hoc instar elogij de eo scribit: P. Cyprianus homo integerrimus, & diuini perstudioſus obsequij è vita decessit. Mediocritatem interdum zelo abreptus egrediebatur. Verùm tam multa erant cæterarum virtutum facta, vt non Lusitani modò eum Christianique indigenæ, verùm etiam Mahometani & Ethnici deplorarint. Denique senserunt omnes in eo se commune perfugium & propugnaculum amisisse. Exequias Franciscani Fratres peregere, quorum vnus de Patris virtutibus concione instituta, quàm iusta esset populo tali parente orbato plorandi causa disputauit. Exteriùs iuxta sacram ædem, & reliquias beatissimi Apostoli Thomæ, vti viuens optauerat, sepulcro est conditus. Fuit ex primis illis, (vti paulò antè diximus) probatis pretioſisque lapidibus Romanæ domus; cuius qualem in vltimo illo terrarum recessu conseruaret memoriam, eius ad Ignatium litterarum clausula argumento erit. Isto, inquit, Pater, diuite ac præpotenti animo rogo, vt interdum memineris mei vel obiter: quanquam nihil dubito, quin cõmune illud, quod ex te in Societatem auxilium redundat, sustentet me. sic habeo persuasum; Deoque ob eam rem, ac tibi gratias ago, Pater. Tuus velim esse, quamuis indignus sim, Pater. Placeat tibi vt pro tuo habeas me: quæsoque vt cùm has litteras audies, sacro isto animo annuas. Cunctos iuxtà notos ignotosque salutari à me iubeas precor, præsertim pluſquam glorioſos principes stirpis Lainium, Salmeronem, Iaium, Bobadillam, quocumque loco agant: de meque sic habeant, agnoscere me indignum, qui seruus eorum sim, nedum frater. Impetrent ipsi precibus suis à Deo, vt

116 *Cypriani zelus acerrimus.*

Prou. 2.

Ierem. 34. Ezech. 36.

S. Chryſ.

117 *Cypriani vaticinatio.*

118 *Melchioris Nunnii de Cypriano testimonium.*

119 *Cypriani de Romana domo iudicium.*

Digitized by Google

„ vt per eius opem frater sim. Aueo aliquid nosse
„ de bono vetulo Stephano Eguia, deque Iacobo
„ sancto germano eius. Hæret item menti, hære-
„ bitq; dum viuam, magnus ac sanctus Petrus Co-
„ dacius vtilis ac fructuosa petra, quam Deus ad
„ fundamenta Paternitati tuæ parauit. Denique
„ omnium recordor; rogoque vt omnibus vel se-
„ mel pro me preces imponas, vt in seruitio Dei
„ consummer. Illud postremò tibi fatebor, Pater,
„ magna me quadam inuidia teneri rerum quæ in
„ Iaponia atque Æthiopia geruntur. Felices, qui in
„ has oras veniunt, resque gerunt: contraque mise-
„ ros istos in Academijs istis opulẽtos, desides, auа-
„ ros. O Pater, vt ego ignauus sum! Hæc scripsit
Alfonsus biennio ante suum excessum, adeò se-
gregatus in opus Euangelij, vt ne cognosset qui-
dem iam pridem pleroſque eorum, quos nomi-
nabat, ad Beatorum præmia euocatos; seque de-
fidiæ incusaret, cuius sedulitas pro miraculo erat.

Consaluus Prouincialis vt nouam sedem cæle-
stium quoque patrocinio, sacrisque pignoribus
communiret, alteram è reliquiarijs thecis, quas
habebat reliquas, Damanum misit, Cocinum
maiore altera, & sacris reliquijs ornatiore missa;
quas vtrobique populus gratulatione, pompaq;
magna suscepit. Et Cocini per hanc occasionem
120 primùm palàm est factum (quod iam percelebre
B. Xauerij reliquiaria theca qualis. est) Franciscũ Xauerium B. Ignatij nomen gestare
in theca reliquiaria solitum. Cocinensi domici-
lio præerat Melchior Nunnius. Is iam olim cog-
nito in Sinarum portu hominẽ esse, qui præsens
B. Xauerij excessui interfuisset; &, quam sanctissi-
mus ille vir dum viueret, suspẽsam gestabat è col-
lo, reliquiariam thecam haberet; quo tempore in
Iaponiam proficiscẽs apud Sinas hiemauit, sedu-
lò egit, vt in eius hominis cõgressum veniret; tan-
demq; nactus precari obtestarique non destitit,
quoad sacrum ex eo thesaurum expressit. Hunc
Melchior Cocini tum religiosè habebat, nec a-
121 peruerat vnquam. Receptaculũ æneum erat rudi
opere, nulla re nisi conditis pignoribus, & Xaue-
rij memoria æstimandum. Hoc igitur anno vbi
Patres missarum à Consaluo reliquiarum titulos,
vti fit, alacri studio legunt, & multa inueniunt
perinsignia nomina, cupido incessit cognoscendi
quænam in Xauerij arcula conderentur; quibus-
nam prẽmunitus armis fortis ille extremi Oriẽtis
Apostolus barbaras pererraret oras, & intercluſos ex omni memoria Sinas aperire Dei legi ten-
122 taret. Cupiditas visa est à pietate nihil abhorrens.
ergo post fusas in commune ad Deum Beatosq;
preces, arcula in conspectu omnium, magna cum
veneratione recluditur: atque hæc dumtaxat tria
reperiuntur, primum perexiguum quiddam è
reliquijs sancti Apostoli Thomæ: dein nomen
Ignatij, quod apparebat è subscripta ab ipso rese-
ctum epistola: postremò solennium votorum
professionisq; ipsius Xauerij formula manu eius-
dem scripta. Magnam hęc res admirationem om-
nibus, qui tum interfuere, quique mox Goæ alibique audiuere, peperit: alijs Xauerij inde mo-
destiam, in rebus quoque sacris simplicitatem a-
mantis: alijs, quanti deuotam Deo fidem faceret:
aliis demum, B. Ignatio quantum tribueret, æsti-
mantibus. Nec solùm hac re optimo parẽti Igna-
tio optimus filius auctoritatem Franciscus auxit,
sed etiã viam exemplo fecit, vt id genus reliquia-
rum Ignatij postea eius filij, alijque cupidè vene-
rarentur; perque eas Deus tam multa, quàm certò
constat, admiranda efficeret. Tanquam cælestis
Rex (vt multi piè sciteque interpretantur) quo-
niam Ignatius in Iesu prædicando celebrando-
que nomine totus fuit, ipse vicissim proprio quo-
dam beneficio ac merito Ignatij nomen celebre
ac mirificum velit esse. Quanquam haud pror-
sus est noua hæc indulgentia Numinis ad caros
sibi homines cohonestãdos. Fortunatus quidem
in S. Germani vita narrat illustrem virum Leude-
gisilum, vbi quem è sua familia vel æstus febris,
vel horror occupasset, lauare solitum subscriptas
à sancto Germano litteras, & aqua illa potum
data fugare languorem. Et Monachum qui per
biennium ferè febribus decubuerat, cùm epistо-
lam eiusdem S. Germani ori admotam lingua piè
tetigisset, de sancti viri subscriptione sibi salutem
linxisse. Adeò semina & nostræ salutis, & gloriæ
Sanctorum vsquequaque dispersa sunt, ac æqui o-
pera propagantur.

123 *Per nomen Ignatij ab ipso litteris subscriptũ multa fiunt miracula.*

c. 50. & 59.

Goæ viciniſque circà in insulis præclara hoc
124 anno accessio ad Christi Ecclesiam facta est, se-
Ethnicorũ insignis conuersio Goa. cundùm Deum Constantini maximè Proregis
auctoritate ac studio erga rem Christianam. In
Goano S. Pauli templo ter mille, & ducenti tri-
ginta tres baptizati, præterque hos in priuatis
tectis valetudine non permissi exire, circiter cen-
tum. Eximij fuere quatuor artificum Sodalitati-
bus suo quisque in genere præfecti. Habent enim
Goæ, qui eamdem profitentur artem, è corpore
suo principem, siue præfectum, quem Mocada-
num appellant. Pictorum igitur, aurificum, sar-
torum ac remigum Mocadani dederunt Christo
nomina. Postremus potens erat, & Mahometa-
nus, acerque Euangelij oppugnator, quem Do-
minus ad sua traductum castra conuerso ad fidei
amplificationem impetu, in virum Apostolo
Paulo similem immutauit. Vberiore tamẽ lætitia
Mocadani pictorum religio celebrata est. Nam
& hominis alioqui non mali speciem semper
præbuerat; & pingendi arte excellens Indica
Christianorum templa operibus suis opplerat.
Quam ob rem hominem miserabantur; cupie-
bantque Proreges, nostrique Patres, qui tam pul-
chrè sacras coloribus & penicillo effigies exprи-
mebat; earum sanctitatis participem fieri. Sed
hoc anno tandem per Patrem Ioannem Brauum
veterem eius amicum Deus morbo, & quibus-
dam insomnijs præparatum planè conuertit. Vnà
cum vxore ac filijs apparatu post filiam Mealis
maximo baptizatus, & de Proregis, qui genitali è
fonte suscepit, vocatus est nomine Constanti-
nus. Nullo apparatu, sed maiorem in spem reli-
gionis additus Ecclesiæ est iuuenis Brachmanes,
paulò antè propter acumẽ ingeni & superstitio-
nis auitæ curiositatem omnium spes deliciæque
Brachmanum. Melchior Carnerius, alijque Pa-
tres hunc frustra sæpè tentarant: parentibusque
vnà cum cæteris liberis ad Christum traductis
spem ipse quoque cùm fecisset, postremò victus
tædio aufugerat in continentem. Sed clementia
inuicta Dei, quam nulla excludunt loca, per sese
acriter conscientiæ fodiens stimulis Goam ad
Collegium S. Pauli planè domitum reuocauit.

125

Digitized by Google

Hic ad pietatis maiorem gustum priuata cerimonia adamauit in sacello Nouitiorum tingi: Emmanuel nomen accepit: perque dies aliquot interiùs Christianos ritus à Francisco Rodericio edoctus, recepti à se diuini luminis ad Brachmanes deriuare partē confestim aggressus est. Agebat in continenti Brachmanes alius opinione 126 doctrinæ inter Ethnicos clarus in primis: qui octo ipsos annos in magno opere Brachmanicarum nugarum è varijs veterum scriptis, & maximè Veaci (quem tanquam Prophetam præcipuum colūt, & ab quo de sua secta duodeuiginti volumina scripta referunt) componendo desudauerat. Hoc Emmanuel cùm nosset, intelligeretque si ad Christianorum manus eæ fabulæ venirent, multò facilius diaboli artes coargui posse, de Proregis sententia clanculùm in continentem transgressus non sentienti Brachmani totum illud errorum instrumentum surripuit, & ad Collegium Societatis detulit Goam; cumque optimè Lusitanicam teneret linguam, præcipua quæque transferre in eam instituit. Hac occasione Vicarius Dominicanorum vir doctus, Euangelijque promulgandi percupidus, & Societatis idem perbeneuolus, vnaq; Goani Collegij Patres Proregē rogarūt, vt singulis diebus Dominicis Brach- 127 manes iuberet in nostras aliorumq; Religiosorū sacras ædes pro diuisione parœciarū ad disputādum suis de ritibus conuenire. Id Prorex (quāquam multi disturbare conarentur) infinito cum Brachmanum dolore sanxit. Initium disputandi Prouincialis Consaluus fecit, dein persecutus est Franciscus Rodericius. Trecenti circiter Brachmanes interesse soliti: quibus quondam Emmanuel, quem modò dixi, cùm prolatis Veaci libris quiddam quod negabant, ostendisset, similiter ac Diuus Paulus Hebræis olim, quanto ipse quoq; nuper studio Brachmanica deliramenta sectatus esset, vtque ad veritatem Christianam, quòd nusquam alibi quietem animi inueniret, transisset, egregia concione exposuit; adhortans præterea, vt sibi, qui tam multa & volumina & loca conquirendæ veritatis cupidine peruestigarat, penitusque Ethnicorum vanitatem dogmatum deprehenderat, non grauatè fidem adiungerent.

Brachmanica dogmata confutantur.

128 Talia Goæ dum fiunt, in proxima Ciorano insula miro quodam afflatu ingens numerus ad Christiana sacra confluxit. Non longè à Beatæ Virginis æde homines Ethnici in palmeto quadraginta circiter agebant, dudum ad Proregem delati, quòd contra edicta regia ritus quosdam superstitiosos publice vsurpassent. Ad hos, siquid fortè terror prodesset, vnà cùm Ioanne Fernādio Goano Iurisconsulto eius palmeti domino missi sunt P. Petrus Almeida, & Amator Correa de Societate nono Kal. Septembris. Ioannes Fernandius intercepto vndiq; in continentem ad Mauros effugio, in pagum proficiscitur; & noxiorum quosdam, causæ tamen ignaros comprehendi iubet, aliis, quà licuit, ad latibula dilapsis. Captorum è numero senior ac præcipuæ inter eos auctoritatis sublato repentè clamore, Quid opus est, inquit, his vinculis? efficiamur Christiani; nec 129 præterea quidquam est opus. Hinc rumor illico per totum spargitur pagum, velle omnes fieri Christianos. Accurrit Almeida cum socio è templo; cumque antea speraretur septem octoue hominum è nocentibus tantùm conuersio, diuino spiritu miris modis cœlestē spargente ignē, alijs hinc, alijs inde prodeuntibus, seq; Christianos fieri velle clamantibus, breui trecenti numerati sunt. Re Goam nunciata Consaluus Proregem læto nuntio impertiuit: isque diem baptismo, quo sanctus Domini Præcursor obtruncatus est, dixit. In his Brachmanum nullus erat. Sed suspicati Patres ad Proregis aduentum eos fuga in continentem procul à ditione Lusitana elapsuros, dispositere circà stationes atque vigilias. A quibus triginta intercepti, & aggregati catechumenis. Denique assiduis accessionibus tantum paulatim excreuit numerus, vt dicta die Proregi ad insulam venienti præter veteres Christianos quingenti septem baptismi petitores accurrerint. Longo incedebant ordine cum Christiano vexillo ac tympanis, & varijs de gentis more crepitaculis. Vbi ad Proregē ventū, comiter ab eo resalutati, eodemque ponè sequente, ad Deiparæ templum regrediuntur. Ibi baptizati primùm, dein, cùm multum iam exactum esset diei, liberali epulo, postremò accommodata exhortatione accepti sunt. Postero die primùm interfuere diuino sacrificio, quod P. Franciscus Rodericius fecit: eoque secundùm Missam de more cruce manu formata benedicēte, cuncti subitò Patrem imitati, protendunt brachia; quasique docuisset, quid agere deberent, signo crucis aduersus eum figurato, ei vicissim benedicūt, eoq; die ad hesternam summam neophyti accessere decem. Et sanè clementissimus Deus omni benignitatis genere ad sese eas gentes tanquam conabatur ac studebat allicere. Illud ex multis documēto esse potest. Malabarū Regulus, qui olim Xaueriū, cùm ad ea deuenit loca, multùm amauit, cùm cognouisset ab Rege Bisnagæ sex armatorū millia ad se opprimendum mitti, valdè territus (quòd suæ copiæ vix numerum mille armatorum explebant) ad Franciscum Petrium Coulani agentem rogatum misit, vt pro se preces ad Deum funderet, porrigeretque siquid præsidii haberet. Franciscus vexillum misit, in quo sacrosanctum Iesu nomen pictum fulgebat, admonens, vt ante exercitum id ferri iuberet, omnesque ex animo salutare illud ac triumphale nomen in auxilium inuocarent. Haud barbarus abnuit iussa, necessitate scilicet, qua nulla vis ad persuadendum potentior, adhortante. Vnica ea fretus spe in aciem ausus prodire, bis nobilem ex hoste victoriam tulit: & post hæc miser in morbum præcipitatus, in auita superstitione occubuit, malo suo confirmans eam sæpè mentis humanæ peruicaciam esse, quam nec beneficiorum summorum gratia, nec prodigiorum experimenta doment. Christianum vexillum ad nepotis, qui & magnificiebat, peruenit manus. Remigitur Deo suam ita curante, tam multi vbique vel accersebant Euangelij doctores, vel non repudiaturi, si se offerrent, videbantur, vt sine dolore operariorum penuria considerari non posset. Plenas itaque litteras que- 131 relarum, plenas piarum precum, tum ad Lusitanum Prouincialem Michaëlem Turrianum Olisipponem, tum ad Præpositum Generalem Romam

Conuersio in Ciorano insula.

130 *Victoria insignis per vexillum Iesu nomine pictum.*

Quàm aquum sit Societatem Ethnicis succurrere.

Digitized by Google

mam dabant, per Iesu Christi sanguinem, vt succurrerẽt obtestantes. Franciscus Rodericius cùm adhuc in Lusitania esset, vbi eius generis afferebantur ex India litteræ, ratus more hominum sua celebrantium, rem in maius attolli, non admodum cõmoueri, nec magni solebat facere. At vbi mox rerũ statum coràm perspexit; & oculis, vt aiunt, ac manibus tenuit, nemo acriùs, nemo pluribus eo verbis efflagitabat. Ponendũ ac statuendum aiebat eam prouinciam haberi debere tanquam maximè aptam, proprieque subiectam Societati materiam: atque idcirco prouincijs anteponendam esse cæteris. Quippe, cùm in salutem vsque adeò proximorum Societas incumbat, æquum esse non temere vbiuis operam suam profundere, sed ita vt prudentiæ ratio, vt caritatis ordo præscribit. Quòd si circumspecto orbe terrarum, variæ inter se gentes comparentur, haud dubiè enixiùs eò incumbendum esse & accurrendum priùs, vbi & necessitas & præparatio maior adsit: hanc autem vtramque in India adesse quàm maximam. Ac necessitatem quidem apparere summam tum ex calamitatis magnitudine; quòd fundamento ipso carent salutis, quæ fides est; cuius in cognitionem venire sine prædicante (vt quidem ordinaria Dei fert prouidentia) nequeant: tum ex calamitosorum multitudine; quòd non pauci quidã populi, sed vastissimę prouinciæ, & regna amplissima in tenebris, & vmbra mortis iaceant: tum denique ex penuria iuuantium; quòd cùm tanta sit, tamque latè patens necessitas, propè nulli opitulatum accurrant.

132 *Quã præparata Euangelio India.*

Nec verò præparationem expeti posse maiorem. Esse Dynastas, Regesque maximos, qui sua sponte se atque infinitos populos Euangelio offerant: nec aliud obstare, quo minùs innumerabilis diabolo, æterniq; supplicijs præda eripiatur, quàm quòd desint qui porrigant manus erigere sese conantibus. Imitandos Christi Apostolos, qui cùm reijcerentur à Iudæis, ad Gentes, quas paratiores ad regnum Dei suscipiendum videbant, conuersi sunt. Quin adeò tam necessariam expeditionem eo subeundam studiosiùs, quòd impurissimi Mahometi assectlæ incredibili cura immineant, & rudes populorum animos impurissimæ superstitionis errore propè indelebili imbuant. Quare occupandam vacuam possessionem; & cogitare apud animum suum quemque debere, Christo ne Iesu tantum imperij, an impurissimo nebuloni malit acquiri. Quid tantum in Europa desudarent, vbi præcopia inuicem propè obstreperent? præ inordinato studio sæpè offenderent, haud multò pauciores excolendis cultores, & auditoribus concionatores? In vacuas prouincias verterent studia; in vastissimas regiones, iamque albas ad messem Deo duce immitterent falcem; erigerent cruces, idola perfringerent, templa extruerent vero Deo: sanctissimum Iesu nomen per eos vbi antea non audiebatur, inciperet personare. Quid excellentius concipi animo possè, quàm primos esse tantæ rei, quanta est fides Christiana, in regnis vastissimis fundatores? Quòd si tam sancta ac diuina in procuratione sanguinem contingat fundere, quid gloriosius martyrio? Quid porro optatius, quàm Christi pro nobis effuso sanguini, quanquam infinito

133 *Indorum conuersio quanti facienda.*

interuallo inferiorem, tamen sanguinem reddere? Quid demum iucundius inter labores, quàm certissimo ac præsenti fructu? Quippe in Europa vbi plurimùm cum vnoquopiam desudaueris, exitum tamen eius vitę semper incertum esse: at in India præter cæteram in adultis vberrimam sementẽ, infantium, qui antequã dealbatas in Agni sanguine stolas commaculare per ætatem queant, calibus humanis eripiuntur, messem esse certissimam. Atque horum tantum numerum æquo animo quisquam æterno perire exitio ferat, eò dumtaxat, quòd desit, qui perexiguum aquæ capiti etiamnum spirantis in sanctissimæ Trinitatis nomine infundat? Eò vsque vnionum, gemmarum, odorum & aromatum gratia esse homines, qui per tempestates & naufragia currant; an esse oportere Religiosos homines animarum minùs sitientes, quàm illi sint pecuniarum auari? Cumque illi purgamenta inania terræ in tantum ament; infinitos sanguinis Christi thesauros irritos latere ac propè sordescere ipsi permittent? Respicerent quos habituri essent dein in cęlo patronos. Innocentium beati illi chori per ipsos choris additi Angelorum, quàm fideles, quàm seduli gratique essent futuri patronorum suorum patroni? Postremò succurrendum quoque esse paucis illis, qui iam de Societate præcesserint, qui oppressi laboribus sub fasce ante diem oppressi caderent. Quantum solatii, quantum auxilii accessurum & ad propriæ & ad alienæ studium salutis, si multi, qui nunc soli degunt, socios nanciscantur? Arriperent igitur quàm plurimi, & quàm præstantissimi viam. Esse enim dignum præclarissimis ingenijs opus, & firmissimas postulare virtutes. Irent læti, occuparentque in ditissimis illis Indiæ emporijs accepta à Domino Deo talenta, vbi essent quàm plurimo responsura fœnore. Huiusmodi multa cùm partim Rodericius, partim Quadrius alijque percensuissent; Balthasar Diazius, quæ nominatim multis in nationibus aperiretur Euangelio porta narrabat. Solorem insulam esse trecentis ab Malaca leucis gradus octo cum tribus quadrantibus in Austrum vergentẽ, carere omni diuino cultu gentem, ne simulacra quidem habere: insinuare tamen in eam se Mahometanos vehementer; iamque duos Calecuto, tres Bengala Cacizios profectos fanum ibi exædificasse: Christianis sacris quosdam à Lusitanis negotiatoribus imbutos; planeque vniuersam gentem sic esse affectam, vt Lusitanis se penitus docendos permittant. E regione Soloris trium leucarum interuallo permagnam & frequentissimam habitatoribus insulam cerni, apud quam item nec deorum cultus, nec delubra sint vlla. Vix audito Christianæ religionis nomine in oppido Labonana statim ampliùs ducenta capita auidè ad fontem salutis accurrisse, & ipsum cum primoribus Regem ab Ioanne Suario mercatore baptizatum: nunc autem omni destitutos cultore hominem è Societate vehementer petere. Adhæc aliam esse ingentem insulam, cui Timor nomen, ab Solore, vbi plurimùm, quadraginta dissitam leucis. Eos etiam insulanos ritu viuere belluarum, omni propè religione vacuos: sic tamen, vt hi quoque, quod Lusitani docent,

134 *Quanta Euangelio porta aperiatur.*

135

Digitized by Google

docent, auidè arripiant. Malaca petentes Solorem venire ad regnum amplum, quod vocant Panarucam: oppugnatos grauiter populares bello, vt Mahometi impietatem admitterent; qui tamen nunquam flecti potuerint, ne suilla, in qua vna propè suum omne habent penu, abstinendum esset; ad Christianam veritatem nulla mora conuolaturos. Ad regnum Camboię peruenisse Religiosum è Dominicana familia: ibi quoque efflagitari Euangelium. Si cunctarentur Christiani doctores, Mahometanos illusores nequaquam cunctaturos. Hæc Balthasar Diazius nunciabat. Magnam alij nominum ignotorum ac regnorum item petentium fidei sanctæ Magistros congerebant seriem. Solenne enim semper fuit earum regionum Patribus (quod hodieque est) quibus scilicet ante oculos posita rei necessitas graui assiduoque dolore effodit pectus, inclamare adiutores: neque tam numerare, quas demetunt ipsi fruges, quàm quæ legentium inopia pereant. At enim non minor Europæos Patres, ipsumque Præpositum Lainium iacturæ tantæ vrebat cura. Ideo (vti suprà demõstraui) & preces assiduè pro ijs regionibus adhiberi iussit cuncta in

136 *Feruor Sociorum missionem Indicam postulantiũ.*

Societate; ac nomina edere, quos ad tam nobilem expeditionem præcipuo instinctu vocaret Deus. Tamque multi non solùm paratos se ad iter significarunt, sed etiam longissimis grauissimisque epistolis suppliciter obtestati sunt, si idonei haberentur, vt sineret ire, vt Europææ domus & Collegia vacua fuerint relinquenda, si omnibus indulgeretur. Sed non æquum erat ita in terrarum orbem vltimum studia conuertere, vt gentes, quibuscum multis nos Deus priuatim coniunxit necessitudinibus, desererentur, eo præsertim tempore, quo Christiani populi maximè defluxerant mores, & insanarum opinionum latè serpebat furor. Necverò omitti debet quibus studijs, & suos ad perfectam virtutem Goani Socij excolerent animos, & ad hanc, quam adeò opimam Dominus præparabat, demetendam annonam habilia se diuinæ manui adminicula conarentur efficere; Consaluo in primis & præceptis & exemplis suis ad excellentissima quæque ducente. Cùm per totum orbem terrarum promulgatum à Paulo Quarto Iobelæum ad pacem Ecclesię impetrandam, concordiamque inter Christianos Principes, Goæ quoque propositum hoc anno esset, destinatis quadraginta ad præparationem diebus; eo tempore, quoniam inter alia pia opera etiam eleëmosynarum erogandarum fieba mentio, auctore Consaluo hæc eleëmosynarum inita ratio est; vt quibus diebus ieiunabant, quiuis cibariorum sibi partem destinatorum ad

137 *Goanorum Sociorum feruor.*

138 *Carceri cõsultum.*

vinctos in carcere transmitteret. Octo decemue ad eos perferendos cibos delecti fratres; qui vbi primùm adiuere carcerem, non fame dumtaxat infelicia corpora, sed magis fœtore ac sordibus videre confici. Turba erat miseranda omnis, sed præcipuè ægrotorum commouebat conspectus: qui multi iacebant humi abiecti alto fœdoque in situ, vnde intolerabilis exhalabatur mephitis. Hac igitur noua & caritatis & humilitatis segete lęti Socij, aliis deinceps diebus vnà cum cibis scopas, paleas, corbes, aliaq; id genus ad purgandas euehendasque sordes portabant. Tum summa alacritate purgare carcerem aggressi, sordes alij eruebant, alij corbibus auferebant in mare, quod non modicè ab custodia distat, ac pręter Proregis ædes erat transeundum: alii vasa & quidquid ea egebat cura mundabant. Ita opitulati corporibus ad curandas animas vertebantur; quæ eo faciliùs expiari se, doctrinaque Christiana, & monitis salubribus sinebant imbui, quo magis fuerant impensis corpori obsequijs præparatæ. Pari interim labore ac studio alii Insanabilium nosocomium adibant: alij ad litus maris in eum locum, qui Aula vulgò dicitur, vbi regia mancipia, alijque ad opus in regias classes faciendum damnati tenentur; quos item & animi & corporis pabulo recreabant. Quidam in his Ethnici tantæ caritatis illecti specie transiere ad fidem, Christianis verò suauissimum tale exemplum Christi odorem afflauit. Haud tamen leuioris exempli fuit, quod subiungam. Pridie Kalendas Septembris sub vesperam denunciauit Consaluus, duodecim fratres partim Nouitij, partim iam nuncupatis votis in litterarum studijs occupati, vnaque aliquot sacerdotes, expiarent confessione animum, & accingerentur ad opus, quod postero die iniungere ijs magni momenti, diuinque obsequij cogitabat. Cùm illuxisset, rei ignaros, sed ingentibus animis ad quæcunque paratos ad nosocomium deduxit, vbi solent curari, qui ægroti ab nauigatione Lusitana perueniunt. Ibi Sacro peracto, cunctisque sanctissimam Eucharistiam impertitus, in vilem domunculam, vbi diuersaturi erant, seduxit; ac simul ad amorem adhortatus est laborum, simul quid acturi, quoque modo dispensaturi essent tempus, quamdiu ibi morarentur, edocuit. A prandio singulos piè complexus non sine suis præ dulci sancti feruoris sensu, ipsorumque lacrymis, relicto qui præesset Francisco Caprali ad Collegium se recepit. Non diu expectanda fuit exercendæ materia pietatis. Altero ab eorum aduentu die quatuor ab Lusitania naues portum intrarunt. Continuò nosocomij Procuratores, septemque è Socijs, non sacerdotes quinque, duo sacerdotes multa reficiendis ægris bellaria secum ferentes, ad eos deducendos cum scaphis occurrunt. Ducentos inuenere ægrotos, quos vbi deportarunt ad litus, qui per se nequibant ingredi, mira alacritate in lectulos feretris vel sellis intulere. Erant iam cuncta sedulò prępparata, nitidæ ædes, strati lecti, cœna hospitalis, calida quoque ægris lauandis rebus odoratis aspersa. Quo in ministerio ad multam noctem Socij vigilarunt. Cæteris verò diebus cuncta obibant & corporibus & animis ægrotorum curandis obsequia. Sodales misericordiæ, quibus commissa erat nosocomij procuratio, vehementer patientiam, caritatem, sedulitatem ac modestiam eorum admirabantur: eoque magis, quòd videbant nullius rei velle eos recipere nisi laborum partem. Triginta, & ampliùs dies sancta hæc occupatio tenuit: tum demum cùm magna ex parte recreati essent ægroti, ad Collegium reuocati sunt; eoque excepti omnium gaudio, vt præmij ex præteritis laboribus in cælo repositi id specimen videretur. Vsque ad id tempus vnus fuerat tota in India rerum Præses sa-

139

140 *& ægris recens aduectis ex Europa.*

141

crarum

Digitized by Google

crarum Goanus Episcopus. Verùm cùm aucta haud modicè ac propagata Christiana res iam esset, visum est diuidendum onus. Goæ igitur
142 Archiepiscopus hoc anno destinatus est; Cocino, & Malacæ Episcopi. Regina Lusitaniæ, & Cardinalis vehementer cupierunt in Goana sede hominem è Societate collocari; sed Patribus contrà obnixè tendentibus, maluerunt se ad Societatis accommodare sensum, quàm suo indulgere. Ita electus est, atque ab Romano Pontifice adprobatus sacerdos perspectæ virtutis Gaspar nomine, quo Cardinalis ad suam lustrandam Eborensis Ecclesiæ diœcesim plurimùm vtebatur. Ex præclara sancti Dominici familia delecti sunt qui Cocino, & qui Malacæ præessent Georgius Temudus, & Georgius à
143 sancta Lucia. Atque hi dumtaxat hoc anno nauigarunt in Indiam, ijs quas modò dixi, nauibus aduecti: ijdemque Apostolicum detulere ad Patriarcham diploma, quo Goanam ei Pontifex commendabat Ecclesiam, dum Archiepiscopus aduenisset. Sed hoc munus Patriarcha recusante tum submissionis causa, tum vt expeditior in suam vineam obseruaret aditum; Malacensis (vti prouisum fuerat) Episcopus interim
144 substitutus est. Nulli hoc anno Sociorum aduecti: quòd, cùm aliquantum & Socijs ibidem conscriptis atque Æthiopiæ destinatis Patribus respirasset India, in Brasiliam magis laborantem mittendum fuerat supplementum. Perlatæ tamen litteræ, & quibus creatus Lainius Generalis nunciabatur, & quas ipsemet hortatorias scripserat, aliæque quæ statum Societatis, & incrementa eius in Europa narrabant. Nec minore, quàm in Brasilia voluptate ac fructu lectæ sunt. Accessere his aliæ, quibus pro Consaluo Silueria Antonius Quadrius Prouincialis Indiæ iubebatur esse. Quod item pro egregia opinione, quam omnes hauserant de rara ad id muneris Quadrij facultate, pergratum omnibus accidit domi forisque: & eiusdem Quadrij loco, si fortè in Æthiopiam iter expediretur, Melchior Nunnius Patriarchæ frater iubebatur ire Prouincialis.

145 Consaluo Silueriæ iam Prouincialatu perfuncto noua expeditio ad Cafres decreta, cuius occasio hæc fuit. Degunt Cafres, Æthiopum nigerrimi, in austrina priscis incognita Africæ parte ad promontorium Bonæ spei. Regna inter eos multa sunt. Nomen vni Tonge ab cognomine regia vrbe, gradibus fermè tribus & viginti vltra Æquatorem ad Austrum sita. Regis filius secundo genitus loco ex familiaritate cum Lusitanis, qui per eas negotiabantur oras, ad baptismi amorem pellectus, & à Sebastiano Sà Lusitanæ arcis ad Sofalam Præfecto comiter habitus; tandem Mozambici sacro lauacro expiatus, vbi domum reuertit, eorumdem sacrorum amore fratres incendit, vt nauigaturi ad baptismum & ipsi continuò Mozambicum fuerint, nisi Rex ipse pater tenuisset, affirmans impetraturum sacerdotes, qui Tongem mitterentur, seque ipsum pariter Christianum fore. Hæc maximè dum feruent, Georgius Temudus, quem nuper aduectum dixi, vir
146 sapientia ac religione præstans Cocinensis Episcopus, dum Indiam ex Lusitania petit, Mozambicum deuenit: tantamque Euangelio latissimè spargendo tam facile aperiri portam audiens, vehementer doluit certis alligatum se Cocinensis Ecclesiæ, ad quam mittebatur, limitibus, quo minus in eam opimam messem, quæ tam matura vltrò occurrerat, expediret falcem. Æger itaque animi, crebroque tendentes quodammodo manus, & implorantes opem respectans nationes Mozambico discessit, in ea defixus cura, eoque consilio, vt saltem tantam opportunitatem, qua vti ipsi non non liceret, expeditis operarijs, cùm venissent in Indiam, demonstraret. Vbi itaque Goam tenuit, cum Prorege Constantino, cum Patriarcha Æthiopiæ, cumque primarijs Goani Collegij Patribus de suscipienda illa expeditione sic egit, vt ab sancto Spiritu haud dubiè videretur agi. Idem per litteras vrgebat Sofalæ arcis Præfectus Sebastianus Sà. Antonio Quadrio Prouinciali, & Patriarchæ visa consultatione res digna, ac nemine prorsus discrepante, quanquam alioqui ingens operarum ad excolendam Indicam vineam penuria erat, visæ sunt eæ gentes, quanto paratiores erant, tanto auxilio digniores. Tum de hominibus ad eam
147 culturam deligendis deliberari est cœptum. Postque multa eam ob causam Deo oblata Sacra, & fusas preces multis nominibus omnium maximè idoneus iudicatus est Consaluus ipse Silueria. Ante omnia cùm de fundanda tum primùm in regionibus ijs Ecclesia ageretur, pro eo quanti interest cuiusque rei fundamenta sapienter recteque poni, vir sanè doctus & experiens, idemque pietate ac iudicio, auctoritate quoque præstanti necessarius erat. Præterea inter visendam prouinciam Indiæ cùm esset Consaluus & animo magno, & diuinæ gloriæ perstudiosus, & quidquid Euangelio vsquam obstaret, conaretur amoliri, regiorum magistratuum quosdam offenderat, atq; adeò ipsum Proregem, ab cuius se audiendis confessionibus expedierat; ideoque post aliquod interuallum, vbi illam fundasset Ecclesiam, maiore etiam auctoritate, omniumque beneuolentia rediturus ad excolendam Indiam credebatur. Accedebat, quòd Pantaleo Sà (Sebastiani paulò antè memorati frater erat) cui cum Cõsaluo necessitudo sanguinis intercedebat, Mozambici & Sofalæ præfuturus arcibus mittebatur: qui pro sua & potestate, & voluntate optima, Consalui etiam causa, quæ necessaria ad expeditionis successum forent, prolixè curaturum se omnia promittebat. Denique ipsemet Consaluus eam prouinciam, ita vt ardentiùs non posset, expetebat eò maximè, vt obscurior lateret, vt ærumnarum segetem animo suo parem haberet, vt animis populorum succurreret, quos admodum rudes simplicesque, atque adeò paratos acceperat: quippe quos neque idolorum superstitiones tenerent implicitos, nec Mahometica fœditas polluisset. Adiuncti sunt ei comites duo Andreas Fernandius, qui anno priore in Indiam ex Europa redierat, missus olim Romam à Beato Xauerio ad exponendum Beato Ignatio Indiæ statum,

&

Archiepiscopatus Goanus hoc anno institutus,

& Episcopatus Cocinensis, & Malacensis.

Expeditionis ad Cafres occasio.

Consaluus Silueria ad Cafres destinatur.

Digitized by Google

& postulanda subsidia, magnæ vir ætatis simul ac virtutis, nuper ob eam expeditionem factus sacerdos; & Andreas Acosta laicus, qui duos iam annos in Societate vixerat. Natu ipse quoque iam grandis ab sæculi militia, in qua haud sine nomine diu meruerat, ad Christi transgressus signa, tanto impensiùs hæc, quanto prioribus meliora sequebatur. Hi tres optimè animis ad omnia præparati senescente iam anno Goa profecti Ciaulum primùm, inde nouo ineunte anno vnà cum Præfecto Pantaleone versus Cafres soluerunt.

149 *Res Aethiopica.* Cæterùm in Æthiopia hoc tempore omnia erant turbulenta bellis; & grauis contra Catholicos sæuiebat procella. Episcopus Andreas (vti proditum suprà est) cùm Regis animum à fide Catholica reperisset alienum, disputationes de religione cum Abassinorum doctoribus instituit. Verùm cùm ne ea quidem via succederet, quòd aduersarij ad suam obtegendam & inscitiam & perfidiam, rationes pro veritate adductas vbi nequibant soluere, ad clamores versi strepitu ac boatu insano turbabant omnia; animum ad scribendum appulit, vt pro suo ingenio Claudius in mutis atque fidelibus membranis per otium expendere rationum momenta posset. Quare libro de Romanæ Ecclesiæ primatu, deque erroribus Abassinorum diligenter conscripto, eum obtulit Regi. Et sanè ita res erant dilucidæ, vt si adhibere mentem incorruptumque iudicium vellet Rex, non posset non manus dare veritati. At is concesso diuinitus ingenio ad pertinaciam abusus, nunquam veri cognoscendi studio librum in manus sumpsit, sed eo tantùm consilio, vt quidquid id esset, refelleret. Imò stylum ipse quoque arripuit: libroque Episcopi scripto ab se libro respõdit. Quas inter dimicationes sæculi eius annus octauus supra quinquagesimum abijt. Anni insequentis initio videns Episcopus Regis animum non fessum modò hisce concertationibus, verùm etiam suboffensum; existimans, si spatium ei quietis, sedandæque perturbationis, atque secum reputandi res daret, mox de integro minùs obstinatum quati posse; venia petita tantisper secessit à regia. Verùm infinita illa iusti Dei sapientia & bonitas, quæ tam diu, totque modis hunc Regem ad agnitionem veritatis allexerat, haud diutiùs ferociter impieque reluctantem sustinuit. Vix vnum ab regia mensem Episcopus aberat, cùm Mahometanorum agmen è populis, quos Malachaos vocant, inuasit in regnum. His Claudius occurrens commisso prælio ab suis relinquitur; & feria quinta maioris hebdomadæ, vnà cum duodeuiginti Lusitanorum manipulo, ciusque ductore, qui soli manserant, fœdè contrucidatur. Retulere deinde multi iurati testes, & Regi & Lusitanis prænunciatum ab Episcopo exitium, si acie confligerent. Ipso in articulo Rex, quo commissurus erat pugnam, siue ex amore ac veneratione Episcopi, siue religione animum torquente, exclamasse dicitur, Proh quantum nunc doloris Episcopo oportet esse! quòd si quid humanitus mihi accidat, quid illo fiet? Victoria quidem (vt clariùs appareret diuina vltio) ita insperata Mahometanis obtigit, vt dux eorum, quò eam cælesti dumtaxat Numini acceptam referret, in gratulatione, & quasi triumpho, quem egit, asellò inuectus feratur. Extincto Claudio, quòd liberi ex eo non supererant, eius frater natu minor, euehitur ad regnum nomine Adamas Saquedus. Is, quo tempore Lusitanorum ope regnum Claudius recuperauit, captiuus in Arabia tenebatur à Turcis, & ad Turcicam desciuerat superstitionem; postque receptum regnum redemptus à Claudio est, si res verè æstimetur, Lusitanorum potiùs sanguine, per quos cætera recuperarat, quàm argento, vel auro. Tantum igitur cùm deberet Lusitanis Adamas, vt meritò libertatem ijs & regnum referre accepta posset, malam adeò retulit gratiam, vt videretur non aliam ob rem admouisse sceptro manum, quàm vt paucorum Catholicorum, qui restabant, penitus nomen extingueret. Circumfremebant hostes: primam tamen omniũ eam suscepit curam, vt quæ Claudius tribuerat, Lusitanis beneficia eriperet; seuereque interdiceret, ne quis Æthiopum ad Lusitanorum adiret templa (cùm per Claudium antè liceret mancipijs & coniugibus dominorum religionem atque virorum sequi) dictitans ideò malè Claudio euenisse, quòd fidei Romanæ plus æquo fauisset. Denique eò processit, vt Abassinam è populo feminam, quòd Catholicè viueret, cædi publicè virgis iuberet, duasque Lusitanorum coniuges cum liberis in carcerem duci: duorum item ex Europa ritus Græci Catholicorum alterum in suum magnum lacum relegaret, alterum occideret. Quo metu popularium multi, qui iam vel redierant ad sanctæ Ecclesiæ gremium, vel redituri mox erant, ad pristinos reuoluti errores sunt. Postremò ingratus & impius Rex contra Episcopum versus sex circiter menses vnà cum Patre Francisco Lopio relegatum in asperum & horridum saxum habuit in custodia. Inde grauiùs Regem indignatum accepi, quòd admonitus ab eo Episcopus, ne Catholicam religionem doceret, respondisset sibi non licere abstinere officio suo; & irruisse in eum Regem, cùm constans Confessor ad excipiendam martyrij palmam animum totumque pio habitu corpus composuisset; sed accursu Procerum ac Reginæ ipsius defensum. Tum igitur relegauit, monitis clàm Toparchis, quorum in ditione erat saxum, vt de medio tollerent. Sed vxor Toparchæ, eademque Regi affinis hominum sanctitatem, & (vt nonnemo testatur) conspectum in mapali eorum splendorem nulla ex humana origine clarissimum admirata, suo viro primùm, mox illo adiuuante Regi persuasit, vt ab ea calamitate viros sanctos eriperet. Alia super hæc admiranda magis itum ac reditum ab exilio honestasse narrantur; sed Deus optimus, vt fortasse vna ex parte voluit nimiam inter Æthiopes Catholicorum punire licentiam, & fidelium seruorum exercere constantiam; ita voluit apparere, qui sanctam Ecclesiam vexant, ad regnum constabiliendum haud veraniti via, vt anno insequenti narrabitur.

150 *Rex Claudius occiditur.*

151 *Adamas Saquedus sufficitur.*

152 *Insectatur Catholicos.*

153 *Episcopum diuexat.*

In Iaponia Facatensem quoque Ecclesiam consueti turbulenta in gente tumultus bellorum felicibus procedentem incrementis interturba-

154 *Res Iaponica.*

runt

runt. Statim post Pascha armatorum fermè duo millia de Bungensi Rege eiusque Præfecto, qui fortè ibi tum erat, acriter conquesti, vrbem aggrediuntur; eoque die excluſi ab incolis, nocte insequenti prodentibus Bonziis occupant. Amanguciano antè imperio (vti suprà est indicatum) Chicugenum, in quo Facata est, & Bugenum regna paruerant. Inde abstracta Bungensis Rex, cùm germanum eius Regem Amangucianum perduelles oppressere, sub ditionem suam iure belli redegit. Ergò recentem dominum seditiosa ingenia dum iniquè ferunt, perfidiæ & rebellionis materiam accersiuere. Erant Facatæ Socij tres, P. Balthasar Gagus, & laici Ioannes Fernandius & Guilielmus, & puerali quot, quibus ad cantum doctrinamque Christianam vtebantur administris. Coorto tumultu
155 Balthasar densas inter tenebras ad sacram supellectilem conseruandam primam omnium
P. Gagus diu vexatur ab Ethnicis. adiicit curam. Eam itaque continuò cum Ioanne Fernandio, pueriſque domesticis in Firandensem nauim imponit, quæ protinus in altum enecta prosperè tenuit cursum. Inde ipse & Guilielmus comitibus Christiano indigena Siluestro nomine, & Lusitano in aliam nauim confugiunt duabus ab Facata leucis fortè stantem in salo. Verùm nihilo minus induerunt se in periculum, quàm fugerunt. Ea nauis rebellium & hostium erat. Quare nauarchus, simulatque captam cognouit Facatam, quid Christiano sacerdoti & sociis faciendum videretur, cœpit deliberare cum suis. Omnium erat sententia, tollendos è medio, periculosum affirmantium fore, si postquam spoliassent, abire saluos permisissent. At ipse multò plura sperans exprimi è viuis posse, parcendum in præsens censebat. Audiebant hæc Dei famuli, de seque actum rati veniam delictorum pro se quisque suorum à Deo supplices precabantur. Siluester autem Iaponius graui cum singultu effusè plorabat, quòd de nece Patrum ageretur. Qui quidem quamuis nullo negotio periculis exuere se omnibus potuisset; & enixè, vt id faceret, rogaret Gagus, tamen vnà conscenderat, quòd diceret certum sibi esse cum eo pariter mori. Imò etiam facta in præsens ab nauarcho abeundi potestate, vti noluit. Ita eamdem, quam Patres, fortunam adiit. Omnes rebus, quas attulerant secum, omnibus spoliantur, vno tantùm relicto, quo tegerentur,
156 indusio. Quarto die cùm Facatæ cognitum esset Patres eo loco teneri, continuò nauiculis tribus rebelles ad prædæ accurrunt partem. Qui cùm nihil inuenissent, ipsum nauarchum arreptum expilant; Patrique Gago, & sociis quidquid reliquum erat amiculi, detrahunt, vix relicto pudoris gratia indusij lacerati frusto. Hoc nimirum erat spoliare nudos: & erat tempestas perfrigida. Ab his ipsis prædonibus vbi recessere, ad litus abducti sunt, haud sanè inuiti. Quippe in priore illo nauigio cùm in momenta singula mors impenderet, nec ad victum quidquam nisi malignè crudeliterque tribueretur; si Facatam referrentur, aliquid sperabant: certè grauius eo, quod ibi iam tolerabant, nihil supererat formidandum. Nec omnino spes eos sua frustrata est. Tria passuum millia grassatores progressi ante-
quam ad terram appellerent, inter se spolia diuiserunt. quod dum faciunt; homo inter eos præcipuus qui Gagum nonnihil norat, miseratione commotus, ei comitibusque nescio quid, quo nuda tegerent corpora, dono dedit. Cæterùm breuis fuit eius beneficij vsus. Descensione facta extemplò miseros noui labores, noua pericula excipiunt. Inter prædatores, qui in terra remanserant, & hos qui nuper è mari redierant, 157
de prædæ parte pertinax altercatio cooritur, nec nisi re in medium prolata conquieſcit. Ingens eo loco vis erat populi: portæ oppidi clausæ, dispositaque præsidia. Quasi in orbem circumdari Christi serui multis modis diuexantur, alius pugionem, alius hastam intentans dari sibi aliquid minaciter iubent: alij verò manus etiam inferunt, & vinctos in suas villas abducunt reducuntque, & donatis insuper tegumentis planè omnibus nudant. Denique in aggeris quemdam hiatum coniiciunt, quod apud Laponios futuræ necis indicium est. Tum verò plebs cateruatim irruere: clamoribus validis ad cædem exposcere: euersores regnorum appellare, aliisque huiusmodi probris contumeliosè proscindere. Quæ voces dum ab incondita plebe iactantur, ecce tibi miles nudos è fouea extrahit, strictoque gladio iubet proferre pecuniam. Cui Balthasar, Quo quidem, inquit, simus in statu vides; & petis, frater, quæ non habemus. Mittit ille confestim in oppidum scisciatum quid de iis hominibus faceret. Dum in his periculis cæteri versantur, Siluester captato in vrbem ingressu, Ioannem quemdam Christianum, cui cum rebellibus magna erat necessitudo, de Patrum admonet statu. Is vestimentis continuò sumptis ad litus accurrit, ac summota magno impetu multitudine ex eorum manibus, qui iam captos tenebant, eripuit: simulque adfuit ex oppido nuncius, qui occidi eos vetaret. Inde Ioannes domum suam perduxit, cibo & igni refecit; & vadem se pro iis apud Magistratum, cùm pollicitationibus insuper ac muneribus mitigasset, liberaliter fecit. Supererat magna adhuc de Guilielmo solicitudo, qui inter eum tumultum casu abductus ab Gagi conspectu fuerat. Ad hunc conquirendum Ioannes intenta cura, cum puero Christiano captum à milite cognouit; qui cùm aliud nihil inueniret prædæ, vitam volebat eripere. Nulla igitur interposita mora Ioannes militem adiit, pretioque redemptionis transacto, vtrumque domum reduxit. Mox etiam sacerdotalium precum Breuiarium, quod Gago vnà cum rebus cæteris ablatum prædatoribus, nisi redimeretur, inutile erat, facilè repertum est: & Ioannes suo redemit ære. Tribus propè mensibus libera in custodia habiti, tandem abire permissi sunt. In Bungo autem vt eos euasisse est cognitum, ingens non Christianorum modò, sed ipsius quoque Regis ac Procerum aliquot gaudium fuit. Christianorum nonnulli obuiam ad tertium lapidem, ad secundum verò ac primum multò plures, vino fructibusque ad hospites recreandos allatis, atque etiam vmbellis ad solem arcendum prodiere. Ipsæ quoque mulieres sublatis in sinum infantibus longè occurrêre. Vidisses præ lætitia plo-
rare

Digitized by Google

rare alios, alios erectis in cælum oculis gratias Deo agere, quòd preces ipsorum ac vota respexisset. Omnes verò Patri, interseque iucundissimè gratulari. Neminor fuit Cosmi Turriani, cæterorumque lætitia Sociorum: qui vt incolumes viderunt, quorum de salute iam desperauerant, tanta voluptate perfusi sunt, vt ex eius communicatione & societate Gago ac Sociis reducibus ærumnæ omnes præteritæ instar somnij euanescerent. Dum captiui fuere egregiè se Iaponum caritas Christianorum prodidit. Nam sapiùs Firando non modò vestes atque cibaria, sed etiam pecuniæ tantam vltrò copiam submiserunt, vt ipsi verererentur captiui, ne, si ea res aduersarijs suboleret, dimissionis negotium irritata eorum auaritia retardaret. Nec verò minùs benigni fuere Facatenses. Quanquam non magis in alendis Patribus liberalitas, quàm in retinenda fide, tolerandisque iniuriis constantia neophytorum Iaponum apparuit. Exemplum sumam ab vno potest. Andreas is vocabatur, claris ortus natalibus; qui fundo opimisque vectigalibus, quæ Amangucianus Dynasta Ethnicus concesserat, nuper relictis, Facatam vnà cum vxore, liberis seruisque migrarat; quo se totum Deo expeditiùs manciparet. Ibi totum magni ieiunij tempus apud Patres procul ab sæculi negotiis exegit, quidquid à quotidiano Missæ Sacro & concione supererat temporis, precando contemplandisque Christianis mysteriis, præcipuè sacra Christi nece consumens; tum legendis, attenteque animo reputandis, quæ Martyres olim piè fortiterque gessere: ac singulis ferè noctibus sese flagello cædens. Quibus studiis in Domini nostri Iesu Christi amore vehementer proficiens, ipso die sacro Paschatis vitæ maculis per confessionem diligenter elutis, cælestis mensæ effectus est particeps. Ita præparatus cùm esset, vrbs capitur: & Amangucianus Dynasta, quem dixi, desertum se vociferans, missis sicariis conquiri ad necem hominem iubet. Quos bonus Andreas vbi se adorientes aspexit, non modò arma non sumpsit, cùm esset vir alioqui fortis ac strenuus, sed etiam prouolutus in genua tamdiu perstitit orans, quoad permissus est viuere: nec dubitatum est, quin preces pro interfectoribus adhibuerit, cùm diui Stephani exemplum, qui pro lapidatoribus suis in extremo spiritu deprecatus est, plurimùm admirari soleret. Non dissimile constantiæ genus, sed multò ad martyrij gloriam certius Firandi sub tempus idem serua Christiana præstitit. Nam post eiectos Patres cùm ad venerandam in monte sitam crucem Christiani vltrò quamuis pastore destituti frequenter exirent, maximè in ea religione ac pietatis sedulitate famulæ, quam significaui, eminebat pietas. Ethnicus erat herus & truculentus; qui non modò ad salutare signum ire vetuit, sed omnino iussit ad simulacrorum profanam redire superstitionem. At fidelis ancilla Christi nihilo segniùs, & in fide & in crucis salutatione perstitit: vnde redeuntem cùm immanis offendisset dominus stricto gladio obtruncauit. Has nobiles primitias, vt nostro olim in orbe, ita nunc in Iaponia recens ac vigens Ecclesia cælo dedit. Patres autem Amangucio primùm, mox Firando, postremò Facata extorres Funaium omnes (vt appareat quantum Quiuano Bungensi Regi Christiana res debeat) conuenere tres sacerdotes, laici sex. Et quidem ab vrbe Facata condita, cùm simile vnquam tumultibus proximis nihil extitisse ferretur, id persuasit diabolus Ethnicis (quod idem Amangucij & Firandi sparserat) omnes eas calamitates Christianorum odio ab diis inuectas. Quæ res tantam Barbaros egit in rabiem, non modò vt extructas ab Gago ædes ac templum, & cætera euerterint omnia; verùm etiam puteum, vnde Patres aquam petebant, iniectis glebis oppleuerint. In Bungo verò tum Regis fauor, tum celebre domorum hospitalium nomen Christianæ fidei Patribusque auctoritatem omnes apud ordines comparabat. Hospitales iam ædes erant duæ, altera plagis vlceribusque curandis, altera morborum aliis generibus hoc ipso anno extructa ex lignea materia multò priore amplior; in qua media excitata est ad res diuinas ara. Quo die Elisabetham salutantis Deiparæ solenne agitur, in ara illa primùm sacrificatum: subinde ad frequentem populum habita concio, magna cum lætitia Christianorum. Harum domorum impensas ære priuato Christiani Iapones, ac mercatores Lusitani aliquot sustentabant. Rex præterea Bungensis vectigal attribuerat, ex quo pacatis temporibus annui caperentur aurei fermè trecenti. De mitis præsertim vlceratorum planè depositorum curationibus Ludouici Almeidæ operâ multa essent dicenda, nisi hæc generatim satis ducerem indicasse. Nobiles iam aliquot è populo ac Bonziis è longinquo confluebant, quibus persanato corpore, mentis quoque veram sanitatem bonitas diuina reddebat: perque eam occasionem non apud cognatos affinesque tantùm, sed etiam apud ciues ac notos eorum celebre fiebat Christianum nomen. Cæterùm rebus in Ximo adeò turbulentis, cùm haud satis pretij è trium sacerdotum in Bungensi domicilio commoratione extaret, nobilisque Bonzius è Fyenoyama datis ad Cosmum litteris hominem postulasset, cum quo de rebus diuinis communicaret; cui Pater spe doctoris, vbi copia esset, mittendi præbita, tantùm per litteras Christianæ summam religionis exposuerat; visum est Meacum frequentissimam nobilitate doctorumque conuentu vrbem, & quasi Iaponiæ totius tentare arcem. Gaspari Villelæ post sacrificia multa & preces ea demandata prouincia est: additusque comes & interpres Laurentius origine Iapon in Societatem adscriptus, magni vir ingenij, morumque Iaponicorum ac rerum Christianarum peritus inprimis. Sexto Idus Septembris alacres ipsi non sine dolore & lacrymis eorum, quos relinquebant, dedêre sese in viam, Fyenoyamam ex itinere adituri. Ingentibus pleni animis Bonziano simili habitu cultuque profecti sunt. Summam diabolo tot per sæcula iniquissimo possessori (quod facilè intelligi potuit) ea expeditio iniecit curam. Quippe malè sibi timens, miris totum iter difficultatibus intersepsit. Nondum vnius diei iter confecerant

159 *Iaponum Christianorum caritas erga Patres.*

160 *Constantia Iaponij Christiani.*

161 *Serua Christiana martyrium.*

162 *Nosocomiorum in Iaponia existimatio.*

163 *Valetudines mirabiles.*

164 *Prima in Meacum missio.*

165 *Pericula Villelæ pro Euangelio.*

Digitized by Google

fecerant veræ nuncij libertatis & assertores, cùm cadente vento tranquillitas & malacia inusitata eodem repentè nauim affixit loco. Ethnici circumire vectores, & stipem viritim exigere, per quam ventum ab suis idolis redimerent. Cumque ad Villelam venissent, vtque conferret ipse quoque, contenderent, eo negante in quoquam se, præterquam in vero Deo cæli terræque conditore suas habere sitas spes, continuò exclamant, Enimuerò deprehensum malaciæ fontem; hominis eius odio claudere deos maria; ipsummet dandum eis piaculum, & præcipitem protinus deuoluendum in mare. Quod haud longè aberat, vt facerent, si diuturnior malacia tenuisset. Sed cùm Dei serui abiecissent sese in preces, postero die secundis auris inflari vela sunt cœpta. Quibus aspirantibus haud millia passuum multa processerant, cùm aduersus ventus subortus, quatriduum stare coëgit, Barbaris multò in Gasparem magis frementibus. Sed ne tum quidem Domino miserante vltra inane proborum minarumque strepitum processum est. Ecce autem, rursus repetito cursu continens dierum decem tempestas quodam in portu clausit. Tum verò haud potentes iræ nautæ simul ac vectores communi sententia statuunt infausta illa & exosa diis capita haud vltrà secum deuehere: vt demum conuicio omnium nauarchus victus è naui eos eiecerit. Hæc res grauiter Villelam pupugit, non quidem contumeliæ sensu, cùm & mortem haberet in votis; sed quia nauigij opportunitas nulla præterea offerebatur. Quare Deo inprimis multùm rogato nauarchum secretò conuenit, tumque promissi fidem obiectans, tum summis vtens & infimis precibus tandem impetrat, vt vltra eum locum sex & triginta millia, quò primùm conuenerat, deportetur. Eò appulsi simul atque descenderunt, circum naues, quotquot ibi stabant, cursant Ethnici, denunciantque gubernatoribus, si prosperam optent nauigationem, procul arceant duos illos; nec patiantur in suam nauim pedem inferre. Denique sic impleuere omnia terroribus vanis, vt ab omnibus excluſi, cæteris abeuntibus, in litore soli relinquerentur. Mora tamen diuturna non fuit. Paulò pòst aliud appulit nauigium, quo feliciter vecti, portum citiùs iis, à quibus excluſi fuerant & antè soluerant, cùm etiam aliquot eorum in piratas incidissent, sine vllo ipsi periculo tenuerunt. Hîc rursus ægrè transmissio inuenta, cùm 167
eosdem, qui superuenerant nauicularij, terrores spargerent; Deo tamen omnes diaboli conatus eludente, Sacaium venerunt incolumes quintodecimo Kalendas Nouembres, die sancto Lucæ sacro; quem propterea eius patronum ciuitatis adsciuere. Sacaio Fyenoyama millibus passuum circiter sex & viginti abest, ab vrbe Meaco non ampliùs sex. Mons est permagnus, religioni ante annos fermè octingentos, & sapientiæ Iaponicæ dedicatus, ad cuius radices lacus iacet, quem multi confluentes efficiunt amnes, passuum nonaginta circiter millia in longitudinem, vnum & viginti in latitudinem colligens. In eius litore plaga ad montem pertinens Bonziorum cœnobiis hoc tempore plus quingentis erat frequens: olim trium millium & trecentorum summam ferebantur expleſſe, bellorum iniuriis ad eam paucitatem redacta. Huc Villela vbi venit, Bonzium, ad quem litteras à Cosmo ferebat, vita functum inuenit. Et quidam narrabant, extremo spiritu professum eam se religionem, quam è litteris Cosmi didicerat, tenentem mori. Hoc igitur mortuo Gaspar prima spe deiectus, frustra etiam tentato ad alios Bonzios, atque ad eorum maximum aditu, Meacum Decembri ineunte perrexit.
166

Digitized by Google

HISTORIÆ SOCIETATIS IESV

LIBER QVARTVS.

1560. ANNO, qui sequitur, sexagesimo magnopere Societas, multisque modis est aucta, gratia in primis ac benignitate noui Pontificis. Erat is Ioannes Angelus Medices, qui VII. Kalendas Ianuarij exitu prioris anni post lõga tandem comitia in Petri sede Pauli IV. excessu vacua collocatus; vt ingenij morumque suorum pignus daret, qualemq; esset gesturus Pontificatum, profiteretur, Pius voluit dici, & Quartus hoc nomine Pontifex fuit. Qualis futurus erga Societatem esset, minùs initio apparebat, quòd antè perexiguum cum ea habuerat vsum. Cardinalium quidam de rebus nostris pro sua benignitate soliciti suapte sponte eius pertẽtato animo, egregiam illi de cuncto Ordine opinionẽ atque expectationẽ; ac nominatim Lainium in pretio & amore esse memorabant. Est in Societatis institutis, vt Præpositus Generalis, vbi nouus creatur Pontifex, intra anni spatium ei se ad venerationẽ de more sistat: significetq; quam singulari voto quatuor votorum Professi obedientiam Apostolicæ Sedi dedicant. Ergo Lainius officio simul hoc defuncturus, simul ominẽ familiam atq; Collegium inprimis Romanum cõmendaturus, primo quoq; tempore plenus spei bonæ ad Beatissimum Patrem accedit. Post osculum solenne pedis ita exorditur. Societatem Iesu minimã Religiosorum familiam, cui se quamuis imparẽ Patres præfecerãt, Romani Põtificis obsequio non communi solùm Christianæ gentis officio, sed præcipuo voti nexu obstrictã & obnoxiam esse: sumere enim ad suam in Apostolicam Sedem testandã, arctiusq; vinciendam pietatem priuatim sibi hoc muneris, votoq; sancire, vt quocunque terrarum ac gentium inter barbaros, & alienos à fide populos Christi Vicario placuerit, religionis causa mittere; eò confestim nulla tergiuersatione interposita, nulla ne viatici quidẽ mẽtione facta, contendat. Id se (vti Constitutiones iubent) Beatissimo Patri significare, vt intelligeret, sicubi speraret vsui fore, quàm multis nominibus tanquam sua re vti posset. Tum etiã, si id è Dei gloria req; Christiana cẽseret, stabiliret corroboraretq; eius res; & cùm vniuersæ, tum Collegij præcipuè, quod sancta in Vrbe erat, patrocinium benignè susciperet. Esse in eo Collegio ingentẽ numerum lectissimæ iuuentutis (centum & sexaginta iam erant) eosq; fermè omnes ingenio præditos, naturaq; præstanti ex omnibus Christiani orbis nationibus coactos: in doctissimorum sanctissimorumq; hominũ disciplina, ardore magno litteris ac pietate imbui: vt inde digressi quocũque mox totum per orbẽ terræ mittantur, vel conseruent, vel restituant Christiana sacra, vel inferãt ac propagẽt. Inde enim totius Italiæ Siciliæq; orta Collegia esse, inde suppleri: inde in Gallias, in Belgium, in varias Germaniæ prouincias deductas, assidueq; deduci colonias; quæ aduersus hæreticorum impetus propugnacula statuantur. Inde in Indiã vsque & vltimas Orientis oras, qui ignotis ab omni æuo gentibus Christianæ fidei lumẽ inuehant, dimitti; nec modica Hispaniæ Lusitaniæque subsidia. Sed hanc eximiam iuuentutem, quę tantam educetur & instituatur in spem, subsidiis humanæ vitæ omnino destitui. Conducta in domo cõfertos ac pressos inter summas rerum omnium incommoditates agere, vbi necesse sit profligata valẽtudine pulcherrimas spes intercipi, & egregias indoles interire. Non alimenta, nõ vnde corpora tegant, habere. Ad sobolem hanc suam, fidamq; ac promptã cohortem respiceret pius ipse, & paternæ curæ, quam in omnes acceperat, particulam deriuaret. Opus esse dignum Romani pietate Antistitis, gentiumque custode omnium in Vrbe terrarũ principe, vnico mundi oraculo, æterna religionis ac pietatis regia, id nationũ omnium perfugium ac præsidiũ conseruare atq; perpetuum facere, vnaq; operâ de gentibus vniuersis benemereri. Clementi vultu & oratione Pius Lainiũ eiusq; dicta excepit: optimè sibi cognitũ memorat quantum latè per remotissimas terras in commune pietatis Societas cõferat. Operâ eius liberaliter vsurum. Nec modò diuina quæcunque posset, ad eius stabilitatẽ firmamenta collaturũ, sed humana quoque præbiturũ adiumẽta, & Collegij Romani præcipuè memorem fore. Haud benigniùs, quã fecit, locutus est. Quatuor è præcipuis Cardinalibus Ioanni Morono, Iacobo Sabello, Alexandro Farnesio, & Hippolyto Estensi negotium dat circũspiciendi, vnde subleuari Collegium possit. Horum & ante alios Moroni Cardinalis operâ certa Collegio sedes est attributa ea, in qua postea mãsit. Victoria Tolfia Marchio Vallis, Camilli Vrsini Marchionis Guardiæ olim vxor, Pauli Quarti neptis, post mortem viri ad virginum monasterium extruendum animum adiecerat; destinatisq; hoc in opus ædibus, quas ipsa habitabat, & à Paulo impetratis, quas ipse Cardinalis incoluerat, eiusdemque auctoritate vicinis coëmptis, templi quoq; iactis fundamentis, satis amplum spatium vndique ab domiciliis vicinorum interiecta via seiunctum comprehenderat insula: & virgines aliquot è variis monasteriis familiæ capita futuras eò vocauerat. Sed mox, vbi Paulus Quartus est mortuus, virginibus illis, siue quòd per interregni licentiam parum tutas se eo loco haud dum septis omni ex parte communito suspicarentur fore; siue quòd sublata Pauli gratia opus diffiderent

1 *Pius IV. Pontifex benenolus Societati.*

2 *Nouis Pontificibus Societas votũ suum quartum exponit.*

3 *Collegium Romanum quàm vtile Ecclesiæ.*

4 *Pontificis Pij verba Lainio.*

5 *Collegio Romano certa sedes attributa.*

Digitized by Google

rent proceſſurum, ad ſua quaq; cœnobia digreſſis; animaduertêre amicorum quidam vacuam domum: & cùm ſpatij amplitudine, tum frequẽtia & ſalubritate loci aptiſſimã Collegio fore ſedem affirmantes, Patres admonent excitantq́ue, vt præterlabi occaſionem haud quaquam ſinant. Viſa res digna eſt, de qua Pontifex admoneretur. Cardinalis Moronus nunciat; & grauem cõmendationem adiicit. Summè Pius probauit, libentiſſimeq́; ſuſcepto negotio, ſemel atque iterum ſui Præfectũ cubiculi, atque Datarium ad Marchionem allegauit ſuo nomine rogatũ, vt, quod deſtinarat opus, in hoc alterum, quod ſibi haud ambiguè videatur in amplioré diuinæ Maieſtatis ceſſurum laudem, mutare placeat. Non grauatè ſupremi nutum Paſtoris femina prudens, & diuini cultus percupida ſecuta eſt: adeoq́; paulatim cõciliata eſt; factumq́; attẽtiùs conſiderans ita ſuum probauit, vt magnam ſe gratiam Beatiſſimo Patri habere profiteretur, quòd paucarũ locofiliarum, filios ſibi tam multos tradidiſſet. Quidquid publicarum tabularum ad legitimã rei tranſactionem conficiendum fuit, gratuitò fieri Pontifex iuſſit; & Cardinali Sabello admonẽte, vt quibus tectum dederat, iis ad alimẽta aliquid largiretur; præter quaſdam immunitates, quoniam nihil ad rem aliunde ſe offerebat, ſexcenos in ſingulos annos è ſuo ærario nummos aureos aſſignauit. Id Patribus animum Pontificis, quàm rem magis ſpectantibus, beneficium ſanè magnũ viſum eſt, quòd non exhauſtum modò ſuperiorũ temporũ difficultatibus Pontificium fiſcum nouerant, ſed grandi ære alieno obligatũ: nec præterea ignorabant Domũ etiã Profeſſorũ haud exigua ab Pontifice eodem ſumma adiuuari. Cæterùm fundati, eaq́ue, quam ex parte cernimus, magnificentia extructi Collegij laudem Gregorio Tertiodecimo, vti multorum præterea inſignium operum, Deus reſeruabat. Pij verò voluntas optima in reditibus quoque Eccleſiaſticis in Hiſpania Collegiis Ocaniæ & Abulæ adiungẽdis, ſed clariſſimè in Conimbricenſis Collegij dirimenda lite perſpecta eſt. Liserat magni momenti, reſq́; agebatur, qua nobile illud non Luſitaniæ modò, ſed præcipuum Indiarũ quoque præſidium maximè ſtabat. Aduerſarius erat permoleſtus Lopus Gomius Abreus, qui Romæ priuatim publiceq́; cõueniens iudices, ſubmittens gratioſos, ſine ſcrupulo, quę erat commodum vero admiſcens, vbique Ieſuitas ereptores ſacerdotiorũ, ſpoliatores Cleri vociferans, eò rem adduxerat, vt in tam graui, quæ imminebat iactura, minor Societati rei, quàm famæ cura eſſet. Huius impotentia hominis Pius cognita, cauſam primò ad ſe tranſtulit: dein æquitate comperta, litem nobis, fruſtra obſtrepente Abreo, adiudicauit, gratis inſuper Apoſtolicis diplomatibus de ea confici iuſſis. Quo corollario plus mille aureorum nummũm, quod in id impendendum alioqui fuiſſet, donauit. His de omnibus beneficiis cùm Lainius gratias ageret; ſubiecit ſanctiſſimus Pater (aderant Cardinalis Moronus, & Ferrariæ Dux eo die apud Pontificem pranſi) haud opus gratiis eſſe: Societati ſe vſque ad ſanguinem fauturum. Alioq́ue die cùm litteras in commẽdationem rerum noſtrarum à Philippo Hiſpaniarum Rege acceſſet, dixit ab Imperatore quoque & aliis Principibus ad ſe eiuſmodi commendationes miſſas; verùm ſuperuacua ſecum talia officia pro Societate eſſe, ad quem commendare eam potiùs pertineret. Quæ non verbi cauſa dici, res, veręq; animi indices teſtabantur. Nam quos per orbem Chriſtianum vndique in prouincias dimittebat Apoſtolicæ Sedis Nuncios, iis Societatem plurimùm commendabat: & ei, quem in Germaniam deſtinauit, diſertè hoc addidit in mandatis, vt vias attentè diſpiceret, per quas quãplurima eius Collegia conderentur. Ac neſcio quo pacto Romæ hoc potiſſimùm anno, lateq́; per Septemtrionis oras hæc opinio percrebuit ad corrigendos mores, reſtituendamq́; religionem haud aliud præſentius oblatũ eſſe remedium, quàm hominum Societatis quamplurimũ operâ vti. Iacobus Cardinalis Sabellus hac ductus opinione, vbi à Pio Quarto eius in Vrbe Vicarius conſtitutus eſt, acerſito Lainio ait, id ſe oneris ſubiiſſe minimè inuitum, ſperantẽ ea via in diuini cultus ornatum & incrementum nonnihil collaturum, idq́; adiumento in primis Societatis. Et quoniam recta populi inſtitutio emendatioq́; à ſacerdotibus idoneis pendeat, decretum ſibi deliberatumq́; eſſe neminem ad ſacerdotalẽ gradum efferre, qui ab hominibus noſtris nõ probaretur. Proinde duos legeret à pietate prudentiaq́ue ac doctrina idoneos viros, qui de initiandorũ doctrina & facultate periculum facerent, quorũ iudicio ſtaretur. Vidit Lainius prouinciam eſſe inuidioſam, tamẽ tali viro ita præciſè, piaq́; adeò mente poſtulanti repugnandum non cenſuit, cùm præſertim vtilitate publica inuidiam, ſiqua exiſteret, compenſatum iri, ſpes eſſet. Quod planè è ſententia euenit. Quippe Patres, quo conſideratiùs tam graue negotium gereretur, formula ſibi periclitationis totius accuratè confecta, Cardinaliq́ue oſtenſa, cùm is ſummè probaſſet, commodum inde multiplex Eccleſiæ peperere. Non enim ii modò, qui acceſſere indigni, repulſi ſunt; ſed etiam quanta res integritate adminiſtraretur, cùm fama vulgaſſet, multos ne accederent, conſcientia & pudor abſterruit. Multi ad pietatis ac litterarũ ſtudia, quò idonei fierent, iterum animum retulere. Ac demum vrbibus aliis optimo præitum exemplo eſt, in quarum multis Antiſtites Vicarij Pontificij æmulati ſedulitatem in exploranda ſacrorum candidatorũ facultate curam multò acriùs intendêre. Neque hac tantùm in re Societatis operâ vſus eſt Cardinalis Vicarius; ſed eamdẽ ad inſpectionem rectionemq́ue Eccleſiarum, eamdem ad virginum ſibi commiſſarum iuuanda monaſteria adhibebat: & in Vrbis totius ſalutem intentus voluit à Sociis adnotari, quæ cenſerent ad bene Chriſtianeq́ue viuendum in commune ſalutaria fore. Quod cùm feciſſent, earũ rerum, quas adnotauerant, initio præcipuam quamque; tum deinceps reliquas promulgari obſeruariq́ue iuſſit. Haud interim minùs ipſe Pontifex & Societate, & nominatim Lainio vrebatur. Editum à Paulo Quarto indicem prohibitorũ librorum, cùm multi nimiam in eo ſeueritatem quererentur, recognoſci inter cæteros à Lainio iuſſit: multaq́ue monitu eiuſdem Pontifex egit: ac præcipuè ſingularia certamina interdixit, pœnaſque grauiſſi-

6 *Pij IV. in Societatem beneficia prima.*

7

8 *Cardinalis Sabellus Societati permittit initiandorum examen.*

9 *& vbique Societatis operâ vtitur.*

10 *Lainij monitu Pontifex ſingularia certamina (ueuet vetat.*

Digitized by Google

grauissimas,& censuras tum certantibus,tum liberum præbentibus campum in hæc certamina, & certantium patronis proposuit. Porro ad Lainium si quãdo genus omne hominũ nunc maximè cõfluebat, vt occupationũ eius maxima esset aures confluentibus præbere. Et tamen tot inter occupationes virille laboriosus,& proximorum salutem inexplebiliter sitiens non recusauit sæpè ad multam noctem confitentibus patientiam accommodare, & cum hæretico quoque homine in certamen descendere. Missus erat Geneua in vrbem præfidens & astutus impietatis magister, vt clanculùm Romam religionis parentem adoriens,veritatem, si conata procederent, quasi in fonte vitiaret. Deprehensus,coniectus in vincula,damnatus ad ignem: salutaria monita & consilia durus, & obstinatus animo & auribus respuebat. Quocirca visum est Vrbis Prætori Lainium aduocare, si fortè disputatione conuictus, & lumine veritatis ingesto ab æterna pernicie conseruari posset. Adit in custodiam Pater eo consilio, vt priuatim solus cum solo agens blandè mulcere, pacateque docere hominem conetur. Metuebat enim, quod euenit, ne,si publicè dimicatio iniretur (vt est prauè prudens contumacia hæreticorum) victus ad sua mendacia tenaciùs adhæresceret. Vbi ventum est in custodiam, reperit ibi quosdam Cardinales, aliquot Episcopos, multos præterea viros primarios, & quosdam Pontificis consanguineos:qui(vt simile vero est) à Prætore Lainium cum hæretico cõgressurum admoniti,auditum spectatumq; conuenerãt.Hanc vt coronam aspexit Lainius,aliam ac destinauerat, inire coactus est pugnæ viam, glorioſiorem Catholicæ veritati, sed superbo hæretici ingenio minùs idoneam. Conseritur igitur publicum & graue certamen. Non multis interrogationibus eò compulsus est miser Caluini assecla, vt affirmaret pugnantia: mox euidentiùs conuictus cùm aliud effugium non pateret, cùm apertè sua figmenta rationibus dilui, sanctorum Patrum confutari testimoniis, diuinarum Litterarum refelli auctoritate cerneret, exclamat vno se stare Caluino. Quidquid contrà obiiceres, hoc tenebat saxum, aliter sentire Caluinum:si Doctoribus sacris recentibus & vetustis, si Apostolis,si Christo Domino aduersari Caluinum ostenderes; ille nihil de sententia demoueri:Caluinum malle: instar omnium habere Caluinum. Ita miser volens vidensque cum Caluino periit. Haud nihil tamen profectũ est. Qui disputationi interfuerant, non sapientiam magis Catholici Doctoris admirati, quàm cæcam detestati hæretici pertinaciam, lætique,& valdè in orthodoxę fidei sanctionibus cõfirmati recessere. Nam tametsi,quam Romana Ecclesia tradit religionem, veram esse solam germanamque certũ habebant, id tamen ita esse,in eo conflictu suis propè oculis viderant; quamque apertæ atque euidentes res essent,quàm facilè fulgor veritatis errorum caliginem dissiparet experti erãt.Sic enim planè res habet.Quamuis dogmata fidei obscura sint, euidẽter tamen ostenditur, qui ab Catholica & Romana Ecclesia dissentiunt,planè eos errare. Neque id (quæ mea est sententia)paulò doctiorum quisquam hæreticorum non videt: ideò isti ne Catholicæ se se subiiciant,licet verbo aliquam teneant,re ipsa sensim omnem funditus religionem tollunt.

11 *Lainij cum hæretico congressus.*

12

Inter hæc magistratus Lainij annus tertius init: ac verus sui contemptor, & Christianæ studiosus humilitatis Pater, mandati nomen, quo Paulus IV. eam potestatem triennio circumscripserat, prætendens, ad ponendum onus sedulò versa cura ad nouum substituendum Præpositũ congregationem generalem parabat edicere;cùm re confessarius cognita, religione iniecta, vetuit tam graui de re inconsultis Assistentibus quidquam mouere. Tum ille conuocatis Assistentibus,ita locutus est: Venerandi Patres, vbi Paulus Quartus Pontifex duobus antè annis iussit in Societate chorum instituı, ac Præpositum Generalem ad triennium esse, tria mihi venere in mentem:quæ hodieque sentio. Primum neutram earum rerum Sodalitati nostræ conuenire; sed id dumtaxat, quod sanctæ memoriæ Parens noster decreuit, cuncta Societas confirmauit, ad hanc diem adprobauit vsus. Deinde mandatum illud Pauli ratum perpetuumque non esse, quia subito quasi impetu contra ea, quæ ipsemet Paulus non multò antè per Cardinalem Paciecum denunciauerat,& alij Pontifices diplomatibus sanxerant,latum erat. Quamobrem,vti meministis, eo mortuo doctissimi quiq; huius Vrbis viri pronunciarunt rem irritam esse : nobisque auctores fuerunt,vt id,quod opus erat,per publicum scribam testati, choro absisteremus. Quod vobis adurgentibus, cùm ego ad nouum Pontificem differri rem integram vellem,est factum.Postremò iam tum id quoque venit mihi in mentem, quod in præsentia,vt hæc agerem, fecit. Si Deo placeret, vt annum imposiri mihi oneris tertium contingerẽ, non solùm mihi contendẽdum non esse,vt Generalatum vltrà obtinerem,sed id omne,quod absque Domini nostri fas esset iniuria, mouendum omnique adnitendum ope, vt abdicarem.Atque adeò iam cogitabam vniuersa in Societate denunciare omnibus, quos Constitutiones conuocari iubent, vt ad tertij anni finem Romæ nouum in nomine Domini Præpositum declaraturi adessent. Sed quoniam iniecta religione vetuit me quidquam moliri meæ cõscientiæ arbiter, antequam vestras audirem sententias; vos ego rogo atque obtester, vt re Domino commendata, vobisque ante oculos vna gloria Dei maiore nostræque Societatis vtilitate proposita,quouis hominum respectu, mortaliq; negotio procul habito,quod vobis videtur,expromatis, certi rem gratissimam mihi facturos, si me sarcina meis humeris omnino impari & intoleranda leuaueritis. Equidem Patres virtutibus, quas in Præposito Constitutiones nostræ requirunt,diligenter animo colluſtratis, vbi oculos ad me conuerti, earum, præter pauxillulum bonæ voluntatis, fideique erga Societatem, ac litterarum (in quibus tamen summa rei non est) in me nullam propè inuenio. Ad gubernationem nec studio propensus,nec idoneè instructus sum: in consiliis capiendis,muneribusque prudentiæ incertus & errans: in actione remissus, mollis,flexuque natura facilis:rebus, quæ iis, qui præsunt, auctoritatem conciliant, plurimis nudus. Et quanquam

13 *Lainij de ponendo Generalatu consilium.*

14 *Rationes quæ suadẽt ponendum Generalatũ.*

Digitized by Google

„ quanquam conscius mihi sum, nec sciente me,
„ nec volente quidquam commissum; tamen plu-
„ rimùm vereor, ne his annis, quibus præfui, earũ,
„ quas dixi, inopia virtutum multa peccarim, præ-
„ sertim per socordiam & indulgentiam, quæ non
„ oportebat, omittens; idque multò sæpiùs acci-
„ derit, quàm meus in me amor me sinat videre.
15 „ Præpositum hisce initiis desiderat Societas insi-
„ gnium, Patres, insignium planè virtutum ac ta-
„ lentorum; nec talium virorum (Deo gratia) pe-
„ nuria illi est: nec alium, quàm qualem necessa-
„ rium habet, si comitia fiant, Deo fauente, sortie-
„ tur. Locum ego quid occupo alienum? Quid Ec-
„ clesiæ Dei id bonum, nostræque inuideo Socie-
„ tati? Non ita erit profectò. Tum verò nimis pa-
„ rum Domini mei Iesu Christi, huiusque meæ pa-
„ rentis Societatis amans mihi videar, si hunc clau-
„ serim aditum. Per me verò non stabit, quin qui
„ bene ferendo sit oneri, succedat. Satis noui expe-
„ dire quidem Societati perpetuum esse Præposi-
„ tum, atque idcirco prudenter ac rectè id, quod
„ innouatum fuerat, antiquatum esse: verùm ta-
„ men non apud Deum tantùm, sed etiam apud
„ homines prouidenda bona sunt. Mihi nomina-
„ tim Pontifex trium annorum spatio magistra-
„ tum finiuit. Non decet me vel contumacis, vel
„ ambitiosi speciem prębere, si vltra eos fines egre-
„ diar. Abolere has suspiciones non mihi magis,
„ quàm communi bono aduersas facile est, si Præ-
„ positus nouus creetur. Denique, Patres, supre-
„ mus reddendæ rationis dies appropinquat. Mul-
„ tos annos, siue Prouincialis, siue Vicarius, siue
„ Præpositus viuo aliis. Æquum est pondus diuidi;
„ tandemque reddi me mihi, vt curam ab aliis re-
„ gendis ad regendam animam meam referam,
„ rationesque bene componendas. Neque eò hæc
„ dico, quòd solitudinem atque otium cogitem:
„ sed, si ita ex obedientia licebit, vrbes ac prouin-
„ cias varias peragrabo, & quo liberior atque ex-
„ peditior, hoc maiore cum fructu per Collegia
„ rationem vocationis institutique nostri Sociis
„ explicabo; populis verò dogmata Christiana
„ sanctumque Euangelium. Italicè Hispaniceque
„ sic noui, vt ab auditoribus intelligar: Gallicè et-
„ iam, si paulùm refricem vsum, quod satis erit, lo-
„ quar. Hasce per prouincias expeditus curram, &
„ multò minore cum conscientiæ discrimine, ma-
„ iore aliquanto cum facultate (nam ad id videor
„ mihi potiùs à Deo, quàm ad gubernandum fa-
„ ctus) Societati, Ecclesiæ sanctæ, Christoque Do-
16 „ mino seruiam. Vix hæc Lainius dixerat, cùm As-
„ sistentes (aderant tres Natalis, Polancus, Madri-
„ dius) æquè sinceram tanti viri humilitatem ad-
„ mirantes, atque conatibus obuiàm ire molien-
„ tes, rem ampliùs ac per otium apud se retractare,
„ superamque exposcere lucem sunt iussi: postque
„ aliquot dies reuocati, hæc fermè vno ore respon-
17 „ derunt. Dubium nobis non est, quin, si gratum
Assistentiũ verba de Generalatu obtinendo. „ facere tibi vellemus, oporteret nos, quantum est
„ in nobis, isto te onere liberare: sed fides, quam
„ Societati obligauimus, atque adeò iussum tuum,
„ quo sine respectu personæ humanique negotij,
„ non quod tibi gratius sit, sed quod ad maiorem
„ Dei gloriam & Societatis commodum oportu-
„ nius sentiamus esse, loqui nos vis, cogit vehe-
„ menter tuis, Pater, cœptis aduersos ire. Consul-
tauimus apud nos, & consuluimus Deum, quia „
tu iussisti, non quòd obscura res aut ambigua es- „
set. Nam Generalem Instituta perpetuum iubent „
esse; idque expedire tu ipse sentis. Atqui, si quod „
vnquam fuit tempus, quo minimè oporteret at- „
tentare istam rem, hoc est profectò, ne manda- „
tum illud comprobare, & subire vltrò videamur; „
& Instituta Societatis in perpetuum, quod vel „
noluit Pontifex, vel Deus non siuit efficere, ipsi- „
met euertamus. Speciem contumacis & ambi- „
tiosi times. Quin igitur cantare rursus incipimus, „
ne cuncta Societas & ignauiæ & contumaciæ „
subeat notam? Quibus autem periculum est ne „
videare ambitiosus & contumax? Doctisne? At „
hi, vti suaserunt intermittere chorum, ita munus „
istud non intermittere suadebunt. An multitudi- „
ni ac populo? At his multò promptius fuit nota- „
re susceptum publicè præter morem in templo „
cantum, pauloque pòst intermissum, quàm sint „
animaduersuri, quid faciat Generalis. Ad hos, „
vel Pauli acta non peruenerunt, & inanis est ti- „
mor: vel si peruenerunt, intermisso choro, timor „
est serus. Imò illud iam omnes iure mirentur, si „
Generalis creetur nouus. Hoc inopinatum, hoc „
præter expectationem accidat, & nos meritò in- „
constãtiæ arguat. Iam enim restitutis vna ex par- „
te moribus nostris, expectant id, quod consen- „
taneum est, vt ex altera quoque parte restituan- „
tur. Nulla igitur est ex actis Pauli, nisi perpetuan- „
di causa magistratus. At multæ tibi ad rectè eum „
gerendum necessarię virtutes desunt. Id verò est, „
Pater, non magis tuum iudicare, quàm nostrum, „
quàm Societatis vniuersæ: cuius tu iudicium „
condemnare non debes. Quid enim? paruóne „
consensu, ex iis omnibus, ex quibus tu optimum „
delectum iri, & insignium virtutum Præpositum „
censes, si comitia noua fiant, te vnum delegit? „
Dices opinione frustratam, quòd plus de te sibi „
pollicita sit, quàm deinde præstiteris: scilicet o- „
pinione & auditione dumtaxat notum adsciuit, „
non quem præter alia munera publica eodem „
isto in gradu biennium ipsum, quo Vicarius fue- „
ras, erat experta, quid posset. Nam de cura quid- „
quam à te, postquam Generalis es factus, remis- „
sum nec humilitas, quæ verax est, te dicere, nec „
quæ cernimus, credere nos patientur. Denique, „
quæcunque tua facultas sit, Societas contenta „
est. Quæ rectè habent, ne mutes. Qui status præ- „
sens sit, nosti: qui sit futurus, si quid mutes, igno- „
ras. Vti hinc spes, ita inde periculum. Karò ab „
humanis futurorum consiliis hæc segregantur. „
Quod ergo possidemus in præsentia quantu- „
lumcunque bonum, in incertum nobis ne voces. „
Illud etiã, Pater, decet te cogitare, à nobis com- „
memorari necesse est: Fas tibi non esse tuo arbi- „ 18
tratu abdicare magistratum: alioquin frustra per- „ *Non licet Generalibus magistratum abdicare.*
petuum eum iusserit esse sanctæ memoriæ Igna- „
tius. Suscepisti inuitus, non ignoramus; quia ta- „
men Instituta verant reiici, suscepisti. Quid au- „
tem interest primò delatũ reiicere, an postquam „
susceperis, pro voluntate ponere? Si congregata „
hunc in locum Societas iuberet te Generalem „
esse, tergiuersari non posses: at profectò, quam- „
diu quod egit, ratum habet, id quod priùs iussit, „
perpetuò iubet: tibique humeros, quos initio, „
quia aliter non licebat, patienter oneri subiecisti, „

Digitized by Google

„ subducere nefas est. Velles saltem noua haberi
„ comitia. Quid si rursum te creet? An tot incom-
„ moda, tot sumptus inferes, vt nihil lucreris? Cir-
„ cumspice Societatem: vide quàm multa quoti-
„ die domicilia statuantur, quàm grauia præcipui
„ Patrum negotia tractent. Cogita quanta rerum
„ omnium vbique penuria opprimamur, quanti-
19 „ que sumptus vsque à remotissimis regionibus
Qua inde incommo-da, si liceret. „ veniendo redeundoque fiant, quot labores,
„ quot pericula subeantur. Causam profectò,
„ quamobrem eos viros, quibus stat vigetque
„ Societas, & non leui ex parte Catholica fides,
„ tam longis itineribus vexes, ac tot in pericula
„ conijcias: totque impendiis exhaustas prouin-
„ cias oneres: tot inchoata opera disturbes: omnia
„ propè domi foris que permisceas, esse nullam vi-
„ debis. Vide postremò, quò istud exemplum ali-
„ quo tandem tempore euadat. Aditum aperit
„ tempestatibus infinitis. Quoties quem quauis
„ causa magistratus pigebit; abdicabit. Sed est ad-
„ huc aliquid deterius: fenestram aperit, vnde
„ olim indignus (quod Deus procul auertat) im-
„ probusque Præpositus istum in locum surrepat:
„ atque, vt est in sacro Apologo, principatum à
„ bonis felicibusque reiectum arboribus infelix
„ & spinis horrens truncus excipiat. Nam probi
„ viri idoneique latere ac subiici amant, non præ-
„ esse: onus periculumque defugiunt. Ita disserunt
„ vti tu: subducendas componendasque esse ratio-
„ nes: viuendum sibi: ad populi salutem liberè, ac
„ sine irretiendæ conscientiæ metu discurrendum.
„ Caue igitur de cruce descendas; & exemplum
„ exitiale posteritati pares. Nobis ita videtur, quo-
„ niam nec Pauli Quarti acta nos amplius tenent:
„ nec vlla aliunde edicendæ congregationis appa-
„ ret causa, sed multæ grauissimeque, cur abstinen-
„ dum sit, eam edici non oportere. Hæc Assisten-
tes pro rei grauitate acriter libereque, Natalis
præsertim, cùm dicerent, audiebat Lainius con-
fusus, tantumque non lacrymans: demumque
20 subiecit: Adiiciam vestris rationibus aliquid ego
Lainii cãdor & sincera mens. „ quoque, & pugnabo contra me. Non enim tas
„ duxerim quidquam dissimulare ex iis, quæ ani-
„ mus mihi suggerit. Succurrit mihi testimonium
„ conscientiæ meæ. Quippe ea testis mihi fidelis
„ est, me neque mentis assensu, nec re verboue, si-
„ ue apertè ac directè, siue dissimulanter & obli-
„ què tetendisse vnquam ad hunc gradum, imò
„ eum pertimuisse: nec quidquam, quod liceret,
21 „ prætermisisse, vt auerterem. Et, quamuis ita ego
Indicia diuina vocationis ad Generalat. „ adnisus contrà sim; ac Deus notas quoque meas,
„ quæ poterant impedimento esse, palàm fieri an-
„ te creationem, siue voluerit, siue permiserit;
„ creatus sum tamen magno consensu non præ-
„ sentium modò, sed absentium quoque, qui om-
„ nes mihi suffragabantur: tametsi id ego suspicãs,
„ gauisus sum eorũ suffragia non obseruari. Postea
„ verò quàm sum creatus, nihilo visus sum plus
„ inde mihi placere: sed potiùs confundi & erube-
„ scere. Atque ex his aliisque coniecturis subit
„ mihi existimare, me planè à Deo vocatum: ac de-
„ bere in cruce perstere; verendumque esse, ne
„ fuga hæc ab amore proprio nascatur, qui cupiat
„ rebus magis vulgo gratis, mihique iucundis oc-
„ cupari, quàm damnatum esse in omnem vitam
„ ad legendas scribendasque litteras, atque ad men-
tem & aures alienis doloribus audiendis cogi- „
tandisque defatigandas. His accedebat, quod e- „
quidem crederem, nunquam scientem me, diui- „
na iuuante gratia, quidquam contra Societatem „
commissurum: sique ego onus ponerem, fieri posse „
vt id alius, quod vos attigistis, susciperet, qui hoc „
animo nõ esset: quamuis in Societate hominem „
ego huiusmodi nullum norim. Hæc eo sensu, ea- 22
que ingenuitate optimus Pater dixit, vt Assisten-
tes, perinde ac si eius animum hinc atque hinc
angustiis pressum spectarent oculis, miseratio
caperet: simul tamẽ cura leuati non mediocriter
sunt, existimantes cùm sua eum conscientia re-
prehenderet, adeoque ipsi acriter reclamassent,
nihil vltrà tentaturum. Non tamen sibi ille pe-
nitus satisfecit, aut continuò quieuit: verùm ad
omnes, quotquot in Europa Professorum ex or-
dine essent, scribens ac nuncians, quæ hac super
re egerat Romæ, ac referens pro vtraque parte à
se, & ab Assistentibus dicta; in nomine Domini
nostri Iesu Christi, & in virtute sanctæ obedien-
tiæ mandat, vti singuli, postquam rem Deo Do-
mino commendarint, rationesque; quæ vtramque
in partem mittebantur, quæque præterea cuique
se offerrent, expenderint; statuto sibi præ oculis
maiore Dei obsequio, bonoque Societatis, cui-
usuis rei humanæ, negotiique perituri affectu
sublato, exponant scribantque hac de re senten-
tiam suam: noua Generalis creatio exacto trien-
nio facienda sit, nec ne: sententiamque sine am-
biguitate perscriptam signatamque, & arcanam,
vt nemo qualis ea sit, sciat, tradant, vel Commis-
sario in ea prouincia, vbi is fuerit; vel Prouincia-
li in aliis; vt hi diligenter Romam, si opus fuerit,
duplici via deferendas curent. Atque vt liberiùs
suum quisque explicet sensum, curaturum se
Romæ, vt auctores sententiarum sibi occulti
sint. Quanquam re vera mihi, inquit, istud mini- „
mè necessarium videtur, quòd credo, qui pro- „
nunciabit onus perferendum, quia ita censebit „
expedire, ita pronunciaturum: qui contrà sen- „
tiet, eodem fine & consilio ductum iri: speroque „
fore, vt hinc nihil in animo meo offensionis sub- „
oriatur; quamque singulis debeo, caritas augea- „
tur potiùs, quàm vllo modo refrigescat. Itaque „
ego, quod in me est, paratus sum concedere & „
abdicare quodcunque ius, quod legitima & ca- „
nonica electione ad me triennio transacto per- „
tinere possit. Omnesque ac singulos enixè pre- „
cor, vt, si æqualis Dei gloria esse videatur, hoc „
pondere, quod sanè haud meorum est humero- „
rum, liberum me esse velint. Placeat Deo, cuius „
hîc dumtaxat gloria, minimæque eius Societatis „
profectus propositus est, mentes regere nostras, „
id vt deligamus, quod eius maiori obsequio, & „
nostratum animarum, & proximorum vtilitati „
accommodatius fuerit. Amen. Romæ, xv. Kalen- „
das Octobris, anno salutis humanæ MD.LX. „

23 His litteris in omnes Europæ prouincias di-
Natalis ad Societatem visendam mittitur. missis, ordinandæ Societatis curam persequens,
ad eam totam in Europa visendam sub huius
anni exitum misit Hieronymum Natalem: cùm
res præsertim in Hispania turbulentæ perurge-
rent, quemadmodum infrà narrabitur. Eodem-
que tempore nouam in Italia prouinciam instı-
tuit. Etenim Italiæ Collegia, vbi Lainius, qui
eam

Digitized by Google

eam prouinciam sub Ignatio administrabat, post eius decessum Vicarius sublectus est, à summo Societatis capite regi omnia cœperant. Dein post congregationem generalem tres designatę prouinciæ, quarum Neapolitana hauddum Collegia nisi Neapolitanum ac Nolanum complexa protinus Salmeroni commissa. Anno pòst Collegiis, quæ Venetiis, Patauij, Bononiæ, Ferrariæ, Mutinæ, Genuæ erant, Benedictus Palmius est præpositus: & Longobardia prouincia nominata. Huius denique anni lapsu Genuensi Collegio, Florentino, Senensi, Montis Politiani, Perusino ac Lauretano sub vnius Prouincialis procurationem redactis, eis Ribadeneira præpositus est, qui vnà cum Oliuerio Manaræo, ac Ledesma tertio Nonas Nouembris solennia quatuor vota professus erat. Prouincia, quòd pleraque domicilia in Hetrusco erant solo posita, Hetruria nominata. Foroliuiense Collegium Longobardiæ subiectum est, & inde ad Hetruriam Genuense translatum, sedes fermè Prouincialis futurum. Domicilia, quæ Ameriæ, Tibure, & in Tusculano erant, quædam quasi Romani Collegij membra habebantur: eoque vnà cum Romanis domiciliis vnius Generalis procurationi reseruata sunt.

24 *Societatis per Italiam qualis administratio hoc tempore.*

25 Per Italiam mira planè plurimarum ciuitatũ studia erant Collegia postulantium. Ariminensis ciuitas sex è prima nobilitate cum litteris mandatisq; id curaturos legauit, nec nisi gratiarũ actione, bonaq; ostẽsa spe tantæ caritati licuit respondere: & tamen toto huius spatio anni vel ad nouas instituendas colonias, vel ad supplendas veteres, Roma haud minùs centum viginti egressi.

26 *Collegij Romani res.* Circiter XII. Kalendas Iunias instructis iam nouò in Collegio classibus scholæ haberi cœptæ maiore animi impetu docentium pariter atque discentium. Dilata in solennia Nouembris initia reliqua celebritate, in præsentia pium dũtaxat ac doctum spectaculum ad Sanctissimę Eucharistię veneratione octauo die, quo anniuersario more circumfertur, est præbitũ. Eo die cùm per aream, quæ pro foribus Collegij tum erat, deferretur, ad cæterum apparatũ exornati sunt parietes ingenti numero carminũ, & metri & linguarũ multiplici varietate. In Latinis Græcisque & Hebraicis, Itali etiam modi multifariam, Hispaniq; & Galli visebantur. His Belgici, Germanici, Boëmici, Polonici, vt cuique genti ratio numerorum est, accedebant; quò populorũ omnium linguis, tum maximè Deo grates laudesq; de tam admirabili beneficio redderentur, cùm illud obscurare impietas barbara nitebatur. A prima luce cernere erat aream legentibus & exscribentibus refertam: & illud in Vrbe omnium nationum frequentia nobili iucundum erat, quòd quisque suæ gentis ibi poësim inueniens vernaculam suauitatẽ in aliena patria, soliq; natalis sui dulcedinẽ regustabat. Ara quoq; stabat eleganter extructa: in qua dum ritu cõsueto parumper diuina hostia deponitur, eam pueri duo, quo cultu mos est Angelos pingi, decenter ornati, facto ad id ingeniosè breui carmine piè venusteq; salutarunt. Nec verò in ediscendis promendisq; litteris, quàm in solidarum virtutum studio Romani alumni Collegij intentiores erant. Ad cætera pietatis ac voluntariæ vexationis genera id hoc anno addidere. Vbi dies accedebat sancto cuipiam viro sacer, cuius in clientela aliqua natio esset, qui Socij ex ea natione aderant, cõuenientes inter se, alioq; inuitantes pridie festi diei, in eius Diui honorẽ, & ad eiusdem patrocinium sibi suæq; nationi conciliandũ, sese publicè verberabant. Eosdem cœtus agere, eamdem suscipere spõte pœnam ad Sancti, cuius nomen ferebant, venerationem omnes quotquot aderant cognomines aggressi. Quibus diebus gymnasium silebat, ad prælibandam animarum prædam, ad quam auidè inhiabant, ingenti cum siti egressi per compita Vrbis & fora ferebantur, non sine odio circumforaneorũ cerdonũ nugas inopi turbæ venditantiũ; sed maximo cum quæstu rusticorũ, quos ad sacras & necessarias curas ab damnosis oculorum auriumq; ludibriis auertebant. Iamq; ipsimet rustici, vbi Collegij alumnos videbant, gnari quid venirent, parabant humaniter audientiam: eumdemq; in locum, vt quę cœpti erant doceri, perdiscerent, referebant sese proxima feria. In lõgiore verò autumni cessatione morem tenuere consuetum, vnoquoque per libellũ indicante Rectori quid è solennibus functionibus piis, vel peregrinationum, vel exercitiorum spiritualium, vel vilium domi & in nosocomiis laborum mallet. Missi quatuor suo quisq; cum Socio circa Romam Cardinalis Sabelli Vicarij Pontificij litteris commendati, sed absque viatico vllo: admonitiq; vt concionarentur, traderent elementa necessaria fidei, audirent confessiones, presbyteros modestè ac prudenter ad officium excitarent; &, cum caritate siquid in iis desiderari cernerent, admonerent, monitis, quæ posthac sequerentur, scripto relictis: conciliarent paces, ludimagistris atque discentibus apta hortamenta adhiberẽt, denique Sodalitates ad suas quamque leges, quibus fermè optimis continentur, seruandas impellerent. Nec minor, quàm superiore anno relatus est fructus. Litterarum inde studia repetita celebritate ingenti. Cùm triduo de rebus diuinis, quatriduo de naturalibus acriter disputatum esset, octauo die Latinè, Græcè, Hebraicè declamatum, & fabula data est, summa quotidie virorũ nobilium doctorumq; frequentia. Doctor Ferdinandus Iaën ex Hispania profectus in locum Iacobi Auellanedæ, cui repetenda Hispania fuit, quòd Romanum cælum incommodum erat, docere Theologiam cœpit, Philosophiam Petrus Parra item nuper ex Hispania missus. Reliqui superiorum classium Magistri haud mutati.

29 *Missiones circa Romam.*

30 *Quæ celebritate studia repetita.*

27 *Apparatus in supplicatione circumlati Christi corporis.*

28 *Cultus Sanctorum.*

In sobole, quam hoc anno Deus nouam summisit, egregium adolescentium par Mons Politianus dedit, Ricciardum Ceruinum, & Robertum Bellarminiũ consobrinos, Marcelli Secundi Romani Pontificis nepotes, illum ex fratre, cui Alexander; hunc ex sorore, cui Cynthia nomen fuit. Inuicem ignaros cœpit diuina vox ab curis fugacibus ad studium æternitatis vocare, dum Patauij Ricciardus subsidia ad crescendum doctrinæ quæreret: Robertus eôdem esset eadem causa propediem abiturus. Sed Ricciardus, vbi sanctioris vitæ successus amore est; & ad firmandam constantiã nuncupato voto Societati se dedicauit, & ab Iuris ciuilis cognitione ad Philosophiam transtulit, vt religiosis muneribus aptiorem.

31 *Robertus Bellarminius & Ricciardus Ceruinus in Societatem recepti.*

32 *Ricciardi vocatio.*

Digitized by Google

rem. Iamque anno superiore cum Gagliardis Patauinum manipulum cumulassent, nisi parentes, quorum absque bona gratia Lainius commoueri vetuit, retardassent. Verùm, dum veniam ab ipsis per litteras petit, re à Roberto quoque cognita, communicatis inde sanctis consiliis, vehementer se mutuis litteris confirmarunt. Eoque lætior reuocatus in patriam Ricciardus reuertit, quòd consociaturus arma cum tanto commilitone esset. Parentes, vt Christiana gerebant pectora, nihil moliri ausi, vnde cæleste semen in animis liberûm grauiùs periclitaretur; tantùm ex ipsomet Lainio precati, vt annum explorãdæ constantiæ daret. vbi id Lainius, pro tirocinio dicens fore, concessit, in pagum Ceruinorum, cui Viuo nomen, ambos abduxere. Hîc tempus non sine litteraria exercitatione exigebatur. Quippe in morem Academiæ singulis diebus à prandio conuenientes, Alexander ipse paterfamilias Georgica Virgilij: filius eius, Ricciardique minor frater Henricus, qui postea Protonotarius & vtriusque signaturæ, vt vocant, Referendarius obiit, orationem Demosthenis de corona, Ricciardus Poëticam Aristotelis Græcam, Robertus orationem Tullij pro Milone explicabant. At interim Ricciardus ægritudine odioq; mortalium rerum tabescebat. Quæ iucunda vulgo suauiaq; habentur, erant illi spinarum instar ac fellis. Sordebant honores: diuitiæ laquei videbantur: humana omnia cœnũ ac lutum: nec nisi ad homines cruciandos valere, in ea voce Psalmographi semper animo fixus, *Vniuersa vanitas omnis homo viuens.* Mortales miserabatur ex animo, quòd præcæcitate sua rerum eiusmodi non viderent inanitatem. Huius generis querimoniis oneratas litteras ad Patres Societatis dabat: quas cùm à cognatis suis intercipi animaduerteret, nihilo tamen minùs scribebat, gaudens, vt ipse loquitur, cerni suas litteras ab iis, à quibus retardabatur, vt legentes in iis animum suum, intelligerent quàm sibi graue & acerbum sæculum esset: ac tandem id, quod differrent, omnino concedendum esse sibi persuaderent. Roberti paulò minor ætas erat, pietas par, indoles ingenij maior. Is in ea rustica libertate totus in vita, quam meditabatur, defixus, eius quasi tirocinia positurus, cœpit ad pagi incolas concionari miro ardore, & audientium plausu; qui ab adolescẽtuli ore pendebant, amantes modestiam, doctrinam pietatemq; non solitã admirantes. Et sanè multa excellentis ingenij in ea ætate documenta præbuit. Eminebat poëtica indoles: quæ primum quasi flosculũ, & planè dignum Musis, vt Poëtæ nuncupant, virginibus, partum edidit de virginitate carmen, ita compositũ, vt primæ versuum litteræ nomen ipsum Virginitas efficerẽt. Multa deinde Latinè & Italicè carmina, & inter cætera Eclogam scripsit de laudibus Roberti Nobilij Cardinalis demortui, & Elegiam ad Abbatẽ eius fratrem, quæ publicè pronunciata sunt: & quidem Ecloga in aula magna Abbatis Nobilij, nec sine audientiũ lacrymis: tantaq; approbatione, vt vix quispiã simile vero putaret ab tenero adeò ingenio annorum nondum septemdecim profecta esse opera tam matura. Posthæc & vias, quibus ad viram Religiosam à Deo vocatus erat, & quas habuit cum domesticis ob eam rem dimicationes, est carmine Heroico persecutus spiritu ac vena singulari. Quod opus cùm in versus perinultos excresceret, omisit postea & cremauit, subeunte rubore, quòd de se ipse scriberet. Hi ergo optimi adolescentes dum ruri iussu parentum agebant, consensione pari, sed aliquanto disparibus studiis, alter meditatione magis, alter actione ad pietatem tendentes, mutuis se colloquiis exemplisque incendebant: & in tædiis dilatæ ab sæculo fugæ præstò aderat copia cælestiũ voluptatum: quæ degustatæ acerbitatem rerum mortalium, & amarorẽ magis vsque aperiebant. Tandem probata satis constantia parentes, ne, si vltrà tenderent, pugnare cum Deo viderentur, vtrumque humaniter ac piè Lainio per litteras commẽdatos misère Romam. In iis litteris Alexander Ceruinus Ricciardi pater, ait se filium Deo dedicare, cuius nullam vnquam nisi ad litteras, & ad pietatem propensionem nouerat; & credere eum innocentem ac planè immaculatum esse. Quare Deum precatur, vti primum hunc, quem sibi dedisset fructum (erat enim natu maximus) volens acciperet: & quasi puro sinceroq; vase ad longè lateq; suum ferendum sanctissimum nomen, vteretur in laudẽ suæ maiestatis, & Catholicæ fidei incrementum. Roberti non solùm Vincentius Bellarminius pater, sed etiã mater Cynthia Ceruina litteras dedit. Quæ raræ pietatis matrona optimæ parentis officio fungens, ita educarat Robertum, ita cæteros educabat filios, vt aueret cunctos Deo reddere: & Collegio Societatis planè se matrem pietate ac benignitate præbebat. Litterarũ eius hæc erat sententia: Agere se maiestati diuinæ gratias, quæ ad suum sanctum obsequium vocasset eum, quem plus oculis suis amabat. Quamuis enim alij sibi reliqui liberi essent (è quinque enim tertius erat Robertus) in eo tamen delicias, amoresque suos, itemque spes propter eius cùm pietatis, tum ingenij indolem repositas habuisse. Et quamuis principio consilium eius summa animi æquitate & approbatione acceperit, multoque libentiùs ipsum Deo nunc consecret, cui sciat optima quæque dicari æquum esse; tamen dolorem ac sensum humanitatis, qui in digressu à parente dulcissimi filij subortus est, haud posse cohibere: neque aliud leuamentum ac solatium inuenire, quàm quòd nosset ei meliorem quæsitam matrem, multoque præstantiorem patrem, cuius in manibus & sinu secura collocaret. Acciperet igitur illum Pater Generalis in sanctorũ suorum numero filiorum: dirigeretque per vias vitæ ad portum salutis, vt eôdem parẽti quoque via facilior per filij preces aperiretur. Non absimiles erãt litteræ patris. Notandum est hîc, quàm parum videant mortales. Hunc adolescẽtem in spem sustentandæ amplificandæq; domus destinauerant parentes: & tamen cui exploratũ sit, eum gradum honoris vltrò sequentem, ad quem tandem fugiens & inuitus euectus est, cùm à Clemente VIII. Pontifice Cardinalis est factus, fuisse vnquam consecuturum? Illud certè simillimum vero est, nisi ex religiosa obedientia adeundi Septemtrionis prouincias, tractandi res cum hæreticis cõtrouersas, docendique opportunas occasiones nactus esset; fuisse Christia-

Psal. 38.

33 *Roberti indoles ad pietatem ac litteras.*

34 *Alexandri Ceruini de Ricciardo filio litteræ:*

35 *Cynthiæ Ceruinæ de Roberto suo.*

36 *Magna bona sæpè impediunt parentes dum filios volunt Religiosos fieri.*

Digitized by Google

Christianam Rempublicam eius præclaris monumẽtis, cùm aliis, tum nobili illo ad omnes expugnandas hæreses quasi armamentario carituram. Quæ monuerim, vt parentes intelligãt, cùm suis liberis, ne in Religiosorum secedant septa, impedimẽto sunt, quantum sæpè per imprudentiam priuatum ac publicum interuertere bonum conentur. Cæterùm nequaquam magis propinquos assecuta Robertum sacra fefellit purpura,

37 *Robertum Bellarminium quid maximè ad Societatem vocarit.*

quàm ipsummet. Quippe puer annorum sexdecim, dum secum seriò reputat, vbinam inuenire tranquillitatem animi, qua via ascẽdere ad eam, quibus adminiculis posset; oculisq; mentis in honores, quos spe sibi destinabat, defixis, attentè eos diuque lustrat; nimirum Dei claritate intus illucescente, ita breuitas mortalium rerum omnium vel maximarum sub aspectum obiecta est, acriterq; commouit, vt quodam horrore concepto, curam confestim verterit ad Religiosorum inuestigandum Ordinem, in quo quàm remotissimus ab omni honorum periculo, quamq; tutissimus vitam agitaret. Cumq; arcem huiusmodi nusquam munitiorem, quàm in Societate reperiret, recipere se & abdere in eam decreuit. Ita & Robertus in id, quod fugiebat, per suam maximè fugam incurrit: & propinqui id, quod volebant, per id maximè, quod nolebant, inuenere; ille sua spe, hi desperatione decepti.

38 *Antonij Legæ mors & virtus insignis.*

Duorum adolescentium in Societatem vocatui, vnius boni senis ad societatem Beatorum euocationem subnectam. Antonius Lega Neapolitanus circiter Idus Iulias Neapoli mortuus est. Is ætate iam grandis, sed vegeta viuidaq; senecta aurifex (hanc enim artem profitebatur) insignis, quarto antè anno ad consilia Christi Domini, & perfectionem fecerat gradum, postquam diuinis præceptis in omni vita paruerat. Magnifiebat iam tùm vnus è populo: cumq; quidquid artificio suo quæreret, pauperibus quæreret, vulgò Inopum pater appellabatur. Quo diutiùs in actione virtutis exercitus erat, hoc studiosiùs disciplinã capessiuit potiorem. Religiosarũ legum nemo Tironum adolescentium puncta & apices diligentiùs ac tenaciùs obseruabat: obedictia ad nutum Moderatoris mirè volucris & accurata erat: nauus idem, industriusq; & indefessus, & nunquam cessans. Cùm domestici munus obiret procuratoris gratissimum domi foriq; humilitatis odorẽ & caritatis spargebat. Christophorus Mendoza, qui Neapolitanum regebat Collegium, nunquam in eo, quamdiu domi vixit, vel leuissimum commoti aut impatientis animi signum perspectum refert. Neque vno contentus ministerio & labore simplici erat: verùm quidquid se offerret,

39

ad id alacriter ac promptè admouebat manum. Si quis domi decumberet, primus ille inuisere, solari, assiduus esse, ministrare paterna constantia, sensu ac suauitate materna. Neque id mirum in eo, qui vetus illud iuuãdi pauperes institutum seuerioris aggressione vitæ non intermiserat, sed absolutius sanctiusq; obtinebat. Delicias illi ferebãt esse inter pauperes agere, in publica hospitali domo versari. Ad hanc, & quoties otium se dabat, raptim excurrebat; & diebus quibusque festis per otium se onustus rosariis libellisq; catechisticis conferebat. Quorum ille munusculorum largitionem ad iuuandam destitutę ab omni subsidio gentis pietatem, laudante inuentum iuuanteque Rectore, excogitarat. Eadem munuscula, vt opportunum rebatur, aliis quoque pauperibus, ac per vrbem mendicantibus diuidebat, addens piam adhortationẽ, vt vterentur: ac rationem, qua salutariter vterentur, ostendẽs. Vagis hominibus libentissimè tectum ac dominum, apud quem alerẽtur, & opus facerent, conquirebat: vt hac vna re cùm famè enectis prouideret corporibus, tum viam sceleribus infinitis obstrueret. Miseras quoque norat familias: ad easque, si quid è tenuitate mensæ domesticæ reliquiarum esset, quasi pater prouidus sedulò collectum ipsemet sub pallio gestabat. Cùm totus in laboribus Dei gratia perferendis leuandisque proximis esset, & acri pollens iudicio vias ad id sedulò indagaret, siquę vacua inciderent tempora, vel ad agendum cum Deo profugiebat, vel quiddam piarum pingebat imaginũ, exprimens adeò feliciter pietatẽ, vt animi fuit formare exemplum videretur. Hisce in studiis sexagenarius iuuenili animo versans, post aliquot dierũ febrim nihil aliud ante oculos, quàm crucem Domini, quam ipsemet finxerat; nihil in ore habẽs, quàm eius sanctissimum nomẽ, ad æterna tabernacula à pauperibus præcipuè recipiendus felici morte iter intendit. Funus eius Neapolitanorum multitudo ingens celebrauit. Sparsaq; post eius obitum, & aucta virtutum singularium fama ad Patrum superstitum auctoritatẽ valuit: ac Religiosi è Benedictinorũ nobili familia, qui ad S. Seuerini degunt, vt amorem obseruantiamque suam àduersus Antonium demortuum declararent, cuncti Sacrum vno die, templo ritu funebri præparato, pro eius anima fecerunt.

40 *Antonius Vinckius cum Sociis sex missus in classem.*

Sed pietas aduersus calamitosos (quoniam ea mentio incidit) quantarũ virium sit, opportunè documentum subiicietur, sumpto hinc narrationis exordio. Ioannes Cerda Dux Methymnæ pro Rege Philippo Siciliam administrans, cùm regio iussu egregiã adornasset classem, Tripolim Africæ militiæ S. Ioannis aliquot antè annis à Turcis ereptam, tentaturus, Iacobũ Arnedum Balearis maioris Episcopum, qui missu Regis insulæ Siciliæ res inspectabat, curandis, quos morbi corriperent, classiariis præfecit. Is ad hanc procurationem hominũ Societatis operã destinauit. Quare enixè postulanti, duos sacerdotes, quinque laicos, qui strenui & laborũ apprimè patientes fore videbantur, Lainius dedit. Sacerdotum alter Petrus Beluerus fuit, qui Nouitios Messanæ erudiebat: alter Antonius Vinckius tum Rector Collegij Catanensis; idem ille, qui ex hac expeditione in Siciliam reuersus, inde Treuiros eius Collegij primus Rector euocatus est, vt inferiùs dicam. Dum Messanæ exercitus cogitur, ibiq; Aluarum Sandem cum Cisalpinorum copiis Prorex opperitur, magnam militum manum multiplex morbus afflixit, nec paucos interemit. Hæc prima Antonij & Sociorum palæstra fuit; quanquã etiam Socij Mamertini pro virili subiere laborum partem: nec adolescentibus nobilibus, qui nostrum gymnasium frequentabãt, vilia obire ministeria in leuandis omni ope iacentibus inglorium aut laboriosum fuit. Quo spectaculo & ciuitas plu-

simùm

Digitized by Google

simùm recreata, & insperatum miseris noua erga se spectãtibus officia additum solatium est. Tandem vere primo ineunte triremibus adiunctis Pontificiis, itemq; Florentinis ac Melitẽsibus regia classis soluit. Et, quoniam rectum tenere cursum coortæ prohibuere tẽpestates, ad Lotophagitem insulã (Zerbas hodie vocant) versa, exiguo eam conatu quarto Idus Martias in ditionem accepit. Ibi cæteris muniendæ arci intẽtis instituendi valetudinarij cura Patri Antonio demãdatur. Trecenti erant ægroti: Oeconomus Episcopi in Melita insula substiterat letaliter laborans; curatores alij, vel morte absumpti, vel cura indigi ipsi iacebant: è Sociis septem, quatuor è recenti morbo haud dum satis emerserãt. In his ipse erat totius manipuli præfectus Antonius, cùm rei summa ad ipsum multũ licet reluctantẽ, præsertim, ne rem pecuniariam administraret, iussu Episcopi ac Proregis supremam necessitatẽ proponentium delata est. Sedulò inde accurateque, beneuolè ac paternè rem Socij cuncti agere: plurimum dies ac noctes exhaurire laborũ, ii præsertim quibus vires & salus integra erat. Non multis pòst diebus classis Turcica aduehitur, prælioque cõmisso Christiana infeliciter pugnat. Dum pugna initur, non procul ab classe, vnà cum Canonico viro optimo, qui vice Episcopi præerat, omnes è Societate, duo Capuccini, alij ministeriis ægrorum addicti quidã, idonei ad pugnandum nulli, vel omnino perpauci in onerariã, in quam contulerãt ægrotos, recipiũt sese. Nauarchus vbi afflictam rem Christianorũ videt: præterq; capta ac demersa nauigia, quędam deditionem fecisse, Canonicum, penes quem summa rerum in oneraria erat, simulq; Patres idem vt faciant, cohortatur. Iam enim etiam explosa bombarda hostis vela colligi ac cedi iusserat. Canonicus excelso fidentiq; animo nauarchum auersatus; seueriq; verbis ac minis deterritũ ad constantiam vrget, & vela in fugã explicare iubet. Qua ex cõstantia tantum repentè accessit nauarcho animi, vt extemplò explodi bombardam iuberet, quæ indicium barbaro esset abnui deditionem. Exiguo vento oneraria Siciliã versus iam ferebatur. Hostes cùm alibi propè debellassent, septẽ triremes ad onerariam mittunt. Illæ dum accedũt, Canonicus, Capuccini, cuncti è Societate, nauarchus, aliiq; nonnulli raptim purgant cõfessione noxas, ac fusis ad Deum precibus ad propugnationem pariter sese accingũt. Nemini licebat, nec libebat tanto in discrimine ab opere vacare. Religiosi quoque subuectare tormẽtarium puluerẽ, bombardas instruere: quæq; erant opus, administrare. Si qui præ metu se è nautis abderent, conquirere, protrahere in mediũ, animũ facere, ad opus admouere. Hac contentione ad horas duas septẽ triremium repulsa vis est: cùm repentè nouem præterea accurrunt, multiplicantque certamen: mox & vndecim, inter quas vna insignis, quæ princeps totius classis videbatur, cõuolant; & oneriam tantùm non circumuallant. Nihil tamen nauarchus, nihil cæteri animũ despondêre. Septem ac viginti optimè armis ac pugnatoribus instructæ triremes, eæq; victrices iamiam vnam nauim nudã præsidio voraturæ videbantur: sed nimirũ hinc Deus, impiorũ inde furor pugnabat. Cùm ictus hostiles magna ex parte irriti caderẽt, immanisq; tempestas in horrificũ dumtaxat tonitruorum perpetuorũ fragorẽ euanesceret: oneraria cùm sæpè aliàs feliciter bombarda hostem perculit, tum demũ summo in discrimine collibrato in eam, quæ princeps putabatur, ictu, ita eam indepta est, vt signo vno pharoque abrepto, partem quoque puppis absulerit: quo admonita malo ea repentè obducto velo, se pugnæ subtraxit, ac principem mox cæteris consecutis, expeditus onerariæ in Siciliam cursus fuit. Horas propè sex pugna tenuit: octo amissi, in his alter Capuccinorũ, & gubernator qui clauum tenebat. Duæ res humanam opem spectantibus saluti videbantur fuisse. Primum, quòd Ioannes Fontius è Societate laicus, qui sciẽs ac strenuus olim pugnator ab sęculari ad Religiosam transierat militiam, in consimili quondãm versatus periculo, cùm animaduertisset rudentibus bombardæ ictu abruptis vela concidisse; id ne contingeret, auctor fuit antennas ad malum tenaciùs alligãdi. quod cùm factum esset, vsui plurimùm fuit. Nam etsi in conflictu discerpsere hostium tela rudentes, nunquam tamen alarũ suarum remigio destituta est nauis: & ad vltimũ illũ felicemq; ictum, quo salus parta est, bombardã instruxerat idem ipse, & collibrarat. Deinde quòd hostes ausi nõ sunt, proximè admotis triremibus eominus onerariã aggredi, in eamq; transcendere, metu (vt credebatur) insidiarum: quòd cùm ferè nemo in naui appareret, atque egregiè tamen propugnaretur, magnam aliquam abditam ibi esse militum manum suspicabantur. Nemo tamen tantam rem miraculo eximebat. Quare nauarchus non suam esse iam onerariam solebat dicere, sed Canonici hominumq; Societatis, quibus eam Deus apertè donasset. Illi verò aiebant Deum ostendere voluisse, quàm sibi grata sint aduersus ægros pietatis officia.

41 *Zerba insula capitur.*

42 *Sociorum in ægrotis curandis labores.*

43 *Mirabiliter seruatur oneraria qua ægrotos vehebat.*

44

Hæc in mari Libyco gesta. Cæterùm & Borealem oceanum hoc anno, & longius internũ mare Societas nauigauit, in Hiberniam & in Cyprum hominibus missis. In Hiberniã iam olim Nuncij Apostolici abierant Paschasius & Salmeron: sed propter Henrici Anglorũ Regis dominatũ nihil propemodũ agi licuit. Mortuo Henrico, & filio Odoardo Sexto, cùm regnum Anglicanũ ad Mariam Catholicam peruenisset, vt in Anglia, sic in Hibernia religionis res cœperũt caput attollere. Cæterùm & hac breui indignis erepta mortalibus, cùm Elisabetha, quæ ei successit, iam se pro hæretica palàm ferret; Hibernia, quanquã maximam partem vera ac prisca obtinebat sacra, & in Romanos Pontifices vulgò gens non modò vt Christianorũ sacrorũ Antistites, sed vt Principes nominatim suos (cùm eorum ditionis sit) optimè animata erat; tamen propter & magistratus hæreticos, & cõmercia Anglorũ in maritimis præcipuè locis non pauci velut cõtagione inficiebantur. Ideo Ioanni Morono Cardinali eius insulæ patrono necessarius videbatur vir pius ac prudẽs, qui clementer res viseret: & cùm laicos, tum Ecclesiasticos in pietate Catholica, Romanique Pontificis obedientia confirmaret. Hominem huiusmodi Pontifex hoc in munus ab Lainio postulat. Designatus est Dauid Wolfius, quòd & cætera

45 *Secunda in Hiberniam Societatis missio.*

idoneus

Digitized by Google

46 idoneus videretur, & Hibernus ipse natione locorũ gentisq; erat peritus, addito socio nationis ciusdẽ. Dauid rebus Vallis Tellinæ compositis, Fossani, vbi suprà diximus præceptoriam Posseuino traditam, vnà cum eo vtilibus fungebatur laboribus. Hunc in Vrbem accitum Pontifex primò creare Episcopũ voluit; dein cùm Apostolici Nuncij potestate, & honoris insignibus mittere: sed Lainio vtrobique contrà rogante, tum vt in Societate humilitas Religiosa incorruptior seruaretur; tum vt liberiùs ipse, qui mittebatur, agere posset; eoq; minor apud hæreticos esset inuidia, quo tectiùs ac quietiùs ageret; noluit Pontifex dissentire. Potestatẽ igitur Apostolici Nuncij, quę ad animarũ emolumenta necessaria erat, cum Dauide omnẽ cõmunicauit: sed externi tituli ornamẽta, & insignia honoris remisit. Dedit autẽ præter cætera in mãdatis, vt videret vbi Episcoporum sedes vacarent: ac referret ipse quos iudicaret idoneos, vt inutilis ac laboriosa Romã profectio & ambitio noxia tolleretur. Idem in sacerdotiis quibusdã maioribus eius insulæ faceret, quorum traditio ab Vrbe peteretur. Viatico à Põtifice, bonoq; insuper piacularium sertorum, aliarumq; his similium rerum numero instructus

47 XI. Kalendas Septẽbris Roma profectus est. Captus in oppido Condiuico pro Lutherano est, cùm suspecta essent omnia, & quatuor dies vexatus: in sancto Malo cùm sarcinulas suas imposuisset in nauim, vsque Burdegalam quamuis comite inuito, pedibus processit. & fuit diuinus instinctus: nam ea nauis & sarcinulæ eius omnes perierunt. Iam summa erat hiems, & quãplurimæ naues in oceano illo paucis antè diebus perierant. Inde multi suadebant Dauidi, vt mitiorẽ opperiretur anni tempestatẽ. Ille tamen paratã eo tempore soluere negotiatorũ nauim cùm reperisset, turpe esse dicẽs, plus eos mortalis causa lucri audere, quàm Religiosos, vt æstimatas Dei sanguine animas lucrifaciant: siq; illis tanta salutis esset spes, multò sibi maiorem adesse oportere nil nisi diuinam sequenti gloriam; nomine implorato Domini conscendit.

48 *Cypria missio.* In Cyprum nouo cum Archiepiscopo (is erat Philippus è clarissima Venetiis Mocenicorũ familia, qui omnibus modis virũ de Societate expetiuerat) Emmanuel à Mõte maiore Lusitanus, Italicè sciens, bonus concionator, & acer operarius missus est. Societas quæ fermè iam totum & Orientis oceanũ nauigarat & Occidentis, internum mare (nisi fortè Ignatij in Palęstinã nauigationem numeres) nondum vltra Siciliæ oram penetrarat: cupiebat autem aditum aperiri sibi ad iuuandas, qua posset ope, Orientis Ecclesias tantopere laborantes, quò primorum Patrum vota prima spectarant: ipseq; olim Iulius Põtifex Tertius Collegij in Cypro condendi potestatẽ fecerat. Eo libentiùs Archiepiscopo Mocenico est concessus Emmanuel. Is VII. Kalendas Augusti Roma profectus, quacunque iter faceret, relictis seruoris sui vestigiis, haud sine animorum lucro Venetias venit. Ibi statim negotio intentus, dum carcere clausos inuisit, homine, qui annum iam

49 *Emmanuelis à Monte maiore seruor.* duodecimũ diuinis mysteriis abstinebat, ad pœnitentiã adducto, VI. Idus Augusti vnà cum socio Clemente nauim cõscendit sine vllo ad nauiga-

tionẽ apparatu, Dei penu & arca fretus. Mirabãtur vectores, quid ita, cùm trepidè pro se quisque alij sarcinas suas inferrent, ipsi cessarent: quærentiq; causam Archiepiscopo respõdit Emmanuel: De ipsis solicitus Antistes ne esset, habere iam se sua secum omnia, abundeq; sibi esse prouisum. Hęc dixit Euangelicam describens paupertatem (quam Sanctorum more ditissimã, ac pretiosissimum exilij huius thesaurum in litteris suis appellat) in eaq; reposita sibi omnia interpretabatur. Inde tamen, quòd scilicet Antistes audito Patribus omnia parata esse, nihil prętera prouidebat, est factum principio, vt exoptatos illi sanctę paupertatis gustarent fructus; ac ne certi quidẽ receptaculi quidquã haberent in naui. Sed breui patuit, Euangelica inopia quantum vectigal sit. Vbi cognitũ est nihil eos prouisi habere, sic affluxere omnia, vt in repudiandis, quæ ad cõmodè diuersandum, ad victũ vestitumq; certatim vectores & Antistes, ciusq; familia deferebant, dimicandum assiduè esset. Nec minùs erat in eos liberalis Emmanuel. Omnes qui vehebantur, ita paulatim in- 50
stituit, vt non scelera modò impiaq; in diuinum Numen ac Sanctos Cælites dicta, consueta nauticæ turbæ viria, ex toto propè summota essent: sed multa etiam rectè pieq; quotidie facerẽt. Sub ortum occasumq; Solis videre erat vel singulos, vel binos huc illũcq; digressos Litanias, rosaria precesq; alias percurrentes: & gratissima piis auribus admurmuratione loca nauis omnia personabãt. Diebus Dominicis Emmanuel Missa absq; sacrificio, quatenus licet in mari, peracta concionabatur: singulis verò diebus modò hos, modò illos alloquens docebat, excitabat, ad meliora pellebat. Multorũ audiit cõfessiones, & quidem nautarũ ab multis retrò annis, quibus omiserant, repetitas. Nec Clemens (quantũ eius ferebat cõditio) segnis erat: cuius præcipuus labor in curandis, si quorũ valetudo caderet, ponebatur. Erant in eadẽ naui viri nobiles Cyprij. Cum his id quoque lucri est factũ, quòd ex duorũ gustu, vbi descenderunt in Cyprũ, honorificã de toto Ordine expectationẽ cõcitarunt. Cæterùm exiguã bonæ spem frugis se reperisse Emmanuel refert. Viri no- 51
biles plerique ritus tenebant Latinos: Græcos fe- *Status religionis in Cypro per id tempus.*
minæ. Præter hos præcipuos Maronitæ erant, nihil fermè prudenter ab Catholicis discrepantes, tum Iacobitæ, Cophthi, Armeni sub Episcopis suis. In eadẽ familia, intraq; eosdem parietes vir, vxor, liberi, alij alios profitebantur ritus, pauciq; vnumquempiam integrè & constanter: sed quæ cuiq; in quoque blandirentur, ea notarant & consectabantur; adeò vt vnus idemque cùm cæteris diebus Græcũ se profiteretur; feria tamẽ quarta, qua interdictus Græcis est vsus carnium, more viueret Latinorũ: &, qui de cætero Latinos sequebatur, die sabbati, quo Græcis carnibus vesci fas est, græcaretur: denique Latinorum quoque sacerdotum nonnemo citu Græcorũ vxores haberet. Plurima huiusmodi monstrorũ farrago succreuisse turba dicebatur per absentiã Pastorum, quos longo iam tempore annis, vt aiebãt, septuaginta ædes primaria nullos vidisset. Eo noui Archiepiscopi gratior bonis aduẽtus accidit, quem Nicosiani ciues (Nicosia enim Archiepiscopi erat sedes) apparatu, pompaq; maxima celebra-

Digitized by Google

52 *Emmanuelis in Cyro labores.*

runt. Concionabatur Emmanuel singulis diebus Dominicis, ac religiosioribus aliis: verùm plerisq; Italicè Latineq; ignorantibus haud latè admodũ patebat vtilitas. Fructuosior erat catechismi explicatio, quã in Antistitis ædibus Clero vniuerso, multisq; nobiliũ ciuium, aliquot præterea è Religiosis familiis audiẽtibus ter in hebdomada obibat. Verùm cura eius prima in Antistite adiuuando, ipsomet sic volẽte, sita erat. In Ecclesiis visendis, in corrigendis moribus, & probãda doctrina Cleri, in deliberationibus omnibus adhibebatur. Hac in re sui præcipuum laboris fructũ ponebat, sperans fore, vt in membra à capite salubritas permanaret. Collegij Societatis instituẽdi necessitas ingens, spes apparebat exigua. Tandemque Archiepiscopo ad Concilium Tridentinũ euocato, ipse quoq; Emmanuel in Italiam rediit Collegij re infecta. Quod si conditũ esset, haud profectò mediocriter & ad alia, & in id tempus opportunum fuisset, cùm decennio pòst nobilissimum regnum tanto Christiani nominis detrimento oppugnatum & occupatum à Turcis est.

53 *Bobadillares in Dalmatia.*

Epidauri in Dalmatia nec tanta necessitas & spes maior se obtulit. Nicolaus Bobadilla Iadensi Ecclesiæ, & Archiepiscopo operâ vtiliter nauatâ, Epidaurũ, vti fuerat ab eius Reipublicæ Antistite rogatus, excurrit. Eius non multis concionibus auditis, & cætera iuuandi proximos ratione ac dexteritate perspecta, Collegium Societatis instituere cõmuni consilio Respublica decreuit: eaq; de re ad Lainium litteras dedit. In iis litteris ait, iam diu sibi fuisse in votis Collegium instituere sacerdotũ eiusmodi, ex quibus & cæteri sacri viri exempla, & populares præcepta christianè viuendi caperent. Habere enim persuasum oportere in Epidaurensi Republica Christianam

54 *Reipublicæ Ragusæa pietas.*

sanctitatẽ florere vel maximè: vt, quoniam adeò vicinos habet Christi hostes, & aduersus eorum corruptelas tuta sit, & verò etiam innocẽtia morum arguat, ac pudore suffũdat. Quales optabat sacerdotes, dudũ se fando audisse, modò ex Bobadillæ vita actionibusq; vidisse, sacerdotes esse Societatis Iesu. Quare aliquot sibi horũ cõcederet, tres minimũ operi inchoando. Satis intelligebat Lainius peropportunã fore Societati sedẽ Epidauri, tum propter Illyricæ linguæ vsum latè patentẽ; tum etiam, vt inde ad Turcarũ quoque prouincias pedetentim aditus captaretur. Sed operarũ angustiæ non permisere nisi duos sacerdotes concedi, ipsum Bobadillã, & Lucã Salernitanũ vnà cum vitæ domesticæ adiutore. Volebat hos ciuitas in curiæ ædibus diuersari, sed Bobadilla cùm in quartanã permolestã esset implicitus, monasteriũ S. Iacobi, quod est Religiosorum

55 S. Benedicti, prætulit. Erat in eo monasterio Abbas Chrysostomus doctrina vir & pietate notus, & nostri Ordinis, cuius in Tridẽtino nuper Concilio, cui ipse quoq; interfuerat, specimen ceperat, studiosus in paucis. Hîc tria, quæ ibi sunt eius Ordinis monasteria, in quã optimã reuocare formam meditans, Lainium enixè rogauit, vt ea per quempiam Sociorũ quandoq; in anno inspicienda, præceptisq; formãda susciperet: atq; ad idem opus Bobadillæ cõsilio & laboribus vti cupiens, eum apud se habuit, miraq; ægrũ pietate tractauit. Nec sanè Bobadilla, quamuis affecta valetudine, vel ciuitati, vel monasterio decrat. Ad cætera Societati cõsueta munera, quę P. Lucas quoque strenuè obibat, vbi sanctiores dies recurrerent, verba ad populũ faciebat in primario templo: ac ter in hebdomada in monasterio, Abbatis Chrysostomi rogatu, iunioribus eius Monachis, quos idem multos adscripserat, suumq; ad ingenium formabat, Magistri sententiarum quartum librum interpretabatur, eosdemq; ad pietatis disciplinam ascetica B. Ignatij formula excolebat. Cæterùm ne hîc quidem Collegij institutio sortita est exitum.

56 *Collegium in Valle Tellina inchoatur.*

Indigniùs tamen in Valle Tellina cùm cõstitutum iam esset, disturbatũ est. Antonius Quadrius re sua familiari Collegio extruendo donata, cupiens primo quoq; tempore Collegiũ in effectu, eoq; patriã suam præsidio munitam videre, Praga Pontẽ redierat. nec minus erat eius studiũ vxoris cùm priuati amore sui profectus, tum communis populariũ. Sex igitur Septembri mense eò missi, tres sacerdotes, totidẽ nondũ sacris initiati: iussique omnes quàm lenissimè agere, à publicis etiã abstinere cõcionibus, tantumq; Magistrorũ titulum præferre, ne quam cuiquã mortaliũ offerrent calumniarũ causam, & Grisones dominos exacerbarent. Quippe in dies peiorẽ in locũ religionis redigebatur status; indignumq; editũ erat decretum, vti vbi vel vnus esset, qui audire lutheranismum vellet, impendio publico concionator ex ea secta aleretur, erepta Catholicis publicè dicẽdi potestate, nisi eam certis cõditionibus, & mercede magna redimerent. Exiguo huic manipulo

57 Sociorũ præfectus est Tarquinius Rainaldus Romanus, qui nuper in Romano Collegio Theologicæ doctrinæ metam attigerat, humanarũ vir diuinarumq; rerũ bene doctus, spectataq; virtutis. Quanta Antonij Quadrij eiusque coniugis, quãta Marci Antonij Archipresbyteri, qui adiungere se numero Sociorum auebat, quanta oppidi totius ad conspectũ Patrum lætitia & gratulatio extiterit, nequaquã procliue relatu est. Cæterùm quo cumulatior ea fuit, hoc breui in tristiorẽ solicitudinem vertit. Haud multis interiectis diebus

58 *& à Grisonibus tollitur.*

multorum eius Vallis oppidorum Prætor Equiti Quadrio nunciat se litteras & mandata Grisonũ habere, vt eos Magistros, qui nuper Pontẽ aduenissent, tota Valle Tellina cogat abscedere: se quoq; Catholicũ esse, eoq; nolle id pro potestate facere: ipse potiùs amicè moneret, ad suos pacatè redirent, nec vim vltimam expectarent. Negauit Antonius id se facturũ, vel fieri passurum, quoad manifestũ sibi fieret id omnium planè, qui inter Grisones Rempublicam administrant, sententia consensuq; imperatũ esse. Neq; enim se ignorare in eorũ legibus esse, vt decretũ iussumq; nullum obseruetur, quod communi ordines ac fœderati omnes cõsensu non ediderint. Æquum esse Prætorem, quandoquidem Catholicus est, negotio, quod in religionis cõmodum cedat, pro sua virili parte patrocinari: supersedereq; iussum exequi, quoad liquidò constet rem rectè & ordine actam esse. Hæc III. Kalendas Nouẽbris gesta sunt. Nec multũ spei Prætor Quadrio reliquũ fecit. Postero die Collegij discrimine vulgato per oppidum, oppidani vniuersi cateruatim viri fœminæq; Sondrium (ibi erat sedes Prætoris) accurrũt. Præcipuè

acriter

Digitized by Google

acriter instat nobilitas: denique id exoratum est, vt, quoad pitachium celebraretur (est hoc apud eos genus conciliabuli minus, quàm comitia) Patres manerẽt. Summa apud Pontanos in inuidia erant quidam Equitis Quadrij cõsanguinei, præsertim duo Iuris periti. Hi, quòd Antonius carebat liberis, cùm ad eius hereditatem, vt iis locis amplam, oculum & cupidinem adiecissent; clanculùm de eiiciendis Patribus vulgò agere putabantur, quò rem Collegio destinatam ad sese raperent, præ amore pecuniæ ad summouenda Catholicæ fidei præsidia hæreticis acriores. Adeò verum est, qui opes immodicè cupiunt, ab fidei naufragio propè abesse. Hi, vbi viderũt Antonio certũ esse Collegium perpetuum facere, & mansuris vectigalibus stabilire, non dubitant Patrem Tarquinium conuenire ac rogare, ne contra omnia iura moresque gentium spoliari ipsos penitus hereditate sinat. Quod Patres auctores fuerint, id Antonium haud ægrè facturum: seq; Patribus rem acceptam grato animo relaturos. Respondit Tarquinius sibi ante paucos dies notum Quadrium non fuisse. Homines Religiosos, qui patrimonia sua reliquissent, profectò alieni amore in eam Vallem non venisse. Adesse ibi se eorũ iussu, quos Christi Domini loco vitæ suæ moderatores susceperant, paratos, si tempus ferret, vitam & sanguinem ad animarũ salutem, non solùm Quadriis, sed omnibus populis dare. Cæterùm, si Antonius se audiret, curaturũ, vt hereditatis multã iis legaret partem. Nam quanquã, quemadmodum instituerat, cõsecrare Deo præstantius opus erat, tamen ad conseruandam cum omnibus pacem, id se, quod peterẽt, suasurũ: nec defuturam paucis Religiosis alendis cùm cæterorum ciuium prouidentiam, tum verò Patris cælestis curã. Visi sunt abire gustata hac specula mitiores. Interim Antonius ad conciliabulum abierat, Collegij causam præsens commendaturus: & Patres docere cœperãt magnum puerorum numerũ: quos tres in classes tributos tres docebant Magistri. Ex oppidis autẽ pagisq; vicinis plures quotidie confluebant. Defuncti se tempestate Pontani rebantur, cùm repentè tristis ab Antonio primùm nuncius accipitur. Decretũ in pitachio, vt Collegium prorsus amãdaretur: idq; ipsum paulò pòst, dicta die, qua extra fines Vallis essent, pro potestate Prætor edicit. Populi quà iracundæ & indignabundæ voces, quà lamenta & gemitus audiebantur, tamen parendum erat. Decreuere communi consilio Pontani, vt Patres Edelium ad fines Canonicæ vallis oppidulũ procul inde viginti millia passuum Venetæ ditionis secederent; ibique comitiorũ, quæ initio insequentis anni habenda erant, exitum prestolarentur: haud passi Comum redire, aliamue interiorẽ Italiæ vrbem repetere: ne, si quid ipsi in comitiis impetrarẽt, quod non desperabant, fixa alibi sede, sibi non redderentur. Edelium igitur extremo Decembri per summa frigora, & vndique niue alta obrutas valles abiere. Ibiq; benignitate Pontanorũ, qui omnia abundè suppeditabãt; &, vt Apostolus loquitur, non solùm sua, sed & oculos suos, si fieri posset, eruissent, & dedissent eis, comitia opperiebãtur. Interim cogere pecuniæ magnam vim Pontani, vt dono ingenti animos caperent dominorum,

59 *Auaritiæ quanta vis.*

60 *Pontanorũ pietas.*

conciliare gratiam Principum, curare commendatitias litteras à vicinis & à longinquis; nihil sanè omittere, quod cupidissimos salutis suæ viros facere moris est. Adeò vt non suam, sed tam bonorum virorũ vicẽ Patres dolerent; & ex intimis angerẽtur sensibus, quòd tam dignis omni auxilio populis, tam intercluſæ ad auxiliũ essent viæ.

Sed dum in vnam vallem aditum Satan obsepiebat, in subalpinas complures, totamq; Ducis Sabaudi ditionem leniſſimè Deus aperiebat. Antonium Posseuinũ, de quo in plenum suprà narratum est, quo arctiùs sibi deuincirent patroni, præceptoria S. Antonij, quæ Fossani est, alligauerant. Eam Deus in magnarum rerum occasionem vertit. Quippe vbi ille Romam ad Societatẽ Patauio venit, dicto rumore mortuum esse, cùm eam cupidè quidam inuasissent; rem vt ritè componeret, & religionem Catholicam eâdem operâ Emmanuelì Philiberto Sabaudiæ Duci & Pedemontium Principi commendaret, mittendum Lainius duxit. Cui discedenti post alia, hoc instar omniũ præcepti dedit. In rebus agẽdis consiliisq; capiendis præsentem adesse sibi ipsum existimaret. Huius initio anni, quanquam priuatæ pietatis & cõstantiæ gratia spõte sua tribus se Religiosorum obligarat votis, tamen etiamnũ Nouitius, cumque pristino cultu ac titulo Commẽdatarij, nempe ad domesticas res maiore cum libertate tractandas dissimulata Societate profectus est. Niciæ Ducem conuenit, perque amanter exceptus, vbi, quæ pro sua priuata re petierat, impetrauit, captata occasione rem religionis publicã aggreditur. Multa iis in locis bello antè à Gallis capta ex pacis & affinitatis legibus Princeps nuper recuperauerat. Inde Posseuinus sapienter ingressus monet, quando veterem sibi ditionem subalpinorũ Deus reddiderit, curet ipse vicissim subiectorum sibi populorum animæ vt Deo reddantur. Hac re non æternum modò beatumque sibi regnum in cælo paraturum, sed terrenæ quoque ditionis firmamentum. Plus nimio quotidie cerni, mortales cùm ab Romana Ecclesia, hoc est à Deo, defecere, continuò aduersus humanas quoque potestates fidẽ fluxam gerere: vel ipsam ante oculos esse Geneuam testem. Cùm auidè Emmanuel audiret, iuberetque quid opus facto censeret, promere; Posseuinus sibi quidẽ ad morum fideiq; sinceræ iis in locis restitutionem opportuna hæc videri subiecit. Primùm quoniam per impunitatem ac licentiam bellicam in Religiosorum monasteriis miserum in modum seuerior disciplina conciderat; ac plerique sanctis indigni familiis, quarum nomen profitebantur, sancto que indigni, quo tegebantur & commendabantur, habitu, per morum ac doctrinæ corruptelam secum populos trahebant in præceps; ad Generales Ordinum, eorumdemque patronos Cardinales daret litteras, quibus rogaret, vt, quando sublatis diuina benignitate bellis, reddita commercia erant; ea cœnobia visenda, summouendos malos, ac substituendos, qui incorrupta doctrina & vita ad bene agendum sentiendumque duces multitudini essent, curarent. Deinde, quia superstitiones multas & scandala inferebant in corroganda ex populis stipe Quæstuarij Abbatiarum, quas multas in ea vicinitate Re-

61 *In subalpinas valles primus Societatis aditus.*

62 *Posseuini sapiens colloquium cum Sabaudiæ Duce.*

63

Digitized by Google

ligio militaris S.Antonij Viennæ Gallicæ habet, ne id negotij per hæreticos, neu per apostatas, aut alioqui improbos imperitosue sacerdotes, sed per idoneos viros administraretur, qui apud quos agerent, bonum Christi odorem diffunderent. Ergo litteræ ad magnũ eius Religionis Priorem, & ad Cardinalem Turnonium eiusdem patronum darentur. Quod feliciter curatum est: & mox Tridentina Synodus Quæstuarios sustulit. Postremò sacerdotia, quantum in se esset, deferri nonnisi ad eos sineret, qui fideliter ac prudenter commissam sibi possent vellentque Domini familiam pascere. Non rarò enim fieri, vt familiares Principum, aliique qui se gratiosos apud eos rentur, Christi sanguinem quæstui habẽtes coniunctos sibi aliqua necessitudine homines obtrudant, quouis supplicio, quàm vllo beneficio digniores: indeque fieri, vt non sit, qui plebem recta doceat, inducique; in fraudem prohibeat; sed vt lupi vice custodum ouibus opponantur. Regem Philippum in Hispania non pati sacerdotia nisi iis, quos constet rerum diuinarum affatim esse doctos, attribui; & ab hac re bene Hispaniæ esse, quòd Clerus inscitia non laboret. Porrò faciles, per seq; ad pietatem flexos subalpinorum animos esse: rei summam ab Religiosis sacerdotibusque, quos turba simplex obseruat & sequi-

64 „ tur, pendere. Rectè admones (inquit cum gemi-
„ tu Emmanuel) sed vnde in tantis tenebris, tamq;
„ sterili sæculo præsens, quæ oporteret, copia sa-
„ cerdotum virtute ac scientia præditorum? Fer-
„ dinandus Imperator, inquit Possevinus, ad ho-
„ mines eiusmodi idoneos efficiendos, gemina ni-
„ titur via. Primùm bonæ spei iuuenes è Germania
„ Romam in Collegio Germanico educãdos mit-
„ tit: vbi & morum & doctrinæ magistros optimos
„ habent, è quorum disciplina digressi concepto
„ in hæreses odio, maiestate Romanæ Ecclesiæ &
„ sanctitate perspecta, insuper ipsi doctrina arma-
„ ti, vitæ innocentia tecti, vbi in patriam rediere,
„ magno vbique præsidio sunt. Deinde Societatis
„ Iesu virtute cognita, sub cuius disciplina Germa-
„ ni iuuenes Romæ instituuntur, fatetur Imperator nullum præsentius miserrimis hisce temporibus se inuenire subsidium, quàm si huius familiæ
„ viros in terras suas quamplurimos aduocet. Itaque eorum fundandi Collegia finem nullum faciet. Quorum præsidio Collegiorum & tenera ætas religiosè educatur, & Catholici confirmantur: nec virus modò hæreticorum ne serpat, comprimitur; sed eorum multi ab errore abducuntur:
„ vt hæc res vel sola, vel maximè Germaniam te-

65 „ neat, ne funditus ruat. At Lusitaniæ Rex Ioannes
„ Tertius inde vsque ab huius Religionis exortu
„ eius nomine audito, cùm pro summo beneficio
„ duos ex ea Patres à fundatore Ignatio, & Roma-
„ no Pontifice Paulo Tertio impetrasset; vno in
„ Indias misso, altero subsistere apud se iusso cùm
„ Lusitaniam omnem idoneis sacerdotibus com-
„ pleuit, & ad antiquam reformauit pietatem, tum
„ inde vel viginti propè millium passuum millibus
„ disterminatas gentes Christo sibique fideles red-
„ didit. Credo auditã Celsitudini tuæ Conimbri-
„ censis Collegij famam. Plus mille ibi auditores
„ pari & pietatis & scientiæ ardore eruditur.
„ Quippe traduntur vnà cum litteris semina pieta-
„ tis. Habent certa, quibus de peccatis confiteantur, tempora: singulis diebus vnà cuncti diuino
„ Missæ sacrificio intersunt: sæpissimè ad sanctissi-
„ mam accedunt Eucharistiam: adeunt nosoco-
„ mia pueri nobiles: & omnibus vel infimorum fa-
„ mulorum erga ægrotos officiis & ministeriis ala-
„ criter defunguntur. Procul ab illa iuuentute im-
„ pia impudicaq; facta & dicta: procul turbæ rixa-
„ rum. Quas res Lusitanus populus aliasque ani-
„ maduertens, Patres Societatis talium rerum se-
„ cũdùm Deum auctores haud aliter vulgò quàm
„ Apostolos vocat. Hæc Possevinus studio ingenti
„ subalpinas regiones iuuandi de Societate co liberiùs dixit, quòd, cùm in eam dedisse ipse nomen nesciretur, verecundia minùs retardabatur.
Ita verò probata cuncta sunt Duci, vt aduocato protinus Ioanne Fabro, qui illi ab epistolis erat, iuberet litterarum scribendarum ad Cardinales patronos, atque ad Religionum Præsides Generales à Possevino sententiam ac formulas accipere: superque eas scribere item binas iussit, alteras ad ciuitatem Anessiensem, quibus ad tradẽdum Societati Collegium, de quo iam ipsimet agitabant (vt suprà est demonstratum) impensè hortaretur: alteras ad Lainium, quibus rogaret, vt homines ad incolenda duo Collegia, quæ in subalpinis ipse meditabatur, primo quoque tempore destinaret. Scriptæ sunt litteræ, & semina rerum fuere, quas postea per eas oras Societas nostra bene ac prosperè gessit. Sub ea Fossanũ Possevinus excurrit: ac præceptoriæ rebus ex animi sententia constitutis, interimque religionis per ea loca statu interiùs cognito, Emmanuelem admonet in Valle Perosa seu Petrosa (Perusij litteræ Principum vocant) ab hæreticis domos ad habenda conuenticula ædificatas: & publicè impuneque conuenticula fieri, docerique; impietatem. Continuò Emmanuel Mauritio Ferrerio suo ad Pineroli Abbatiam arcis Præfecto mandat vti eas errorum officinas disturbet, nequitiæque magistros ex ea Valle, omnique territorio Ducis eiciat: viique & malo adigat, si repugnent. Non segnis ad imperiũ Ferrarius fuit. Sumptum quoque de insignioribus errorũ architectis igne supplicium: cùm ad hanc seueritatem & rei necessitas, & sancta Hispani Regis æmulatio excitaret. Adeoque id exemplum homines terruit, vt simul spe ostentata veniæ resipiscentibus, agmine magno ad errores damnandos accurrerent. Verùm enimuerò in Valle Lucernæ, & maximè in contigua ei Angroniæ magis obduruerat peruersa mens, quàm vt flecti malis alienis posset: atrocioraq; erant scelera, quàm vt sperandæ veniæ locum reliquissent. Ante annos ampliùs trecentos sexaginta infamia ibi cubilia reliquiæ Valdensium, qui & Pauperes de Lugduno vocantur, ex Albigensibus orti posuerant. Arriani ibi complures: mox & Lutherani penetrarant; nouissimè in Caluini furores toti incubuerant: petitosque ab Geneua pestilentes libros Vercellas vsque palàm disseminabãt. Ibi receptaculum omnium turpitudinum ac furorum. Nec modò veteres ibi viuebant hæreses, sed nouæ progignebantur. Vt quid sua cuique libido suggessisset, religionis obtentu dedicabatur. Ad cætera facinora, haud vno loco conflatis, quas Catholicis eripue-

66. *Duo Collegia Dux Sabaudus petit.*

67 *Hæreticos Vallium domat.*

Digitized by Google

eripuerant, campanis, adulterinam cudebãt pecuniam. Ergò cùm imperata facere abnuerent, Ferrerius armatorum manum ad nefariæ disciplinę magistrum inter eos nobilem comprehendendum mittit. Arma hęretici capiunt: quosdam trucidant: & pluſquam ritu barbarico vnius ſcrutati ferro viſcera (ſic fama tulit) extrahunt cor & vorant. Adeò inſanam rabiem mortalibus conſcientia ſcelerum, deſertæque pœna religionis iniicit. Tum verò nefas deteſtatus Emmanuel armis ſubigendos rebelles ſtatuit. Attamen, nequod intentatum lenitatis documentum relinqueret, Poſſeuinum præmiſit: qui quatuor oppidorum Vallis Angroniæ Præfectos, & aliquot ex hæreticis magiſtris ad colloquium vocatos admoneret, vt modeſtè Ducis ſui imperata facerent, & Catholicos concionatores exciperent. Dictus colloquio locus eſt ædes ſancti Laurentij in editiore planitie Vallis Angroniæ. Eò Poſſeuinus cum Guilielmo viri nobili & Catholico è Lucernæ Comitibus, duobuſque præterea ſociis venit. Non ita multò pòſt bini incedentes Miniſtri apparent quatuordecim: quorũ anteſignanus erat Stephanus quidam Gallus apoſtata. Plurima vndique è ſubalpinis ad colloquij famam confluxerat multitudo. Recitat Poſſeuinus litteras Ducis, eiuſq; conſilium exponit, vt à cædibus abſtineant: ſiquę prætexant, tueri ſe dogmata ſua velle, de iis eo loci pacatè agi licere. Reſponderunt ſe ad diſputandum paratos: ac, ſiquid monſtraretur ab primitiuæ Eccleſiæ Patribus è verbo Dei declaratum, ſententia ſe eorum ſtaturos.

68 *Hæreticorũ immanitas.*

69 *Poſſeuini induſtria.*

Poſſeuinus quanquam ad ea certamina tiro erat, reſque Catholicas in ſcholæ otio ſubtiliùs ſcrutandi facultas abfuerat, tamen nequaquam imparatus acceſſerat. Nihil enim aliud, ex quo ab Vrbe abierat, meditatus erat, Chriſtianam Caniſij inſtitutionem ſedulò verſans: quam pro filo ac duce ſequęs, ad eamdem, quæ in Patribus, quæ in Doctoribus vetuſtioribus aut recentibus inueniret, ſagaciter referebat. Ergo de Miſſa ſanctiſſimaque Euchariſtia agi eſt cœptum: cuius myſterij veritatem cùm ſecundùm Euangelia & ſanctum Paulum, è S. Ignatio, canonibus Apoſtolorum, Areopagita, Irenæo, aliiſque Poſſeuinus euidenter oſtenderet; arguteè, vt ſibi viſus eſt,

70 *Hæreticorũ ſtultitia ac perfidia.*

Miniſtrorum quidam, Vnde conſtat, inquit, eos libros auctorum eſſe, quos nominaſti? Cuius ſtultitiam cùm vno verbo refelliſſet, non aliunde conſtare de auctoribus iis, quàm conſtet ipſis Euangelia verè ab Sanctis, quorum feruntur, edita Euangeliſtis. tum Hortenſius (vt aiebant) Neapolitanus, qui deſerto cœnobio, perditaque fide ac pudicitia cum inceſta muliercula illud ſe in antrum abſtruſerat, infert ſe medium, & prehenſa Poſſeuini dextera, Iuro, inquit, ſi quæ ex Irenæo protuliſti, ex ipſo codice verè oſtenderis, manus me cum omnibus his daturum. Arripuit occaſionem Catholicus propugnator: verſuſque ad populum teſtes pariter eſſe ac facere promiſſa iubet. Et quoniam Irenæus ad manum non erat, biduo ſe miſſurum ex Auguſta Taurinorum, vti miſit, recepit. Sed qui ad ſacrilegia omnium generum obcalluerant, iuſiurandum polluere haud penſi habuere. Nullo ampliùs edito reſponſo ſolicitant populum omnem ad arma.

Tum demum Emmanuel, quantum ſat foret copiarum, duo peditum millia armat, Dominoque Trinitatis rei militari præfecto Poſſeuinum ſacris ſumma cum poteſtate, quantum ad ipſum Ducem ſpectaret, imponit. Suas eidem vices Franciſcus Baccodius Geneuæ Epiſcopus demandat, qui Pontificiæ liberatus Datariæ munere Nuncius ad Ducem Apoſtolicus venerat. Sacrilegos adorti milites, Deo ſuæ fauente cauſæ, facilè ad deditionem compellunt. Triginta quatuor è primariis Vercellas venêre, qui omnium nomine in templo principe ſancti Euſebij Emmanuele Duce hinc Margaretaq; coniuge; inde Baccodio Nuncio Apoſtolico, tum vniuerſo adſtante populo, præeunte Poſſeuino, à quo & prędocti erant, hæreſim ritè damnarunt. Poſſeuinus inter hæc omnia luſtrare loca: prædicatores rectæ fidei vbique conſtituere: libros hæreticorum conquirere, exurendoſque Quæſitori, quem ſecum ducebat, tradere: pios libellos ferere: iubere Magiſtros Caniſij catechiſmum pueris ediſcendum proponere & explicare. Denique res non ſine labore, vel periculo ingenti, ſed ingenti cum Catholicæ religionis bono geſta erat, cùm periculum nouum, vt infrà dicetur, enaſcitur. Hac Poſſeuini ad res gerendas dexteritate perſpecta, cæteriſque virtutibus, quæ idoneum ſanctæ Eccleſiæ Præſulem faciunt; non defuere Principes viri, qui admonendum Pontificem putarunt rogandumque, vt tantum virum iis honoribus, eaque poteſtate ornaret, quæ egregiis eius virtutibus ad maiorem Reipublicæ Chriſtianæ vſum fructumque pareſſet. Quam rem ille odoratus ad Lainium, vti aduigilet, remque interuertat, diligenter perſcribit: ſibi non modò certum eſſe in ſancta Societatis humilitate Dei gloriæ, animarumque ſaluti ſeruire, ſed etiam votum conceptum non ambiendi, non excipiendi, quantum ſine peccato fas ſit, ne à Summo quidem Pontifice honorem vllum.

71 *Multi hæreticorum ſectam eiurant.*

Inter hæc Ludouicus Codrettus vltra montes complura Narbonenſis tractus clara oppida Apoſtolica ſedulitate luſtrauit. Inuitabant tempora, vt quidquid in vnius hominis ope eſſet, expromeret, & in multorum neceſſitates populorum diſpertiret. Itaque poſt nauatum Lodeuenſi diœceſi fidele ſtudiũ, ſæpiùs Maſſiliæ & Aquis Sextiis, item Caballione & Carpentoracti & Auenione celebria auditoria ad morum religioniſque caſtitatem erexit. Id præferebat ipſe Ordinis ſpecimen ſui, tam ſe præſenti indigas auxilio vbique ciuitates intelligebant, vt conſpecto auditoque illo protinus in Collegiorum cupiditatem exardeſcerent, nec ab ſe diuelli eum niſi inuitiſſimæ paterentur. Demum Auenione penè pro poteſtate (cùm Aneſſium repeteret) ad quadragenarios tractatus à Prolegato detentus eſt. Et conſtitit pretium moræ. Non modò conſuetà alibi lapſis allata moribus remedia, res malè partæ redhibitæ iuſtis dominis, diſtracti pellicatus, mulierculæ etiam ſeptem à proſtibulo ad pudica conſilia, treſque earum ad Religioſa ſepta traductæ; multæ ab prima recti prauique notitia pertextæ homologeſes, & horum ſimilia; verùm conſtabilitæ omnium in religionis ſanctitate mentes, patefactæ fraudes hæreticorum: dubi-

72 *Res à Ludouico Codretto geſtæ.*

75 *Auenione multa agit præclarè.*

Digitized by Google

tatio multis exempta: & lubrica in præceps domita curiositas: tum libri pestilentes exusti: nec pauci, quos iam fraudulenti magistri circumuenerant, errorem summo cum dolore & lacrymis agnouere. quæ fuerunt eo maioris momenti, quòd eodem tempore alij super alios ex vicinis ciuitatibus nunciabantur hæreticorum tumultus, inde Auenionensium nihil concussa, sed potiùs confirmata constantia. Hac enim demum Quadragesima Caluiniani furoris flamma nimiùm diu negligentiùs à bonis coërcita, & ab rerum studiosis nouarum perstrenuè alta & propagata, in apertum erupit incendium. Ausi multis in vrbibus arma impij capere: teterrima conspiratio aduersus Regem Amboſiæ tum degentem, vel enecandum vnà cum Regina & aliis regni administris, vel certè in potestatem redigendum inita. Tum Caluini asseclæ, qui ad id loci Lutheranorum fermè communi vocabulo censebantur, ab suo cœpti corruptore nominitari: tum eorumdem infaustum ac sanguinarium nomen exortum (incertum vnde) vt dicerentur Hugonotti. Hæ temporum calamitates aculei bonis erant acerrimi ad plura quàm possent, conanda. Itaque Ludouicus præter quotidianas in S. Petri conciones, Dominicis diebus aliisque religiosioribus ter dicebat, summo manè ad celebrem nobilemque verberantium sese Sodalitatem: deinde inter maximum Sacrum ad populum in S. Petri: postremò in templo Archiepiscopi post meridiem. Deque salutiferis Christi Domini doloribus tum vespera feriæ quintæ per aliquot horas apud Franciscanos, vt amplitudo templi plures caperet, tum postero matutino in sancti Petri deplorauit inter gemitum & complorationem lacrymabilem multitudinis. Inque eodem Franciscanorum templo secundùm Pascha pomeridianas conciones habuit; cùm interim, &, si quid posset, priuatis cuique adesset consiliis, & aures confitentibus non negaret, & delectis aliquot exercitationes B. Ignatij dictaret. Quorum è numero in S. Desiderij Canonicus rara modestia, magnaque doctrina Ioannes Balmesius perfectæ virtutis amore captus Societati se dedit. Anessium iam tandem ab Geneuensi Episcopo magnopere aduocatus cùm rediisset, præsertim vt de Collegio transigeret, ciuium pleroſque reperit non leuiter solicitos, id agere eum ex commendatione Sabaudi Ducis interpretatos, vt suum ciuitati Collegium eriperet, & Societatis cœnobium faceret. In ius enim alienum transscribere illud perinde atque amittere interpretabantur, cùm id potiùs esset in perpetuum committere: quando ciuitati tota ex eo publica vtilitas & dignitas salua erat, imò augebatur, sola procurationis molestia decedebat. Sed illi durum quoque censebant prorsus omnia fidei alienæ industriaque in æternum credere. Itaque cùm eò dumtaxat venirent, vt Magistros tres in sexennium peterent, quibus fermè vt cæteris de populo Magistris statas mercedes penderent, id esse ab familiæ huius alienũ institutis, ad ciuitatem, itemque ad Emmanuelem Ducem Lainius rescripsit. Societatem enim, quò iuuare cæteros, & communi seruire bono queat, necesse habere suos ad id priùs homines aptos reddere scientiæ virtutumque præsidiis; quod in mutilis hisce dimidiatisque Collegiis fieri non sit. Ergo dum Collegij res parum procedit, Ludouicus nequaquam vno affixus loco, cùm circà omnia hæreticorum flammis arderent, salutares diuini verbi aquas ad Delphinatus aliquot vrbes circumferes, plerumque ætatis egit Lugduni, nunc in æde, cui *Plattiere* nomẽ, media in vrbe sita, nũc in principe tẽplo restinguendo Satanæ incendio intentus. Demum cœpta in Vallibus à Posseuino cùm prosperè adeò cederent, accitu Apostolici Nũcij cis mõtes regressus, extremũ anni Vercellis cõfecit, multiplici, vt solebat, distentus negotio; sed maximè de docẽdis atq; edocendis hæreticorũ primariis, qui subinde mittebãtur è Vallibus.

74 *Anessiani Collegij res non procedit.*

Talia in Galliæ Italiæque extrema ora dum fiunt, interiore in Gallia nihilo minora inter Aquitanos & Aruernos gerebantur. Iam quartus Apamias de Societate sacerdos venerat, qui Carcassona (Occitaniæ oppidum est) transiens interrogatus, quò iter intenderet, simul auditum est Apamias ire, continuò fuerat in vincla coniectus; negantibus Carcassoniis quemquam nisi Caluinianum, aut alioqui infamem hominem Apamias eò tempore, velut in latibulum fugere; octoque dies in vinculis habitus. tandem ea tantùm res fidem fecerat eum Catholicũ esse, quòd in eius sarcinulis aliquantũ icuncularum piarum, quædam precatoria serta, & piaculares orbiculi inuenta fuerant. Quæ cùm hæretici detestentur, ad incitandam puerorum & populi pietatẽ Pater ex Vrbe tulerat. Hoc aucti socio Patres Apamienses, initia docendi quo celebriora facerẽt, & hominũ ad eam rem oculos animosq; conuerterẽt; exposuere publicè in tabella descriptã rationem earum rerũ atque disciplinarũ, quas tradituri in scholis erant. Proposita ad disputandum capita quæstionũ è Philosophia, Dialectica Oratoriaq; deprompta, atq; etiam ex Grãmatica. Non enim leue quidquam ducebant, quod ad Dei gloriam momentũ haberet. Concursus ad spectandum maximus: ad disputandum ex magno, qui ibi se profitebãtur esse, litteratorum numero, ne vnus quidem accessit. Elegans dein habita oratio. Ioannes Rogerius Aristotelis Philosophiam de moribus deq; disputandi ratione libros: Edmundus Augerius libros de Oratore ad Herennium, alioſque graues scriptores interpretari exorsi: reliqui duo Magistri Grammaticam & prima litterarum initia tradere. Non ita multò pòst Eclogam ab Augerio elegantet scriptam vènustè eius discipuli pronunciarunt. Feriis ante Quadragesimam productum in scenam drama, quod & actorum elegantia, & apparatus splendore, & fabulæ graui venustate vrbis ac finitimorum locorum approbationem meruit. Res alibi vsitatæ, iis locis memorandæ. At Episcopus cognitis & quæ gerebant patiebanturque Patres, & negatum illis ab ciuitate, quod receperat daturam, Collegium, ius persequi lite decreuit: quamuis Lainio hæc ratio minùs probaretur, ne per dissidia & lites inchoata commercia difficilè aliquando in bonam concordiam coalescerent. Interim ab conducta domo Socios in ædes suas migrare iussit. Ibi Latinè & Græcè ab discipulis declamatum. Hi circiter ducenti numerabantur, litterarum

75 *Apamiensis Collegij labores.*

76 *Apparatus docendi initia.*

77 *Res gestæ Apamiis pro re Catholica.*

Digitized by Google

rum & magis rectæ fidei rudes. Principio vix vllus erat puerorum, qui non aut Maroti psalmos, aut Caluini catechismum secum gestaret in scholas. Præter quasdam cantiones vernacula Gallorum lingua, meras animi pestes, nihil sciebant. Corrogarunt libellos noxios Patres, & igne cremarunt: & Catholicæ fidei tradidere rudimenta: quæ cùm pueri, tum boni omnes auidè & beneuolè exceperunt. Haud segniùs inter hæc Pelletarius quotidie per magnum ieiunium, & quidem diebus Dominicis semel atque iterum verba fecit, nunquam antea, quod recordarentur homines, frequentia pari. Amplius mille mortalium ab hæresi iisquadraginta diebus deterritum vulgò ferebant. Quo pietatis progressu hæretici nimirum in furorem adacti factu impia & horrenda dictu audebãt. Quòd cæli Reginam Pelletarius quamuis non paribus, magnis tamen pro concione laudibus prædicaret, ausi impij sunt eius è publico vrbis loco, vbi piè à piis colebatur, detractam effigiem in forum rapere: in eoq; medio, vbi auctiones fieri consueuerunt, fune suspensam per sacrilegum ludibrium quasi venalem proponere. Passim frangebant cruces: Sanctorum imagines conspurcabant, & demptis abrasisue capitibus minuebant. Quin etiam in templum princeps, & Episcopi sella præstans, quod cùm extra vrbis mœnia esset, opportunius iniuriæ fuit, furiali illati impetu, sacram supellectilem incendêre omnem: sacra vasa abstulere, etiam quibus Sanctorum reliquiæ, & Sacrosancta Eucharistia condita erat. Quibus diuinis pignoribus quid factum sit, incompertum. Ad tantas Dei Cælitumque iniurias excruciabantur animo & tabescebant Patres; easque vel suo delere sanguine exoptabant. Hoc studiosiùs ad venerationem Beatorum, ad cultum vsurpationemq; sanctorum mysteriorũ populum adhortari. Supplicationem, ad cætera Pelletarius indicit quàm possit celeberrimã, & magnifico apparatu pompaque Catholicis omnibus piè deducentibus venerandam Deiparæ effigiem in suum locũ reportat. Singulis præterea diebus sabbati de eius laudibus concionem instituit: ad quam quo frequentior congregaretur populus, simulque vt Virginis magnæ hostibus orthodoxi fiduciam pectoris demonstraret, vicatim cum tintinnabulo per oppidum hominem dimittebat, qui ad concionem de Beata Virgine passim inuitaret: vt iam Pelletario Diuæ Mariæ Doctor glorioſum cognomen fieret. Die Parasceues tanto ardore de Christi Domini cruciatu verba fecit, vt populus magno strepitu lacrymarum, singultuum, vocum, quibus misericordiam implorabat, præsertim vbi Dominus affixus cruci prolatus ostensusque est, diu concionantem, cùm exaudiri non posset, interpellaret. Quæ item res alibi minùs noua fortasse, iis locis pro miraculo fuit. Non minore motu eodem sacro ieiunij tempore Edmundus tantisper discipulis Rogerio commendatis (perpaucos enim vterque, cùm rudiorum pars esset maxima, numerabat) Fuxi diuini verbi sementem fecit: & in concione Parasceues opportunè vsus tempore, ac mollioribus auditorum animis in adulterantes pietatem, Christoq; Domino peiùs Hebræis illudentes, inuectus, incitauit populum adeò, vt omnes sublato inter lacrymas clamore, Caluinum, eiusque & omnium hæreticorum impia inuenta detestarentur.

78 *Hæreticorum furor.*

79 *Patrum zelus & industria.*

80

Talium rerum fama Tolosates commoti, misso nuncio & iumento Pelletarium summis precibus accersunt. Miseranda ibi quoque hæreticorum licentia. Iam enim multis locis (vt dictum est) seditio, quæ tandem in Hugonotticum erupit bellum, tumebat. Sub ipsas portas Monachorum ementiti habitum hæretici irruebãt in templa, sacra diripiebant, spoliabant viatores. Videbatur iratum Numen propè eas regiones abiecisse. In vrbe non deerant boni, qui vt audierunt Pelletarium, summè lætati sunt. Palàm enim & fidenter in impios inuehebatur, quicunque essent: indignans cunctis mussantibus sedentibusque sacram Christi Domini lacerari vestem, & miserandas fieri animarum strages. Per hanc fiduciam Catholici animos erigebant: quique nutabant, illustratis hæreticorum fraudibus, firmabantur: non pauci ipsa ex hæresi emergebant. At pertinaces nouarumq; rerũ auctores vias omnes scrutari, quibus vel exterminarent fidentem præconem, vel de medio tollerent: dumq; aperta vi conficere non audent, ad venena cõfugiunt. Poma aliquot simulato per dolũ mittentis nomine, mortiferis illita succis mittũt. Sed Christi Seruatoris fecit clemẽtia, vt prodita fraus haud cuiquã nisi auctorum animis, quod sibi vltrò ipsi conscierant, damni quidquã afferret. Per eos dies omnes, quibus sacer Domini Aduentus colitur, Tolosæ subsistere coactus est Pelletarius, & vehementer de extruendo ibi Collegio cœptũ est agi.

81 *Tolosa res à Pelletario gestæ.*

82

Hæc rerum, quæ in Aquitania, quæque ab aliis inter Aruernos Billomi circaque gerebantur, fama reliquam Galliam peruagata incendebat vbique bonos, vt suisquique regionibus eadem præsidia peroptarent. Quippe cùm hæretici passim ita percrebescerent, eoq; progrederentur audaciæ, vt excitarent armis tumultus, ausi & contra Regem (vt paulò antè indicatũ est) arma sumere, haud clàm erat Apamias, & finitimas oras vnico illo Religiosorum Magistrorũ præsidio conseruatas: simulq; animaduertebant inter Aruernos multò pacis & religionis statum meliorẽ: quod nõnisi Billomæo Collegio tribuebãt. Accedebat & ex Sabaudia & subalpinis regionibus, ex Germania ipsa, & potissimùm ab Roma secundissimus de Societatis doctrina pietateq; rumor. Eò factum est, vt Cardinalis Lotharingiæ Socios ab Lainio peteret ad Collegium Metis instituendũ: & Cardinalis Turnonius suum, quod Turnone magnificè extruxerat, & reditibus bonis ornauerat, Societati dare decerneret: & Claromontanus Episcopus non iis duobus contentus, quæ Billomi & Parisiis fecerat, tertiũ postularet in Aruernis montanis Mauriaco in oppido statuendum: in quæ omnia Collegia Societas hoc anno consensit, sed posterioribus incoli cœpta, præter Metense, quod nunquam processit, & in alia, præsertim in Mussipontanum, videri potuit commutatum. Porro Cardinalẽ Turnonium, cùm à Pontifice Legatus ad Franciscum Regem missus Turnonem venisset, ipse coràm perspectus rerum status ad maturandũ negotium impulit. Quamuis enim Ioannes Pellisonius non vulgari vir pie-

83 *Collegia tria in Gallia recepta.*

84 *Turnonienſe Collegium quare Societati tradi-tum.*

Digitized by Google

tate atque prudentia, quē Collegio ille præfecerat, tum sua sponte aduigilaret, tum ipsius Cardinalis voluntate & opibus, simulq; Iusti Turnonis Domini auxilio nixus cōniteretur, ne pestifer hęreticorū afflatus ad eam iuuētutē aspiraret; tamē cùm Magistri variis è regionibus euocādi essent, euitari non poterat, quin ignoti quidam, atque adeò corrupta religione interdum irrepereēt: qui mox & pędagogos & scholasticos sensim vitiarēt. Inde & factiones crebræ, & aduersus Pelliſoniū gymnasiarchā fœdę seditiones oriebantur. Quarum is pertæsus Cardinalem iam pridē vt bonam sibi missionē ab eo daret munere, fatigabat. Cùm verò Turnoni Cardinalis esset, eò procacia hæreticorū excessit, vt ipsius castri portæ quędā impia scripta aduersus Pontificē & Cardinales affigerentur. Quibus ex rebus tantum Cardinalis religiosissimus dolorem animo cepit, vt Collegium commutaturū se in horreum diceret. Habebat in comitatu præstātes virtute ac sapientia viros præ cæteris duos, Petrū Villarium Condrienſem, qui postea Episcopatū Ecclesiæ Mirapisensis gessit; & Vincentium Laureum, qui Episcopus Montis regalis in subalpinis, ac demum Cardinalis fuit. Hi ægro animi Turnonio Cardinali auctores sunt, vt semel in perpetuum cura se Collegij eius exoneret: eademq; operā tum cōseruationi eius, tum orthodoxæ iuuentutis institutioni cōsulat. Id in procliui fore, si Patrū Societatis curæ permittat. Tum alia, quæ visa sunt, addentes, ita permouere, vt probato consilio ipsummet iuberet Laureum Cardinalis cōtinuò ad Lainium super ea re litteras dare. Et earum exemplū litterarum Kalendis Octobris datarū est tale: Incolumis, inquit, Dei gratia, Cardinalis Turnonius in Gallias venit: sed cum magno animi sui dolore religionis res ita perturbatas inuenit, nullus vt propè in hoc regno sit locus, quē non aliqua ex parte hæretica lues contaminarit. Cùm verò aduētu suo partim seditiones graues, vel iam ardētes extinxerit, vel orientes oppresserit, partim Christianissimo Regi per litteras malorum remedia, viasque ad vim ac fraudes seditiosæ huius & conscelcratæ sectæ repellēdas proposuerit; nequaquā deesse Turnoni vult, solo suo natali. Id cum oppidū sit octingētis circiter domiciliis frequens ad Rhodanū situm, ac sapientię studiosos nō pauciores mille ducētis habeat propter opportunitatem Collegij, quod suis ibi impensis Cardinalis ædificauit, proximè ab tetræ huius pestis periculo abest. Quam ad id loci haud quaquā effugisset, nisi & populariū aduersus Cardinalem amor eximius & obseruantia defendisset; & vigil prudensq; fratris filij custodia, qui Turnoniæ domus generosa stirps, vel cum vitæ discrimine maiorum suorum illustria premens vestigia, noua hæc pietatis inuenta, eorumque fautores propulsare & oppugnare nunquam destitit: adeò vt ab inimicis fidei ad contumeliam (vt ipsi rentur) monstretur digito, & Papista vocitetur. Iam verò Cardinalis pro optima opinione, quam semper de sanctimonia vitæ doctrinæque integritate sacratissimę Societatis Iesu habuit; persuadet sibi suam hanc patriam contra impetum quemuis fraudemq; tartaream reddere inexpugnabilē posse, si præsidium ei de vestris hominibus imponat, suumq; Collegiū custodiæ Societatis fidæ sanctæq; committat. Neque vni tantùm oppido, sed toti regno sperat se ingens commodum allaturum. Etenim Collegium peropportunum cùm sit tum situ & opulentia oppidi, tum ædium magnificentia, & bis mille francorum annuo vectigali, præterquā quòd discendi cupidos eò vt commeent, allicit; potest etiam multos è Societate præstātes enutrire viros, quos per Gallias sparsos certa spes est vbique innocentia vitæ ac Dei verbo eiecturos iugulaturosque Catholicæ fidei hostes, & in pristinum religionis splendorē regnum omne restituturos. Nec leue erit commodū tam multos adolescentes, ex quibus deinde Antistites, Religiosi viri, magni Cancellarij, Præsides, Consiliarij, Senatores ac cęteri Magistratus, regniq; administri creantur; à primis annis in sancto Dei timore educari, & Catholicæ custodia pietatis. Atq; adeò haud mētiar, si huius mali originē ab talibus personis affirmē esse. Fecisset Deus, vt in omni Gallia Societatis extructa Collegia essent: nō ita laborandū Pontifici Summo esset ad populū olim pietate inclytū in sanctę Sedis obsequio, & matris Ecclesiæ gremio retinendum. Id adeò experimentū apertè monstrat, quòd Billomū atque Apamiæ Gallicanæ vrbes, quāuis regionibus vitio contactis vndique obsideantur; tamē & se & multas circà oras ab infanda cōtagione liberas seruauerūt. Huius rei gratia quiuis fidelis Christi cultor diuinæ bonitati gratias debet agere, quòd in summis hisce calamitatibus quasi è cęlo demittere ad nos hanc verè cælestem Societatem dignata est. Cui cùm tu, Pater summè obseruāde, meritò præsis, cuius magnam incorruptamq; sapientiam, prudentiā & sanctos mores cognitos habet, plurimiq; vt debet, facit Cardinalis; tanto acriùs cōfirmat suum honestū hoc votum atq; inflammat. Ideoq; iussit, me tibi nomine suo, quod his litteris facio, significare, mentē hanc eius esse, vt suum illud Collegiū sanctę huius Societatis sit. Hactenus Vincētij litterę.

85 *Littera Vincentij Laurei Collegium Turnoniū Societati Cardinalis nomine deferentis.*

Parisiis non ita lætæ res erant. Societas nondū auctore Senatu Parisiēsi in regni corpus admissa. Henricus Rex tantū vt Lutetiæ Collegiū extrueretur, concesserat. Vehementer itaq; si penitus in omnē Galliam aditū Rex aperiret, è re futurum religionis Catholicę & Societatis videbatur: idq; vt fieret P. Pōtius Gogordanus acriter (vt solebat omnia) strenueq; curabat. A Francisco Rege adolescente optimo, & sinceri sacrorū cultus perstudioso, qui Henrico patri successerat, vnas, alteras ac tertias litteras impetrarat; quibus Rex ab se admitti in Gallias Societatē contestans, Senatui Parisiensi mandabat, vt eam ipse quoq; suo ritè cōcilio amplecteretur. Omnibus hisce litteris obstitit Senatus, aliquid semper excogitans noui, vnde iussum Regis frustraretur. Ante omnia decretū sexto antè anno Sorbonicorū nomine Theologorū editū obiectabāt. Nefas esse id hominū genus Gallia recipi, quod Parisienses diuinarum rerum Magistri damnassent. Alia adiiciebant: sed decreti eius nomen celebrabant maximè, quòd semper apud Reges Gallorū fuisse magnā, & apud Franciscū esse Sorbonicorū auctoritatē norant. Hoc vbi Rex vidit, totiesq; sua repelli iussa, quartas litteras adiicit, quibus & decretū Sorbonicū, & quęcunq; obiecta fuerāt, refellens, rem testans

86 *Quanto nēgotio curatum vt Societas in Gallia regnum susciperetur.*

à se

à se diligenter perspectam & cognitam, vt sine cunctatione obsequantur, imperat: regiumque suum procuratorem Parisiis vrgere negotium iubet, & omnino conficere. Accesserè Catharinæ Reginæ matris, Cardinalisque, & Ducis Guisiorum, & Cardinalis Turnonij, & Cardinalis Armeniaci de optima nota commendationes, tum Senatui per litteras, tum coràm Regio procuratori, quamdiu is apud Regem fuit. Obsisti planè siue tot Principum volũtati, siue toties mandantis Regis imperio non videbatur posse. Sed hostium sanctæ Ecclesiæ teterrimus & versutissimus dux Satan etiamnum morã inuenit. Populus quidem Parisiensis, vt erat tum propè omnis integer, & ab hæretica lue intactus, Societatẽ cupidissimè accipiebat, quiq; de ea Parisiis pauci versabãtur, obseruabat plurimũ: &, vbi vsus incideret, fidenter seu adibat, siue aduocabat. At Senatorum genus erat triplex. Quidam fauebant: plerique, nisi extrinsecus pellerẽtur, animo ancipiti neutrò propendebant: alij denique (vt in omni fermè cœtu diuersitas studiorũ exstitit) aduersabantur. Hoc in postremo genere nonnulli clàm hæretici reluctabãtur obnixè, medioq; aggressi facilè calumniis falsisq; criminibus trahebant in sententiã suam. Eò fiebat, vt pauci illi primi, qui fauebant, desperata re, vota potiùs facerẽt, quàm contra omnium impetũ frustra tenderent. Quia tamen contumacia quædã, & aperta Regiæ Maiestatis contemptio videbatur, iam tandem non cedere, sed obstinatè contraire: nec decretũ Sorbonicum, nec aliam speciem licebat obtendere; inuidiam ab sese per artem minimè obscurã conantur auertere. Norant Eustachium Bellaium Parisiensem Antistitem (quacunque tandem de causa) Societati haud dissimulanter infensum. Senatus igitur consultũ faciunt, vt Episcopo causæ cognitio permittatur: Patriq; Pontio respondent, ad Episcopum diplomata Pontificia, & Societatis instituti formam deferat: simul is ea probarit, moram ab se non fore. Frustrationẽ quanquam taliũ rudis morũ intellexit Pontius: paruit tamen Deo fretus & causa. Verùm Põtificias litteras, quibus ad eam diem confirmata, & beneficiis exornata Societas erat, exhibere satis habuit, quòd iis instituti etiam summa contineretur. Eas litteras vbi Antistes habuit in potestate, Curionum omnium Parisiensium concilio conuocato, è suo sensu loquens, animoq; etiam Societati beneuolorũ prœoccupans cum solicitudine monet; etiam atque etiam expendant quid quantumq; nouum hoc hominum genus priuilegiorũ iactet. Profectò & Episcoporũ & Parochorum infracta iura, euersam auctoritatem. Singula ipsi meliùs scrutarentur, multa quemque inuenturũ incommoda, quæ alios fugissent, paulò pòst tamen pariter omnia omnes sensuros. Intendunt itaque curam: notant haud pauca. Summa eò fermè redibat, non stare cum Societati concessis ea beneficia, quibus Gallicanã Ecclesiam Romani Pontifices olim ornassent. Tot inter difficultates illa Põtium cum primis angebat, quòd, cùm ab Episcopo tum quæ sua ipse cẽsura, tum quæ Parochi notarant, premerentur, quemadmodum responderet, & apud Regem alioq; Principũ obiecta dilueret, viam non inueniebat. Sed quia Catholici Proceres & Cardinales ante alios, quo periculosiora erant tempora, eo magis ad publicam religionem pertinere causam rebantur, & enixè apud Regẽ certabãt; is promi ostendiq; obiecta iussit, & quintum omniumq; acerrimũ Senatui mandatũ edidit. Quidquid olim nuperùe à quouis contrà obiectum esset, Societatem in regnum acciperet, vti liberè in Galliis, quemadmodum in cæteris orbis Christiani regnis, publicæ saluti seruiret. Hęc cùm optimus adolescens iussisset, causamq; adeò constãter patienterq; eum in locum promouisset; exitum rei, quemadmodũ aliarum præterea multarũ, quas pro religionis sanctitate agebat ac moliebatur, immatura sanè intempestiuaq; mors eius (pridie Nonas Decembris paulò ante mediam noctem est raptus) abrupit. Nec cuiquam mirũ fuerit, cùm vsque eò cuncti Principes, qui rerum summam moderabantur, ipseq; Rex causam hanc vrgeret, exitu frustrari eam passos esse. Dubia enim ac turbulẽta tempora faciebant, vt nihil exasperandum videretur: tantoq; plus nostra Societas fortunato ęquè ac forti Galliæ Nauarræq; Regi Henrico IV. debet, qui multis pòst annis tanto cum splendore & pristina ei restituit, & noua domicilia extruxit, nec è minoribus victor certaminibus anno post M.DC.tertio, vt publico etiã Parisiensis Senatus cõcilio excipereturr, effecit. Nec verò facilè cogitatu est, in litteris hisce atque imperiis curãdis, cùm Rex procul ab Lutetia Aureliæ plurimùm ageret, quot obeunda itinera, quantum ab rerum inopia tolerandum, quantum in curia exhauriendum molestiarũ Pontio fuerit. Pedes fermè ibat redibatque: victitabat emendicato: ad conficiendas obsignandasq; litteras quæ soluenda erant, è pietate aliena corrogabat, quamuis pleraque Cardinalis Lotharingus præberi gratuitò iusserit. Ob tam sedulam fidelemq; Societati nauatam operam, & quia cætera vita bonum se ac strenuum virum præstabat, ad quatuor votorum professionem Lainius admisit.

87 *Regis & Procerum pro Societate studia.*

88 *Quare Senatus minùs fauebat.*

89 *Episcopus Parisiensis aduersatur.*

90 *Franciscus II. Rex Galliæ moritur.*

Decimo Kalendas Nouembris Guilielmus à Prato Episcopus Claromontanus diu animam in affecto annis ac morbis corpore ægrè trahens, finem laboriosæ mortalitatis felici ad vitam immortalem transitu inuenit. Præsul in omnes partes optimus ac memoria dignus, & à Deo collocandæ educandæque Societati in Galliis datus. Cùm se patrem pauperum crederet à Deo constitutum, rerumq; sibi creditarũm, se non dominum, quàm distributorem magis; in alienis à pietate operibus ita parcebat impensæ, vt interdum haberetur tenacior. Verùm quid pius Antistes ageret, index fermè vitæ mors in apertum protulit. Suam rem omnem satis amplam Christo Domino reddidit. Pauperes Claromontanos, eorumque hospitalẽ domum heredes scripsit: multaq; simul ad educandos instituendosq; litteris adolescentes inopes, cura Societati commissa, multa Religiosis familiis virorum ac feminarum legauit. Cumq; liberaliter etiam famulis prouidisset, nusquam consanguineorum aut affinium meminit. Donata olim Societatis Collegiis Bilomensi & Parisiensi confirmauit: & vtrobique ad ædificationem domus ac templi certam addixit pecuniam: denique & reditus destinauit

91 *Episcopi Claromontani mors & in Societatem caritas.*

92

uit ad tertium Mauriaci Collegium ſtatuendum. Series ipſa teſtamenti, quàm eius infixa hæreret animo Religioſa hæc noſtra cohors, teſtatum fecit. Tertio quoque verbo ad eam redit. Vt quid cui legarat, ſtatim Societate menti recurſante, velut ſatis nunquam ſibi faceret, nouum quid, quod illi adiiceret, inueniebat. Suum quoq; corpus in templo Billomēſis Collegij, vbi abſolutū & dedicatū eſſet, condi mandauit. Ad reliquā erga nos pietatem multū illi eo debemus nomine, quòd Societatem & primus in Gallia ſtatuit, ac duriſſimo tempore, quo vel latebat incognita, vel pro noxia reiiciebatur, amplexus eſt ac protexit: vt meritò, per illud tempus ab nonnullis è vulgo Presbyteri Claromontani vocitaremur. Deus illi, quod factum ſpes eſt, gratiam cumulatam rependat. Pro beneficentiſſimi Patroni anima, quæ trium Collegiorum viuo ac mortuo fundatori debebantur, ſolennes preces & Sacra per Societatē vniuerſam ſtudioſe facta.

93 *Difficultates in recipienda Louanium Societate.*

Cæterùm ne Louanium reciperetur Societas, non abſimilis atque Lutetiæ obiecta fruſtratio. Euerardus Mercurianus poſt generalē conuentum Prouincialis in Germaniam inferiorē profectus, eam prouinciā tutabatur ſtrenuè ac promouebat: ſed progreſſum maximè retardabant conditiones, quibus anno M.D.LVI. ita Philippus II. Rex Hiſpaniarū Societati Belgium aperuerat, vt in qua ciuitate eſſet ponenda ſedes, concilio eius rem probari neceſſe foret. Erāt Louanij quinque ſacerdotes noſtro de numero, quorum labores gratiſſimi vulgo accidebant, ſatiſq; apparebat ciuitatem florentē & celebrem multò plus iuuari poſſe, ſi Collegium in ea ſuis omnibus abſolutū partibus cōderetur, & perpetuis vectigalibus firmaretur. Ad annum vſque M.D.LVII. conducto domicilio vſi erant: eo anno in ædes migrarant in platea Baccalena ſitas, in qua poſtea perdiu manſere, ab Helia Schorano Brabantiæ Conſiliario donatas: cui viro & alia Louanienſe Collegium debet. Earum ædium ius, vt ad manus (quemadmodum aiunt) mortuas trāſiret, & alia ſolo contenta bona adiungi liceret, ab ſenatu impetrandum erat. Id concedi Margareta Auſtriaca, quæ pro Rege Philippo fratre in Hiſpaniam reuerſo Belgium regebat, vehementer optabat: Comes autem Feriæ omnino tranſigendum cum Senatu ſuſcepit: eamq; ob cauſam Marchionē Bergēſem Leodienſis Epiſcopi fratrē Louanium miſit. Robertus quoque à Bergis Leodienſis Epiſcopus, vnde & Louanienſes ſacra petebant, Canonicos duos idem procuraturos, ſuoq; nomine Senatui commēdaturos legat, optimo ille quidē ſtudio, verùm legatorū delectu non perinde fortunato.

94 Horum enim alter egit perfrigidè, alter præuaricatus eſt peregregiè; qui ita fertur in Senatu locutus: Sæpè diuque mecum agitaui, Domini Louanienſes, expediret ne ciuitatibus nouā hanc Religionem recipere: curq; recipienda ſit, nihil; cur repellēda, nō pauca reperi. Equidē ſi ſenſui meo liberè paruiſſem, nunquā functus hoc officio eſſem. Epiſcopus commendatorem me miſit: vos, quod vobis videtur, id agite. Non ita egit Marchio, ſed cùm negotium quàm diligētiſſimè cùm Principis Margaretæ, tum Comitis Feriani, ſuoq; nomine cōmendaſſet, Senatuſq; longā ad conſultandum diem peteret, affirmauit niſi perfecta re Louanio ſe non abiturum. Hoc rerum cardine mirum eſt, quàm varia, planeq; inter ſe contraria in Senatu iactarentur. Fuit qui diceret populum ad confitendū apud Ieſuitas accurrere, quòd ſingulis, qui apud ſe confiterentur, denarios ſenos darēt. Altero tertioue pòſt die alius dixit, Idcirco Ieſuitas tam ſtudioſè qui apud ipſos cōfiteantur conquirere, quòd pecuniam ab confitentibus emungant. Adeò inter ſe pugnantia loquebātur, cùm ſimul illud cum egeſtate eorū, & hoc apertè cum diſciplina pugnaret. Fuit quoq; qui mente, vt præſtat credere, amica bonaq; diceret, Ieſuitarum Ordinem videri planè opus eſſe Dei. Quòd cùm ferè initio ab omnibus repellantur, tandem poſt longa certamina recipiantur ab omnibus. Interim cùm Marchio inſtaret, Senatus ne ſolus repugnare videretur, quos maximè rebatur aduerſaturos Academiæ publicæ Doctores, & Religioſorum Mendicantium Ordines, ſimul & Parochos admonet, quo loco res ſit: in medium q; proferre, ſiquid contrà habeant, quod ſua intereſſe videatur, iubet. Parochorum Decanus, qui & gradu & Theologiæ ſcientia venerandus erat, tum alios concitans, tum palàm in Senatu verba ipſe faciens, acerrimè contrà pugnauit. Ad cętera 96 quæ obiecit decantata vulgò & obſoleta nouum illud adiecit: Homines iſtos, qui profitentur ſe cuncta emendaturos, ſi boni viri eſſent, boniq; publici amatores, cùm tanta veterū Ordinū multitudo ſit, ad eos fuiſſe acceſſuros, vt ad priſtinam eos diſciplinā recuderēt, non ipſos Ordinē cuſuros nouum. Quaſi verò Religioſorū tantùm, non etiam Cleri ac populi lapſi ac deformati fuiſſent mores: nec ad cōmunes vtilitates extra veterum conata Ordinū Societas noui quidquā afferret.

95 *Rumorum populi vanitas.*

Ad Mendicātium Ordines, vt Religioſos decuit 97 viros, accepimus reſpondiſſe, gratias agere Senatui, quòd ſuorum cōmodorum meminiſſet. Verùm ſe Patrum Societatis acceſſu in cōmodi nihil timere. Quòd ſi quid etiam caducæ terrenæque vtilitatis minueretur, longè ſe huic detrimento commodum anteferre ciuitatis, quæ bonorū virorum ea re numero augeretur. Academici, qui 98 omnium nomine de ea controuerſia ſententiam dicerent, duos egregios Theologos, quorū aliàs memini, delegere, Doctores Tiletanum & Martinum eum, qui paulò pòſt Antuerpiēſis Epiſcopus deſignatus eſt. Hi cùm bene eſſent inſtitutorum hominumque Societatis periti, eius cauſam liberè & ardenter egerunt, vt iam Senatui non eam complecti verecundia eſſet. Sedenim in agmine contrà pugnantium cùm per imprudentiam multi aduerſarentur, non deerant hæretici, homineſq; inimici bonorum. Auctores hi fuere, 99 vt Societas (quoniam ita Princeps Gubernatrix, Comes Feriæ, Epiſcopus Marchioq; Bergenſis, Academia poſtulet, neque Mendicantes repugnent) accipiatur: ſed iis cum pactis, in quæ conuenire ipſamet nolit: quo fiat, vt paruiſſe videatur Senatus, nec tamen Collegium Ieſuitarum Louanij ſit. Dum conquirūt conditiones ab noſtris moribus alienas, adiecere permultas, quæ contra Summi Pontificis & Antiſtitis Louaniēſis iura erant: iiſq; oneratū Senatuſconſultū edunt. Vulgatur repentè fama receptā ab Senatu Societatem;

97 *Ordinum Mendicantium pro Societate pium riſponſum.*

98 *Academia ſanct.*

99 *Senatus graues conditiones imponit.*

Digitized by Google

tatẽ; populuſq; eam ingenti lętitia celebrat. Marchio quoq; mandati proſperè geſti titulũ amans ad Comitem Feriæ confeſtim lætiſſimas litteras mittit, idemq; vehementer Patres rogabat, vt ad eas conditiones deſcenderent, ſublatũ iri paulatim affirmans. Ipſe Senatus vt vidit minimè repugnantes, opinione ſua falſus cœpit meliora polliceri. Docti quoque iubebant pactis ſubſcribere, quãdo irrita eſſent, quæ ſæcularis ordo ad Eccleſiaſticũ ſpectãtia inſeruiſſet; & apud ipſum Pontificẽ vt ea tollerentur, daturos operam. Maluerunt tamen Patres deſiſtere à concionibus, quàm ab Senatu earum habendarũ, quod erat in pactis, poteſtatẽ expoſcere. In cõfeſſionibus audiendis, cùm vellẽt Parochorum aſſenſum exquiri, illud cõmodè cecidit, quòd ciuium ita multi veniam ex iis apud Patres cõfitendi flagitarunt, vt & cæteri fatigati, & idem ille Parochus, qui acerrimè contrà tetenderat, ſupplex cogeretur ad Patres accedere, ſuorum vt confeſſionibus commodare aures vellent. Tota autem re cognita Epiſcopus, ne qua bono publico per conditiones eas mora interponeretur, ſtatim litteras miſit, per quas voluit ſuis perfungi muneribus ex Apoſtolicæ auctoritatis decretis Societati licere: nec modò cõfeſſionibus operam dare, ſed & àcriminibus cognitioni ipſius reſeruatis abſoluere. Sed non idem omnium tenor eſt temporum. Aliis temporibus perbeneuolum apprimeque ſtudioſum Louanienſem Senatum habuimus.

100 *Treuirenſis Collegij occaſio.*

Cæterùm hoc ipſo tempore tantam eius in accipiendo, quod ſponte offerebatur, ſubſidio tarditatem longè omnium apud Treuirenſes alacritas ordinũ in ſponte accerſendo ſuperauit. Proximo anno cùm Treuiros declamator peſtilens, Gaſpar Oliuianus nomine, irrepſiſſet, ſeditione ac tumultu, vt in omnibus paſſim, quas attigerãt hæretici, fiebat vrbibus, diuinas res humanaſque turbauit. Tempus captarat, quo Ioannes à Petra Archiepiſcopus aberat ad Imperij comitia Auguſtã Vindelicorũ profectus. Qui trepido nuncio accitus cùm accurriſſet, atque vrbẽ cum paucis intraſſet, eam cõtumaciam inuenit, vt, cùm ſacerdotẽ inſigni virtute Petrũ Phaẽ ſtipatũ conſiliariis ſuis miſiſſet, Oliuiani loco ad D. Iacobi cõcionatũ; populus, qui hęreticũ Oliuianũ expectabat, non modò viri admota ferro manu, ſed & mulierculæ è ſedilibus excitatæ ſuis minitarẽtur deiecturas ſe hominẽ de ſuggeſtu, niſi voluntate deſcenderet; nec ſedare tumultum ſiue cõſiliarij potuerint, ſiue ipſemet Oliuianus (niſi tamen is per ſpeciem ſedandi, cõcitabat) quoad vacuum ſuggeſtũ hæretico cõceſſum eſt. Huc igitur cõtumaciæ ventũ Antiſtes vbi vidit: nec ſe intra mœnia ſine præſidio militari tutum ſenſit, cedẽdum rantiſper ratus, ad opes colligendas egreditur. Quibus collectis, eaq; flãma ſopita potiùs quàm reſtincta, dum præſidia in poſterũ aduerſus eiuſmodi mala circumſpicit; ſimulq; Academiã Treuirenſem olim celebrẽ, iam funditus collapſam reſtituere cogitat, ad Societatis homines curam applicat. Cùm Caniſium, quẽ per litteras accerſierat, magni momenti negotia, quæ is habebat in manibus, Auguſta non paterentur excedere, virũ nobilẽ ad Colonienſes Patres mittit. Hinc Ioannes Rhetius Collegij Societatis Rector, & Henricus Dionyſius cõcionator inſignis ad planiùs conſilia Principis cognoſcenda, Confluentiam, vbi ille per id tempus agebat, proficiſcũtur. Singula diligẽter Princeps, quot qualeſq; Socios vellet, quantum daturus eſſet vectigal, ſua manu in tabulas accuratè retulerat. Adhibet ad conuiuium Patres: & qua pollebat facundia prudẽtiaque pluribus diſſerit, quàm cupiat & in priſcum decus excitare Gymnaſiũ, & gregẽ ſibi cõmiſſum ſalutaribus potiùs monitis, placidaq; inſtitutione, quàm minis & armis in officio cõtinere: adiiciẽs pro iis, quæ ipſe audierat de Societatis alumnis, atque adeò viderat, ſperare ſe per eos vtriuſq; voti potentẽ fore. Denique amãter honorificeq; habitos, inſtructa naui, ac perſoluto quidquid toto in itinere fecerant ſumptus, erantq; facturi, donis inſuper ornatos, quæ reſpui nequiuere, dimittit, multũ rogans, vt primo quoque tempore Socios ad ponenda Collegij fundamẽta mittendos curarent. Vix abierãt, cùm ad eos Coloniam, atque ad Lainium Romã alias ſuper alias dat litteras impatiens moræ. Duodecimo Kalendas Iulij Euerardus, vnaq; Ioannes Rhetius iam Principi notus, & Andreas Valckenburgius Treuiros inierunt: dataq; optione vel cœnobij propè deſerti, vel veteris ac ruinoſi Collegij prope Academiam ad Collegij ſedẽ legendi, Euerardus, ne reliquiis Cœnobitarũ grauis eſſet, imò ſperãs, & ipſos ſcholarũ mox religioſarũ ope reſpiraturos, poſterius præoptauit. Andreas ibidem inſtituto quoq; Collegio manſurus in Archiepiſcopi templo, Ioannes Rhetius in alio celebri dicere ad populũ inſtituunt: quos oppidò frequẽs ſecundaq; concio audiebat. Euerardi præcipua erat cura ædes, quas amplas, & duobus amœnas hortis Antiſtes attribuerat, cõformare Religioſum in modum. Per autumnum Roma ſex miſſi: ſubſecutus Antonius Vinckius, qui Collegio præeſſet, accerſitus è Sicilia: cæteri Colonia euocati. Extremo anno iam conuenerant omnes. Quẽ populus cœtum aſpiciens virorũ lætus modeſtia, lætus induſtria, cùm priuatim ac publicè ſermones de rebus cæleſtibus, frequenteſque exhortationes audiret: ac ſacroſancta myſteria paulò antè tantùm non oblita repetere ac reguſtare inciperet; ſpeciem ſibi renaſcentis Treuirorũ Eccleſiæ intueri videbatur, ac reuireſcere priſtinum patriæ decus gaudebat. Iucũdè quidã ſolebãt dicere, Treuiris tum omnes eſſe in metu; malos, qui ferinè hæretici erãt, quòd nefaria ſua conſilia euerti viderẽt: bonos, quòd vererentur, ne defatigati Patres ac victi onere ſancta illa cœpta perpetuare non poſſent. Ante omnes exultabat penè, & geſtiebat lętitia Archiepiſcopi Suffraganeus Gregorius Virneburgius. Is erat vir rectus ac ſimplex Azotenſis Epiſcopus, qui anno priore, dum maximè turbas hæreticus rabula excitaret, populũ è loco ſuperiore, & in cunctis cõuentibus adhortari ad conſtantiam non ceſſabat; admonens, vt bono animo eſſet, quòd effuſus in ea vrbe ſanctorũ Martyrum ſanguis coram diuino conſpectu ciuibus opem ſuis implorans, clamaret. Quin etiã propediem affore pollicebatur viros, qui fidẽ religionemq; illã prædicarẽt, quã ad eos Princeps Apoſtolorũ Petrus per SS. Eucheriũ, Valeriũ & Maternũ tranſmiſit. Ergo is iam homines Societatis monſtrans,

101 *Archiepiſcopi Treuirenſis humanitas.*

102 *Principia Treuirenſis Collegij.*

103

104

Digitized by Google

monstrans, hæc verba (vti scribit Pater Euerardus) prę lętitia animi propè cantirans vsurpabat passim: En hi sunt, quos aliquãdo dixi vobis venturos. Id coniectura ne, an diuino tactus spiritu antè prædiceret, non equidem affirmarim. Nam tametsi de Collegio tum mentio erat, tamen cur exitum tam affirmatè promitteret humana cognitio nulla erat. Religiosæ quoque familiæ, quæ vacuas ferè domos habebant, sperabant è bona adolescentium institutione suis quoque Ordinibus supplementũ. Scholæ hoc anno apertæ non sunt, tamen vel ipsa earum expectatio permultùm profuit. Multi enim Treuirensium adolescentes, qui vicinis in vrbibus ludimagistris hæreticis operam dabant, in patriam rediere. Nam & hoc astutè agebãt hæretici. Cùm de Grammaticæ & Humanitatis scientia plurimùm se iactarent, alliciebant ad suam disciplinam, cui poculum insaniæ propinarẽt, improuidã iuuentutem. E Sociis, qui Roma iuerunt, Othoni Briamontio Leodienſi clari generis iuueni & docto, in Italiæ finibus genu labore itineris (pedites enim ibant) periculosè intumuit. Quamobrem necesse fuit Altdorfij illum inter Heluetios relinquere, quò curaretur. Eius custodię ac solatio Simon Anglus multæ ætatis ac virtutis sacerdos, qui priùs etiam quàm Societati se adiungeret impulsu caritatis docendo, concionando, & similibus officiis Societati consuetis detinebatur, substitit. Gens erat bonorum morum & Catholicæ fidei, & in expectatione belli. Aiebant enim vndetrigesimo antè anno quinque Heluetiorum pagos veteris, id est Catholicæ, religionis cum septẽ, qui noua erant secuti deliramenta, gessisse bellum. Quo bello Vldericum Zvvinglium cum sexdecim diaboli administris sublatum & exustum: ac victos populos coactos profiteri religionẽ priscam veram esse, ac spondere se eius sacra cerimoniasque & templa restituturos: quæ quoniam non præstiterant, velle armis repetere promissorũ fidem. Patres Societatis humanissimè exceptos cùm primò vniuersos aliquot dies, tum dies deinde multos Othonẽ ac socium gratuitò aluerunt. Quin etiam eorum consuetudine capti (adeò quacunque irent bonus odor Christi erant) ad Pium IV. Romanum Pontificẽ, & ad Patrem Generalem communi consilio dedêre litteras, quibus Collegium Societatis summis precibus postulabãt: & Cardinalis Borromæus rem Lainio Pontificis iussu commendauit. Nec sanè Lainius minore, quàm petebatur, studio optabat concedere. Verùm numerus Sociorum angustus, nec publicis necessitatibus, nec bonorum votis par erat. Iamque Archiepiscopus Moguntinus, qui item diu Collegium expetiuerat, Treuiros propè sibi prælatos dolens, dilationem pati nequibat.

105 *Heluetij Collegium postulant.*

106 *Tornacensis domicilij status,*

Treuirensi Collegio in præsens Euerardi Prouincialis administrationi subiuncto, quatuor iam Germania inferior Societatis domicilia numerabat, præter hoc nouissimũ, Tornaci vnum valdè tenue. Quamuis enim identidẽ subsidia eò mitterentur, & ciuitas Collegium peroptaret; tamen fixam in vrbe sedem tantùm Ioannes Mortagna vnà cum socio haud dum sacerdote, habebat. Quorũ tamen si labores, & cõmune vrbis agriq; circumiecti emolumentum spectes, instar erant multorum. Alterũ Louanij erat, quod si licuisset in Collegium perfectũ redigere, fructus promittebat vberrimos. Tertiũ Coloniæ; quod & Collegium numeris expletum omnibus & florentissimum erat, cui Ioannes Rhetius, vti sæpiùs memini, Rector moderabatur, & Leonardus Kesselius Superintendẽs. quanquam adhuc Patres sese pro litterarum magistris potiùs ad præcauendam inuidiam, quàm pro Religiosis ferebant. Multi hîc ad cæteras in cõmune collatas vtilitates indolis raræ adolescẽtes ad Religiosam vitam animum adiungebãt, plurimiq; nobis adiungebantur. In his Ogerius Dauantianus hoc anno cùm Deo vocãti reluctaretur, salutarem eius iram expertus est. Leodiensis patria, duodeuiginti annorum ætate erat. Initio diuina mysteria cùm ferè octauo quoque repeteret die, assiduas intus in animo audiebat voces, quibus ad perfectionem, & ad Societatẽ capessendã impellebatur. Quarũ vocum impatiens, vt velut importuno monitore summoto, otiosam securamq; vitam exigeret, & molestarũ curarũ fontem ac nutrimenta remoueret, decreuit segniùs laxiusq; colere pietatem. Ergo non apparere in templo, non ad sacrũ confessarij tribunal, non ad mensam Angelorum accedere. Inter sodales pernicioſa vagos licentia dux ipse volitare. Interim tempus appetit, quo ex Philosophiæ auditoribus, qui profectũ ritè probassent, creari Magistros oportebat. Ogerius ex auditoribus iis erat: principioq;, cùm pietatis sedulò colebat studia, litterarũ quoque diligenter & cum laude tractarat: sed mox (vt vsu fermè venit) abiecta rectè faciendi mente, discendi quoq; cogitationem ablegarat, ne tamen condiscipulis magisterio cohonestatis turpiter ipse præteriretur, inter candidatos nomen suum apud studiorum moderatorẽ Franciscum Costerum profitetur. Prehensa Costerus ansa, si fortè gloriolæ igniculi studendi reducerent curam, hæc aditum pietati recluderet, spem fecit, quoad sibi fas sit, eius iuuandi: verùm respiceret sese. Notam esse omnibus eius, & piarum rerum, & Philosophiæ negligentiam: talibus moribus præditum, & vsq; eò imperitum, nec expedire, nec licere ornare: honoremq; tam apertè indigno dilatũ non gloriæ, sed ignominiæ fore. Si tamen solertia pristina studendi negotium repetat, & ingenium, & verò inprimis Dei auxilium affuturum. Permouit hæc oratio nondum planè perditum adolescentem. Ardore ingenti se ad Philosophiã refert; simulq; paulatim ad cultum pietatis pristinum redit: ac sine mora eadem cogitatio ineundæ Societatis præstò est, grauiusq; animũ stimulat, vt aliquando defatigatus, ac propè desperans exclamarit: Itáne compellar inuitus, & perpellar, vt efficiar Iesuita? continuoq; tacitam audiuit animo vocem: Ita sanè: & nisi id facias, morieris. Nihilo magis obsequenti paulò pòst insolito gelu pedes obrigescunt: quod sensim per tibias fusum in cæterum surrepebat corpus. Adhibet medicos, balnea, fomenta: frustra. Perstabat inualescebatque frigus: & ad vitæ sedẽ gradiebatur. Tum demum stuporem suæ mentis sentire cœpit: hæc esse Dei, quem toties ingratè repulisset, patientissimè diligentis documenta; mortisque, quam vox interior denunciasset, antecursores. Costerum, vbi primùm

107 *& Collegij Colonienſis.*

108 *Ogerij Dauantiani insignis ad Societatem vocatio.*

109

Digitized by Google

primùm licet, alloquitur: seriem totius rei, quamque aperta habeat diuinæ voluntatis argumenta exponit. Ad vltimum induxisse animum, Deum sequi. Quid multa? incommoda valetudo, quæ alijs intercluſisset, Ogerio aditum expediuit. Atque vt clariùs appareret, illud gelu ad incendendum diuino igne eius animum, non ad perdendum corpus terendisse; qua prima in Collegio nocte fuit, penitus euanuit. Et ille, quamuis vehementis ingenij esset, nec parum in sui victoria negotium habuerit, tamen propositi tenax, ac disciplinæ Religiosæ bonus cultor ad mortem vsque, quam piè tandem Moguntiæ obijt, perseuerauit.

110 *Scholarum vtilitas.*

In superiore Germania non sine assiduis dimicationibus (quod necesse erat inter hæreticos) res Catholica probè sustentata hoc anno, nec parum restituta est. Extabat è puerili institutione pretium multiplex. Non ipsi modò pueri hæreticorum fallacias oderant, sed parentes quoque suos, cæterosq; domesticos, partim adhortatiunculis siue coràm, siue per litteras, partim constantiæ & innocentiæ familiaribus exemplis ad veram pietatem alliciebant. Ingolstadienſium multi, cùm quid esset, quamq; vim haberet Sacramentũ Cõfirmationis didicissent, eo vt se ad Christi militiam roborarent, Eistadium, quòd eo loco offerretur opportunitas, abiere. Ibi cùm S. Eucharistiam piè suscepissent; & rorem, qui è S. Walpurgæ sepulcro stillat, recepto patriæ more, ad pudicitiam impetrandam religiosè hausissent; bini ad summum templum admirante populo, simulque Deo, eique cœtui bene precante singulari modestia processere. Quæ laus ideò memoranda est, quòd inter cõtemptores sacrorum rituum, & modestiæ irrisores singularis est visa. Et ipsi eam deinde pueri cumularunt. Nam cùm Antistes pro iniquitate temporũ pudori eorum parcens, indulsisset, vt fasciam, qua sacro delibuta chrismate amiciri frons solet, pòst paulò ponerent; illi triduum ipsum ad venerationem Sacramenti, & hæreticæ tum contemptum procacitatis, tum condemnationẽ superbiæ, quasi candidum sincerorũ Christi militum insigne, & Catholicorum nobile diadema gestare voluerunt, quantumuis rideret ac ludibrio haberet stultitia impiorũ. Capitale vbique pueris erat exitialium odium libellorum: nihil spectabant lætiùs, quàm eorum conflagrantium flammam. Et quoniam dolos hæreticorum norant; qui quo vendibiliorem errorem facerent, & simplices teneræ ætatis animos fallaci oculorum specie caperent; suos libellos lepidè ac pretiosè compactos ornatosq; spargere consueuerãt; si quem paulò ornatiorem cernebant, quasi ex fuco & cerussa Babylonicam meretricem suspicabantur: sique deprehenderent re vera auctorẽ impium esse, nullum ei pretium, nullus lepor sat erat, quo se ab igne redimeret. Sed laborabatur librorũ piorum inopia: vix vllus ad manum erat, quem non condidissent, vel non vitiassent hæretici: & planè Catholici illibatique necessarij erant tum ad impios è manibus hominum excutiendos, tum ad serendam pietatem. Id animaduertere Patres; ac Ioannes Victoria Viennensis Collegij Rector, vt quantum in se esset, filij tenebrarum prudentiores filijs lucis ne essent; typographiam, vnde & pauperibus gratuitò, & cæteris facilè parabiles libri salubres tutique suppeterent, magno labore, piorum impensis primùm in Collegio ipso instituit; deinde, cùm multis Religiosis occupationibus ea procuratio obturbaret, ad sęculares viros spectatæ fidei transtulit. Qua industria bonorum librorum inopiæ magna ex parte succursum est. Hos è primæ ætatis educatione fructus pius Imperator Ferdinandus cernens, non solùm alia alibi contubernia, sed etiam nobilium iuuenum Viennę Collegium, cui Societas præesset, instituere decreuit: nec vllam rem, qua posset, vel in Germania, vel in alijs oris ad suos oratores, ac varios Principes scribens (nam & in Galliam ad Regem, & ad Cardinalem Lotharingum, & Romam ad Pontificẽ Pium, Cardinalesq; Moronum & Augustanum, & ad oratorem suum hoc ipso anno præclaras litteras dedit) promouere Societatis conatus, intermittebat. Viennensibus Patribus ad res gerendas momentũ haud paruum attulit per aliquot menses nobilis commilitonis accessio Christophori Rodericij. Ioanna Lusitaniæ Princeps monitu Borgiæ illum anni superioris extremo, cum litteris ac mandatis ex Hispania miserat ad Mariam sororẽ suam Maximiliano Regi nuptam, vt coniugi vtrique, si quid posset piæ & consolationis & opis afferret, & apud vtrumque, atque ipsum Ferdinandum religionis causam promoueret. Quippe remedij aliquid efficacis inualescenti in dies errorum flammæ maturè videbatur quærendum ante Ferdinandi Cæsaris finem. Porro ea pietas erat Ioannæ, non modò vt coràm in Hispania, sed etiam procul in Germania tentanda sibi omnia pro Dei laude, publicaq; sanctitate existimaret. Ad hæc summè venerabatur Maria Regina & mirabatur Borgiam propter insignem viri conuersionẽ ad Christi humilitatem ex eo splendore, in quo parentis olim suæ imperatoriam regentem domum, opibusque & gratia florentem norat. Quam ob rem & suas ad eam Franciscus litteras & propria mandata, religionis vrgente zelo, adijcienda duxit. Christophoro autẽ Rodericio præstantia ea cùm doctrinæ tum sanctitatis & prudentiæ inerat, vt grauissimo ei muneri maximè accommodatus censeretur. De quo viro, quoniam frequens posthæc mentio incidet, virtus ac gestæ res postulant primordia indicari. Patriam habuit oppidum Hitam diœceseos Toletanæ: duos in Societate non sanguine magis, quàm virtute germanos, minorem natu Ioannẽ, maiorem Garziam Rodericios, quorum ille præcessit ad signa crucis, hic prægressorum vestigia subsecutus est. Christophorus iam sacerdos, & Seguntinus Theologiæ Doctor in Societatem anno salutis M. D. LIV. receptus ob eminentis initia & fundamẽta sanctitatis statim Borgiæ summè placuit. Ab eo Gandiam missus, aliquamdiu Theologiam docuit, & Collegio præfuit. Deinde ab eodem Borgia comes assumptus, & Vallisoletano Collegio Rector præfectus est. Inde in Germaniam destinatur. Hæc illi Apostolicarum peregrinationum, quas deinceps plurimas & grauissimas obijt, prima fuit. Ergo longinquum iter obedientia communitus libenter suscepit asperrimo tempore, & fortiter quidquid ærumnarum

111 *Puerorum pietas, & religionis ardor.*

112 *Bonorum librorum inopia consultum.*

113 *Ferdinandi Imperatoris in religionẽ Catholicam & in Societatẽ pietas.*

114

115 *P. Christophori Rodericij ad hunc annum vita.*

116 *Res ab eo gestæ.*

Digitized by Google

siue interglaciem Borealem Viennæ est oblatum exhausit; ea omnia, & insuper vltro accersitam corporis sui perfrequentem ac multiplicem vexationem, & ardentissimas ad Deum preces, & quotidiana sacrificia ad demandatæ legationis successum referens. Tum officio suo grauitate, sapientiaque ac libertate planè Religiosa perfunctus est. Contendit apud Ferdinandum, atque effecit, vt ab regio latere pestilentissima quædam capita, ac nominatim, qui à concionibus ei, quique ab eleëmosynis erant, remouerentur. Regibus porro ipsis ostendit, quantum adeant periculum, qui præsunt publicis rebus, ni pro viribus publica mala cohibeant; & proposuit eorum exempla, in quos, quòd scelera vel priuata negligerent, vindicis Dei pœnæ grauissimæ in sacris monumentis extant. Demonstrauit, quàm sit humana regnorum felicitas è sacrorum apta atque suspensa cultu. Nominatim etiam cohortari Reginam instituit, vt ipsa, quoniam non ita multis, vt viri, distineretur alijs curis, hanc sibi peculiarem susciperet, religionis negotia excitandi atque vrgendi; ad idque se eò loci missam diuino consilio arbitraretur.

117 Apud Maximilianum tria potissimùm instituit confirmare. Primum, quàm sit omnino Ecclesiæ sanctæ necessaria recta aliqua, nulliusque capax prauitatis regula: ad quam sine hæsitatione ac scrupulo, quæ existunt in religione controuersiæ, diuersæque in sacris interpretandis libris sententiæ exigantur. Et hanc regulam ita esse Romanam Ecclesiam, eiusq; caput Vicarium Christi, vt obedientiam nemo illi Christianorum negare possit absque contumacia æternis plectenda flammis. Deinde rectè facta prorsus necessaria esse ad salutem; eaque per gratiam, quam iustorum animis ex virtute sanguinis sui Christus infundit, meritum continere æternæ vitæ. Postremò fidem manere quidem in homine reo letalis noxæ, verùm emortuam: ac proinde nisi caritas, qua animetur, adsit, nequaquam satis ad salutem adipiscendam valere. Maximilianus candorem Patris, sinceramque caritatem dilexit, & apud Reginam commendauit; nec monita illibenter visus audire. Maria verò vehementer lætata fororis officio, quantum plurimũ posset adnisuram respondit. Quam sanè optimam Reginam opes potiùs, quàm vl-

118 lam in partem voluntas deficiebat. Denique proficiscenti Christophoro (neque enim longioris commorationis extabat pretium) hæc ad
» Pontificem Summum mandata dedit: Nuncia-
» bis, inquit, pro eo, quantum mecum egisti, per-
» spexisse te mihi omnino certum atque delibe-
» ratum esse viuere ac mori in obedientia eius, &
» institutis parentum meorum: nihil noui vena-
» ri, nihil velle. Teque certò scire regionum ha-
» rum perniciem libenter me vita ipsa impensa,
» si possim, redempturam. Cæterùm quamuis vi-
» deam & intelligam graue esse malum, tamen
» non posse non sperare præstò futurum à Deo
» remedium, nec permissurum, vt aggraueſcat.

Cum his, alijsque mandatis Vienna Rodericius profectus, cùm Roma transiisset, in Hispaniam redijt. Interim hæretici, nec in circulis, nec in declamationibus suis dissimulabant, quàm Iesuitas odissent iuxtà, ac timerent. Augustæ præsertim fremebant, vbi Canisius inchoatas anno superiore conciones magno in dies & famæ, & successus auctu persequebatur. Fuitq; hæreticus, qui inter varias sectas, cùm Anabaptistas, Sacramentarios, Suenckfeldianos, Osiandrinos, Seruetianos nominaret, adscripsit etiam Canisianos, siue Iesuitas. Nam eosdem aiebat esse, quorum dux & caput Canisius esset. Hos aiebat, inuento quorumdam Cardinalium editos ad excitandum regnum Papisticum, alioqui iam penè collapsum. Errores verò Canisianorum esse, quòd docerent, quamuis olim primus mediator fuerit Christus, nunc tamen ampliùs non esse; sed quosdam Sanctos; & alia hoc genus stulta figmenta: quæ apud leuiter rerum gnaros per se fidem satis faciebant, hæreticos vel inscitia vel impudentia intoleranda præditos: vt planè miseranda esset nobilissimorum populorum simplicitas, qui salutem animæ suæ, æternæque vitæ negotium ijs crederent magistris, qui de re adeò cognita toto orbe terrarum, de Societatis doctrina & ortu tam turpiter mentirentur. Sed Deus optimus maximus sinit cæcos impietate homines in pudendos ac manifestos errores ruere, vt quisque intelligat quid in ijs audeant, quæ non ita sub aspectum cadunt.

119 *Hæreticorũ impudentia mendacia.*

Non prætermisit hanc occasionem Stephanus Agricola, quin hæretici hominis, quod tam erat facile, mendacia redargueret, eo auctor futurus grauior apud veræ falsæque fidei sectatores, quo periclitatus vtramque erat. Is enim Lutherano ortus parente in Philippi Melanchthonis disciplina educatus, ac denique factus ipse concionator & nundinator errorum, singulari Dei clementia sectarum varietatem & inconstantiam stomachans agere cum Canisio cœpit de via, qua emergere ad veritatem posset. Edoctum atque incitatum Canisius Ingolstadium mittit, vt in Collegio Societatis aliquot dierum secessu, procul ab strepitu curarum cum Deo agens ex ratione exercendi spiritus à Beato Ignatio inuenta animum ad Confessionem generalem præpararet, nouæque vitæ institutionem. Vix dici potest quanto cum imbre lacrymarum post aliquot hebdomadarum anachoresim, attentaque meditationes anteactæ ætatis vniuersa peccata sacerdoti detexerit: quàm sedata exhilarataque conscientia, quàm recreatus ac lætus, planeque alter discesserit. In celebre inde monasterium abijt erudiendis Monachis piè operam nauans, & vitam illis persimilem vigilijs, precibus & cæ-

120 *Stephani Agricolæ conuersio.*

tera seueritate ducens: & quidquid superesset otij in pijs voluminibus Germanicè vertendis ponens: inter quæ etiam quædam Beati Patris Ignatij præcepta Latinis versibus à Patre Frusio expressa, vertit; multò accuratior veritatis magister, quàm fuerat minister erroris. Is igitur & Deo, & fortè etiam Societati, cui secundùm Deum salutem suam acceptam referebat, gratificaturus, grauiter ac modestè temerarij fabulatoris calumnias diluit, & mendacia in apertum edito Germanicè libello protulit.

Monachiensis colonia priore anno inchoata, Socijs Roma rogatu in primis Ducis huius autumno

121 *Monachiẽsis Collegij incrementa.*

Digitized by Google

tumno anni submissis ad iustam Collegij formam perducta est. Qui priore anno venerant, initio Quadragesimæ, adornatis iam quatuor classibus in ijs docere publicè quanta potuerunt maxima exordij celebritate occœperunt. Primùm concionator noster, qui multùm auctoritate apud ciues, apud Principem gratia valebat, quid profiteretur, quid propositum Societati esset, è suggestu Germanicè exposuit. Concioni oratio Latina successit; cuius pars optimos conatus Principis prudenter commendauit, pars in litterarum laudatione versata est. Tum scholastici adolescentes venustè Græca quædam & Latina carmina pronunciarunt: ac demum habitum ab ijsdem non iniucundum drama celebritatem clausit. Quæ res noua & mira populo visa Gymnasij nomen secundo rumore differens auditores ad tercentum allexit. Nec minus interim in templo pietatis res, quàm litterarum in Musæo feruebant. Quæ summo Princeps cum animi sui gaudio cernens, nihilque magis timens, quàm ne operariorum paucitas oneri succumberet, destinato ipse vberiore vectigali ad plures alendos subsidium ab Lainio precatur

123 „ his verbis: Ex litteris, quas de mittendis ad nos
Littera Ducis Bauari de Monachiensium Sociorum feruore. „ è Societate vestra viris anno ad te proximo dedimus, satis, vt remur, constat, quid de vniuersa „ instituti vestri ratione nobis persuasum sit; quantum inde labenti Christianæ rei commodi polliceamur. Nec sanè nos spes ista fefellit vnquam. „ Illi enim ipsi de Societate vestra, quos nuper ad „ nos misisti, ita se primo statim aditu composuerunt, vt & vitæ sanctimonia, & in docendo mira feliciqué alacritate cæteros suos fratres Collegij Ingolstadiensis laudabili quadam, & Ecclesiæ Catholicæ vtilissima æmulatione velle viderentur vincere. Et nunc iactis feliciter fundamentis publicis concionibus, & priuatis etiam „ adhortationibus rem fortiùs tentant. Quassatos vineæ Domini muros ita sine intermissione „ reficiunt, vt non modò furiosus ille aper egregiè ab vuis arceatur, sed vineam ipsam seminibus noxijs & sentibus perpurgatam spes sit puriorem conseruari haud difficulter posse. Ex his „ vestris Seminarijs primitiuæ Ecclesiæ faciem iam „ iam contueri incredibili gaudio gestimus. Quis „ enim, nisi sit ipse quoque communi, qui totum „ propè Christianum per orbem grassatur, morbo „ infectus, non lætetur ex animo insanam hæreticorum pertinaciam summa eruditione, innocentiaque vitæ tuorum tandem infringi? Verè igitur ac meritò tibi gratulamur talium filiorum „ Parenti, in quibus reuiuiscentis religionis extirpandarumque hæresum vna firmissima spes „ consistit. Cæterùm in hac nostra lætitia vnum „ est, quo vehementer commouemur. Cùm enim verè credentium, qui in dies magis ac magis „ augetur numerus, id efficiat, vt præter quotidianos in schola docendi labores, plurimum sit „ in templis quoque concionando, faciendo, impertiendoque diuina sacra, & infinitas piorum „ confessiones audiendo, parumque confirmatos „ fideliter edocendo desudãdum; valdè veremur, „ ne pauci isti tui operarij tanto oneri diu ferendo „ non sint. Rogamus igitur clemẽti studio, quemadmodum etiam superioribus nostris litteris à te contendimus, vt occupatissimorum, & ipso sub „ pondere collabentium filiorum misertus, plures „ in hanc copiosissimam messem emittas, qui cum „ illis, qui iam hîc sunt, integrum Collegiũ constituant; cui nos quidquid erit necesse ita suppeditabimus, vt & nostrum in venerabilem istam Societatem vestram amorẽ planè iterum testemur, „ & sacrosancta Catholica religio domiciliũ apud „ nos perpetuum habere possit. Viaticum quoque „ ad Canisii arbitriũ præstò erit. Ad hęc postulata „ iustissima optimi Principis duplicatus est Sociorum Monachiensium numerus, vt iam circiter viginti essent.

124 *Oenipontanum, Dilinganum, & Tirnauiense Collegia accepta.*

Oenipontanum quoque postulatu Cæsaris, & Dilinganum Collegium Othone Cardinali Augustano flagitante accepta sunt. Sed ad tot examina simul educenda nondum soboles maturuerat. Iam diu Nicolaus Olahus Archiepiscopus Strigoniensis instabat, vt Societas in suum quoque Collegium succederet, quod Tirnauiæ in Pannonia, vbi hoc tempore, capta aliquot antè annis à Turcis Strigonia, sedes Archiepiscopi erat, moliebatur: & destinati aliquot sunt ex ijs, quos Romanum Collegium in Germaniam misit, qui in Pannoniam irent. Verùm & armis Turcarum perstrepentibus, & aliunde obiecta est mora.

125 *Res Lusitania.*

Interim in Hispaniæ prouinciis haud vnus rerum vbique tenor fuit. Multò quàm alibi secundior in Lusitania: præsertim quòd Borgiæ ibi præsentia, & domesticorum ad officium, & externorum ad venerationẽ Societatis inflammaret animos. Eboram anni superioris exitu attigit, egregio Theologorum pari ad eius incrementũ Academiæ ex Castella prouincia ducto, Ferdinando Petrio, qui nuper, & Petro Paulo Ferrerio, qui anno antè ad Societatem accesserat. Communẽ omnium gratulationem, qua exceptus Borgia

126 *Borgia morbus & humilitas.*

est, continuò morbus eius repentinus & grauis, qui demum in tertianam euasit, solicitudine ac mœrore turbauit. Qua re cognita Cardinalis Henricus, & Regina Catharina hominem è suis nobilem qui inuiseret, officiosissimè destinarunt cum viatico apparatuque modico, vt faciliùs acciperet; regiaque lectica, qua Olisipponem ad commodiorem certioremque curationem deueheretur. Regio apparatu remisso sanctæ & paupertatis & humilitatis non minùs in mala, quàm in bona valetudine tenax Franciscus, ne tamen Principum benignitati videretur ingratus, Olisipponem, cùm primùm meliusculè habuit, transtulit sese. Hîc simul stu-

127 *Olisippone florent studia & litterarum, & pietatis.*

dia litterarum ad sancti Antonii cùm frequentia, tum nobilitate profectuque discentium, simul pietatis ad sancti Rochi omni genere consueti operis florentia reperit. Ardens Consalui Vazij Melli facundia cunctam ciebat vrbem. Priusquam luceret, foresque paterent templi, ingens famulorum caterua locum in concione dominis præceptura porticum obsidebat. Tum in Collegio æquè ac domo Professa eximij Fratrum Patrumq; ad perfectam virtutem impetus erant: adeò vt quæ ibi quotidie gerebantur, tractare ac cernere minùs assuetis prorsus mirabilia viderẽtur. Ad remotissimas profecturi gentes, Indiam, Brasiliam, Iaponiam adituri paucis

Digitized by Google

horis antequam pedem in nauim inferrent, de profectione admonebantur: idque obedientiæ genus ambientes; feliciores se, quibus euenisset, rati, vix spatio ad salutandos in digressu amplexandosq; Fratres concesso, quos nunquam ampliùs essent reuisuri, lætissimè conscendebant.

128 Non minùs hilariter sanctæ paupertatis, ad sancti Rochi præsertim, vbi eius copia maior, tolerabant incommoda. Rarò pulmentum apparebat in mensa nisi è suilla, idque rarò. Præ togarum inopia, palliis, quibus vtebantur in publico, domi ad arcendum frigus obuoluebantur: tantaque in penuria sua egentiorum memores, ne buccellam suam soli comederent, nihil patiebantur in mensam è culina deferri, ex quo non antè pars mendicis diuidenda decerperetur. Iam ad excipiendas confessiones, diutissimeque sedendum in templo, ad rudes siue pueros, siue agricolas edocendos, ad euertenda peccata, ad properandum quocunque obedientia & caritas signum daret, intenti omnes, accincti ac prompti. Ignatius Azebedius, vt firmitate virium ac robore corporis, ita obeundis laboriosis odiosisque ministerijs excellebat. Ille præter communia sacerdotibus domi munera, idem ad suborientes necessitates, quocunq; vsus ferret, accurrere: idem Christianam explicare domestico in templo doctrinam: idem valetudinaria cùm insanabilium, tum regium visere: idem custodias publicas adire. Hæc autem simul omnia ordinaria ei prouincia erant. In custodijs, vbi verba fecerat, illico ibidem assidens audiendis confessionibus ad serum vsque diei perseuerabat. Nosocomia haud raptim perambulabat: sed nihil tam tetrũ ac triste obijciebatur sensibus, quod in Christi gratiam, animasque hominum, si corpora non posset, saltem sanandi conatu non fortiter appeteret. Quodam die instante iam prandio, cùm fortè audisset sat procul ab sancti Rochi supplicium de nocente sumendum, omissa sui pascendi cura, ieiunus ad hominem damnatum festinauit, itaque confirmauit, vt supplicium in facinorũ pœnam suorum tolerans, & animam suam multùm Deo commẽdans, cum bona spe vitam finiret. Quod factum ideò nominatim narratur, quòd Romanus de Societate hospes, qui cum admiratione notauit, in id fortè incidit, non quòd singulare censeretur in Ignatio, ac non potiùs inter quotidiana à notis reponeretur. Cuius quã fortis caritas esset, ex eo etiam, quod subijciam, apparebit.

129 *Ignatij Azebedy fernor eximius*

130 Est Olisippone cura ægrorum sanè diligens, tamen miselli tres homines, siue quòd planè desperatum, siue quòd supra modum horridum ac fœdum erat malum, abiecti destitutique omni ope iacebant. Id ad Ignatium, quem talibus delectari nuncijs notum erat, defertur. Is extemplò quasi ad monstratum sibi thesaurum aduolat. Ecce autem reperit non hominum faciem, sed cadauerum putrescentium horrendam figuram: blandisq; interrogatiunculis explorans animum, haud miserabilem minùs statũ eius deprehendit quàm corporis. Non potuit tantæ conspectu calamitatis non grauiter cõmoueri. Quare & corporibus, vel certè animis, quorum vt maioris momenti, ita minùs desperata curatio erat, medendi cupidus; cùm receptaculum in hospitali peregrinorum domo, quò miseros inferret, impetrauisset; piosque viros, qui cibatum eisdem necessarium quotidie submitterent, reperisset; ipse chirurgica tractare ferramenta, fascias ceromataq; non horruit. Omnes principio, sed vnum in primis, qui ad cæteram calamitatẽ omni sordium genere coopertus lacerabatur, Ignatius suis ipse spoliauit manibus, totondit, abluit, perpurgauit. Alius semeso immaniterque exulcerato toto corpore spectaculum præbebat vsque eò dirum, vt absque nauseæ vix quispiam toleraret. Ipsemet æger inuisentes magnis absterrebat vocibus, ne propiùs accederent. Leo Henricius Eborensis Collegij & Academię Rector cùm Olisipponem vnà cum Borgia venisset solennem ibi professionẽ editurus, particeps pij futurus operis, Ignatio eos homines, quod quotidie sæpiùs faciebat, visenti voluit ire comes. Sed Leonis constantiæ nequaquam respondit imbecillitas corporis. Dum spectat iuuatque curationẽ, elanguit, atque defectus animo est; & tamen Ignatius præsentissimo animo tractabat vlcera, abstergebat saniem, apponebat fila ac linamenta, oblinebat, obligabat. Quibus obsequijs cùm eos sibi miseros conciliasset, planeque reddidisset obnoxios, emollitis iam præparatisque animis instituit facere medicinam. Nec difficile erat quem vellet in modum formare ac fingere. Expiatis itaque confessione criminibus, toti ex diuina voluntate pendentes, magna patientia magnam illam ferentes miseriam, numquam deserente Ignatio, tandem moriendi finem fecerunt. Hæc pro gustu sint vitę Ignatij quotidianę, quę dum Borgia Olisippone esset, acciderunt; vt intelligatur, quibus gradibus ad martyrij nobilem palmam, quam demum in Brasilica nauigatione ab hæreticis cõsecutus est, sibi ascensum pararit. Interim verò, dum in morbis curandis alienis egregiè desudabat Ignatius, in suis perferendis Ludouicus Consaluius strenuè exercebatur. Etenim ex quo Lusitaniam attigerat, alio super aliud perpetuis malis grauissimè conflictatus ita postremò oculis laborabat, vt alterius vsu diu careret. Ad hæc non parum habebat ægrũ Regis instituendi solicitudo. Ad cæteras ille quidem causas, quibus illud ab se onus auertere nitebatur, etiam infirmitatem corporis apud Reginam & Cardinalem excusabat: robustum, certioriq; valetudinis magistrũ assumerẽt, cui integra pueri institutio relinqueretur: nollẽt se id aggredi, quod perfecturus non esset: quin etiam tam assiduos, inter seque connexos morbos pro diuinæ voluntatis indicio consilium illud damnantis, acciperẽt. Sed illi pariter in cœpto perstabant. fructum vberem, qui ex tali doctrina sperari deberet, magnificè explicantes; Deum, quandoquidẽ non nisi maxima eius laus proposita esset, sine dubio & consilium probare, & auxilio affuturũ. Dæmoni potiùs optimè consulta disturbare, & publicum sanctæ Ecclesię bonum interuertere molienti morborum tricæ illæ tribuerentur. Pueri quoque Regis docilitatem miram deprædicabant, & vt animos Ludouico facerent, & quòd ita res erat. Addebat Regina id Ioanni quoque Regi, antequam ex humanis decederet, fuisse consilij, vt Sebastianus Magistro de Societate traderetur in disciplinam,

131

132 *Ludouicum Consaluium conatur ab se institutionem Regis amoliri.*

Quare

Quare siue aliter faceret, siue quempiã Ludouico præferret, videri sibi se diuini spiritus impulsui
133 restituram. Quæ Ludouico leue præbebant solatium, nihil ægrè ferẽti nisi quòd id muneris hanc profitẽti disciplinam viro minùs videbatur conueniens: verebaturque postremò, quamuis res optimè verteret, ne exemplũ domi foriscq; noxium foret. Plus enim Societatem ex istiusmodi munere, si semel infeliciter administretur, detrimẽti capturam, quàm cõmodi, quamuis è sententia sæpè cadat. Quòd quę à Principibus peccãtur, conspectiora odiosioraq; vulgo sunt, quàm quæ iuste pieque geruntur. Ac rectè factorum, vt fauẽt suis ducibus populi, quisque libenter auctores Principes facit ipsos, ad eosq; gratiam defert; peccatorum verò causas & inuidiam gaudet in alium quempiam deriuare. Tamen, vbi nonnihil explicitus morbo est, auspice ac duce Christo diuinæ prouidentiæ successu permisso, initium docendi
134 æstate ineunte magno animo fecit. Ratio doctrinæ huiusmodi erat. Iussit in altera tabellæ facie litterarum formas egregiè pingi, vt species ipsa blandimẽto colorum pueriles allectaret oculos, & acriùs in mente impressas relinqueret notas: in altera loricas, scuta, galeas, hastas, sclopetos, bombardas, aliaq; armorum genera appinxit, vt eòdem tempore ad perfectã Regis formam educatus, quasi bellicæ pacataeq; sapientiæ elementa condisceret. Ad hæc ex præcipuis regni Lusitani veteribus institutis libellum quàm pulcherrimis characteribus cõficiendum curauit, vt dum in ijs agnoscere litteras, connectere syllabas, & cursim legere puer assuescit, ad auitam quoque eius regni disciplinã, quam multi labi paulatim ac solui querebãtur, afficeretur. Bis quotidie ante & post meridiem assignabat exigebatque pensum: eamque subtristem exercitationẽ historiola condiebat è sacra profanaq; memoria delectis exemplis, inter quę quasi salubri in cælo pueri animus educatus, colorẽ vegetum, sanumq; duceret robur. Nec vlla ei narratio iucundior accidebat, quàm si qua ad Mauros Turcasque pertineret: in quos tantum odium concipiebat, vt sæpissimè dictitaret,
135 olim sibi id genus omnes mactandos. Porro materia & indoles planè erat Christiana, ac regia: ex qua iure summa sperare liceret omnia, nisi honorariorum puerorum consuetudo, quibus haud similia erant ingenia, non paucas opinionũ bonarum, quæ inserebãtur, elideret. Cùm se manè in regiam cum socio Ludouicus contulisset, vesperi singulis diebus ad Collegium referebat. Diem in semota ab tumultu aulico ædium haud magnificarũ parte, orando plurimùm ac studendo ducebat. Ibidem soli prandebãt: & quidẽ initio satis lautæ afferebantur epulæ; verùm Ludouicus vehementer gratijs actis cùm diceret, si valetudo postularet, regia se benignitate libenter vsurum: cæterùm quamdiu diuina gratia valerẽt, non esse cur ab sui Ordinis more regulaq; discederent: vtrique cùm regia quoque in domo Religiosi essent, nec deceret, quòd Lusitano Regi inseruirent, laxiùs cæli regi famulari. Ad hæc seriò deprecans obtestansque, ac magni loco beneficij postulans, quamuis ægrè, tamẽ ab Regina impetrauit, vt nil exquisitum, nihil è volucrum genere, sed frugales dumtaxat, & quàm simillimos domesticis præberi sibi cibos pateretur. Idque Ludouicus siue ad continentiam sibi, siue ad exemplum alijs potius duxit, quàm si parem seueritatem in optimè instructa mensa seruasset.

134 Quam inserit instituendæ rationem.

Iam Borgia Purificationi Deiparæ sacro die cùm in Leonis Henricij solennibus votis concionem habuisset, negotia, & splendorem aulæ fugiens, continuò Eboram cum eodem Leone redierat. Hîc totius Quadragesimæ diebus Dominicis in templo vrbis principe concionatus est rogatu præcipuè Dominicanorum Patrum: qui cùm annorum multorum consuetudine ius assepti quoddam eius suggesti viderentur; rati è Dei maiore gloria fore, si inde Franciscum populus audiret, vltrò id munus ad eum adhibitis, vt susciperet, precibus, detulerunt. Nec sua viros optimos frustrata opinio est. Ex Francisci dictione fructus vberrimi exitere. Quippe cuius ea erat vita, ea fuerat olim fortuna, vt cõspectus ipse prope oratione acerrima esset. Quod significauit paulò pòst Cardinalis Henricus: qui cùm ad extremam Quadragesimam Eboram venisset, rogariq; Franciscum iussisset, vt certo die concionem haberet, eo valetudinẽ solito grauiorem excusante, quæ loqui non pateretur, subiecit, Nolim loquatur: sat mihi fuerit è superiore loco hominẽ aspici, qui quidquid habuit, cùm tantum haberet, Dei causa totum deseruit. Venit Henricus Eboram, vt, quoniam ibi aderat Borgia, fundatam ab se Academiam videns Deo grates pro ea re rite ageret, & Academiam legibus institutisque firmaret. Quo primùm die ad Collegium iturus erat, vt quo honore Collegij & Academiæ parentem decebat, exciperetur, Leo Rector quotquot ad Gymnasium discipuli ventitabant, conuocatos ad ædes Cardinalis præmittit. Distributi suas quiq; in classes bini ordine processere: lectique è singulis classibus bini adolescentes, vbi ad Cardinalem venerunt, duobus Epigrammatis altero Græco, Latino altero patronũ salutarunt. Postremus accessit cum Doctoribus Rector, qui paucis Lusitanicè affatus vniuersum illi eum cœtum tradens, eiusdem manum vnà cum Doctoribus de more osculatur: dein toto præeunte discentium agmine, ciuitate omni ad spectandum circumfusa, ad Collegium, ære interim vniuerso templi principis aliorumque festo plaudente sono, deducunt. Pater Franciscus, quem podagræ dolores longiùs prodire non siuerant, ad fores Collegij vnà cum rei domesticæ inferioribus administris occurrit; aitque, quoniam insignium & doctorum hominum agmen egisset Rector, se cum apto sibi cœtu simplici adesse, atque eum quoque summa cum animi voluptate palàm profiteri in Cardinalis potestate se esse. Tum pauca in commendationem munificæ eius pietatis adiecit, submissione tanta, tamque humili habitu, vt ad operiendum caput adduci nunquam potuerit. Sed ab Henrico valdè vt operiret certante, suo ac Societatis nomine instans expresserit, vt exigua ea cum veneratione longè & dignitati ac benignitati eius impare adstare ac loqui se pateretur. Vbi finem dicendi Franciscus fecit; respõdit Cardinalis sperare se affore sibi à Deo vitam, quoad & cœpta ad culmen perduceret, & voluntatem suam erga Societatem prolixiùs explicaret.

136 *Dominicanorum Eborensium caritas & modestia.*

137 *Cardinalis Henrici de Borgia dictum.*

138 *Academiæ Eborensis status.*

139 *Borgia humilitas.*

Digitized by Google

140 Inde procedit in templum, cuius valuas & columnas intexta è trium linguarũ principum carminibus ingeniosa aulæa vestiebant. Hic præparati sacerdotes cantoresque hymnum, *Te Deum laudamus*, iucundè modulantur ac piè; & Cardinalis ad aram progressus maximam sancti Spiritus imploratione subiungit, quam dum ex formula pronunciat, ita est sensu tenero sanctæ dulcedinis delinitus, vt extrema verba præ lacrymis ægrè deprompserit. Clausit celebritatem gratulatoria oratione Simon Viera noster, orator idem & poëta insignis. Reliquis deinceps diebus haud minore cum voluptate litterarias omnes exercitationes singillatim Cardinalis inspexit. Interfuit de natura, deque Deo disputationibus: singulos præceptorum è cathedra docentes audiuit: puerorum quoque acribus ingenijs, ardentibusque cõcertatiunculis recreatus est: ad hæc repositam superioris anni tragœdiam mirè probauit; testatus ea expectationem suam, maximam licet ex fama præcepisset, longè esse superatam. Omnibus denique exploratis, tantum lætitiæ fructum

141 *Cardinalis Henrici cura de Academia Eborensi perficienda.*

se percepisse Borgiæ confirmauit, vt diceret totius sibi operis persolutam abunde mercedem à Deo videri; eoque alacriùs confestim animum ad opus perficiendum, ædificijsque, & institutis stabiliendum admouit; illud inprimis curans, vt quidquid statueret, cum institutis Societatis vsquequaque congrueret: vt qui Patres rebatur, quod suis consentaneum legibus esset, tum amplexuros libentiùs, tum enixiùs & faciliùs promoturos. Nam quod inuitis, & præter disciplinã imponitur, nec bene, nec diu fertur. Interestque patronorũ, si perpetua amant opera sua, incolumitati eorum per quos ea sustinenda sint, consulere. Alioqui malè munit, quod fundamentis obest, parumque est cauta fultura, per quam id, cui ipsa insistit, labefactatur. Præter Collegij reditum, item certum curandis in valetudinario pauperibus academicis assignauit. Duo adolescentium contubernia, prouentibus auctoritate summi Pontificis ex æde maxima translatis, instituit, vt in altero quinque & viginti Theologicis rebus, in altero duodetriginta conscientiæ doctrina è tota Archiepiscopatus diœcesi præterquam ipsa ex vrbe lecti, ad insciti am fugandam, & commodos sacerdotes creandos erudirentur. Idem vt aditus ad magisterij lauream cuiuis pateret merenti, ac simul ineptis sumptibus parceretur, simul quisque non nisi ab ingenio ac doctrina sciret approbationem sibi ac plausum expectandum; in publicis disputationibus vetuit, stragula veste ornari gymnasia: tibicines, aulœdos & quæuis musica instrumẽta summouit. Postremò Magistratibus, qui academicorũ cognoscerent causas, tum laicorum, tum Clericorum creatis, de mercatu quoque in academicorum

142 *Eborensium Sociorum feruor.*

opportunitatem indicendo cogitare cœpit. His prouidentissimi Principis conatibus egregiè Sociorum in paranda primùm sibi Christiana sapiẽtia, dein communicanda cum proximis nauitas & solertia respondebat. Species erat digna visu, quàm quisque vilissima ambiret munera; quantaque cura operam daret, vt quod impetrarat, quàm cumulatissimè exequeretur. Tum maximè cùm vacabatur ab studijs litterarum, in opera se pietatis tanquam effusis habenis dabant. Externi adolescentes præceptorum suorum, aliorumque Patrum, quos & summè colebant; &, quia maximè honoratos rebantur; existimabant (quod in sæculo fit) ab humilium tractatu ministeriorum abesse oportere; vbi alium videbãt ædituo famulari, alium ianitori, alium in lacera sordidaque tunica obsonatorem per vrbem sequi oleribus alioue onustum obsonio, hærebãt admirabundi, lætisque illis, & in cruce Domini gloriantibus pudore ipsi suffundebantur. Ac vir Ecclesiæ Eborensis primarius cùm fortè in vnum è Magistris, quem dudum nouerat Theologiæ Doctorem, ligna in culinam deferentem incidisset, domum reuersus rem Canonicis omnem narrauit, identidem cum admiratione iterans; Deus bone quàm dissimilia sunt horum Patrum, & aliorum hominum in animi remissionibus studia. Humilitas his oblectamentum est: pro requie ac delicijs laboriosa sui contemptio. Nec verò domi illi tantùm ad suam, verùm etiam foris ad vtilitatem proximorũ exercebantur primarum inter se virtutum caritatis, & sanctæ humilitatis officia copulantes. Est Eboræ foro in extremo fons publicus, ingens, manu factus: quo opere nobili atque magnifico per duodecim millia passuum magna vis optimę aquæ deducitur. In aduersa fori parte custodia est publica ciuitatis: Archiepiscopi verò carcer modico interuallo à foro disiunctus non nisi frequentissima via per medios artifices varij generis adiri potest. vtrobiq; autem aquę inopia laborabant vincti. Qua cognita re Collegæ in cæteris summissionis & caritatis muneribus id quoque vsurpabant. Luce palam expediti ad eum fontem cum vasis accedebant, & quantum ad multos dies satis foret aquæ, vtrumque in carcerem deportabant. Iam nosocomia adire, consolari & edocere iacentes, lectos eorum sternere, sordes euerrere pauimenti, huiusque modi alia vetus, & vbique nostræ iuuentuti consuetum est opus. Sed illud accidit Eboræ singulare. Populares discipuli sæpè in ægrorum vinctorumq; obsequijs admirati Magistros (vt nihil est humano ingenio ad imitationem procliuius, neque genus aliud alterius quàm discipuli Magistrorum) æmulari talia exemplis cœpere. Itaque adolescẽtes opibus & genere nobiles abiectis pallijs, raptis vndecunque vasculis certatim per medium forum, & celeberrima compita ex fonte solatia miseris deferebant quouis pretioso latice tanto gratiora, quãto ab vsitata minùs benignitate profecta; vt vinctis non corporum magis aqua illa leuaret sitim, quàm nouæ spectaculum pietatis sanctum animi æstum accenderet, considerantibus non quid sibi, sed qua manu daretur; nec quanta emptum pecunia, sed quanta ingenui pudoris victoria, & quasi impensa. Cæterorum verò ciuium plurimi fixo ad spectandum gradu, sublatis ad cęlum manibus gratias Deo agebant, quòd talis Eboræ soboles adolesceret, haud sine aliqua querimonia temporum suorum, quòd sibi olim adolescentibus institutores ijdem non contigissent. Deus quoque id operis sibi esse cordi ostendit, multos eorum adolescentium dignos ratus, quos ad varias Religiosorum familias, hoc est ad suam familiaritatem intimam, statumque

143

144 *Discipulo-rum pietas.*

per-

Digitized by Google

perfectionis acciret. Fuit præ cæteris vnus, qui ne opus seriò aggrederetur, verecundia cùm prohiberet, inter condiscipulos certatim festinantes, pallio stabat vtroque ab humero decenter demisso & explicato, solùm interdum ad quempiam sodalium adiutandum genis rubore ardentibus modicè proferens manum. Sed tandem ipsummet, dum aliorum constantiam reputat, incipit pudere pudoris sui. Quare molesto è luctatu victor, repentè pallium cõplicat, reijcit in humeros, prosilit accinctus in medium, & multis mirantibus, nonnullis etiam nequaquam dictis (vt fit inter adolescentes) parcentibus, manum vtramq; vasis onerat: nec multum viæ processerat, cùm animum ad Societatem adijciens, perfectam de sæculo reportare victoriam statuit. Vsque adeò bonum opus melioris est semẽ. Maius in adeundis nosocomijs erat certamen. Notato die, quo Academiæ vacabant exedræ, præuenire Collegij Patres certabant. Atque adeò, quoniam ipsos religiosæ functionibus disciplinæ solutos, prodire domo, vbi libitum esset, nil prohibebat; sæpè ita præueniebant, vt ægrotantium corporibus diligenter ab ipsis procuratis, nihil reliquum fieret Socijs, nisi vt vel audiendo confessiones, vel fidei docendo capita, vel adhortando ad patientiam, & alijs consuetis officijs procurarent animos. Quàm verò non leuiter, & dumtaxat in speciem nobilis iuuentus Christianis hisce laboribus, verùm serio ac plenè fungeretur, vnus indicio fuit dies. Quo die cùm permulti cõuenissent, neque ex ordinarijs operibus effatim cunctis esset, quod agerent; sese mutuo cohortati, & ad laborem, & ad contumaciam sensuum subigendam insigne facinus edidere. Lectos omnes moliuntur, & quidquid subter latebat sordium (latebat autem plurimum) euerrunt egeruntq;, angulos scrutãtur omnes, sellas, arculas, abacos loco mouẽt; totum denique nosocomium perpurgatum ac nitidum quasi aulam Principis, aut sacram ædem relinquunt. Hac disciplina paulatim perturbationibus domitis, deletisque ex animo falsis mortalium de honesto turpique opinionibus haud peroperosum erat, si casus inciderent grauiores, acriusque mordentes, moderatè eos ferre. Quin adeò euenit, vt in cœtu adolescentium imporentior quidam condiscipulo planè absque causa, voce irritatus leuissima, colapho genam feriret; isque repentè ad percussoris prouolutus pedes, alteram, si liberet ferire, genam promptam offerret. Infregit hæc species sodalis ferociam, & adstantes ita permouit, vt vix manus ab audaculo abstinerent, conuicio obruerent, pœnas minitarentur. At is, ad quem pertinebat iniuria, ita vt erat, demissus in poplites nihilo seciùs rogare obtestariq; sodales, vt conquiescerent; nihil se putare sibi factum iniuriæ. Hæc gesta publicè, & per vrbem vulgata celeriter ea omnium admiratio excepit, vt coactis ad suos cœtus, quæ Capitula vocant, principis templi sacerdotibus, fuerit, qui eius mentione inducta, diceret assentientibus cæteris, gratias Deo agendas, quòd tam insigne Euangelicæ moderationis exemplum suis temporibus edidisset. Nec illud indignum relatu, quod duo Societatis Tirones edidere. Hi peregrinatum de more missi, dum reuertuntur, nobili in oppido septemdecim ab Ebora passuum millibus (quòd cautum erat regio edicto, vt, si qui firmi valentesque mendicarent, virgis publicè cæderentur) iniecta manu dantur in vincula. Iudex diuersos, vnde, quò, quamobrem peregrinarentur, interrogat. Illi sanctorum Patrum memores, qui grauissima declinare probra, cùm facilè possent, noluerunt, non nisi quantum sat erat responsi dabant, nihil malentes, quàm palàm per oppidi compita vapulare. Iudex hærere, & secum ita disserere: En ambo fidenter planeque respondent: consentientia inter se, vnum planè atque idem loquuntur: modestia, qua respondent, vultus ac totius oris habitus probos indicat viros. At ex altera parte adolescentes optimè constituti cur vagantur? cur mendicant. Quæ, Religio peregrinantium ei loco, vnde venire se aiunt? Quid facto pronius ad pœnam fugiendam, quàm simulare pietatem? Hoc nomine alitur segnities, & ad maleficia aditus vagis hominibus aperitur. Ad hasce suspiciones accedebat, quòd alteri Nouitiorum nomen erat Emmanuel; ac verebatur iudex, ne Emmanuel quidam esset fur per id tempus ac latro nobilis; qui fortè ad speculandam notandamque prædam eo habitu ausus esset de die oppidum peruagari. Itaque ergo in eam partem sententiam fert, vt virgæ expediantur. Erant eodem in oppido adolescentes nobiles, qui ex Eborensi Academia domum reuersi optimè vinctos norant; ac mendicantes paulò antè per oppidum conspicati ad se perbenignè inuitarant. Et illi, quoniam sibi more Nouitiorum Societatis experimenti causa missis mendicato esset viuendum, gratijs actis, insuper ad patientiæ materiam rogauerant, ne qui essent, cuiquam proderent. Hi, vbi rumor increbuit, duos illos iuuenes, qui cultu peregrinorũ per oppidum stipem quæritabant, captos esse, iam iamque verberandos, properè domesticos vrgent, ne sinant hominibus adeò de se bene meritis talem gratiam rependi. Eos esse de Societate iuuenes. Quæ simul ac viri primarij audierunt, non pauci ad iudicem peruolant. Re iudex compertà Tirones illico euocat, blandeque solatus ad pedes aduoluitur, ac veniam supplex precatur. Ciues certatim domũ inuitant, munera mittunt, honorificè comitantur. Illi verò hisce honoribus quàm proxima ignominia propemodum ægriores, accusabant sese, quòd digni non essent habiti, qui in Christi Iesu gratiam contumeliam verberum paterentur.

145 *Bonũ opus melioris est semen.*

146 *Adolescentis Christiana lenitas & patientia.*

147 *Duorum Tironum Eborensium patientia.*

Geminam omnino in pari re virtutẽ prompsere, Deiq; bonitatẽ Socij duo Conimbricẽses experti sunt. Conimbricã Borgia, rebus Academiæ Eborensis cum Cardinali cõpositis, venerat, iter, quo festinabat, ad sancti Felicis intendens. Conimbricæ domesticorum precibus octo circiter dies coactus subsistere, eo spatio cum sua pariter ac cæterorum sancta lætitia quater domi Socios, bisè suggestu populum allocutus est. Erat eodẽ tempore ibidem Prouincialis Michaël Turrianus. Quare & eius, & Franciscii in primis præsentia accensa vehementer est pietas iuniorum. Humi prostrati certatim opera ardua, ad sensum aspera, ad vulgi famam vilia flagitabant. Peregrinatio-

148 *Duorum item Sociorũ Conimbricensium patientia.*

Digitized by Google

nationes diuersæ Socijs quadraginta iunctæ: quas certis monitis præmuniti non consueto cultu, sed extrariorum discentium habitu cum suo ac proximorum profectu multa perpessi, aucta perpetiendi plura & maiora siti alacres peregere. Ex his bini dum ad Virginem, quam ibi Nazarenam appellant, procul ab Conimbrica leucas circiter duodeuiginti iter habent, nocte oppressi inopia hospitij ad obuium mapale concessere. Ibi dum super paleis fessa sternunt corpora, excitatus agricola, & suspicatus fures, vociferatur, teloque conquisito, quod Deus noluit venire ad manus, tamen multa minans, conantesque satisfacere, & humiliter comprecantes, ne vltimo illo perfugio excluderet, clamoribus obruens, nec patiens contrà fari, peracerbè exturbat. Illi, vtvt licuit nocturna in caligine, aliud non longè situ mapale speculati, ad id recipiunt se. Iamque via molestijsque fatigatos prima sopiebat quies, cùm repentè armati lictores ab rustico, qui eiecerat, locumq; notarat, euocati deductique colligant, & in ius rapiunt. Tum verò fratres posita quiescendi cura, cùm id tempus esse, quod toties expetiuerant, ad meliora sibi oblatum, ad sanctæ crucis fructus degustandos intelligerent, læti sequuntur: pauciscque à iudice interrogati traduntur in carcerem; vbi reliquum noctis ingẽti cum animi sui gaudio in psalmis ac precibus transegerunt; pro lictoribus, à quibus capti, proque rustico, qui capiẽdos curauerat, tanquam pro benemeritis multùm orantes. 149 Id nimirum ærumnarum atque pœnarum, quas Lusitani maximè Socij vsque in Brasiliam, & Indiam petitum eunt, rudimentum & gustus erat. Quo de hominum genere quid ni, quod Seuerus de sancto Martino pronunciat, affirmare salua modestia fas sit: Si Ethnicis ætatibus extitissent, quacunque libuisset Tyrannis crudelitate martyrium fuisse facturos? Nunc, quando vera acies deerat, ea Deus velut vmbratili pugna animosorum pectorum exercebat virtutem, solabatur ardorem, subiectisque mox blandimentis fiduciam nutriebat. Postero enim die interrogationibus pressi inclusique se & Societatis & Collegij Conimbricensis alumnos profitentur esse; & ad fidem faciendam ipsiusmet oppido Præfecti filios, qui in Academia Conimbricensi studuerant, cognitores dant. Ab his cogniti extemplò honorificè dimittuntur: & cùm serum diei iam esset, pessimeq; haberent, quòd noctem insomnem, diem ieiunum peregissent; quitemperare amara dulcibus gaudet Deus, fecit vt ab ijsdem adolescentibus, qui agnouerant, domum adducti recrearentur.

Cæterùm valuit Borgiæ præsentia ad Societatem in Lusitania nouis quoque sedibus augendam. Collegio Bracharensi, & domicilio in vrbe Portus initium factũ. Parente gloriatur Bracharense Collegium Bartholomæo de Martyribus. Is eius ciuitatis Archiepiscopus fuit, è generosa sancti Dominici sobole eximium germen, Præsul omnibus Euãgelicæ sapientiæ luminibus clarus, qui demum abdicata administratione cœnobio sibiq; se reddidit: cuius & opera oppidò salutaria duo extant: quorũ alteri Compendiũ spiritualis doctrinæ, alteri Stimulus Pastorum titulus est: vnde qualem se ipse Cœnobitam, qualem Pastorem formarit, est in promptu cognoscere. Societatem intimè norat iam inde ex eo tempore, quo Antonio Ludouici fratris Regis filio notho, vnaque nostris aliquot iuuenibus Theologiam Eboræ explicarat. Ergo vt primùm designatus Antistes est, ad Lainium ita scripsit: Se multis ab annis sanctæ eius familiæ summa deuotione & dilectione deuinctum esse: quam procul dubio crederet cælitus emissam ad horum miserabiliũ temporum ruinas & calamitates reparandas. Itaque cùm primùm adactus esset (verè enim adigendus ex obedientia fuit) à Præside suo onus Ecclesiæ Bracharensis subire, mentis oculos coniecisse in Patres sacræ Societatis, tanquam in primos coadiutores suos in opere Domini, primaque instrumenta diuinæ gloriæ in partibus illis egentissimis. Proinde precari ne sibi Pater in hac re velit deesse. Ecclesiam Bracharensem, sicut primatum obtinet in Lusitania, ita latitudine regionis, & innumera multitudine Ecclesiarum parochialium primam esse: atque adeò quàm plurimos populos in summa egestate doctrinæ & exempli, & ipsum Cleri ordinem nimiùm iacere. Aliquot igitur, minimùm decem, aut duodecim, & ad pueros edocendos, & ad conscientiæ nodos explicandos, & ad concionandum attribuat, donec Collegium numeris omnibus pro opibus suis absoluat. His ad Lainium perscriptis, sacerdotes duos, vnum non sacerdotem à Patribus Lusitanis impetrat, & Bracharam præmittit. Illi in xenodochium recepti tum catechesi, quæ coactis vicatim tintinnabulo pueris, atque in princeps templum magno adultorum accedente numero ductis, quotidie habebatur (quæres ex nouitate maiorem eo loco gratiam habuit) tum concionũ frequentia, Sacramentis ministrandis, tollendisque & aliis criminibus, & maximè simultatibus, renouarunt ciuitati memoriam earum rerum, quas olim per immensos labores in xenodochio eodem Consaluus Silueria gesserat: & vehementer Antistitem perlata Olisipponem fama recreauit. Qui demũ (cùm iam Summus Pontifex lectionis eius auctor esset factus) vbi est consecratus, administrationem sui muneris ab lustranda diœceseos parte, quę propter locorum asperitatem maximè laborabat, inchoaturus, comitem secum Ignatium Azebedium cum altero Patre duxit. In ea peregrinatione ita Ignatius, itemque socius priuatæ virtutis studium, publicæque salutis industriam intelligentissimo probarunt Antistiti, vt vbi Bracharam venit, rem Collegij maturarit. 151 Cæterùm duplex obiecta difficultas; altera, quòd idem bonus Antistes quædam exigebat, quæ vocare in pacta Societati moris non est. Quã ob rem Francisco Borgiæ excurrendum Bracharam fuit: eoque agẽte quàm commodissimè potuit, ea mora sublata. Altera, quòd & publicum ciuitatis concilium, & Canonici cum Clero cœperunt obsistere. Aiebat ciuitas quoddam sibi ius esse, ne quam Religiosorum hominum familiam in vrbem admitteret (nulla sanè tum Bracharæ erat;) recepta autem Societate, ex futuro etiam discẽtium concursu, annonam, qua maximam partem aliunde importata vtantur, angustio-

150 *Collegij Bracharensis primordia.*

152 *Difficultates in Collegij Bracharensis institutione.*

Digitized by Google

stiorem & cariorē fore. Quę duo, si verum quærimus, in contrariā nihilominus valebant partem.
153 Quippe Religiosæ familię tāto simul bono, simul ornamento sunt ciuitatibus, vt ijs carere pœnæ potiùs, quàm beneficij loco numerari par sit. Et scholasticorum frequentia aduenarum haud dubio non aspernat, sed magis laxat annonam. Plus enim inuehunt pecuniæ, quàm commeatuum absumant. Canonici verò, quoniam Archiepiscopus præcipua Collegij firmamenta è mensa detrahebat sua, negabant sibi fas esse de pecunia illa abalienanda assentiri; eo etiam minùs, quòd conferretur in homines alienos ab ipsius Archiepiscopi potestate. Perabsurdum videri Bracharam, quam in ciuitatem Archiepiscopo vtraque & sacrarum & humanarum rerum ditio sit, homines induci, qui extra omnem eius potestatem degant. Quòd si iuuentutis institutionem expeteret, si Cleri eruditionem, si ad cętera auxilium; multo id opportunius (vt ad id loci factum sit) consecuturum per homines, quos ipse delegerit: ex quibus officium exigere, & pro voluntate rationem reposcere; quos ad alia atque alia admouere munera, & omnino versare, vt vsus ferat, demum & amandare & commutare cum melioribus integrum sit. Hæc accuratis litteris Canonici & Clerus Antistiti respondērunt, haud perperam dissērentes si perinde factu atque dictu facilia attulissent. Interim per vrbem alioqui beneuolam (sed vt semel paucorum impulsu motæ linguæ sunt, nihil est lubricum magis) sermones feruebant in omni genere aduersus Collegium peracerbi. Tum Archiepiscopus & pacis cum suo Clero, & Collegij simul cupidus
154 hanc inijt viam. Publicum erat Gymnasium Bracharæ in auditoria quatuor partitum, adiuncta discentium in vsum ædicula sacra. Inchoata hæc olim ab Archiepiscopo Iacobo Sosa Henricus frater Regis, qui postea ad Eborensem Ecclesiam transiit, is de quo paulo antè narratum est, ac postremò Rex fuit, exædificarat. Successor deinde Antistes Balthasar Limpus ad conducendos in id Gymnasium Magistros illud ipsum ex mensa Antistitis sacerdotium contulerat, quod Collegio attribuere Bartholomæus meditabatur. Canonici in eam scholarum institutionem, & collationem pecuniæ rite consensērant: quanquam ad exitum res perducta non erat, quòd visus esset Rex Ioannes vereri, nequid Academiæ Conimbricensi Gymnasiū nouum officeret. Id cùm Bartholomæus cognouisset, hoc primùm egit; vt rite Canonicorū illo consensu per scribam cognito, & à Canonicis redintegrato, scholarum institutio à Balthasare cœpta, tradita etiam redituum possessione in rem conferretur: tum omnia, & scholas, & reditus in Collegium ipse transtulit, & probanda Romam ad Summum Pontificem misit. Quæ vbi gesta, continuò mira consecuta quies: & in scholas nostri paulatim introducti Magistri. Rebus his gerendis, & administrando
155 Collegio primus Rector Ignatius Azebedius præfuit, vt gloriari Collegium possit quasi generosa origine vtroque parente, & Archiepiscopo, & primo Rectore sancto. Initio in xenodochio Socij pauci egēre, mox magna per incommoda in vna scholarū, vsque dum paulatim omnia incrementum acceperē, Archiepiscopo noua semper experimenta suæ promente benignitatis. Cuius ea fuit gloriæ titulorumque contemptio, ea pietas in nos, vt oblatum multis pòst annis ab Euerardo Generali Societatis quarto nomen & honorem fundatoris constanter repudiauerit: cùm diceret velle se vacuum eum locum relinquere, vt aliquando existeret, quem ad donandum Collegio plusquam dedisset ipse, eius quoque nominis, & precationum, quæ consequuntur, spes proposita incitaret. Sed Patres & eum, & Regem Sebastianum, qui insignem accessionem Collegio fecit, tradito monasterio sancti Petri de Roriz, omnibus fundatorum (excepto quòd cereum non tradunt) honoribus prosequuntur.

156 Domus in vrbe Portus ab ipso Borgia cœpta est. Nam Conimbrica iter persecutus, dum per eam vrbem transit, cùm ad pauperem hospitalem domum diuertisset, continuò & nobilitas, & Episcopus ipse Rodericus Pinerius ad se traducturus accurrit. Quippe iam diu notus erat nō antiquæ magis splendore nobilitatis, & munere quod in Societate gerebat, quàm celebri fama sanctitatis; quam coram auxit tum hospitij delectu, tum cętera submissione. Nam vbi ad se venientem Episcopum vidit, prostratus repentè humi eius benedictionem expectans eo habitu perseuerauit, vt omnes admiratione compleret. Itaque coactus postridie concionari eiusdem Episcopi, & cunctæ ciuitatis studijs secundissimis auditus est. Ille secundùm concionem eodem die discessit, ad S. Felicis properans, quam primùm optata solitudine, sancto que otio fruiturus. Est ea Conimbricensis Collegij Abbatia.
157 Decimo octauo Kalendas Iunias peruehit. Reperit domum ad curas leuandas, corporisque & animi reficiendas vires è sententia factam. Non deerat interim, in quo Marthæ munia exercerētur. Namque Galleci proxima gens, quæ rerum diuinarum penuria dudum miserandum in modum laborabat, vberē suggerebat caritati materiam. Secum adduxerat Bartholomæum Bustamantium, Petrum Saauedram, & aliquot prętera ea Socios. Cum his & meditationi rerum cælestium vacabat, & varias in partes ad iuuandos digressus accolas, quanquā labores subibat maximos, tamen, quia ab aulis profanisque negotijs aberat, videbatur sibi quiete iucundissima frui. Interim Portuenses, quibus consuetudo Patris Francisci obiter degustata desiderium Societatis exacuerat, spem ex vicinitate ingrediuntur veteribus suis potiundi votis. Nam ex quo tempore egregium quemdam ad Christianam virtutem progressum concionibus Patris Francisci Stradæ fecerant, quò fructus ille perpetuus fieret, perpetuum tradendi apud se nostris Sodalibus domicilium cogitationem susceperant. Iam tum oblato situ litteras ea de re ad Ioannem Regem dedēre, & quoddam vectigal, de quo ciuitati cum Rege lis erat, suo iure cedētes, idemq; vt Rex faceret rogantes, alendæ familiæ destinarunt. Nec per quemquā stetit quo minùs ad exitum perduceretur, nisi per inopiam eorum, qui nouā in coloniam mitterentur. Res igitur dilata eo tempore est. Sed parū abfuit, quin penitus eam nimium

Quomodo superata difficultates

Domicilium in vrbe Portus inchoatur.

studium

Digitized by Google

158 *Henrici Goueæ virtus.*

ſtudiũ Henrici Goueæ diſſolueret. Vir ad pietatem ſuapte ſponte factus erat Henricus, ingenio acri probóque: qui vbi Stradæ verbis & conſuetudine excultus incenſuſque eſt, ita ſeriò ad virtutem animum induxit, vt cunctæ ciuitati & actione vitæ, & ſedulitate operæ aſſiduè acres admoueret ſtimulos. Ille pauperibus vel de ſuo, vel corrogata ſtipe præſidio eſſe; idem reconciliare diſſidentes; idem ad rectè facta, ac nominatim ad Sacramentorum frequentem vſurpationem in loco omnes hortari: in omnia demum, quæ licebat, caritatis munera ſeſe dare. Huius verò Ordinis credibile non eſt quàm eſſet ſtudioſus; quàm ei ſeſe ac ſua tradere peroptaret omnia. Cuius voti magna tandem ex parte Deus compotem fecit. Nam & liberos tres, & ſuam domum ei dedit: & ipſe cùm ſuborta peſtilentia in ægrotantium ſeruitio contagione infectus obijt, iam erat in numerum Sociorum receptus, felicisſimæ parens familię, qui liberorũ tres feminas in monaſterio Religionẽ ſoléniter profeſſas, numeroq; eodem mares in Societatẽ cooptatos reliquit, & coniugem ipſam monaſterium meditantẽ. Is igitur, dum, quamuis dilata res eſſet, in concilio publico vrget, vt aſſignetur ædium ſitus, & domicilium quamprimum adornetur, ſedulitate concitauit inuidiam. Iamque ſolenne carmen per vulgi crepitabat ora: Haud fruſtra Patres noluiſſe vltro aduocatos venire, ſcilicet adieciſſe oculos ad ciuium bona: præmia expetere ampliora: quin vbi venerint, nec ſuas ciuibus fortunas, nec ſobolem relicturos. Metuentes ne præda interuertatur, ſubmiſſo Henrico moliri & concitare omnia. Quid multa? Perflantibus agitantibuſque iniquorum quibuſdam inuidiæ faces, incendium magnum exarſit. Quod Henricus animaduertens, ſuamq; incuſans inſcitiam, optimæ ſibi conſcius mentis in concilio publico palàm, vti re vera erat, profitetur atque teſtatur, quæcunque egiſſet, ea ab ſe ignaris omnino Patribus ſuamet ſponte, ſuopte conſilio geſta, quòd planè ita ſentiret è re publica eſſe. Quin etiam, quamuis omnia ciues paraſſent, haud tamen ſeſſire, num Patres alias vrbes, ad quas certatim plurimas aduocabantur, poſthabituri eſſent, vt Portũ venirent. Hæc ita ingenuè libereque & acriter egit, vt flammam aduerſam magna ex parte reſtinxerit. Haud multò poſt hunc ſedatum tumultum, ea Borgia tranſiit: poſt cuius diſceſſum, dum calent animi, rem perurgere Henricus inſiſtens, ciues & Epiſcopum ſtimulat, vt à Franciſco Sociorum aliquot flagitent: atque ad veteres abigẽdos timores, non Collegium, ſed domum Profeſſorum ſuadet petere. Ita nec liberos amittendi per doctrinæ vſum, cùm minimè doceant; nec rem, cùm vectigalibus certis Profeſſorum domus vti nequeant, metum fore. Non difficilè id Henricus ciuitati, Franciſco ciuitas perſuaſit. Michaëli Turriano Prouinciali, eiuſque conſiliarijs, nec noua ſuſcipi domicilia, cùm præſertim Bracharenſe Collegium tempore eodem ſuſciperetur, prouincia ab operarijs malè conſtituta; multoque minùs domum Profeſſorum id temporis in vrbe Portus placebat ſtatui. Sed Borgia

160 *Borgiæ ſtudium maximum paupertatis.*

ſanctæ paupertatis mirus amator cùm multis modis eam vrbem diligeret, ac peridoneam ad ferendos diuinæ gloriæ fructus vbertimos iudicaret; hoc poſtulata ciuium audiebat libentiùs, quòd pauperem poſtulabant domum. Quare cùm feciſſet ei poteſtatem Præpoſitus Generalis vt ſedem ſibi, vbi arrideret, ad ſuum ſenſum deligeret, ita ad eum ſcribit; ſummam votorum iam diu eſſe cum Euangelica paupertate arctiſſimè copulari; neque in Collegijs, ſed in paupere domo vitam abſoluere. Romæ atque Oliſippone eſſe quidem pauperes domos, ſed pariter curias eſſe: prope quas ſi degat, humanorum turba ſtrepituque negotiorum carere non queat. Igitur ſineret in vrbe Portus ſancta dotatam paupertate domunculam poni, quam ſuarum curarum requiem, quam feſſæ ætatis ſolatium haberet: cuius in gremio ſupremum ſpiritum exhalaret. His datis litteris vnà cum Socijs Portum ſe refert. Goueа in alteram ſuæ domus partem cogit ſeſe cum ſuis, alteram nouæ familiæ cedit. Hîc verò Borgia adornato ſacello (in quo die ſancti Laurentij primum Sacrum ipſemet fecit, & diuiniſſimum Sacramentum collocauit) velut in ætatem & valetudinem integram reuolutus, adoritur tractas vires per omnia ferè vegeti robuſtique operarij verſare munera. Concionabatur frequentiſſimè: gaudebat ad cæleſtem accedentibus menſam diuinum panem impertiri: vbi conſueuerat ſanctiſſimum Chriſti Domini corpus manu ſuſtinẽs aliquid interfari appoſitè ad permouendũ. Inuiſebat & ſolabatur ægrotos: paces cõponebat: circuibat cum ære tinnulo ea dignitate & ætate vir vias vrbis: rudeſq; ac pueros ad Chriſtianam inſtitutionẽ congregabat in aream Eccleſiæ principis. Nam cùm puerorum bina (vt putabatur) millia, eoque ampliùs, aliorumque promiſcuæ multitudinis innumeri conuenirent, templum haud facilè capiebat. Quæ opera cùm ab rerum cæleſtium meditatione quaternarum horarum, quas ei ſtudio quotidie dabat, intimaque cum Deo coniunctione ac perpetuo quaſi ieiunio emanarent, Borgiæ pro laxamento, proximis ſaluberrimæ erant. Hæc autem vbi Epiſcopus ac ciues viderunt, longè eos alia ac priùs cogitatio ſubijt. Cùm enim reformari paſſim mores ac reliqua omnia bellè viderent procedere, animaduerterũt vnum adhuc & maximũ ad ſtatum ciuitatis optimè peramanterq; componendum deeſſe præſidium, ſcholas & gymnaſia: in quibus tenera ætas litteris & moribus formaretur. Quin igitur quandoquidem aduocaturi erant homines Societatis, totum quàm partem mallẽt? & Collegiũ, in quo omnia haberent, ordirentur? An filios ne perderent? An ne facultates? Enimvero rem Chriſtiana trutina ponderantibus, ſic ea perdere non eſſe aliud, quàm in vitam æternam cuſtodire. Cauere, ne filij Religioſi fiant, non eſſe filios cõſeruare, quos tam multi caſus eripiunt, ſed bonum eis maximum & honeſtiſſimum inuidere. Deterius ne igitur ciuitati erit, ſi cunctam iuuentutem rectè inſtitutam, & aliquot præterea ſuis è ciuibus, quaſi in cæleſtis aulæ Regis gratioſos habeat, quàm ſi per negligẽtiam parentũ peior auis Deo inuiſa ſtirps adoleſcat, olim progeniem datura vitioſiorem? Quid porro ijs agetur, quos amittet? Circuibunt ſine dubio, vt reliqui eius Ordinis, orbem terrarum bene de omnibus merentes: latiuſque

161 *Eiuſdem laboriosa caritas.*

162 *Portuenſes iam Collegium malunt, quàm Profeſſorum domum.*

Digitized by Google

tiuſque, quamuis non id agunt, nomen patriæ propagabunt, quàm ſi paternoin nido conſenuiſſent; nec, qua apud cæteros valebunt auctoritate, ſi vſus patriæ incidat, eam illi negabũt. Impendij verò quî plus ab Collegio, quã ab domo ciuibus imminere? Nam & ijs, qui domũ Profeſſorũ incolent, ad alenda & tegenda corpora neceſſe erit ſuppeditare: præter quæ Collegia nihil poſtulent. Nam quòd hæc vectigalibus certis vtantur, id quidem non magis ad Collegiorum, quàm ciuitatis quietem ſpectare, ſemel dando, quod fuiſſet quotidie ſuggerendum: in quo vel publica, vel priuata cuiuſpiam liberalitas curam omnium ſemel exonerare poſſit. Verùm enimuero, quanti recta filiorum diſciplina emenda ſit? Vt nihil ſatis patrimonij eſt comparatum, cui bona inſtitutio denegata ſit: ita qui probè ſit inſtitutus, habere in eruditione atque doctrina luculentam, iuxtaque honeſtam ac tutam hereditatem. Poſtremò laicis Magiſtris nónne perſoluendam eſſe mercedem, multoque vberiorem? vt qui non modò neceſſarijs vitæ in præſens contenti ſunt, ſed etiam quæ ſibi ſuiſque lucra ſeponant, quærunt? Hæc ſecum, & ſuo marte, & Gouea ſubmonente agitantes, iam Collegium domui præoptabant: quo & Borgia quoque plurimùm gaudebat, quòd id videri potius Michaëli Turriano, & Romanis Patribus iam cognouerat. Hîc
163 autem Borgia ex illapſu in verticem grauis vectis ingenti perfunctus periculo, & propè, vt ipſe ait, miraculo ſeruatus dum cæleſtibus delicijs totum animum penitus aperit, ignorabat, quid Deus de ſe interim moliretur, quantumque ſibi adhuc maiore in theatro pro communi Eccleſiæ bono exhauriendum ſupereſſet laborum. Sed quid inde ſanctum virum abſtraxerit, non ita poſt multa commemorabo, cùm cæterarum Hiſpaniæ prouinciarum ſtatus expoſitus erit.

164 *Patris Baptiſtæ Barmæ obitus & virtus.* Aragonia, quem vnicè carum habebat, virum ſtrenuum ac Societatis amantiſſimum Baptiſtam Barmam Prouincialem amiſit. Is Compluti, vnde oriundus erat, in Societatem anno M. D. XLX. cùm è Theologorum fuiſſet Collegio, ac Theologiam Conchæ Franciſcanis Religioſis explicaſſet, cooptatus; continuoque ad Gandienſe Collegiũ miſſus, ibi & Doctoris ornatus eſt laurea, & Theologiam aliquot annos docuit. Pietatis fuiſſe proditur modeſtiæque tam raræ, vt aſpicientes earum amore virtutum quodammodo afflaret. Quæ præcipuè res Borgiæ etiamnum Ducis perſonam gerenti mirè amabilẽ reddidere. Itaque eum rerum Theologicarũ magiſtrum aliquamdiu habuit: & cùm anno ſeculi quinquageſimo abijt Romam, eidem filios commendauit. Anno autem quinquageſimo quarto iam Commiſſarius in Hiſpania Generalis Murciam ad ponendum ibi Collegium miſit; quod idem primus adminiſtrauit. Deinde cùm pro Francisco Strada Aragoniam prouinciam aliquamdiu rexiſſet, & ad generalem conuentum Romam veniſſet, factus eſt ipſe Prouincialis. Hoc demum anno cùm ad res Murciani Collegij, quæ ſubirato fundatore vehementer lababãt, firmandas ſe Murciam retuliſſet, quòd & à fundatore, & à cuncta ciuitate permagni fiebat; in eo Collegio v. Nonas Maias, quo die S. crucis inuentio honoratur, ad crucis perfruenda præmia lætiſſimus ipſe, mœſtiſſima ciuitate deceſſit. Bonus erat voce, ſed melior manu, vnde voci põdus. Prudẽter cauebat, ne temere fidẽ haberet quorumdam hominum bonorum & credulorum zelo, qui de alienis moribus concionatores cupidiùs, quàm prudentiùs edocẽtes ſæpè eos inpræcipitẽ locum adducunt: monebatq; Socios vt id ipſum cauerent; ne niſi publica ſacris è roſtris planeq; comperta attingerent. Similibus vtebatur aptiſſimis. Quorum illud eſt celebre. Quemadmodum equites viatores penulã pro ſellæ crepidine priore complicatam geſtant; ſique imber incidat, explicant, & humeris circumdant: ſtatim verò vt deſijt imber, complicant rurſus, & inuolutam reponunt: ita quoſdam Deo quaſi penula vti. Numquam eius meminiſſe niſi turbida tempeſtate: tum ad eum confugere, tum eius ſe vmbræ patrocinioque ſubmittere: mox vbi ſerenum affulſerit, amouere penulam, pietatem ac Deum ſeponere.

Porro Carthaginenſis Antiſtes Murciani fundator Collegij, ad quem placandum Barma venerat, duo præcipuè moleſtè ferebat. Vnum, quòd poſt peſtilentiam reſtitutus integer Collegio operarum numerus non eſſet: alterum, quòd quæ Collegio ipſe donarat, Lainius cunctaretur rata habere. Sed hæc ideo Lainius lentiùs recipiebat, quia longè plus bonus Antiſtes poſcebat, quàm daret: conditioneſque adijciebat, quas nec inſtitutum Socieratis; nec is, quem aſſignabat, reditus tolerabat. Operarum verò cùm egregios & multos publica eripuiſſet, quæ vrbem quoque deſolauerat, peſtilentiæ clades, & Socij ipſi non multi in plurima quotidie ſpargendi loca eſſent, nondum potuerat Murciam ſupplementum integrum mitti. Quæ res Epiſcopo ſui gregis commoda vehementer curanti, magiſque qui deeſſent, conſideranti, quàm ibidem pro ſui populi ſalute extinctos; ita videbatur acerba, vt cœptum omittere, dirimere acta cogitaret. Mortuo Barma Iacobum Mironẽ, qui interim, dum nouus à Generali Prouincialis creetur, prouinciæ præſit, & Murcianam rem curet, cùm eum quoque Antiſtes amaret, Borgia è Luſitania mittit: litteras ſimul modeſtiſſimas ad ipſum Antiſtitem adijcit: & quos vellet operarios, in maximis licet anguſtijs liberaliter pollicetur. Itaque Magiſtri ad docẽdum optimi accerſuntur, Franciſcus Strada ad concionandum, viri impigri ad excurſiones. Collegiũ (quod item Epiſcopus cupiebat) ad Caſtellam prouinciam transfertur: ac denique tabulas conſtituti Collegij rite confectas probataſque Roma Lainius mittit. Quibus obſequijs Antiſtes Almeida non placatus modò, ſed etiam captus eſt, vt de reditu amplificando ipſum quoque, ne vinceretur officijs, cogitatio ſubiret. Continuò per Diœceſim, quæ latè patet, duo ſacerdotes excurrere iuſſi. Horum alter Iacobus Suarius fuit, qui per eas oras Apoſtoli dein nomen ex merito inuenit. Is Compluti Societate inita anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quarto, & Valentiam ſubinde miſſus præ virtutis maturitate etiamnum Tiro, necdum ſacerdos Tironibus inſtituendis præfectus eſt. Plerumq; noctis tranſigebat orans: &

165 *Collegium Murcianũ cõfirmatur, & ad prouinciam Caſtellam transfertur.*

166

167 *Iacobi Suarij excellens virtus.*

interdiu

Digitized by Google

interdiu ſpecies velut perpetuò orantis erat. Mirè attẽta ſui ac nominatim linguæ cuſtodia: quãobrem ſtatim vt ab conſuetis ſecundùm cibum remiſſionibus recederet, in eas diligenter inquirebat. Pater, cùm indigniſſimè eum tuliſſet Religioſum factum, Complutumque aduolaſſet (ex Corua oppido prope Toletum erat) in Collegiũ receptus, facta alloquendi filij copia per totam noctem fruſtra fatigauit. Inde & Valentiam ſecutus, cùm fortè in principe templo offendiſſet, ſtrictum ferrum pectori confoſſurus, niſi ſe ſequeretur, admouit. Continuò fit concurſus turbæ, quæ in templo erat. Quam cùm Iacobus ſedaſſet edoctam quid rei eſſet, parentem ipſum ad Collegium deduxit haud paucis è populo ſequentibus. Ibi eum apta oratione adortus ita placauit, vt poſtea miſſum iam Cæſarauguſtam filium item reuiſerit, cæterùm non negotij faceſſendi cauſa, ſed vt eum, quem ex concionibus & ſanctitate celebrem audiebat, coràm

168 veneraretur. Cæſarauguſtæ Suarius prima poſuit rudimenta Apoſtolicarum per pagos & oppida expeditionum comes ab Inquiſitore Ceruante, qui pòſt fuit Cardinalis, circumductus. Sed circa Murciam deinde totam latè diuque explicauit induſtriam. Qui mirè extollens eiuſmodi peregrinationum commoditates, aiebat ve-

169 hementer ſe ipſum ad agendum dicendumque acriter & ex animo ſolitum in ijs commoueri. *Miſſionum per pagos & oppida vtilitates.* Quippe vbi populos veluti oues ſine paſtore præ ignoratione rerum Chriſtiano cognoſcendarum errantes, deque æterna ſalute periclitantes circa ſeſe aſpiceret, eoſdemque ſimpliciter, auidè, ore hianti, quæ audirent arripientes; molleſcere ſibi præcordia, ſerioque inde ac verè agenti verba affluere viua, vibranteſque & quaſi acuta tela valido contorta brachio, exire ſententias: quæ vt ex commoto dicentis erumperent animo, ita ad animos auditorum peruaderent. cùm contra eueniat in vrbibus, vbi faſtidium ac ſatietas audientium frigidiorem reddit dicentem. Vnde fit, vt, cùm is non tam ex animi commoti affectu, quàm ex arte ingenioque loquatur, aures potiùs concionis titillet, & ingeniũ paſcat, quàm feriat corda, capiat voluntates. Populos verò ipſos multa magnopere commouebant, nouitas ipſa talium expeditionũ, præter morem ad ſacra concurſus, puerorum concinentium voces, vt dicerent videri ſibi quamdam naſcentis Eccleſiæ ſpeciem repræſentari; Patrum non modò acres exhortationes, ſed ſuauitas, benignitaſq; & [illegible] ciſſima conſuetudo, & omnis ratio religioſiſſimę vitæ. Mirabantur quòd ſine commodi, aut impendij ſui cura ad ſeſe veniſſent, pedibus longas irent redirentque vias, dona reſpuerent, in publico pauperum diuerſarentur hoſpitio. Quanquam hæc duo poſtrema ferre non poterant, clamantes dignitatem ſuam agi, ne concionatorem viuere mendicato, & in xenodochio hoſpitari paterentur. Inuentique ſunt, qui abſentibus & inſcijs Patribus illa ipſa pauperum diuerſoria, quam habuere in ſua tenuitate, veſte optima adornarent, & rerum vitæ vtilium vim ingentem inferrent: quæ ſunt omnes in pauperes diſtributæ. Præter communia, quæ ſolent in Miſſionibus

170 curari, Suarius operam præcipuè dabat, vt Sodalitates duas induceret Roſarij ac Nominis Ieſu nec fermè reliquus vſquam fiebat quiſquam mulierum aut virorum, qui non daret in vtramque nomen. Roſarium aptiſſimum populo inuentum exiſtimabat ad pietatem aduerſus cæli Reginam, per quam omnia è cęlo ad homines dona manãt, excitandam. Sodalitatem verò ſanctiſſimi Ieſu nominis neceſſariam & vtilem ducebat ad tollendam propriè feminarum ex ore execrandi deteſtandique, & diris ac dæmoni deuouendi conſuetudinem: viros autem à verbis impijs, temereque iurandi more arcendos. Et ijs quidem, qui quid tale peccarent, mulcta erat impoſita: qui verò audirent, ijs lege erat præceptum, vt peccantes amicè corriperent. Quæ cùm bona fide gens ſimplex exequeretur, mira vbique emendatio ſequebatur. Erat Suarius totus frugifer, totus ad faciendam ſementem intentus. Nouembri iam menſe cùm productiores noctes otioſis collocutionibus inter mortales teruntur, cùm à cœna ſalutatum eum multi conuenirent, quos reijcere ſine offenſione interdum minùs licebat; hanc præ cæteris rationem inuenit, per quam officioſas fabulas in lucrum verteret pietatis. Proponebat in medium, vt quiſque conſidentium, ita vt ordine conſtiterant, initio hinc modò, aliàs inde ducto, tria faceret; primùm, beneficium aliquod, quod accepiſſet à Deo, commemoraret: deinde, nouum aliquod ab eo beneficium poſceret: poſtremò, aliquid ipſe in diuinæ Maieſtatis honorem offerret. Res erat ſanctiſſimæ plena iucunditatis cernere quo ſtudio ac ſenſu antiquæ bonitatis homines ea facerent. Multi, vbi ad ipſos ordine ventum erat, non caput ſolùm aperiebant, ſed etiam flectebant medio in conſeſſu genua, iunctiſque manibus candore animi amabiliſſimo, & deuotione mirabili quidquid ſuccurreret, expromebant; nec pauci perbonas ſanè res in medium afferebant. Rebus hunc in modum Murciani Collegij ſtabilitis, ipſoque, vt dixi, Caſtellæ adiuncto, Aragoniæ ab Lainio Præpoſitus eſt Antonius Cordeſius; qui poſt Franciſcum Stradam, & Baptiſtam Barmam tertius eam prouinciam procurauit.

Suarij induſtria.

171 *Antonius Cordeſius tertius Aragoniæ Prouincialis.*

In prouincia Caſtella Bellimarenſe natũ Collegium. Benedictus Vguccionus genere Florentinus, ortus in Hiſpania Burgis, vir fuit pietate, litteris, prudentia, & apud viros Principes gratia nobilis, ac poſtremis temporibus Burgẽſis Eccleſię Canonicus. Is anno M. D. XL. cùm in Luſitania eſſet, quo tempore primi eò Patres Xauerius ac Rodericius peruenere, ſtatim ad ſingularia probitatis exempla, quæ duo Religioſi edebãt, oculos aduertit: cumque in eorum ſe familiaritatem dediſſet, primus fuit, qui magno cum animi ſui gaudio ac fructu ſub Rodericio ſpiritũ exerceret; quiq; Ioannẽ Regem admoneret, vt animaduerteret, num ſatius foret tales viros ad aulæ regiæ ac regni totius corrigendos mores, in Luſitania retinere, quàm virtutem ac ſolertiam tantam ad barbaras ablegare gentes. Vnde poſtea mediam conſilii viam ſecutus Rex; & Patrum retentus vnus, alter eſt miſſus. Ex eo tempore diligere ac magnificare Societatem Benedictus cœpit. Burgoſq; regreſſus domicilium Collegio proprium in ea vrbe primus coëmit. Sed hoc cùm Franciſco

172 *Bellimarenſis Collegij origo.*

Mendozæ

Digitized by Google

Mendozæ Cardinali, Præsuliq́ue Burgensi curæ esset, ad nouum ipse inchoandum opus transtulit curam. Est Bellimar pagus minùs leuca procul Burgis, loco salubri & amœno, multis hinc atque hinc alijs haud lõgè sitis circumdatus pagis. Huc Benedictus cùm sui colligendi causa quondam secessisset, miseram agrestium turbam rerum Christianarum inscitia, & bonorum inopia exemplorum de salute animę æterna periclitantem miseratus; rem se plurimis mortalibus saluberrimam, pergratam Deo facturum existimauit, si domicilium ibi conderet, vbi aliquot de Societate ijs populis per dicta factaq́ue erudiendis exercerentur. Ædificij parte absoluta, cohiberi nequiuit quin incolas statim acciret, aliquid tritici, & certam in singulos menses pecuniam (quam quamdiu vixit, dedit) ad vitæ subsidia subministrante Archiepiscopo. Profecti sunt sub huius initium anni cum laicis tribus duo sacerdotes Balthasar Quadratus, & Ioannes Baptista Segura, qui fuit Rector. Collegio ab dicata Virgini parienti æde nomen inditum Bethleem. Gratum eum cæli Reginæ locum esse inde multi, & nominatim Archiepiscopus, qui miraculum dep ræ-
173 dicabat, augurati sunt; quòd plaustro materia ad
Mira res in ædificatione domus. ædificationem eius domus onusto supra infantem puellam per imprudentiam acto, cùm puellæ pater in ipso discrimine re animaduersa exanimatus, Deiparæ, in cuius honorẽ opus faciebat, filiam commendasset, tenerum infantis corpusculum tam immani pressum põdere nihil vlla ex
174 parte læsum est. Patrum eo loco fratrumq́ue occu-
Bellimarẽsium Patrũ exercitationes. pationes hæ fermè erant. Distribuebant inter se pagos, ad quos diebus profestis à prandio cum tintinnabulo profecti, pueros ac si qui erãt otiosi, coactos fidei elementa edocebant, domum se vesperi referentes. Præcipua cura in pagis eò singulis incumbebant, vt modestia, obseruantia, omniq́ue genere Christiani officij sacrorum Pastorum animos demererentur. Quos vbi conciliassent, inducebant, vt perpetuandam ipsi catechesim susciperent. Quòd si succederet; ad alios ipsi se pagos transferebant. At Dominicis, cæteriscq́; feriatis diebus singuli sacerdotes cum socio aliquid secum panis dumtaxat ac fructuum, vnde ieiunium solueretur, gestantes prima luce domo egressi alij alios separatim tres aut quatuor adibant pagos: totumq́; diem circumeuntes concionando, audiendis confessionibus, docendo consumebãt, tam prospero euentu, vt Vguccioni animus præ lætitia exultaret: nec satis admirari posset inter agrestes validos præsertim iuuenes, qui cùm toti antè amatorijs deliramentis, ludis, & ineptijs profanis dediti essent, iam quasi noui homines frequentissimè sancta mysteria vsurpabant, & Christianam innocentiam & castimoniam verbis & actionibus testabantur. Pastores quoque exemplis & submissione Patrum deliniti opus sedulò promouebant: adeò vt, cùm priùs, si qui crebriùs quàm semel in anno, eluere noxas confessione vellet; cõfessarium non inueniret; iam essent, qui secundùm Patris concionẽ sublata voce populum inuitarent, profitentes libenter se aurem, quicunque accederent, præbituros. Hoc felici progressu Archiepiscopus quoque summè lætus cùm diœcesim lustrans incidisset in nobilem S. crucis Domini particulam ex ea parte, quam, vt fide dignis constabat monumentis, D. Toribius Hierosolymis in Hispaniam tulit, ea Bellimarense templum ornandum putauit. Delata est pompa & supplicatione solẽni. Vespera eius diei Socij noua pietate incensi ante sacrum pignus congregati perdiu orant, ac renouant vota. Dein ad gratiarum actionem Religiosorum quoque aliorum adiunxere opem. Ex omnibus, qui circà sunt, Ordinibus ad fuere. Benedictinus Abbas cerimonia magna sacrificauit cingentibus latera Diacono Subdiaconoq́; Dominicanis. Concionem insignis Augustinianus Archiepiscopo familiaris habuit finitimorum populorum numeroso conuentu.
175 *S. crucis particula in Bellimarẽsi æde reposita.*

Minoribus principijs tanto olim maius futurum Madritanum Collegium ortum est. Tum ciuitatis ipsius, tum etiam sua causa expetebãt in ea
176 vrbe domicilium Patres: quod, cùm Philippum
Madritani Collegij initia. eò regiam translaturum cognouissent, ad varia, quæ vsus fert, tractanda apud eum negotia, perappositum præuidebant fore. Initium Collegij fuit domus, eaq́ue non ampla, quam Eleonora Mascarenia pro insigni sua erga Societatẽ pietate ad hãc rem emptam donauit. Primus ei Collegio præfuit Odoardus Pereira Lusitanus inter honorarios olim Eleonoræ ephebos educatus. Nullæ initio scholæ, nulla res familiaris, ædicula sacra perpusilla fuit: sed Deus propitius, & Procerum benignitas industriæ Patrum fauens, molem, quę hodie spectatur, paulatim effecit.

Cæterùm dum oritur Madritanum, adultum
177 iam Granatense Collegium in Bætica cùm alia,
Præclara misericordia opera Granatæ. tum aduersus calamitosos planè memoratu digna hoc anno gessit. Erat Granatæ præ cæteris nosocomium celebre, quod ab se institutum Ioannes cognomẽto Dei, inclytus sanctimonia vir, collatitia piorum stipe hoc tempore sustinebat. Huc homines de Societate ad ægros allocutione manuq́; iuuandos frequenter commeabãt. Nullum quamuis laboriosum, vulgoq́; sordidum, atque inamabile ministerũ præteribat caritas. Rectoris Ioannis Plazæ, & Ioannis Baptistæ Sancij concionatoris eminebat feruor. Hæc ciues facta conspicati Christianis digna pectoribus æmulatione accensi ex omnibus ordinibus ad eadem obeunda munera quàm plurimi confluxere. Videre erat illustribus & actoribus & spectatoribus refertum nosocomium sui sexus infirmis seorsim viris ac feminis pari studio seruientibus. Prætor, Senatores, Equites aurati, tum è Clero Canonici, & honoratissimi quique, Theologiæ quoque, & diuini humaniq́; Iuris Doctores, alijq́ue ciues opibus & genere spectandi prandium ægris apponebant aperto capite: & genu quidam flexo priùs exosculantes porrigebãt patinas: materna sedulitate in os grauiùs laborantiũ inferebant ipsimet cibos: quin etiam sudariolis molestias muscarũ abigere, solum euerrere, sordidiora euacuare vasa, fodere ligonibus sepulchra, deferre atque humare cadauera non graue, non vile erat, vt lætã esse præter morem ac regina pietas videretur serico auroq́ue nitentibus administris: Quæ res sermonibus hominũ celebrata cùm indies plures vel eiusdem æmulatores decoris, vel operis spectatores alliceret; Ioan. Baptista occa-

Digitized by Google

sionem arripiens tempestiuos adhibebat adhortationũ aculeos. Promiscuam spectatorum coronam (nam inter ægros ministrantium, venientiũ & abeuntium obturbabat strepitus) in impluuiũ satis amplum seuocabat; ibique ad attẽtos verba faciebat, tanto efficaciora, quãto propiora erant exempla. Fuit cùm misericordiæ operibus laudatis, eiusque nosocomij angustijs expositis, Equidem, subiecit, rarò tam dignũ miseratione Christiana concioni casum proposui: cumque similẽ olim exponerem, eodem loco certatim non aurum argentumq; modò, sed etiam detractas sibi obtulerũt vestes. Num igitur tam generosa mente promptaque adeò caritate Christianus hîc vir erit, qui nobile illud facinus imitetur? doceatque nostris quoq; temporibus & Granatæ si non parem, at simílem magni illius Martini virtuti vim uere pietatem? Vix ea dixerat, cùm prosilit in medium ditior ab animo, quàm ab re sacerdos; optimumque, quo tegebatur pallium, cuius pretium vix cætera, quæ possidebat omnia, adæquabant, ad Patris abiecit pedes. Ex eo initio, velut dato signo alius subitò super alium vel eminus iacientes, vel per manus obstantium transmittentes, vel per turbam ipsimet mediam irrumpentes in eumdem cumulum pecuniam, anulos, pallia, saga, thoraces, aliaque vestium genera, quę exuebant coram omnibus, alacritate & certamine inter se miro congerere. Nec finis est factus, quoad aceruum iam oppidò magnũ conspiciens, & seruorem temperandum concionator ratus, sat esse pronunciauit. Non pauciora Christi Natali die collata. Quæsiuit præco mirificus ex concione, cùm puer Iesus semet illis traderet, quid rependi illi æquum censerent? Adiecitq; inde eorum animos erga Deum puerũ cognitum iri, si etiã nunc iacere nudum & algere paterẽtur, vel misericordia ducti fouerent, operirent. Nudum esse & algere in pauperibus Christum. Quod vni ex minimis eius famulis feciſſent, illi facturos. Secũdùm quæ verba nemo rei vel cariſſimæ parcere: nemo ex præsenti copia non conferre quàm plurimum. Nonnulli etiam sic accensi pietate sunt, ita Christum in pauperibus agnoscere ac venerari cœperunt, vt mendicis, quos obuios per vrbis quamuis celebres vicos haberẽt, cùm stipem vltro porrexissent, in genua prostrati pedes oscularentur.

178 *Baptista Sancij efficacissima conciones.*

179 Nec illud omittendum est, quòd, cùm Ioan. Baptista inter concionandũ alio tempore magnam nosocomio diceret sindonum penuriam esse; aliquot viri boni confestim media è concione digressi, raptimq; reuersi domum humeris impositas sindones ipsimet ad Patrem etiamnum concionantem deportarunt. Eiusdem Ioan. Baptistæ incitati concionibus duo honesti opifices dedêre se colligendis congregandisque vnum in contubernium adolescentulis vagis ac perditis: quorũ institutio ea demum solet esse, ad pessima quæq; consuescere, ad ludendum, furandum, peierandum. Hos probus sacerdos susceptos in disciplinam, fuscisque tuniculis indutos cœpit per vrbem Beatorum solenni carmine cientes nomina, & ad funera ornanda circumducere: cumq; maturum videbatur, varijs curabat artificijs imbuẽdos, nec non litteris, siqui ad eam rem naturam præ se ferrent. Gratissimũ id procurationis genus accidit ciuitati: magna enim ex parte, & in præsens, & in futurum tempus eius est exhausta sentina; deque maleficiorum seminibus seminarium consitum est probitatis. Ex his rebus pronum intellectu est quanta vulgo de Ioan. Baptista existimatio esset: neque ea ex vano erat, vt qui promptior manu quàm lingua faceret grandiora quã loqueretur. Inter quatuorvotorũ Professos adscriptus hoc anno est: eoque die Petrus Guerrerius Archiepiscopus oratoris munere vltrò sibi assumpto, multa de Societate dixit; præterque alia, à fructibus eam debere cognosci. Nam inter argumenta sanctitatis Ioannis Baptistæ Domini Præcursoris esse, quòd ad eum plurimi conuenirent confitentes peccata sua, pœnitentiam agentes, postulantes baptismũ: vbi similes cernerentur fructus, non esse dissimiliter de arboribus iudicandum. Inter hæc cœptum superiore anno in Albaizino opus ita succedebat prosperè, vt vulgò dolerent homines non multis antè institutum annis. Pueri iam ad quingentos erudiebantur, Maurici fermè omnes, vnaq; mirum in modum conciliabantur parentes. Dum pulcherrimè florent Granatæ studia pietatis, edidit & documentum Deus, quo quàm cara pudicitia sibi sit clementer ostendit. Puella peruenustum cariophyllorum fasciculum ab amatore missum in vasculũ aqua plenum indidit. Inde rem confessario indicauit, quòd quamuis à flagitio ipsa quidem abhorreret, tamen vbi se ad orandum recepisset, diabolus menti fasciculum ingerebat. Iussit ille protinus latentẽ haud dubiè inter flores anguem tartareum, patremq; turpitudinis floribus abiectis abigere. Puella obeditura se ait: sed vbi domum reuertit, viuam floscolorum purpuram inspiciens, ea venustate ac blanditijs capta adultam vsque in noctem secum alternauit curas, abijceretne, an retineret; & tandem nihil effecit. Postridie sub auroram vbi surrexit, nulla prior mentem, quàm florum cogitatio subijt: ad quos conuersis oculis ita aridos fœdosque videt, vt igne perusti viderentur. Tum verò stupens, ac mente confusa, languorem damnat suum, statuitque posthac quamlibet citiùs subire lanienam, quàm vel leuiter Deum lædere, vel aditum ad tentandum diabolo aperire, misericordiam Dei admirans, qua lenocinantem illam floscolorum illecebram extinxerat, vt sibi pudicitiæ flos integer permaneret.

180 *Albaizinia stationis fructus.*

181 *Flores ab amatore donati repentè exarescunt.*

Felices hi progressus in Bætica ortum bonam partem ducebant è solida Bustamantij Prouincialis disciplina. Sed æternus bonorum hostis Satan, qui, vbi aperta non succedit irruptio, transfigurat se in Angelum lucis, prosperum adeò domi foriſque rerum cursum non ferens, odiosum reddere primarijs suę prouincię Patribus Bustamantium conabatur, quasi vltra modum seuerè ageret, ac Monachorum ritus in Societatem induceret. adeoque rumor hic increbuerat, vt ad querimonias declinandas fugisse cum Borgia, & abdidisse se Bustamãtius diceretur: eaque manarat fama in vulgus. Erat profectò accuratus ille vir nec sibi, nec suis languidè indulgens: cæterùm in recenti familia, neque ea Monachorũ, sed Clericorum, cùm ad eam diem plurimis in rebus suo ferè quisq; egisset arbitrio; is, qui quidpiam præscribe-

182 *Aduersus Bustamantium Prouincialem sermones.*

Digitized by Google

scriberet, quo sancta illa simplicitas libertasque certis legibus regeretur, videbatur inducere monachismum. A quare longissimè aberat Bustamantius, non quidem quòd existimaret suo quæque in genere minùs laudanda esse eiusmodi instituta; sed quòd sciret, nec idem omnibus propositum esse Religiosis familijs, nec per easdem eundum vias. Qui ad Lainium scribens ad calumniam diluendam, hoc vnum adducit: se, cùm reliquos quoque Ordines in eo, quod cuique propositum est, perfectos censeret; siquis tamen Societatis institutis ex alienis admiscere quidpiam vellet, similiter videri sibi facturum, atque si cæterorum admixtione metallorũ aurum perfectius tentaret efficere. Sic ille sentiebat: quàm verè non est loci disquirere. Suum cuique pulchrum, præsertim quod consilio delectuque prætulit. 183 Verùm multò aduersus Borgiam grauior excitata procella est, iam tũ diabolo Commissarij potestate ad perturbanda omnia abutente; Deoque tum Francisci sibi acceptissimi famuli cumulare sanctitatem & vulgare volente, tum in primis & sanè magnis illis viris, ipsiusmet Ignatij alumnis, quique primitias spiritus acceperant, præmonstrante, quanta in Commissarij perpetui munere pernicies lateat. Antonius Araozius excelsi cuiusdam animi, & magnæ erat mẽtis: quique absolutissimæ formæ, quam comprehensam cogitatione habebat, respondere vellet Societatem adhuc propè informem. Nulli mortalium, sed multò minimè Dynastis, & aulæ regię vllam quamuis longinquam præbere offensionis materiam voluisset: idque eo commotiùs, quòd, cùm apud eiusmodi personas frequẽs ipse esset, si qua daretur causa sermonum, suæ primùm verberabantur aures, sibique coràm exprobrari res videbantur. Hasce ob causas non libenter ferebat quempiam è doctis & insignibus operarijs è sua prouincia in externas emitti, vt tanto plures suppeterent sibi ad Societatis munera cum ea, qua cupiebat, dignitate obeunda. Nec libenter pecunias in Collegij Romani subsidium ex Hispania transmitti sinebat, quòd eam rem Summatum quidam haud boni consulere videretur: præterid, quòd, Romæ dum subueniebatur, Hispaniæ Collegia laborabant. Hæc duo capita faciebant vt Lainio, qui non vnius prouinciæ, sed totius Societatis, & Ecclesiæ circumspiciebat bonum, nec ad vota solùm, & pulchras animo figuratas imagines administrationem, sed ad præsentem vsum ac necessitatem accommodabat; non planè Araozius faceret satis, nec ipsi olim Ignatio fecisset. Eadem à Commissario multò magis distrahebant. Nam Borgia potiùs in aduersam vergebat partem. Quippe Araozius ne quidquam susciperetur, quod honestissimè perferri non posset, non facilè noua domicilia excipienda putabat, nec munus vllum quidquam agendi publicè nisi lectissimo committendum. At Pater Franciscus pro sua maxima bonitate, & immensa omnium animas iuuandi cupiditate, & incredibili, quam repositam in Deo habebat, fiducia, flecti se facilè, auferriique interdum longiùs vltra humanæ prudentiæ fines sinebat. Ex hac ingeniorum sententiarumque discrepantia cùm eadem negotia ferè ambo tractarent, tametsi destinatum vterque idem, gloriam nimirum Dei maximam, intueri se diceret, querelas tamen oriri necesse erat. Vnica obedientia, per quam inferior in Superioris sententiam ęco quodam obsequio iret, cõmodare aliquid potuisset. Sed Araozius, quàm Commissarium Franciscũ, tam se Prouincialem meminerat. Itaque iam diu ac sæpè querebatur nomen sibi Prouincialis relictum, at administrationis nihil, nisi vmbram & quamdam speciem iocularẽ. Non enim inferre modò se Borgiam in Prouincialis munus, sed etiam rectè ab se composita confundi ab eo ac destrui. Quæ cui negarat ipse, concedi à Commissario: quæ concesserat, reuocari. Si cui quem Collegio Prouincialis operiùe destinasset, siue is detrectaret, & ad Commissarium confugeret; siue quouis modo in mentem eidem aliud venisset, cum rerum perturbatione omniũ, alij Collegio, prouinciæ, muneri destinari. Ita nec opportunà præstò esse subsidia Collegijs, nec idoneos rerum agendarũ administros, magno cum boni publici detrimento, maiore domestici, præcipuè simplicis obedięntiæ: vbi malis artibus, priuatis commodorum respectibus, delationibus aditus panderetur. Hæc apud Lainium, & interdum haud bono exemplo apud alienos etiam eo audentiùs dicebantur, quòd, cùm Commissarij Prouincialisque iura nequeant inter se nisi exiguo fine discerni, veri species abesse querelis non poterat. Nam vel duo necesse est vno in corpore prodigiosum in modum capita esse summæ parisque ditionis, vel si Commissario quidquam negandum à Præposito Generali est, quidnam in vitæ hoc nostræ genere tribuatur magis, quàm Prouincialibus, nihil ferè poterit inueniri; eoque fiet vt commouere se nequeat, quin Prouincialium fines inuadat. Cæterùm ille quoque erat dissidij fomes, quòd ægrè ferebat Borgia nimiùm aulicis Araozium negotijs implicari; quæ tametsi rectè gererentur, tamen aliena ab Societatis instituto norat esse. Et sanè tot intet, quibus abundabat, præstantes laudes Araozius, nunquam satis purgauit hæc duo, ne nimio nationis, nimioque aulæ studio duci videretur.

184 *Antonij Araozij ingenium & sententia in Societatis administratione.*

185

186

187 *Quæ in Commissario perpetuo incommoda.*

188

Hoc autem anno dum Franciscus ad Galleciæ ac Lusitaniæ fines illo sancto otio & negotio fruitur, alius contra eum sermo infestus exoritur. Librum eius nomine inscriptum superiore anno sacra Quæsitorum censura interdictum prodidimus. Sparsa ea fama per vulgus, nescio quid insuper fœdæ suspicionis emanat, quòd cùm Dominico Rosas, antequam is pro hæretico caperetur, Franciscus locutus esset, & Carranzæ Toletani Archiepiscopi consuetudine vsus. Cæterùm ille cum Dominico hæretico congressus nihil magnopere oberat. Quis enim aduersus eum, vel alios necdum pro hæreticis cognitos communia officia præteriret? Familiaritas cum Archiepiscopo Toletano longè plus creabat incommodi, non modò quia reuera amabat, atque adeò mirabatur hominem Borgia, & prædicabat insignes virtutes, quarum in Archiepiscopatu pulcherrimã speciem dabat: sed multò maximè, quia ille, vbi datus est in custodiam, innocentiã constanter defendens, ipsum Quęsitorum in Hispania principem Ferdinandum Valdesium Archis-

189 *Aduersus sermo de Borgia vndè ortus.*

Digitized by Google

chiepiſcopum Hiſpalenſem reiecit, ne ſuæ cauſæ iudex eſſet; & ad cauſas reiectionis iuſtæ probandas præ cæteris teſtibus omni exceptione maioribus ipſum nominauit Franciſcum Borgiam: vnde Hiſpalenſis Antiſtes grauiter offenſus eſt. Ad
190 hæc Rex quoque Philippus ferebatur offenſus, quòd Franciſcus quoddam fratris ſui matrimonium non prohibuiſſet, vt omnino prohibitum Rex voluiſſet, & prohiberi ab eo potuiſſe rebatur. Aulæ peritiores rei caput ſummamque in eo
191 ponebãt. Dùm ad Regis poſt longam abſentiam in Hiſpaniam nuper è Belgio reuerſi præoccupãdam gratiã certatim accurritur, ſuſpicatos quoſdam Franciſcum pro vetere apud ipſum Regem, perpetuaque & ſumma apud eius ſororem Ioannam auctoritate, multùm valiturum in aula, & ſcilicet obſtaturũ ipſis, eoque anniſos, vt per eius euerſionẽ gradum ſibi & firmamentũ pararent. Verùm enimuero quorum oculus ſuſpiciebat excelſiùs, quique in rerum humanarũ, quę videtur, perturbatione ſapientiæ ſummæ conſtantiſſimas intueri mirariq; rationes conſueuerant; ij rebantur ab ſapientiſſimo illo optimoq; gubernatore, Iob 38. qui ponit legem pluuijs, & viam procellis ſonantibus, tantam tempeſtatem ideò permiſſam, vt Franciſci Borgiæ, quem famulum vnicè carum habebat, indulgeret votis, ſanctitatem exaggeraret. Antonius quidem Corduba paſſim hoc prædicabat, & ſæpiùs ad Lainium ſcripſit his verbis:
192 „ Pater Franciſcus exiſtimationẽ ſui bonam adeò
„ fugit, vt aliquoties ei confirmarim tantum famæ
„ neglectum mihi ſanè contra caritatẽ, quam pro-
„ ximis, quamq; Societati debet, videri. Quin ha-
„ beo illum pro tam familiari intimoque Dei, vt,
„ quando martyrium, quod adeò vehementer pre-
„ catur, immolata non dat obire vita, conceſſurus
„ ſit, quanquam nobis tanti ſtet, ſacrificio famæ.
„ Atque adeò ſuſpicor iſtos caſus omnes aliud ni-
„ hil eſſe, quàm indulgentiam erga illum cęleſtem,
„ vt tanto magis eluceat ſanctitas, quam ei largitus
„ eſt Deus: ad cuius probationẽ videtur dediſſe li-
„ centiam Satanæ, vt in res eius vniuerſas manum
„ extendat, in filios, domũ, & ipſummet: quodque
„ magis dolerem, eſt, ſi extendere in Societatem
„ quoque permitteret ad augendam hominis ſan-
„ ctitatẽ: quæ apud me tanti eſt, vt crediderim eſſe
„ in cælo Sanctos, erga quos Deus nequaquam pa-
„ rem indulgentiã ſingularibus donis ſuis exprom-
„ ſerit. Hactenus Antonius. Cùm igitur eiuſmodi ſermonibus, & abſentia quoque diuturna, Borgię auctoritas obſoleſceret, eò res proceſſit, vt exiſtimaretur ab adminiſtratione ſummotus, Regemq; & ſancti officij Quęſitores fugiẽs latibula quęſiuiſſe. Iamq; non foris modò, ſed domi quoque apud nonnullos viri ſanctiſſimi nomen euiluerat. Apud quos cùm è contrario Araozius creſceret, æternus pacis hoſtis, & ſchiſmatum ſator Diabolus id agebat, vt paulatim inciperent voces audiri iactantium, *Ego quidem ſum Pauli, ego autem Cephæ.* Hos motus per ſe noxios, antequam maiorem in perniciem erumperent, comprimere
193 cupiens Præpoſitus Generalis, ipſum mali fontẽ Comiſſarij munus exſtinguere cogitabat, & Araozium ab aula, ſi fieri poſſet, abſtrahere. Nam ad eam diem Commiſſarij vſum fuiſſe, tum quòd noua Societas eſſet, tum quòd bello impedita commercia. Quippe initia rerum, vt per ſe tenuia fermè & imbecilla ſunt, ita prudenter multis fulciri adminiculis: idcirco in recenti Societate Cõſtitutionibus propè incognitis, Rectorum ac Prouincialium nec ſat explicatis, nec ſat diſcretis muneribus, cùm pleraque in vita quotidiana incerta, in experimento, & alio alibi ritu eſſent; & quotidie ac paſſim ex alijs in alias prouincias cõmigrationes in tanta operarum inopia fieri oporteret, vſui fuiſſe extraordinariam Commiſſarij poteſtatem, vt quod ſcriptarum deerat legum, viua hominum multorum lex, & coniuncta in vnum prudentia ſuppleret: præſertim quòd proximis retro annis bello Italico Gallicoq; infeſtis itineribus, atque interdictis Romanos inter Hiſpanoſque commercijs vel nulla, vel incerta die ac ſerò, vltro citroque litteræ commeabãt. At verò adultam iam ſatis corroboratamque Societatem, conſtitutas prouincias ac ſuis tenentes ſe viribus extraordinarijs firmamentis opus nihil habere. Iam Rectorum, iam Prouincialium editas leges, iam Conſtitutiones euulgatas, multaſque res in congregatione conſtabilitas. Satis eſſe, ſi Viſitator interdum mittatur. Denique veluti Septemtrionis prouinciæ Prouincialium dumtaxat operà optimè regerentur; ita, poſtquam itinera pax aperuerat, poſſe regi Hiſpanas; cùm certa ſtataque ex Vrbe reſponſa ferrentur, adeoque celeriter, vt in cæteris hæc de Borgia expoſtulatio eſſet: quòd, ſi quando vel luſtraret prouincias; vel, vti proxime fecerat, in vrbem minùs obuiam recederet, litteras ad eum dare in incertum cogebantur; nec eæ niſi ab Collegio in Collegium magno incommodo, longoque interuallo ferebantur, ac reſponſum nihilo meliore euentu ferum, & incerta die redibat. Quare Hiſpanorum quidam Rectorum ac Prouincialium ſæpè ijs quoque de rebus, quæ Commiſſarij poteſtatis erant, ſcribebant Romam; idque ne viderentur per contumaciam facere, poteſtatiſque ordinem non ſeruaſſe, teſtabãtur coactos fuiſſe, quòd certum maturumque reſponſum neceſſarium foret: quod nunquam à Borgia referretur.
Hæc autem planè demonſtrabant Commiſſarij 194
poteſtatem minimè eſſe neceſſariam. At mala, quæ tam diu formidata, tandem, quamuis inter faſtigia illa virorum ageretur, erumpebant; non ſinebant dubitare, quin tale genus magiſtratus reſcindi quamprimùm & ſempiterna obrui obliuione neceſſe eſſet. Idque ne externos quidem latebat prudentes viros; nec Societati qui bene cuperent, temperabant ſibi, quo minùs Lainium admonerent. Extat Doctoris Alfonſi Vergaræ acris epiſtola, qua plurimùm Lainio auctor eſt, diſſidiorum vt illud querelarumque, & malarum artium ſeminarium excidat, demirans perpetuas & infinitas eſſe in Societate eas poteſtates, quæ quòd ad certum tempus negotiumque tranſigendum re coràm cognita & inſpecta, non auditione accepta, committi ſolitæ ſint, naturam & nomen acceperint. Igitur & ſuapte ſponte, & externorum æquè ac domeſticorum vocibus incitatus Lainius ad finem Commiſſarij poteſtati ponendum ferebatur. Quod facile erat factu, ſi Borgia vocato Romam nullus in eo munere ſufficeretur. Et quanquam rerum deinde

Quare initio non inutilis Commiſſarius fuerit.

ſtatus,

Digitized by Google

ſtatus, vt penitus in præſentia Commiſſarij nomen aboleretur, non tulit, Patris tamen Franciſci euocandi non incommoda incidit occaſio. Cardinalis Ferrarienſis eius propinquus iam pridem Romæ eum cupiebat, vt tanti viri frueretur conſuetudine, conſilijs vteretur: eumdē Lainius in Ludouici Conſaluij locum, quem Regina in Luſitania retinebat, Aſſiſtentem deſignabat. Quare ipſe demum Pontifex Cardinalis Ferrarienſis monitu vtilem Romæ præſentiam eius ratus fore, hoc breui libello accerſijt:

Pius Quartus dilecto in Chriſto filio Franciſco Borgiæ:

195 *Borgia Romam à Pontifice vocatur.*

„ Dilecte fili, ſalutem, & Apoſtolicam benedictio-
„ nem. Paſtoralis officij ſolicitudo, quā, ſicut Do-
„ mino placuit, noſtris meritis & viribus imparem
„ ſuſtinemus, facit, vt ad tuendam tam neceſſario
„ tempore gregi Dominico ſalutē, bonorum atque
„ fidelium Chriſti copiam præſtò nobis eſſe quàm
„ maximam in hac alma Vrbe cupiamus. Cùm ita-
„ que inter cæteros ordines eorum, qui ſe cultui
„ diuino dicarunt, Societatem iſtam ipſo, ex quo
„ nomen ſumpſit, auctore Ieſu Domino noſtro ex-
„ citatam fuiſſe declarent magni & vberes fructus,
„ quos Eccleſiæ attulit, & quotidie affert; Te, de
„ cuius fideli ac ſtrenuo miniſterio, ipſo vitæ ac bo-
„ norum operum tuorum odore latè fragrante
„ cognouimus, huc duximus euocandum. Proin-
„ de deuotionem tuam, quam acriora mandata
„ noſtra non expectaturam eſſe confidimus, hor-
„ tamur in Domino, vt ad Apoſtolica limina, ſi
„ modò aduerſa valetudine non impediris, pri-
„ mo quoque tempore venias: ita tamen iter te fa-
„ cere volumus, vt rationem habeas valetudinis.
„ Gratus erit nobis aduentus tuus, idemque fratri-
„ bus tuis cunctis, qui hac in Vrbe reſidēt, eumque
„ auidè expectāt, opportunus. Datum Romæ apud
„ ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris. M. D. LX.
„ Pontificatus noſtri anno I.

196 *Natalis Viſitator Societatis totius cum ſummapoteſtate in Hiſpaniam mittitur.*

Sub hæc Franciſcus Strada Romam ex Hiſpania venit, coramque earum prouinciarum laborare ſanè res docet, ac præſenti ſubſidio opus eſſe. Ea res fecit, vt Hieronymum quoque Natalem Lainius, quem pridem cùm deſtinaſſet, ſuperſederat tamen mittere, ne duos ab ſe eodem tempore Aſſiſtentes ablegaret, ea omni, quam potuit delegare maximam, omnia in omnibus prouincijs, & vbicunq; locorū Societas eſſet, vel ad eam aliquid pertineret, ſtatuēdi, abrogandi, interpretandi; item Rectores, Prouinciales, & alios quoſcunque Præpoſitos amouēdi, præficiendi, transferēdi, denique quidquid Præpoſitus Generalis, ſi præſens adeſſet, poſſet, gerendi poteſtate permiſſa, dimittendum maturè putarit, intento primùm in Hiſpaniam curſu, quò neceſſitas grauior aduocabat. XIV. Kalendas Decembris Iacobum Ximenium, qui emiſſis votis, etſi nondum ſumpto veſtitu Societatis in Collegio Germanico agebat, ad litteras, & quod opus foret, ſcribendum auxilio futurum comitem ducens, Natalis Roma diſceſſit, veneratus antè Pontificem, fauſtaque eius precatione, ac litteris ad Philippum Regem commendatitijs ornatus. In pelago Narbonenſi fœda coorta tempeſtas, quales in eo tractu non rarò exiſtunt, proximè ab exitio exagitauit. Diuino tamen beneficio terra potitus Barcinonem Ianuarij Kalendis venit.

197 *In Braſilia Ianuarij fluminis prouinciam Luſitani imperio adiungunt.*

Nunquam antea in Aſiæ Africęque vltimis finibus, nouoque in orbe terrarum ad religionis ſanctæ amplificationem ſiue effecta, ſiue attentata ſunt plura In Braſilia Luſitanæ ditioni pariterque Societatis laboribus, præfectura, quam Ianuarij fluminis appellant, acceſſit. Ora iacet ab Æquatore in meridiem partibus tribus ac viginti cum dimidia, Capricorni ſubiecta circulo, in extrema linea exuſtæ zonæ. Eam oram homines è Gallia profecti triennio fermè antè duce Nicolao Villagagnonio inſederant. Hunc accepi bene Catholicum fuiſſe, equitem Melitenſem, iuſtitiæque tenacem, & vindicem acrem contumeliarum, ſi quas ſui milites feminarum Braſilicarum corporibus intuliſſent. Incolæ eius oræ Tamoij erant, bellicoſa gens, & primò Luſitanorū amica; deinde impotentium quorūmdam irritata iniurijs vehementer ijs, amiciſque eorum Braſilis ſancti Vincentij accolis, quibus Tupini eſt nomen, infeſta. Hos ſpecie iuſtitiæ (quæ nullam barbariem non capit) & comitate Villagagnonius cùm ſibi adiunxiſſet, coniuncta amicitia, conditaque arce in inſula, quæ in faucibus ſinus eſt, opere ac ſitu propè inexpugnabili; in Galliam remeauit, colonos adducturus nouos, atque etiam Euangelij ſatores: quamobrem etiam de Societate homines poſtulauit. Cæterū ſiue ad ciuilia, quæ in Gallia ſubinde extiterunt, bella retentus, ſiue qua alia cauſa Braſiliam non repetijt. Interim quos in præſidio reliquerat, milites plerique religionis corruptæ vehementer infeſti Luſitanis, & aduerſus Tupinos Tamoijs auxilio erant, totique Braſiliæ imminentes iactare dicebantur, niſi Rex Galliæ ad eam occupandam conferret auxilia, Turcarum ſe Tyrannū in partem excituros expeditionis & imperij. Aderant ad hæc occulti improbitatis & vanitatis miniſtri à Caluino, vt fama erat, miſſi. Quorum vnus Ioannes Bolæus nomine, cùm deprehenſus à Villagagnonio pœnas metueret, furtim elapſus ad S. Vincentij oppidum, breuiq; illic ſimul poëtica quadam inſania, & inepto vocularum lenocinio, ſimul iactanda ſacrorum librorum recondita ſcientia; non apud indigenas modò, ſed etiam apud Albos (ſic enim Europæos vocant) docti nomine inuento, haud dubiè & comportatis veneno ſcatentibus libris, & peſtiferis declamationibus editurus aliquam religionis ſtragem erat; niſi Pater Ludouicus Grana ſagaciter fallacijs hæretici comprehenſis, magno ſe animo nefarijs cœptis, doctrinaque ſolidiore obieciſſet. Tum Bolæus abruptos nimirum ſibi dolens conatus, ſtylo in Patrem conuerſo, dignam hæretico ingenio accuſationem euomuit, hac præclara inuocatione homo, qui ſanctos viros veneratione cultuque ſpoliabat, exorſus: Adeſte mihi „ Cælites, afferte gladios ancipites ad faciendam „ vindictam in Ludouicum Dei oſorem. Sed cog- „ nita hominis veſania, Prætoris iuſſu datus in vincula, & procul eſt amandatus. Hæc igitur totius prouinciæ idem Præror Mendus Sa videns, deque Sebaſtiani Regis, & præcipuè Chriſti Domini re ſolicitus cum claſſe ob eam rem ab Luſi-

198 *Hæretici etiam Braſiliam tentant.*

Digitized by Google

199 *Victoria Lusitanorum insperata.*

tania missa ad eijciendos ex eo receptaculo Gallos contendit, Patrem Emmanuelem Nobregam, quo plurimùm vtebatur, secum adducens. Victoria insperata ac propè diuinitus obtigit. Post tentatam enim obsidione & oppugnatione nequidquam, nec sine suo detrimento arcem Mendus Sà, cùm iam & dissidentibus inter se suarum copiarum Præfectis, instrumentoque bellico deficiente non de honesto magis, quàm de tuto cogitaret recessu; is hæreticos repentè, Tamoiosque Brasilos incessit pauor, vt deserta clàm arce ipsi lintribus euecti occupauerint fugam, inq; continentis interiora sese abdiderint. Tum Mendus, quoniam miles ad præsidium decrat, arce euersa ad Christianam ibi fundandam Ecclesiam opem cum P. Nobrega liberaliter contulit.

200 *Ludouici Granæ sedula caritas.*

Ludouicus Grana in S. Vincentij præfectura domi forisque gratissimus diuinam rem accuratè ac feliciter prouehebat: cuius paternum in cunctos animum, quo merito quasi parens diligebatur, etiam turbidæ res, vt assolet, illustrarunt. Repentina quondam, præterque solitum tetra post solis occasum ingèti cum turbine, motuque terræ tempestas arborum tectorumque miserandam fecerat stragem; cùm domi Socijs ad exposcendam Dei pacem coactis, ipse Ludouicus, simul primùm exitus patuit, ad Christianorum domos, singulas ostiatim obiens, accurrit, vt animis corporibusque præstò esset in tempore, si quem fortè ruinæ perculissent. Et quoniam tutissima erat sedes templum, in id cæteros cùm vocasset Brasilos, ægros quosdam, senesque ac pueros domum recepit. Hæc aliaque assidua Patris officia, Ethnicis illum æquè ac neophytis mirè faciebant amabilem. Iamque eiusdem ac

201 *Brasili paulatim humanitatem induũt.*

Sociorum operâ, & Prætoris præcipuè, qui id maximè laborabat, vt auctoritatem ad Dei gloriam, & barbaræ gentis adiumentum Patribus quàm maximam conciliaret, incipiebant fera ingenia ad humanitatem mitescere. Quod duobus maximè documentis intelligi licuit. Prope Piratiningam ceperant ex hostibus infantem fermè bimulum mixti Ethnicis neophyti: ac veteri more festos inter sonos, atque insanas perpotationes ferale ex eo epulum facere, Ethnico pagi principe instigante, meditabantur. Quod vbi Grana cognouit, confestim ad pagum festinat; idque precatur in primis, vt miserum infantem sinerent Christiana cerimonia expiari. Ea re impetrata, ipsa quoque venustate infantuli sanè festiuissimi commotus, postquam vitali eum perfudit vnda, instituit paganos à facinore deterrere. Quam esse virorum gloriam bellatorum, vnius innocui nece infantis vlcisci iniurias? Quem porro ausurum in membra illa integella diuino consecrata balneo impios dentes infigere? Cùm dein cælestes intentaret minas, ita omnes permouit, vt Christianorum plerique, ne diræ carnificinæ essent participes, inde migrarent: cæteri quanquam occiderunt, vorare tamen ausi non sint. Exitum eumdem sortitus est adolescens annorum quindecim ex hostibus item captus. Eum Piratiningam Brasili deduxere, postridie enecandum immolandumque educturi. Patres re cognita, quanquam ægrè, expressere tamen cum eo de Christianis sacris agendi potestatem. Adolescens ingenio supra gẽtis modũ prompto ac perspicaci, voluntate etiam ingenti sancta amplexus mysteria sub mediam noctem rite ablutus, stola cælestis Regis ornatur. Deumque sic animo penitus hausit, vt exinde nil nisi diuinam gratiam, cælumque expeteret: nil audire præterea, nil loqui vellet. Vbi illuxit, ad sacrificij abominandi locum perductus circumstante Barbarorum turba longis vinctus funibus statuitur in medio. Ibi post ritus quosdam & superstitiones carnifex solemne ac supremum verbum effatur, Moriere. Adolescens, vti erat edoctus à Patribus, illico procumbit in genua: tollit oculos, & manus ad cælum, sanctissimumque Christi Iesu nomen inuocat: idque salutare ingeminanti nomen carnifex incusso immani ictu in caput stipite per immanitatem saluberrimam aditum expediuit: quo cum recenti & immaculata stola ad immortales diuini Agni nuptias introiret. Cæterùm peracta cæde, ne hi quidem ausi sunt depasci cadauer. Quod Patres piè sublatum in templo sepeliere.

In Æthiopiam præter expeditionem iam diu 203
susceptam ad Abassinos, & alteram ad Cafres anno proximo institutam, accessit hoc anno tertia in regnum Angolæ. Quæ vt planiùs geographiæ quoque rudes intelligãt, vel pingui Minerua, vt aliàs instituit, adumbrare locorum situm ex vsu fuerit. Æthiopia, regio est Africæ, mediæ cæli plagæ subiecta, multò India vastior. Sed (vti de India principio dixi) in humanæ linguæ modum ab septentrione notis olim Africæ oris continens proiectu immani, oceano circumuallante procurrit in meridiem, desinitque in celeberrimum hac tempestate, ignarum antiquitati promontorium, quod vulgò Bonę spei appellant. In occiduo huius ingentis cunei latere, quod Hesperij Æthiopes habent, Angola est trans Æquatorem orbem nouem in Austrum partibus, quas 204 *Angola situs, & Cafrum.*
gradus plerique iam vocant, è regione Pernambuco in Brasilia oceani vastitate interiecta respondens. Manicongi regno ab Septemtrione, Bengalæ ab Meridie interposita. In Eoo aduerso latere circa Sophalã Cafres sunt magis, quàm Angolani, australes vicinioresq; Bonę spei promontorio. Abassinorũ imperium supra & infra Æquatorẽ perinteriora Æthiopiæ fusum ad vsq; sinum Arabicum patet; atque Æthiopiam eam complectitur, quæ veteribus quoque cognita, Æthiopia supra Ægyptum nominabatur. Ad regnum Angolæ, quia cis Bonæ spei promontorium est, è Lusitania appellitur. Sed quia inde terrestri itinere ad alterum Æthiopiæ latus, vel ad Cafres, vel ad Abassinos penetrare propter solitudines vastas, quæ interiacent, & pestilentes, infamesque etiam immanibus belluis tractus perarduum est, ad eos vt venias, Bonæ spei promontorium præternauigare necesse est. Inde fit, vt ad hoc Æthiopiæ latus retro ex India acto cursu nauigationis tempora opportuniùs Lusitani captent. Regnũ 205
Angolæ leucas octoginta in longum porrigitur: *De Angolana terra distinctius.*
totidem, vbi amplissimè, in latitudine patet. Quas terras antiqui penitus ignorauere: æstuque torridas genti hominum inhabitabiles putauere. Cæterùm magna Angolæ pars non incolarum modò patiens, verùm etiam temperata & amœna est: frigoris quinimo notabilior certis locis

exupe-

Digitized by Google

exuperantia, quàm caloris. Flumen habet nobile Coanzam. Prouincias celebriores Ilambam, Quisamam, Mossequiam, Dongiam, in qua Cabaza vrbs regia. Abundat regio ferè palmetis;
206 vnde vinum incolis oleumque conficitur. Prouincia Quisama magis adusta est, nec multa ibi palmeta: gens tamen Angolanarum bellicosissima. Ibi salis fodinæ maximi quæstus. Nulla enim aliunde toto regno salis copia. In ea autem plaga per longos meatus marinis exsudatibus aquis concrescere putant. Quanquam cùm alibi noto in orbe montes tam procul à mari planum sit salis esse, effodique & renasci; contraque per meatus longos, velut eliquata marina aqua amaritiem perdat, aliam originis suspicari causam licet. Cæditur in laminas bipalmares candidi coloris: &, si pellucerent, crystallo quàm simillimas. Inde in omnes regni partes differtur. Multa in stirpibus, multa in animantibus minimè dictu indigna sunt, quę fusiùs persequi instituri non est operis. Vnam auium magnitudine modica, colore cinereo alboque, quam Funem indigenæ vocant, haud tacitam prætermerim. Huic aui tanquam principi, cæterarum volucrum vulgus applaudere, & officiosè apparere aiunt. statim vt eam vident audiuntue, turmatim aduolantes cingunt mediam, comiterque deducunt. Eidem sub nidificandi tempus nidum ipsæ certatim in proceris arboribus, qualis scilicet regalem partum deceat, ingentem ædificant, viginti facilè palmos altũ; in quo Funes geminos pullos creat. Angolani Sobas appellant Regulos ac Dynastas suos, quibus vniuersa gens vsque ad annum euntis sæculi circiter quadragesimum paruit. Inter eos Sobas assidua vsque erant bella, donec extitit vnus ferocior animo consilioque callidior, qui proximos aggressus, præcipuis paulatim subiectis
207 prouincijs, Regem se, & Angolam Inenem, hoc est Magnum Angolam, nominauit. Is ætate iam deuexa ex regni Congi Christianis, cognita Lusitani Regis potentia, id scilicet regno suo decus ratus deesse; legatos tres in Lusitaniam destinauit, commercij societatem petitum, & sacerdotes, à quibus verum Dei cultum sui populares edocerentur. Olisipponem anno M. D. LVIII. peruenerunt. Pergratam Cardinalis Henricus, & Catharina Regina legationem habuere: at rebus iam paratis ad reditum, nuncius interuenit, Angolam Inenem vita defunctum. Qua de causa dum dubitatur, quo animo filius, Dambes Angola nomine, futurus esset, ampliùs anno dilata est profectio: sed tandem cùm omnibus tentanda res videretur, ex multis ambientibus delecti sunt de Societate, Cardinalis Reginæque, atque adeò ipsorum legatorũ postulatu, bini sacerdotes ac laici Franciscus Goueanus, Augustinus Azerda, Antonius Mendes, & Emmanuel Pintus,
208 *Primi de Societate in Angolanũ regnum missi.* qui primi omnium nouum illud in regnum augusta signa crucis inferrent. Hi extremo Decembri anni M. D. LIX. Angolanique simul legati, & Paulus Diazius vir fortis ac pius, quem cum mandatis donisque Regina mittebat, Olisippone conscendêre. Nauigatio ab marinis casibus non improsperè, at à pietate admodum feliciter, quà Pauli Diazij fauore, quà Patrum insigni studio, cessit. Quinto demum Nonas Maias hu-

ius anni ad ripam Coanzæ fluminis appulere. Hîc dum homines ad Dambem Angolam præmittunt exploratum, velit ne legationem excipere, Pater Augustinus Azerda bene cœptorum præmia recepturus, & aliquot Lusitani mortem occubuere. Dambes legatione admissa plurimùm cœpit Pauli Diazij, & Patris Goueani operâ vti. Ideoque cætera non inhumaniter tractans velut in custodia vtrumque habuit multos annos, nunquam ad litus maris accedere, nunquam ab se passus abiungi; cùm diceret, nullo pacto se posse eorum carere præsidio, præsertim verò Goueani institutione ac monitis: ac vereri, ne, si liberos & incustoditos dimitteret, Angola deserta in Lusitaniam aufugerent. Itaque non nisi anno pòst sexto vrgente annonæ penuria, vt ab Lusitania eam curaret, dimissus est Paulus, retento Patre Goueano tanquam obside. Repetijtque expeditionẽ Paulus anno M. D. LXXIV. per quod tempus Goueanus post annum quartum ibidem excessit è vita. His de causis longum deinceps Angolanarum rerum silentium erit: quòd Goueani labores non nisi in adolescente, vt licuit, instituendo Rege, pauciscque quos habebat regia Lusitanis excolendis versati sunt.

209 *Successus expeditionis*

Ad Cafres anni principio Consaluus Silueria 210
cum socijs Andrea Fernandio, & Andrea Acosta cursum ex India Ciaulano è portu intendit. Simul primùm conscendêre, Pantaleo Sà, qui præfuturus Mozambico & Sofalæ vehebatur, procurationem in naui rerum piarum Consaluo demandauit. Is ita prouinciam eam gessit, vt nauigium omni refertum hominum genere ab Religiosi cœnobij forma non abhorreret. Singulis diebus solenni Litaniarũ carmine Cælitum pax exposcebatur: quibus mox additæ quædam ad celebrandas laudes, & opem implorandam Matris Magnæ Virginis ex formula piè admodum ab Consaluo ipso concepta. Elata quoq; voce pronunciabatur quidquid in mari licet è Missa. Non fœda, vel impia dicta, non iurgia audiebantur. Cum Pantaleone, primarijsque viris secundùm mensam Consaluus manè ac vesperi esse cogebatur. Sed viam reperit per quam otij illius ratio e- 211
gregiè constaret Manè de gradibus perfectionũ *Consalui pia industria inter nauigandũ.*
Deiparæ, quos tredecim numerabat, sermonem instituit, miro cum animi sui & audientium gusto, iucundè dicens, vti Gubernator muti atque inanimi spectabat astri, ita se semper Virginis, semperque sanctæ Mariæ, Cynosuræ suæ longè nobiliores spectare altitudinis gradus. At vesperi Sanctorum breuiter enarrabat vitas, quorum insequenti luce memoria & cultus recurreret. Cumque omnes è confessu quem vellent sibi Patronum in eum diem iussisset eligere, certum quoque precum numerum, proque alijs mortalium necessitatibus, & præcipuè pro Cafrum cõuersione adijciebat. Præterea ipse ac socij cùm 212
priuatis colloquijs, tum exponenda Christiana *Consalui præstans virtus.*
doctrina ex occasione vectores iuuabant. Nec tamen ita se effundebant in proximos, quin & ad multas præterea cõmuniter precationes, & ad binas quotidie meditationi tradendas horas ab nautico secederent strepitu: matutinam tribuentes Christi Domini, vespertinam sanctissimę eius Matris vitæ considerandæ. Quin potiùs censebat

Digitized by Google

Consaluus quàm minimè versandum in turba; nec nisi quantum animarum vsus postularet, in publico apparendum. Cuius ita tenax ipse erat exempli, vt angustissima in cella totos dies, ne ad respirandum quidem patefacto ostio, in malaciæ intolerabili æstu perseueraret. Interea studia secundissimo cursu multis diebus nauigarunt. Deficiente mox vento, cùm pro vectorum ingenti numero aquę timeretur inopia, cœpit ea modulo certo distribui. Et Consaluus, quanquam reclamaret Præfectus, in ipsa eius mensa ijsdem voluit includi angustiis, haud æquum affirmans, cuius quasi membrum corporis esset, non earumdem toto cum corpore, vti bonarum, ita aduersarum participem rerum esse. Denique nunc opprimente malacia, nunc graui ventorum impetu vexante, nullę vnquam satis fuere molestiæ, quo minùs ea maria Beatorum ex ordine inuocandorũ carminibus, & laudibus Magnæ Virginis quotidie personarent. Qua demum patrocinante præter nauarchi spem, die Purificationi eius dedicato in terræ cõspectum prouecti, pridie Nonas Februarias descendêre. Protinusq; Consaluus ad eiusdẽ Deiparę ædem, cui à Propugnaculo nomẽ, nudis pedibus adijt. Mozambici octo tantùm diebus ad nouam nauigationem ornandam substitit: quo simul tempore audiendis operam confessionibus, & habendis concionibus dispensabat: impetrauitque vt publica supplicatio pro sua expeditione fieret. Et quanquam, si paululum moræ ferre potuisset, nauigio erat multo opportuniore vsurus, tamẽ prę cupiditate quamprimùm Euangelij lucem oppressis mortifera nocte gentibus inferẽdi, suam sociorumque vitam ei, qui fuit ad manum lembo (Zambuco, seu Pangaio nomen est) commisit, tres ducum vice locorum gentisq; peritos ducens. Sofalam directus est cursus. Ad nauigationis molestias, & regionum earum ferè omnium insalubrem naturam quadragenarij ieiunij accessere difficultates, nulla præter aliquid orizæ ac faseolorum, copia victus. Itaq; Andreas Acosta grauiter ægrotauit. Quo ad Sofalã recreato, repetitum est iter. Sed Consaluum quanquã virium maximarum, firmissimæque valetudinis, ita indies magis cõfecere ærumnæ, vt haud dubiè ad longiorẽ nauigationem vita comitatura non esset. Ventum tandem est ad Inhambanem portum. Is portus primus è ditione Regis Tongensis occurrit; eò Lusitani ebur præcipuè atque electrum empturi conueniunt. Ab oppido mediterraneo eiusdem nominis vocabulum mutuatur: estque tum regionis natura; quæ satis circà salubris ac felix, citris, nerantijs, alijsque eius generis arboribus conuestita nitet: tum aquarum dulcium fluuio opportunus. Itaque ex eo potiùs Lusitani Regem ac regnum, quàm ex Tonge cognominant. Inde triginta circiter leucas distat Tonge, regni caput, haud perinde clemens & propitia humanæ vitæ. Et quanquam aliarum rerum non infœcundus est ager, fructibus tamen, qui leguntur ex arboribus, omnino caret. Populi Mosarangæ dicuntur. Ibi Rex agebat Gamba; ad quem Consaluus, cùm ipse morbo teneretur, Andream Fernandium in aliquot Cafrum comitatu præmisit. Difficiles sunt viæ, Cafresque ad labores itinerum, quæ maxima conficiunt, patientissimi. Ea Lusitani non nisi vecti peragunt: tamẽ Andreas, quòd primus, vt ipse ait, eam terram è Societate calcaret, ire voluit pedes. Primi diei vespere cùm multi indigenarum sedentem coronam circumdedissent, & in Breuiariũ, quod Pater è manica traxerat, oculos intendissent; tacitis eorum votis occurrens, ostensurus quid esset, aperto libro eius paginas vno impetu celeriter omnes euoluit: ad quod spectaculum eos Barbari edidere gestus mutuo sese circumspectantes, vt planè intellexerit Andreas existimasse eos viuum id animal esse. Xegua (Dynastarum est nomen) apud se ea nocte hospitaliter habuit. Feria hebdomadæ sanctæ quarta Tongem peruenit, protinusque corripitur febri: altero tamen die egit se ad Regem. cumque nunciaret breui Consaluum adfore, & venire ipsos, vt Regem, eiusq; populum doceant verum Dei cultum, qui cęlum, terram, & cętera procreauit omnia: Venistis (Rex inquit) quæsitum patriam vestram, & inuenistis. Cùm morbus dein ingrauesceret, præter carnes, quæ ad rem non erant, nihil suppetebat ad victũ nisi coctum milium, & aqua: lectus erat humus & storea, donec modestè rogauit hospitẽ, vt aliquid stramenti lectum ex agro sterneret. Filij tamen Regis frequenter & humaniter inuisebant. Haud meliùs in Inhambane Consaluo erat. Parum abfuit, quin principio grauedinis immani copia offocaretur. Accessit maximus languor, & febris. Sed cùm sabbato ad vicinam arborem sese siue orandi, siue respirandi causa traxisset; inde febri liber, adeoque validus redijt, vt postridie, qui dies erat palmarum, obeundis eius diei cerimonijs sacrificioque suffecerit. Hæc ipsemet ad Socios in Indiam scribens, causam repræsentatæ valetudinis non adscribit. Sed, quia dies erat sabbati, & tantus ipse Deiparæ cultor, interpretari licuit patronæ indulgentissimæ munus fuisse. Subinde necdum planè confirmatus iter Tongem ingreditur cum Acosta, cui item valetudo pessimè affecta erat: decimoque septimo post Fernandium die perueniunt. Ex tanta & sua & sociorũ imbecillitate Consaluus didicisse ait se, quàm parum vel in sui firmitate corporis, vel ingenij, aliarumque humanarum opum abundantia reponere mortales ad Dei negotia transigenda debeant; cùm hisce tribus semiuiuis homuncionibus infinitæ illi sapientiæ ad Regum conuersionem vti placeret. Rex aduentu Consalui mirè lætus potestatem quosuis è suo regno Christianis ritibus initiandi fecit: nec multò pòst ipse cum vxore, liberis, totaque domo ac Procerum multis, vbi satis præculti sunt, ad fidelium numerum aggregantur. Regi Constantinus vocatum nomen, Reginæ Catharina, sorori Isabella, in Proregis Indici, eiusque sororis, & Reginæ Lusitanæ memoriam. Sacra præterea ædes assumptæ in cælum Deiparæ titulo extrui cœpta.

Rebus his Tonge administratis, iamque haud magno negotio procedentibus, ad eas tutandas augendasque socio vtroque relicto, ad Regem per eas plagas maximum Christo adiungendum Consaluus porrigit curã. Manomotapa, eademq; Benamataxe vrbs regia est: ex qua regnũ nomen trahit: quod longè lateque fusum leucas in orbem

213 *Strenuus & magnus Consalui animus.*

214 *Ad Inhambanem peruenit.*

215 *Andreæ Fernandij virtus.*

216 *Fernandius ægrotat.*

217 *& Siluerius.*

218 *Rex Tongensis cum suis baptizatur.*

219 *Manomotapa regnũ.*

Digitized by Google

bem ſeptingẽtas; vel, vt alijs placet, octingentas extra vectigalia regna colligit. Nulla alibi elephantorũ ſeu numero, ſeu mole præſtantium ora feracior. Quos Cafres tum carniũ, tum eboris ſtudio captant ſolertia venationis tali. Haud fermè pauciores, quã homines periti centum quinquaginta venatũ exeunt. Eorum pars notos anguſtijs calles in ſiluis inſidẽt, pars per campos palati elephantorũ greges abigunt, compelluntq; in inſeſſas ab ſocijs anguſtias. Quas cùm intrare vaſta mole belluæ nonniſi ſingulæ poſſint, vbi intrarunt, ex inſidijs coorti venatores validis ictibus aliarum alij prætereuntium poplites cædunt: ſtatimque, vel mox paulò prægrauante etiam corpore proſolapſas conficiunt. Abundant præterea ſaltus leonibus atque tigribus. Sed auri præcipuè argentique toto propè regno obuia feracitas ad miraculum vſque perhibetur, vt & in arboribus venas auri, & temere in extima terra maſſas (ea vis ineſt ſolo) inuentas ferant: quarum quædam quatuor millia vel amplius eo nũmũ aureorum effecerint. Vnde factum vt patrum memoria magnus Rex Manomotapæ, vel Imperator auri vocitaretur. Sed enim meliores ei theſauros longeque opulentiores oſtendere atque aperire venas Conſaluus meditabatur. Eo conſilio ab Tonge Mozambicum regreditur. In reditu tres Xequas gentis, cui Botangæ nomen, baptiſmo luſtrauit; & filium Regis cuiuſdam Tongenſe maioris Mozambicum, ibi inſtituendum & baptizandum adduxit. Inter hæc diuinum quotidie Numen copioſius animo hauriens totus delicijs cęli, æſtuque ſancto colliqueſcebat. Teſtantur id maiore quodam plenæ ſpiritu, quas ſcribebat litteras. Plurimùm commouebatur ſacrum ſe mercatorem cogitans, totumque Dei negotijs ac lucris occupatum, ſortem diuini ſanguinis exercentem. Nec homines Societatis niſi negotiatores & inſtitores eiuſmodi eſſe dicebat. Atque in quadam ad Præpoſitum Genera-

„ ralem epiſtola: Ego, inquit, Pater mi, incidi in
„ venam ſanctæ huius negotiationis beatæ obe-
„ dientiæ ductu; nec animus vltrà eſt alias fodinas
„ vſquam, nec quietem, aut artes cogitare. Nam
„ ſi loquendum eſt ex experimento, quod in mari
„ montaniſque capitur, ibi Deus abſcondit ple-
„ nitudinem ac ſuauitatem diuinitatis & humani-
„ tatis ſuæ ſpiritualiter ijs repoſitam, qui deligunt
„ ibi habitationem ac requietem ad lucra Re-
„ demptoris. Hac diuinæ gratię tanta ſe vbertate infundentis noua copia locupletatus incitatuſque Conſaluus, vbi, Pantaleone Sà liberaliter quidquid ex vſu foret, præbente, dona regia & alia comparauit, Mozambico iterum decimo quarto Kalend. Octobris ſoluit, ac Luſitanorum paucis comitantibus in Auſtrum curſum intendit, maritimam oram biremi legens, quam excelſi montes ad dexteram amœna viriditate ſpectabiles veſtiunt. In ea ora antequam ad Mafutæ fluuij oſtium perueherentur, leucas propè nonaginta progreſſos fœua tempeſtas adorta vel magnæ formidanda naui, nedum paruæ biremi, quæ ludibrium fluctibus iactabatur, in vltimum deſperationis iam nautas adduxerat; cùm Conſaluus in celſiorem nauigij locum egreſſus genua ponit, ſublatiſque manibus in cælum & oculis quiddam tale ad Deum clamat, *Domine ſaluos nos, perimus.* Continuoque mirantibus quotquot aderant, venti ponunt, conſerenat dies, placida tranquillitate tumidi ira maris conſternitur: potitique Mafutæ oſtio, læti in litus exſcendunt. Dies erat S. Hieronymo ſacer. Prima curarum Conſaluo fuit barbaras terras diuino ſacrificio conſecrare. Excitata ara in litore, Sacrum fecit in ſolis feruore tanto, vt Luſitanis quanquam calceis tectos torridum ſolum adureret pedes: Conſaluo autem ſacrificanti caput puſtulis oppleretur. Ad quas ille curandas more ſuo patiendi materiam accerſere magis, quàm propulſare ſtuetus, quamuis non deeſſent, medicamentis abſtinuit. Triduo ibi exacto pergunt ad Colimanem (Quilimanem ſunt qui vocent.) Id brachium eſt ingentis celebratique amnis Cuamæ. Namque in intima Æthiopia prope Congi regnum lacus eſt ad millia centũ longus. Vnde tria Africæ maxima flumina ortum ducunt. Nilus capite vno (nam plura habet adeò quæſita & ignorata veruſtis ſęculis) tum Zaires, & Cuama. Nilus lõgiſſimo tractu in Septẽtrionẽ fluens in mare (quod peruulgatũ eſt) internum erumpit. Zaires & ipſe primò verſus Septemtrionẽ fertur, ſed mox in Occidentem flexus in oceanum citra promontoriũ Bonæ ſpei effunditur in ipſo Congenſi regno. Cuama aduerſus huic in Orientem hibernum labens in oceanum trans idem Bonæ ſpei promontorium exit vltra Æquatorem in meridiem ſeptimo decimo gradu cum dimidio. Huius amnis brachiorũ complurium vario flexu intercurſuque ſecantur Cafrum terræ. Conſaluus Quilimanẽ ingreſſus, rurſuſque aduerſo vento vexatus, & in ipſo ſubeundo flumine valdè periclitatus, ad Mingoaxanem Giloę Regem Luſitanorũ amicum peruenit. Is benignè & comiter accepit: & Mahometanus licet, poteſtatem promulgandi Euangelij vltro fecit. Nam quanquam ſuperioribus temporibus in earum terrarum quaſdam impij Mahometi ſpurca ſuperſtitio inuaſerat, nihil tamẽ gens præ hebetudine (hoc ſcilicet ex ingenita vecordia adepta commodi) niſi præciſionem præputij retinebat: quo minùs imparata Euangelio erat. Verùm Conſaluus ad Manomotapæ feſtinabat Regem: quo ad Chriſtum adiuncto, finitimos Reges, & inferiores haud magno molimine ſecuturos cenſebat. Inde igitur ad Iuabum, alterum Cuamæ brachium plurimum aquarum trahens, leucas à Sofala triginta contendunt: vbi rurſus periculoſa procella in Lindem proximum ſinum compulſi tredecim ſteterunt dies. Quoddam verò nauigium ex ijs, quæ Pangaios nominant, quod vnà ibat, cùm ſe diſiunxiſſet, poſtero die perijt. Ab Iuabo Cuama Manomotapæ ditio oriebatur. Quocirca in eius introitu Pater diuina re peracta ab Luſitanis comitibus poſtulauit, vt, quoniam fines tanti Regis ingrederentur, legationis ſuæ negotiũ poſthac Deo enixiùs commendarent; bonique conſulerent, ſi reliqua nauigatione ſe, quò precibus expeditiore vacaret animo, ab conſuetudine conſpectuque eorum ſummoueret. Namque in rebus omnibus, & inceptis præſertim grauioribus multùm cum Deo agere, ab eoque lumen ac vires expoſcere opus eſſe. Inde velum in alteram nauigij partem iubet prætendi,

220 *Elephantorum venatio.*

221 *Auri feracitas mira.*

222 *Conſaluus magnopere vxistimat ſe quaſi mercatorem ſanctum egere.*

223 *Sedat precibus tempeſtatem.*

224 *Tria flumina Africæ maxima.*

225

226 *Qua pietate Conſaluus Manomotapa ditionem ingreſſus.*

Digitized by Google

tendi, in eamque veluti cellulam inclusus, octiduum ipsum delituit, semel tantùm quotidie tosti ciceris pugillum, & perexiguum aquæ ad vitã sustinendam assumens; & quidquid à precatione rerumque diuinarum contemplatione reliquum temporis faceret, in perlegendis Sanctorum vitis impendens. Octauo die, vbi primùm
227 Sena, quę nauigationis meta erat, in conspectum venit, & Consaluum socij monuere; ille progressus è latebra, in oppidum oculos parumper intendit: continuoque in cælum cum manibus tollens, & in genua procidens, ita Deum precatur, tanquam ingens sibi certamen instaret: tum socios rogauit, vt semel orationem Dominicam, & salutationem Angelicam, pro grauissimo, quod erat in manibus, opere pronunciarent, cæliqué Reginam semper sanctam, semperque virginem Deiparam (sic appellare consueuerat) precarentur, vt causam vellet ipsa suam facere; negotiumque totius Cafrariæ sub imperium salutare filij sui subiungendæ volens ac bona suscipe-
228 ret. Oppidum Sena est, vt ijs locis, non infrequens intra nemora abditum, ab Manomotapæ regia leucas ducentas. Aliquot ibi Lusitanorum & neophytorum ex India negotiandi causa domicilia fixerant. Consaluus cùm de suo aduentu, antequam procederet, àdmonendum Regem censuisset, nuncio Manomotapam misso, qui significaret adesse se acturum cum Rege, quod eius maximopere interesset, dum referretur responsum, ferè quatuor subtitit Senæ mensis: quo tempore Christianos illos expiauit, excoluit, abstractos à pellicibus sancto matrimonio iunxit: eorum quoque mancipia ferè quin-
229 genta catechismo præparata baptismo lustrauit. Neque eo contentus identidem ad Regem Inhamioris in proximo degentem excurrit: eumq; & Reginam cum liberis, quos habebant octo, ita permouit instituitque, vt magnopere sacras vndas expeterent. Sed Pater nimirum ex animo dolens per inopiam procuratorum tantam fieri animarum iacturam, quia quem magistrum custodemque relinqueret, non habebat; baptismo abstinuit consolatus hominem bona spe, pollicitusque, postquam Manomotapium Regem lustrasset, & ipsi libentissimè præstò futurum. Nam nec decere antè illum lustrari, ne fortè prælatum sibi stipendiarium suum iniquè ferret. Adfuit tandem ab Rege responsum legatusque ad Consaluum Manomotapam deducendum. Cum hoc & Gomio Coëlho homine Lusitano apud Regẽ gratioso, & peritissimo linguæ, quem ex pago Tete accersierat, Pater dat sese in viam, pedesque ad sexcenta illa passuum millia, insuper sarcina oneratus, in quam omnem ad sacrificium colligarat necessarium apparatum, percurrit. Fluuios qui multi regionem intersecant, aqua collo tenus licet pertingeret, vado trãsibat, elata interim manibus, seu capite sarcina; quanquam unum vado insuperabilem in vas quoddam, velut ingentem ollam Dei sacerdotem ad natandum inualidum cùm immisissent, circùm natantes ipsi propellẽtesque traiecere Cafres. Hoc enim affirmant vetustæ litteræ, proque memorabili narrant: eoque similius vero est, quàm quod posteriores tradunt, natasse ipsum, sed sarcinam (quid enim hoc noui aut magni habet?) ollæ immissam. Sub noctem Natalem Domini ad Chetuchin pagum haud longè à Manomotapa venit: fecitque ter de more Sacrum summa Lusitanorum animi voluptate. Inde Natalium feriarum altera, die sancti Stephani memoria claro, quod proximo anno reddendum erit, regiam vrbem ad magna exordienda, quæ nobili statim martyrio consummaret, intrauit.

Hæc dum Consaluus australiores Æthiopes iuuandi studio curat, Ioannes Nunnius Patriarcha Goæ degens totus erat in Abassiam intentus. & Constantinus quidem Prorex, vt habebat à Rege Sebastiano in mandatis, proque suo priuato erga religionem studio vehementer Patriarcham & socios in Ecclesiam cupiebat peramplam illam inducere. Verùm cùm iam tertium annum Andreas Ouiedus Episcopus eò præmissus nihil nunciaret, sed vndique bellorum Abassinos inter ac Turcas furentium fama gliscceret, nihil certi consilij capi poterat. Anni huius initio cum tribus myoparonibus Prorex Christophorum Pereriam, & Patriarcha Fulgentium Freirem è Societate laicum experientem hominem, maximeq; probatũ cum aliquot Abassinis interpretibus misêre, vt de statu rerum ac nominatim de Episcopo certa & explorata renunciarent. Sed nequaquam eius legationis exitus è sententia cessit. Cùm enim ad Mazuam peruenissent, relictis ibi duobus myoparonibus, qui aduentum Turcicarum triremium speculari, maturè signum receptui darent; progressus ad Arquicum, inde ad fauces Arabiæ Pereria, sæpè hostium incursum peregregiè repulit. Postremò verò cum triremi & parone Mahometanorum, quibus Zomor præerat, commissa pugna, in hostium venit manus. Lusitani acriter dimicantes, plerique occubuere. Peroria quoque in hostium potestatem viuus redactus, è vulneribus, quæ grauia acceperat, breui expirauit. Fulgentius cùm strenuam adhortando milites prælata cruce operam præstitisset, octo acceptis plagis adhuc saucius remo addictus est, & Cayrum postmodum deportatus. Hac re & aliunde, atq; è reliquis myoparonibus, qui euasere, cognita Goæ, nihil Patres nisi in iusta Numinis voluntate solatij habebant precantes enixè, ne per suas atque alienas noxas, Abassinę genti cœpta aperiri salus occluderetur. Cęterùm Abassiæ status hoc tempore, quàm cùm maximè miserimus erat. Adamas Saquedus Rex, qui Claudio successerat, cùm non Lusitanis modò, & reliquis Catholicis, verùm etiam suis intolerandum se præberet; Barnagazius, cæterique Æthiopiæ Proceres magna cum parte nobilitatis, spe etiam auxilij Lusitanorum ab India, conspiratione facta fratris Claudij filium spuriũ Benconem Tarcarũ nomine Regem creant: adquem vnus quoque qui reliquus erat militum Lusitanorum triginta manipulus transiit. Adamas malè sibi conscius illud maximè formidabat, ne Lusitana classis adesset ab India. Cui rei prouisurus primùm ad maritimam excurrit oram; ibique simul cognito nullum instare ab India periculũ, simul fugato Barnagazio ad Tarcarum vertitur, eoque potitur. Ex India nullum adfuit auxilium, siue quia Turcis omnia habentibus infesta, nuncij

230 *Abassinarũ rerum status.*

231 *Missi ad cognoscẽdas Abassinorũ res Lusitani à Turcis capti.*

232 *Fulgentius Freires de Societate captiuus.*

233 *Bella inter Abassinos.*

Digitized by Google

cij ad Proregem non peruenere; siue quia Prorex cunctis viribus in Iafanapataniam incumbebat, siue quam aliam ob causam. Eo Barnagazius destitutum se auxilio videns, Saquedi odio Zomorem, quem dixi, Turcarum Prętectum solicitauit. Is tametsi Barnagazio summè erat nuper infensus, irrependi tamen in Æthiopiæ interiora occasionem arripiens, facilè societatem coiuit. Et quoniam, vt euenit, occisum iri Tarcarum suspicabantur, puerum ex eodem patre iustis ortum nuptijs crearunt Regem. At Saquedus huc illuc pro rerum opportunitate accurrens in omnem secum expeditionem summas inter ærumnas trahebat Episcopum & Patres: quos quasi in custodia habens, neque abire, neque de Catholica fide loqui sinebat. Verisimile est speraſſe non importunos fore, si Lusitana classis appareret.

234 *Ouiedi Episcopi & Sociorum ærumna.*

235 *Collegij Goani templum.*

Inter has Abassinæ Ecclesiæ tempestates Indica messis colonorum votis abunde respondit. Quo die sancti Pauli honoratur Cõuersio, veteris & angusti & ruinosi loco nouum dignumque Goano Collegio, templum in Gentium Doctoris nomine inchoarum est. Patriarcha peregit solennes ritus; aureoque ligone auspicatus opus, primarium deiecit in fundamenta lapidem cruce insculptũ: secundùm quem lapidẽ Constantinus Prorex alterum insculptum gladio dimisit, argumentum opinor, & cruce ab sacris potestatibus, & ferro à profanis religionem defendi, & aduersus obstantes propagari debere. Sub id tempus postulatu Georgij à sancta Lucia Malacensis Episcopi, qui (vti suprà indicatum est) Antistitis Goani vices obibat, Franciscus Rodericius aliquamdiu conscientiæ quæstiones in Collegij atrio (quòd aliud satis capax auditorium deerat) explicauit cuncto Ecclesiæ principis Clero, ac plurimis præterea sacerdotum confluentibus. Iamq; Goani Collegij Academia non modicam referebat Europæarum maiestatem.

236 *Paulus Camers moritur.*

Duodecimo Kalendas Februarias Paulus Camers ad optimos bonorum laborum fructus, & ad diuturnarum præmia ærumnarũ obitu lenissimo transiit. Iure Collegium Goanum hoc lætatur parente, & gaudet Italia de progenie sua fuisse præcipuũ tanti operis molitorem. Anno M. D. XL. ante confirmatam auctore Pontifice Societatem cùm è primis Patribus duo mitterẽtur in Indiam, Paulus adiutorem se ac veluti famulum eorum (tanta modestia & submissione erat) adiunxit, edito chirographo, quod ad antiquitatis nostræ cognitionem pertinere nonnihil ratus, quantum ex autographo Italico Latinè consequi licuerit, adscribam. Ego Paulus, inquit, Baptistæ filius, sacerdos è diœcesi Camerinensi profiteor spem meam omnem repositam esse in Domino nostro Iesu Christo, cui seruire in perpetua castitate ac paupertate decreui. Itemque pro amore ac reuerentia eius certa est mea sententia, firmumque propositum seruire Magistro Simoni Rodericio, & socio (nondum scilicet is certò nominatus erat à Beato Ignatio, propterea hic nominatim non appellatur) qui mandato Pontificis, postulante oratore Catholici Regis Lusitaniæ proficiscũtur in Indiam. Itaque abeo cum eis, non vt socius (enante Societatis ortum Coadiutorũ spiritualium quasi sementis: adeò multiformis huius rei-publicæ species in Beati Ignatij Fundatoris mente vsque à principio inhæsit) sed vt illis in eorum vsibus inseruiam sponte mea, & ex amore Domini nostri Iesu Christi; sperans de maiestate eius diuina Magistrum Simonem ac socium, quos prædixi, imperaturos mihi sic in India, vt ego quoque ad miseram illam Dei notitia destitutam gentem aliquid proficiam. Quod cùm ita sit, egoque sic sperem melius me Deo Domino seruiturum, in veritatis fidem, certique huius consilij mei testimonium chirographum hoc feci, meaque manu subscripsi. Romæ hac die quarta Martij, anno salutis humanę millesimo quingentesimo quadragesimo. Hoc armatu commeatuque humillimæ caritatis munitus & instructus Paulus cum Rodericio eodem præcessit in Lusitaniam. Inde cum Beato Xauerio, qui mox ab Vrbe est subsecutus, quoniam Simonem ad fundandam in Lusitania Societatem Rex tenuit, in Indiam vela fecit. Sed quoniam ita euenit eo anno, vt Indicæ Lusitanorum naues hibernare Mozambici cogerentur, ille primus pietatis laboriosæ campus Paulo fuit. Namque in nosocomio ægris referto primùm vnà cum Xauerio, deinde ab eodem abeunte Goam, precibus ægrorum relictus vnà cùm Mansilla, ita sedulitatem, patientiam ac benignitatem probauit, vt demum vbi munere eo perfunctus, nauigationem reperijt, ex prægressa fama iam clarus in Indiam, vulgoque carus peruenerit. Goam reperit plenam Xauerij laudibus & admiratione: Xarium ipsum non reperit. Iam enim ad euãgelizandum in promontorium Commorinum auolarat. Inter Goanos omnes celebrabatur maximè & eminebat egregia virtus Iacobi Borbani. Is venerandus erat sacerdos, idemque præco verbi diuini doctrina præstans & moribus; & propagandæ studio religionis quàm qui summè ardebat. Qui iam olim cùm Indorum aliquot Christo quotidie lucraretur, è pueris quos lustrarat, domum suam nonnullos cœpit recipere: quos vberiùs Christianæ religionis mysteria, & prima litterarum elementa, & Grammaticam edocebat. Deinde cùm videret ex ijs promptiore quosdam ingenio Lusitanum probè sermonem edisscere, adhibere eos interpretes adiutoresque ad insinuandum idololatris Christianum cultum instituit. Quę solertia cùm perbellè procederet, compluresq; per eam ad baptismum perducerentur; argumentarus Iacobus, si multarum linguarum pueri ad eum modum formarentur, id veluti Seminarium fore ad Euangelium in omnes gentes latè disseminandum, opulentiorum auxilio, maximè Cosmi Annij, & Michaëlis Vazij (vt prima harum historiarum parte narratum est) opus inchoarat. Verùm iam ætate ac valetudine affecta quemadmodum sustineri cœpta consummarique possent, haud leuis solicitudo habebat; cùm Xauerio primùm, dein Paulo cognito, confestim interpretatus est hominum tali generi sedem eam diuinitus eamque procurationem paratam. Ergo Paulo ad se recepto (nam Mansilla in Commorinum subinde perrexit) in eum sensim totam disciplinæ domesticæ custodiam ab se transtulit. Ac Paulus diu Sociorum omni subsidio carens, ita sustinuit gessitque administrationem grauissi-

238

239 *Iacobi Borbani virtus.*

237 *Eius ad Indiam profectio.*

240 *Pauli Camertis præclara facta.*

Digitized by Google

grauissimam, vt Collegium demum omne in Societatem rite à conditoribus, & à Lusitano Rege transscriberetur. Tantum valet ad Ordinis totius commendationem & incrementa, quod capitur è priuatis specimen. Cognita Beatus Xauerius hominis bonitate, satisq; gnarus quàti interesset in luce illa totius Indiæ ciuium oculis constantia obuersari innocentiæ, modestiæ, paupertatis, reliquarumque virtutum exempla; ita diuisit partes, vt, cùm sibi peregrinationum assiduos labores sumpsisset, & Socios, qui subinde ex Europa submittebãtur, in explorata ab se loca euocaret, nunquã Goa Paulum exire pateretur: quem etiam tanti faciebat vt illum non Collegio modò, sed Socijs etiam per Indiam sparsis interdum cum potestate præfecerit. Ille totus caritate flagrans, quæ sustulerit, quæ excogitarit, quæ fecerit perditas animas ad salutem vocandi studio; grauissimi Patres, qui postea accessere, testificantur, qui oculis non subiecerit, assequi non posse cogitatione: nec sanè, cùm iam ætas procederet, & valetudinis decessio, curarũ accessio fieret, sine præcipua Dei tutela fieri potuisse, vt sine medicorũ ope vitam propagaret; tantũq; constãtiæ, tantũ alacritatis ad plurimos immensosq; labores obtineret. Idem variarum nationũ adolescentibus præerat, tamq; vigili custodia & acri, vt pastoritio cani ad gregis defensionem excubanti, omnemque latratu atque etiam morsu abigẽti vim inimicam Borbanus eum similem diceret.

241 Idem non alijs modò rationibus conquirebat adolescentes nationum variarum, quos in cæleste illud plantarium inferret; sed etiam corrogata aliunde pecunia sæpè de numero mancipiorũ emebat, quos non modò Christi libertos, sed liberatores multorum efficeret. Aderat eis dies ac noctes, & in supplicationibus, & in sacrificijs, & cæteris diuini officij precibus, quæ sanctioribus ferijs cum cantu peragebantur, sine vlla satietate sacerdotis præibat partibus. Quidquid molestiarum institutio ferebat ætatis imbecillis, totque nationum varietas, moribus inter se & linguis discordium: adhæc mores ipsi plerisque alta barbarie imbuti, & voluntates quoque multis alienæ, & alia id genus, deuorabat placidè; nec paternum modò in omnes studium, sed maternam quoque suauitatem conseruabat: vt posses in corde Apostolici viri, & ore, & manibus vim Apostolicæ eius vocis agnoscere; *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Gal. 4. & illius, *Facti sumus paruuli in medio vestrûm, tanquam si nutrix foueat filios suos. Ita desiderantes vos cupidè volebamus tradere vobis non solùm Euangelium Dei, sed etiam animas nostras, quoniam carissimi nobis facti estis.* 1. Thess. 2. Idem præcipua cura catechumenis præerat edocendis; eosdemque sua manu lustrabat, vt vix quisquam vnus plures Christo genuerit: deinde & inter se sanctis copulabat nuptijs, & à potentiorum tuebatur iniuriis: & subleuare, efferre, ornare cunctis opibus nitebatur. Quibus cùm in Collegij templo locus instituendis deesset, ædem ipse proximam interiecta via discretã ædificauit, in qua totus eorum sacris, eorum cultutæ vacabat. Super hæc propter deformiora mala quosdam & contagiosa cùm planè videret abijci, ac receptaculum habere nullum, ædificauit instruxitque nosocomium, quod quoad vixit prouida cura, & intento labore administrauit. Accessere deinde & catechumenorum domus virorum ac feminarum: & harum præcipua Paulo præfectura commissa. Quæ super omnia, pœnitentiæ tribunali sic hærebat affixus, tanquã nihil ei præterea curarum esset. Omnibus autem eiusmodi curis sic aderat, vt tamen animus procul à terra, & à corpore peregrinari, & versari potiùs in cælo videretur. Inde tandem fiebat, vt, quamuis (vt dixi) Goa numquam ipse pedem efferret, tamen latissimè viri nomẽ ac virtus peruagaretur; nihiloque minùs latè per vndique dimissos disciplinæ suæ alumnos Christo Domino inseruiret, & vberem animarum segetem procrearet. Denique de eo paucis ante migrationem diebus Melchior Nunnius ita scripsit: Dominus Paulus (ita tum loquebantur) est pauper spiritu, pauperum amicus. Multùm laborat & contendit, vt vestimenta detrita ac rupta gestet. Magnam caritatem, magna exempla misericordiæ ostendit in nosocomio pauperum indigenarum, quod ad hanc diem semper, ampliùs duodecim annis procurauit: in incessu, & sermone, & vitæ actione simplex & mortificatus. Idẽ liber, & cuiuis, si quid videatur, dicens. Pro homine habetur alterius vitæ. Vellet tamẽ è sententia sua geri res, ac si quid prẽter id fiat, erratum putat (is nimirum senum, & maximè qua quisq; in re princeps fuit, seu zelus, seu morbus est.) Iam præsenio & valetudine velut emeritus habetur, bonitatique suæ permittitur. Hæc fuit vltima ætas Pauli, ad cuius cumulandã gloriam diuturnus accessit languor; in quo mirè omnes odore virtutum suarum, & animi tranquillitate inhabitantis in suo templo Dei pacis indice recreauit.

242

243 „ *Melchioris Nunnij de Cæ-* „ *merte testimonium.*

Non longè pòst in eodem Collegio alter eorum, qui cum Borbano illud fundarat, & perpetuis augere numquam destiterat incremẽtis Cosmus Annius decessit. Is scriba, seu Quæstor Regius, & vir optimus fuit. Qui vbi se sensit à fine haud procul abesse, vehementer optauit vltimum spiritum inter Socios exhalare, quorũ precibus & sacrificijs cõmunitus certiùs ad immortalitatem iter capesseret. Quod cùm impetrasset, non modò susceptus ex meritis suis & habitus est omni officio, quoad superfuit, verùm etiam exequiarum iusta, & cætera sacrificiorum ac precum adiumenta perinde vt vni Sociorum persoluta sunt mortuo.

244 *Cosmi Annij mors, & laus.*

Cæterùm Christianorum in Goana insula vbertatem nullus neeantè, nec postea tulit annus maiorem. Pulcherrimè in vnum consentiebant hinc studium auctoritate pollens omnique ex parte memorandum Constantini Proregis, inde Prouincialis Antonij Quadrij sedula & ingeniosa caritas: quibus potissimùm viris Goana insula sese Christianam debet. Prorex cùm videret Brachmanum quorumdam auctoritate ac suasionibus superstitionem tenuiorum stare, neque admodum multùm disputationibus profici, quas priore anno institutas docui; quadraginta eorum præcipuos diuenditis rebus vnà cum familijs alias sibi quærere sedes iussit. Quo & munimento exuti, & exemplo territi inferioris notæ mortales, procliuiores aures animosq; Dei verbo

245 *In Goana insula numquam plures ad Christum adiuncti.*

Digitized by Google

246 verbo dedere. Antonius Quadrius saluberrimo inuẽto Socios in vicinos circà pagos dimittere instituit. Etenim Goa insula est leucas duas circiter longa, lata vna: pagi in ea vnus & triginta, & quidam valdè frequentes duûm millium capitum erant: in quibus post huius anni conuersionem rarijam Ethnici, quasi racemuli post vindemiam superfuere; annoque insequenti absolutam spes erat fore racematione. In horum pagorum nonnullis sacra erat ædes: sed quoniam concionator & catechista deerat, Prouincialis instituit, vt Socij bini diebus Dominicis prima luce alij ad alios irent pagos; ibique media inter Sacra neophytis Euangelium breuiter explicarent, fusiusque de summa Christianæ legis absoluto Sacro differerent. Pomeridianis autem horis peragrarent cum tintinnabulo vicos, cogerent pueros, eosque virides manu ramos præferentes, fidei concinentes initia, oratum deducerent in templum: postremò necessitates quoque singulorum cognoscerent: opemque vel ferrẽt ipsi, vel domum renunciarent, vt aliunde ferretur. Inter hæc autem præcipuam in id intenderent curam, vt Ethnicos quàm plurimos amore baptismi succenderent. Hæc Socij cùm sedulò curarent, ad eosque cœtus Ethnicorum multi confluerent vel visendi studio, vel ab amicis cognatisque neophytis pellecti, qui facilè & religiosa illa supplicationis & cantus specie, tum caritate & adhortationibus Sociorum in baptismi amorem veniebãt; iucundum erat aduertere quanta vespere domum Socij gratulatione reciperentur. Exspectabant enim auidè omnes reditum eorum, vt cernerent quantum quisque agmen catechismo imbuendum ad catechumenorum ædes adduceret; audirentque quodnam præcipuum ac singulare eo die cælestis Pater suæ documentum misericordiæ edidisset. Adducebantq; agmina quisq, sua, & præclara lætis læti narrabant. Hæc ratio propagandæ fidei ad totam Indiam ex superstitione in religionẽ commutandam aptissima visa est, & nunc primùm inuenta. Luce sanctissimis fratribus Gerualio & Protasio sacra post nouem iam hoc anno minores habitos maximus omnium, quos ad eam diẽ nostri peregissent, celebratus baptismus est. Sexcenti quinquaginta renati eo sunt. fuere omnes è suburbio, in quo parœcia nomine sancta Maria à luce. Quinto pòst die, qui sancto Ioanni Baptistæ natalis illuxit, in æde eidem sacra numerosior fuisset baptismus, absolui si potuisset. Quingentis septuaginta quatuor rite ablutis, amplius ducenti superfuere: tantumq; candidatorum quàm leui momento nomen dederit, iucundum est recognoscere. Maximum vrbis Goæ suburbiorum, Carambolim appellant. Nobile ibi fanum atque idolum habuerant quondam Ethnici, cuius loco sacra sanctissimo Christi Domini Præcursori iam stabat ædes: quam Andreas Vazius procurabat è Brachmanum stirpe in S. Pauli Collegio enutritus, & Christianus sacerdos à Patriarcha factus. Suburbij eius primores Ethnici, quos Ganzares vocant (quemadmodum ipsimet Andreæ Vazio retulere) eam Christianæ Ecclesiæ accessionem fieri cùm cernerẽt, coacto concilio deliberare cœperunt, quid facto opus foret. Hîc quidam dixit fugiendum ab Lusitana ditione in subiectam Ethnicis continentem. Et quanquam importunum erat tempus, quòd sementem fecissent; tamen sata resque omnes post auitam religionem habendas. Alius censuit, durandum, fortiterq; permanendũ tantisper dum Constantinus 249
Prorex rediret in Lusitaniam: fore vt feruor ille, quo tam multi ad Christum accurrerẽt, abeunte eo deferuesceret. Hæc illi cùm dicerent; & posterioris probabilior sententia videretur, tertius ætate prudentiaque inter eos opinione venerandus; Nequaquã mihi videtur, inquit, bene ratiocinari, qui, vt Christianorum feruor refrigescat, expectandum censet vsque eò quoad Constantinus decedat ex India: sed qui tamdiu, quoad Societatis Iesu discedant Patres. His manentibus nunquam res Brachmanica imminui, nunquam augeri Christiana cessabit. At hos frustra spes sit pedem hinc vllo vnquam tempore ablaturos. Quaq; apud Constantinum auctoritate valent, eadem apud successores valebunt. Quid igitur, inquies, nobis consilij affers? Nimirum vna mihi videtur expeditissima via; commendemus nos Deo, & efficiamur Christiani. Hoc demum consilium ita placuit, vt protinus Ganzares quatuordecim cum suis quisque familijs dare Christo nomen statuerint. Cuius rei vnà cum Parocho Andrea è Ganzaribus vnus nomine omnium ad Collegium sancti Pauli perrexit nuncius. Verùm diuino Spiritu cælestem agitante ignem, alijs super alios accedẽtibus die S. Ioannis natali in ipsa eius æde à Patriarcha, & Melchiore Carnerio, & Antonio Quadrio, quàm multos modò perscripsi, amplius ducentis superantibus, cohonestante pompam Prorege, sacro fonte excepti.

Sub id tempus pagus Auxinus, primus omniũ 250
circa Goam pagorum nullo Ethnicorum reliquo facto, Christo inscriptus est totus. E regione pagi huius est insula Diuar magno olim in honore Brachmanis, & tanquam eorum Hierosolyma: quam omnem superstitioni dedicatam longinquis è regionibus venerabundi adibant. Hanc vero cultui transcribendi magna Patribus illuxit spes duabus vijs: primùm, quòd ipsimet Brachmanę cognito quanto vbiq; motu concurreretur ad baptismum, dictitabant suum adesse quoque iam tempus: deinde ex occasione, quam subijciã. Vetuerat Prorex in ea insula quippe Lusitanæ ditionis ritus Ethnicos vsurpari: eò Brachmanę suis è liberis cõplures nauigio impositos in continẽtem destinauerant, totius vt gentis nomine Canisso idolo percelebri dona ferrent. Est huic idolo 251
reliquum hominis corpus, caput elephantis: fabulamq; perridiculam monstri originẽ biformis narrant. Initio rerum nondum vllo susceptо filio, Euam (è sacris enim pleraq; diabolus quanquam mutatis sæpè nominibus finxit) quodam opere occupatam sudasse: cumque sudorem sibi è fronte brachiisq; abrasum collegisset manu, ex eo derepentè adultæ ætatis hominem extitisse; quem Adam nescio vnde reuersus, vbi apud coniugem vidit, rei nescius obtruncauit: mox verò eiulãte Eua, Adamum cognito, quem occiderat, eius fuisse filium è sudore natũ, quia recisum caput iam vita defecerat, cucurrisse, atq; elephanti, quod primum animal occurrit, amputato capite id truncо filij Euæ imposuisse; vnde homo ele-

247 *Baptismus ad hanc diẽ maximus.*

248 *Carambolitani quo pacto conuersi.*

Duæ maximè industria conuersi.

Diuaris insula conuersio.

Canissum idolum.

Digitized by Google

phantino capite reuixerit: huncque esse Canissum. Ad hoc igitur fabulosum prodigium Brachmanum cùm irent pueri, intercepti ab Lusitanis, Goamque missi, haud multò pòst Christianos se fore professi sunt. Per occasionem puerorum parentes Goam profecti, animum ipsi quoque ad sanctam sempiterni Dei venerationem cœperunt acclinare: cumque suas quoque coniuges diuini consortes muneris esse cuperent, missus est Dominicus Fernandius è Societate cum aliquot honestis viris, qui eas pariter catechesi imbuendas deduceret Goam. Hunc vbi in insula cõspexere Brachmanæ, è præcipuis quidam aggrediuntur his vocibus: Quid nos carptim Christianos efficitis? Semel cunctos abducite, & initiate: sicque sitim expleueritis, quam nostræ salutis vos Collegij sancti Pauli Patres præfertis insatiabilem. Animaduertit Dominicus seriò hæc ab ijs ingenueque dici. Itaque extemplò eam rem nunciaturus Goam recurrit. Multa ibi Sacra precesque ad implorandam Dei clementiam fiunt. Moxque Antonius Acosta, & Michaël Ficeredius sacerdotes cùm sex laicis, Sacro in æde Matris Dei Auxini pagi peracto, eique Diuaris insulæ commendata salute, quoniam per ipsam præcipuè Auxinus omnium primus ad Christum transisset totus, dedêre se in viam Tanadarium (id est Præfectum) pagi Auxini, qui cum præcipuis Diuarensibus necessitudines habebat magnas, & linguam norat optimè, secum ducentes. Pridie ad Cioranum cum pari Sociorum sex numero abierat Franciscus Rodericius. Quare tota Goana ciuitas arrexerat animos, magnoque studio harum expeditionum expectabat exitum. Interim Socij duo consuendarum periti vestium externis haud minùs centum adiuuantibus festinanter parabant natalitia neophytis indumenta, suppeditante impensam Prorege animo erga Christum Dominum adeò liberali ac nobili, vt profiteretur detractis, si opus foret, etiam quibus suum tegebat corpus, haud recusaturum se nudum incedere, nequid excitandis ornandisque Christi tironibus aptum præteriretur. Socij vtraque in insula statim domos pagosque circumire Brachmanum, omnes ad salutis viam vocare: nullas ampliùs necterent moras: patentem ad se inuitare diuinæ misericordiæ sinum: adesse tempus, quo confugere in eum omnes deberent. Et planè infinita illa bonitas ita suum hoc negotium expediuit, vt propè nullus esset labor nisi in colligendis & deducendis vltrò sequentibus ad cœnam magni Regis, qui velut in vijs, & in sepibus occurrebant. Hæc maximè in insulis Diuare & Ciorano dum feruent, Martinus Silua, cui pagus obtigerat Batti nomine, vbi ædes Deiparæ à Guadalupe, primarios ad quadraginta induxit, vt Proregi sese paratos ad baptismum nunciarent: & Goæ veteris incolæ (qui ad Goæ insulæ caput est pagus) accepta tot vndique Brachmanum conuersionis fama misêre ad Collegium nuncios, qui paratos ipsos quoque sanctæ cruci se subdere significantes, Patrum aliquem catechistam accerserent. Emmanuel Texeria vna cùm socio profectus est. Hique vix iter arripuerant, cùm alijs duobus è pagis, alteri Naora magna, alteri Naora parua est nomen, legatio superuenit. Aiebant se sanctam fidem amplecti animum induxisse, cupere communiter adire Proregem; iret è Patribus aliquis, duceretque. Ita vacuum operarijs tum Collegium erat, tam multis circumquaque & ad insulas & ad pagos dimissis, alijsque vel parandis ad baptismum vestibus, vel instituendis catechumenis occupatis, vt Iosepho Riberio Ministro Collegij, quamuis multæ occupationes domi tenerent, eundum fuerit; ne, dum res adeò calet, amitteretur occasio. Abijt igitur: ac postridie è primoribus septuaginta virides manu ramos, serta gestantes in vertice, inter festum tympanorum fistularumque de more gentis sonitum ad Proregem tam opima segete gaudio gestientem deduxit. Eodem prorsus die, qui primus Augusti fuit, ad centum quinquaginta murariorum fabrûm tota ex insula Mocadani in Collegio sancti Pauli susceperе baptismum, Antonij Diazij è Societate, qui noui templi ædificationi præerat, composita vita, & adhortationibus illecti. Denique tanta fuit vbertas messis, vt ad eam colligendam totum mensem Philosophica studia, & aliqua ex parte Humanitatis, necesse fuerit posthabere. In insula Ciorano sexto Idus Augusti Prorege, & Patriarcha, Prouinciali Præposito, & Melchiore Carnerio eam ob rem profectis, baptismo mille ducenti septem excepti. Octauo pòst die assumpta in cælum Virgine inclyto, cuius & ibi templum extat, quod primùm ab Alfonso Albuquercio Indiarum magna ex parte domitore positum fuerat, Diuarenses pari celebritate inter bombardarum, quas idcirco Prorex aduehi iusserat, fragorem ac plausum mille quingenti quinque ad Ecclesiam adscripti: moxque octoginta pueri, quos parentes in continentem prius subductos, ne Christiani fierent, mutato postmodùm consilio ad sacrum fontem reuocarunt. Paulò pòst pagi quoque Batti, Goæque veteris, & Naoræ vtriusque solenni cerimonia, publicaque gratulatione catechumeni expiati: qui duûm millium ducentorum, sexque & viginti summam expleuere. Hoc in æstu rerum maius quiddam, ingentique suo dignum animo Constantinus moliebatur; de quo paulò pòst dicam. At Franciscus Rodericius, quem loco suo Goæ Prouincialis reliquit, vt conceptum iam baptismorum conseruaret impetum ac splendorem, aliquot celebres egit: in quibus pagorum Basterini, & Passosecci incolæ septingenti septuaginta duo, moxque in suburbio Caramboli septingẽti quatuordecim; iterum septingenti quinquaginta sex Christiano gregi adiũcti; ac postremò XVIII. Kal. Ianuarias nouem & quadringenti. Itaque præter eos, qui in variis paræcijs, sanctique Francisci & Dominici templis baptismum susceperunt, nostri Patres duodecim millia nongentos sexaginta septem in Goana tantùm insula, baptismis viginti septem celebrioribus hoc anno initiarunt. Multa in his extra ordinem admiranda contigere. Multis vnà cum animi salute per salutarem lauationẽ exundans Dei bonitas quasi appendiculam, corporis quoque reddidit sanitatem.

252

253 *Constantini Proregis exi mia pietas.*

254 *Concursus populorum ad baptismum.*

255 *Baptismus in Ciorano insula numerosus.*

256 *Numerosior in Diuare.*

257 *Vis sancti baptismi ad corporum & animi morbos tollendos.*

Digitized by Google

tem. Sed multò admirabilior morborum animi curatio videri meritò potest: cuius rei vnum apponam exemplum. Ethnicus inter suos nobilis quæstuosum à Prorege ambibat munus. Id Lusitanus vir pietate clarus & genere cùm cognouisset, adhortari hominem pro amicitia instituit, vt Christianum susciperet cultum, certò confirmans ac spondens id si faceret, ei se quod optabat, à Prorege munus impetraturum. Quæ cùm sæpè grauiterque proponeret, nunquam tamen ab auita superstitione pertinacem dimouit. Verùm ingenti illo motu, cùm diuinus cuncta quodammodo inuadebat ac pascebatur ignis, tantusque fiebat ad sacras vndas concursus, ille quoque velut correpus accessit. Quem mox Lusitanus amicus cùm vidisset summè gratulans, nunc demum se ei beneuolùm ex animo testatur fore; & apud Proregem acturum, vt munus ei, quod cupiebat, delegaret. Ad quæ verba (quod veteranis pudori sit) Christianæ militiæ tiro ita respondit, Se, cùm antè vana coleret simulacra, quæstuosa appetiuisse officia, quòd rem quomodo faceret, dummodo faceret, nihil pensi haberet: nunc verò, postquam Christo se dediderit, ac didicerit quantum illi furta & commercia iniusta displiceant; nec saluti locum relinqui, nisi aliena reddantur; malle se pauperem vitam, quàm cum periculo animi quæstuosam ducere. Alacritas quoque, qua Indi adolabant ad fidem, haud videbatur carere miraculo. Non deerant è Lusitana nobilitate, quibus minimè probaretur tanta frequentia, existimantibus haudquaquam agi sincerè; nec posse vim metumque abesse. Vir ex his claritudine præcipua cùm fortè per vrbem equo vectus incederet, in præclaram cohortem catechumenorum incidit: qui cum suis in manu virentibus ramis catechismũ cantitantes inter exultantem lætitiam ac festa tripudia ad vitæ fontem citato pergebant gradu. Quem in cœtum coniectis oculis eques, remque secum altè animo reputans, protinus ad terram desilijt, ad vnumque Sociorum accurrens nihil nisi magno clamore, Credo, Pater, credo, ingeminabat. Patre quid id sibi vellet, cogitante: Quando, inquit, rem perspicio oculis, credo sine dubio Dei opus esse, vt tanta voluntate hi fiant Christiani; nostramque obmurmurationem pœna pergraui dignam agnosco. Id ipsum fassus est alius virætate quoque iam venerandus; vltroque aptissimum ei culpæ, quo se plecteret pœnæ genus inuenit. Is tenere se non potuit, quo minùs de tanta festinatione coràm obiurgaret Patres; eamque ob rem ad Collegium graditur. At vbi eò peruenit, atrium totum ac porticum viris pueriscque, templum autem mulieribus ac puellis ita confertum reperiens, vt vix ipsi aditus pateret; omniumque in ore ac vultu alacritatem, & aliàs nunquam perspectam lætitiam cernens; totus animo senex repentè commotus tollit ad cælum oculos manusque, ac solutus in lacrymas tacitus abscedit. Post aliquot dies ad Collegium reuersus, vni è Socijs, O Pater, inquit, qui de sanctissimo hoc vestro opere obloquitur, non potest culpam diluere, nisi ad id ipse quoque adiungat animum: lucrisque Saluatoris intentus studeat impensa operâ, quæ nostra praua exempla ferunt, damna sarcire. Ego hosce in præsens duodeuiginti adduxi. Ignosce, si paucos: ad lustricum primum solenne plures adducam. Nec fidem fefellit. Exinde Christianitatis propagationem plurimùm iuuit.

258 *Neophyti pulcherrimum dictũ.*

259 *Alacritas mira ad baptismum curritur.*

Iam verò Constantini Proregis magnanima pietas nequaquam Goanæ insulæ finibus tenebatur. In ora promontorij Commorini piscatores margaritarum Christiani excursionibus & latrocinijs obnoxii erant Badagarum. Hi sunt è regno Bisnagæ, seu Narsingæ bellicosi populi & immanes, Lusitanorum Indorumque neophytorum hostes. Ceilano insulæ modici spatio freti à Commorino dissitæ adiuncta est Iasanapatania prouincia, cuius item Rex iampridem Christianos cladibus atterebat. Ea si veniret in potestatem Lusitanorum, Commorinensibus Christianis opportunissima videbatur sedes futura, vnde pretiosæ suæ piscationi ex tuto liceret intentis esse. Ac recens extabat memoria, Beatum Xauerium, vt innocens ille populus eò traduceretur, habuisse summè in votis. Igitur hanc maximè ob causam Constantinus Prorex classem ad Iasanapataniam statuit ducere. Erat eodem tempore iuuenis Goæ Alfonsus nomine, qui è patrio Trincanamalis regno, quod Iasanapatanus tyrannus ex proximo inuaserat, profugus in sancti Pauli Collegio octauum circiter annum versabatur. Hunc Constantinus eâdem operâ restituere cogitabat in regnum. Omnino magni ad Christianum nomen, magni ad Lusitanas quoque augendas opes momenti expeditio erat. Validam itaque eam ob rem Constantinus adornat classem: atq; interim Patres Societatis, quorum Commorinenses neophyti curæ commissi erant, præparare eos ad traiectionem iubet. Ioannes Mesquita cùm ab Dio regressus supra biennium Punicali egisset æquè Indis ac Lusitanis acceptus, Goam non multò ante id tempus reuocatus Dialecticam ibi docebat. Sed visa est grauiori negotio ea procuratio posthabenda. Missus est igitur iterùm Punicalem, vt vnà cum Henrico Henricio necessaria traijciendis populis prouideret. Quod dum faciunt, libertatemque alijs & pacatum otium curant, duram ipsi seruitutem, exercendæ patientiæ locum locupletissimum inuenerunt. Mensis erat Augustus: iamque rebus compositis ad migrandum in Manariam insulam, vbi aduentum Proregis, vt is iusserat, opperirentur, Punicalenses nihil nisi signum exspectabant, cùm ex improuiso Badagarum Præfectus ingentem peditum elephantumque numerum agens superuenit. Lusitanorum haud plures in præsidio, quàm circiter quinquaginta versabantur: qui prodire obuiàm ausi, dum prænobili ex hostibus interfecto Dynasta, totum agmen primo die egregiè distinent, spatium Punicalensibus fuit lembos conscendendi: quanquam præ trepidatione inter turbam tumultumque conscendentium ad triginta hausit mare. Postero die Emmanuel Cotinius Lusitanorum Præfectus cùm se & ab numero militum, & ab cætero apparatu imparem omnino tantæ prædonum multitudini videret; consilium

260 *De Christianis oræ Piscaria in Iasanapataniam transportatis.*

261

262 *Pater Mesquita captus ab hostibus.*

Digitized by Google

silium cepit & ipse vnà cum præsidiarijs conscensa naui secedere. Vnà erant Patres Henricus, & Mesquita; qui post impositos dimissosque magna caritate neophytos auxilio solatioque in supremum id tempus Lusitanis quoque subsederant. Id fugæ consilium, cùm mare Lusitanorum in potestate esset, hostesque nauigijs destituti, & necessarium erat ac tutum, nisi inconsulta cupiditas inane fecisset. Quippe tam multa, vt secum asportarent, pro se quisque militum congessere in lembum, vt is præ pondere, donec æstu recurrente subleuaretur, agi ab littore & propelli nequiret. Qua re hostes animaduersa extemplò impressione in lembum facta, ad fugam, non ad pugnam paratos inuadunt. Pauci natando euasere: in quibus Pater Henricius; qui cùm haud procul inde enatasset ad litus, intentos ad diripiendum nauigium Barbaros effugit. At Mesquita cùm nixus capsæ tentaret fugam, nandi ignarus, facilè capitur: ad lembumque reductus tam graui ictu vulneratur in vertice, vt exanimis in mare prouolueretur: ibique haud leuius hasta vulnus accepit in pectore. Quidam permixti Ethnicis Mauri conficere omnino volebant. Sed Badagæ sperantes id gratum suo Principi donum fore, seruauerunt. Ad quem continuò rapitur totus vndique fluenti fœdus sanguine, octoque plagis saucius, ita viribus exhaustis, vt statim ad eius pedes linquente animo corruerit. Sed vbi collegit se, obligatis vulneribus iussu tyranni vnà cum præsidij Lusitani Præfecto Emmanuele, alijsque decem Lusitanorum, quanquam summos inter dolores, viuus tamen ad vrbem regiam deportatur. In eadem excursione Franciscus Duranus è Societate valdè fatigatus ab inuisendis Christianis cùm reuerteretur, captus vinctusque est: quem mox Christiani quinque nummis aureis redemere. Nimirum tota Mesquitæ ærumnarum moles reseruabatur. Vt primùm is, cæterique Lusitani ad vrbem Badagarum venêre, continuò de redemptione agi cœptum; conuentumque vt pro vniuersis communiter septem millia aureorum nummûm, & quingenti darentur: illicoque dimissis cum Præfecto militibus, Mesquita pro obside ac pignore retineretur. Tanto existimabant Barbari suos Lusitanis sacerdotes in pretio esse. Huius calamitatis nescius Prorex instituit, vt, quoniam breui cum classe affuturus erat, nec dubia sperabatur victoria, Christiani ad Manariam transportarentur, vt inde protinus in Iafanapataniam commigrarent. Hoc Emmanuel Præfectus iam liber, & Pater Henricus statim curarunt. At Badagarum Tyrannus solam vastamque oram relinqui cùm videret, pecuniaque ex altera parte non tota repræsentaretur; arctissima iussit Mesquitam asseruari custodia, assiduè diram intentans necem. Totum initio ferro onustum habebat; eque collo ad pedes catena pertendebat adeò breuis, vt dies ac noctes incuruus ac velut conglomeratus cogeretur esse. Quas dein ærumnas auaritia mitigauit Tyranni, metuentis ne lucrum sibi omne vnà cum eo periret: & tamen iniquissima spe pro sua clementia Deus frustrari omnino barbarum voluit. Quidam erat Christianus adolescens Michaël nomine audax & callidus, qui Mesquitæ necessitatibus in custodia fideliter succurrebat. Is cum opifice, ex quo inijciendæ Patri sumptæ compedes erant, pecunia præbita egit, vt clauum, qui earum circulos infibulat pedibus, modica vi fragilem insereret; ac reliqua ad fugam vtilia clanculum comparauit. Nocte, quæ diem Matthæo Apostolo sacrum secuta est, inter dormientes armatos Mesquita euadit; ac duce Michaële ad montem sex inde procul milliaria pergit maximos inter dolores, quòd nudis pedibus, altereque malè affecto per aspera & glareosa ibatur loca. Totum diem ibi cùm latuissent, insequenti nocte Michaël, nec valdè locorum peritus, & in tenebris ducens deerrauit à via: quare orta iam luce, Patre inter senticeta latente, ad pagum in radicibus montis de via interrogaturus accessit: commodeque euenit, vt in sutorem incideret, ex quo calceos sparteos, vt in summa necessitate peropportunos, Dei famulo retulit. Ex eodem sutore cognouit plena omnia sermonibus de Patris fuga: à Badagarum Tyranno nuncijs ad suos Præfectos, custodibusque properè circummissis, vias omnes insessas. Hanc rem pauens, sibique diffidens Michaël Mesquitæ narrat. Is animum ei facit, quòd qui cœpisset Deus ex iniqua ipsos abducere seruitute, omnes elusurus esset auidi artes Tyranni: Angelos sibi ad custodiam attributos longè Badagarum satellitibus ad vim & consilium acriores. Exspectatis ergo tenebris, quòd per siluas cõtinuari nequiret iter, ad vicum duodecim passuum millibus distantem Michaël sese conuertit, sperãs ibi à Palàis (qui sunt inter Ethnicos infimæ sortis homines) pecunia latibulum exorari posse. Per varios metus, erroresq; & labores clara iam luce peruenerũt. Angustissimo in fano totus insuper paleis coopertus delituit Pater: non tamẽ ita callidè rem occulere ductor potuit, quin pro Lusitano sit agnitus. Continuò ad loci Præfectum, quem ipsi Adiguarium vocant, permanat res. Is enimverò timere cœpit ac dicere luendum omnino capite, si Badagæ scirent talem hominem occultari. Hîc Mesquita probè discrimen intelligens, obstruendum os homini pecunia ratus, animum Michaëli fecit, vt magna aliqua spe Adiguario silentium imponeret. Quadringentis Phanois, qui triginta circiter scutatorum conficiunt summam, inter id genus hominum haud leuem, conuentum. Quam pecuniam vt repræsentaret, ad Christianos quosdam quindecim inde millia passuum per noctis tenebras iens ac rediens Michaël excurrit. Alacritate ingenti contulere Christiani pecuniam: simulque ex iis aduenere nonnulli, qui Patri iam ærumnis, doloribus, inedia propè confecto ad iter conficiendum auxilio essent. Denique septem dies ac noctes per Badagarum ditionem profugi, Deo protegente ad Lusitanorum deuenere nauigium; quod fama de Patris fuga sparsa, ei ipsi si quà appareret, excipiendo, legebat oram. Nec contineri potuere milites, quin præ ingenti lætitia manibus humeriſque sublatum, inter faustissimos clamores ad consortem modò vincu-

266 *Callidè liberatur.*

267

264 *In Manariã insulam Christiani Piscarienses traducti.*

265 *Patris Mesquitæ durissima vincula.*

Digitized by Google

vinculorum Emmanuelem Cotinium deportarent. Ipsi verò vt primùm inter se reuiserunt, commotis dulcissimo sensu præcordijs vbertim flentes diu hæsere in complexu.

Sub idem tempus Prorex vniuersa cum classe instituto ad Iafanapataniam cursu cum aliquot triremibus Angediuam insulam duodecim ab Goa leucis præcurrit, in itinere Ioguis celeberrimi animum tentaturus. Iogues Indi vocant seueriorem professos suarum cultum superstitionum. Ii duûm sunt generum. Quidam vtuntur publico: simpliciqúe popello quasdam è secta fabellas decantant. Alij in solitudines abditi, rebus, vt aiunt, diuinis contemplandis Anachoretarum nostrorum ritu intenti sunt. Ex hoc genere Iogues in Angediuæ insulæ specu octo annis in eiusmodi rerum cõtemplatione, macerandoque corpore insumptis, admirationem eam famamque sanctitatis latè concitarat, vt ab longinquis oris magna Ethnicorum hominem adoratura confluerent agmina. Quem Prorex haud alienum ab sua persona duxit alloqui, adhortariq; ad cæleſtem Christi disciplinam, satis æstimans quantum non ad plebem modò, sed ad cæteros etiam Iogues habitura momenti accessio eius foret. Verùm cùm religionis mutandæ mentionem Iogues ne ad aures quidem admitteret, scilicet, ne tot annorum labores tantumque famæ proijceret; hoc demum Constantinus expressit, vti Goam iret ad Collegium sancti Pauli; ibique religione Christiana cognita, cumque sua collata, vtra melior appareret, demum ad eam, quemadmodum prudentem decet, animum applicaret. Ita venit Goam Iogues: & à Francisco Rodericio reuinctus edoctusque, ac demum baptizatus, adeò Seminarij Goani disciplinam adamauit, vt in eo finire vitam voluerit. Prorex ad Iafanapataniam adduxit exercitum, ac iucundissimum habuit Mesquitæ occursum: quem totius fugæ seriem iussum exponere summa comitate solatus est. Inde ad bellum cõuersus, vrbem regiam expugnauit. Rex Iafanapatanus, & magnitudine hostiliũ virium, & suorum ariolorũ fatis, qui intra annũ canebant moriturum, exterritus, ad montana, & propè inaccessa profugit loca. Eaque res in longum protraxit, nec siuit perpetrari bellum. Quippe cùm è siluis & saxis extrahi Rex haud posset, Goamque graues Proregem causæ reuocarent, mensem iam tertium peregrinantem, ac non commeatus modò deficeret, verùm diffuso etiam morbo multi Lusitanorum caderent: ad hæc misso filio Iafanapatanus clementiam imploraret; Constantinus occasione vsus latis conditionibus, & impositio vectigali discessit, idoneo præsidio ad tuendos in Manaria Christianos relicto. Nec minùs ab cupiditate, quàm ab hominibus incorruptum animum præstitit. Ex regia vrbe dentem candidi simij, quem maxima veneratione cæci mortales colebant, asportauit. Nec, quantumuis propè infinita auri vis promitteretur, & longè lateque Reges Ethnici precarentur, adduci potuit, vt eam impietatis materiam redderet: imò conteri dentem accuratè iussit; tum puluerem lenta fauilla ita corrumpi, vt totus paulatim, ne quid reliquiarum fortè clanculùm legeretur, euanuerit in fumum.

268 *Ioguis celeberrimi ad Christum accersio.*

269 *Iafanapatanium bellum.*

270 *Constantini Prorogis abstinentia & pietas singularis.*

Dum ad Iafanapataniam Prorex exercitum habet, non procul inde duæ nauium eo anno ab Lusitania profectarum ad Cilai vada impingunt. Duodecimo Kalendas Maias sex Olisippone soluerunt naues, quibus & Gaspar Goanus Antistes vehebatur. Is primus creatis iam (vt est dictum) & Cocinensi & Malacensi subiectis Episcopis, Archiepiscopus fuit. Principem onerariam, cui nomen Castellum, duo de Societate Petrus Arboreda sacerdos, & Franciscus Viera laicus: alij duo, quorum alter Aluarus, alter Ioannes Roscius vocabatur, nauim inscendêre sancti Pauli clientela & nomine inclytam. Hæ naues non multis pòst diebus dispersæ omnes. Ac siue quòd paulò serius inijssent cursum, siue ob temporum instabiles vices, cum vndis & malacia ita conflictatæ sunt, vt rarò laboriosius iter contingat. De nauis sancti Pauli multis ac miseris casibus anno insequenti, quo Malacam naufragi tenuere, dicam. Nauigatio Arboredæ hæc fuit. Is, cùm primùm visum est tempestiuum, habita ad omnes, cum quibus vehebatur, communiter concione, quàm necessarium id locorum sit singulare studium pietatis, cùm edocuisset, simul exposuit, quid videretur sibi faciendum. Litaniarum singulis diebus morem induxit; ad quas vectores tintinnabuli sonitu conuocabat: vtque diebus festis Missa nautica absque sacrificio cum cantu perageretur: id quàm maximè premens, vt curarent omnes præcipuè peccatis exonerare nauim. Nihil enim æquè degrauare ac deprimere eas. Quippe nullum grauius onus, quàm peccatorum sarcina, & pondus flagitiorum. Idcirco admonebat, vt & cauerent à noxijs; & si quæ per imbecillitatem sese ingererent, confessione eas quàm celerrimè eijcerent. Hoc autem vt certiùs consequeretur, ingenioso studio sortitionem Sanctorum menstruam instituit. Adhortatus enim, vt libenter quisque quem sortito sibi Deus in eum mensem patronum è Sanctis destinaret, in eius honorem die illi sacro expiaret à peccatis animum; sortitionem fecit ita, vt simul appositus scriptor exciperet vectorum nomina, & Sanctorum, qui cuique contigerant: vt appetente die, quo quis confiteri debebat, maturè eam rem ei Pater reuocare in mentem posset. Quo fieret, vt nemini ad prætermittendum id muneris prætendere obliuionem liceret, eoque paratior quisque ad beneficium absolutionis accederet. Hæ res vehementer conciliarunt Patri omnium animos, sed multò magis impensa eorum simul corporibus animisque in summa necessitate officia caritatis. Vix octo nauigauerant dies, cùm vno vectorum demortuo vulgari inter omnes morbi tanta cœperunt strage, vt nemo vnus vim eorum in totum effugerit: atque ex vna dumtaxat Castello naui vndeoctoginta obierint. In calamitate tanta nullum Arboreda, nullum Viera quantumuis vile ac sordidum horrere ministerium. Verùm (quoniam hac maximè re vulgò laborabatur) præparando potissimùm ægris cibo applicuere curam. Permulti enim vel carebant escis, quas

271 *Patris Arboredæ in Indiam nauigatio laboriosa & pia.*

S. Ambr. epist. 18.

272

Digitized by Google

eiusmodi casus postulant, vel oppressi morbo destitutique famulis rem habebant frustra. Itaque Dei famuli publicos se tanquam famulos constituentes, tum quæ vltrò offerebantur, tum quæ ipsi emendicarant, sedulò apparantes, nec inscitè (quidenim caritas non assequitur?) concinnantes, inter omnes distribuebant, ipsique met deferebant ad eos, quibus omnino alij deerant adiutores: perdiuque vt tantæ pietati sufficerent, valetudinem illis Deus integram conseruauit. Tandem autem ambo eodem propè tempore afflicti, & in supremum adducti discrimen. Eo casu cuncti grauiter ingemuere, vt qui in eorum salute sitam ducebant suam. Ergo cuncti vicissim bonam rependentes gratiam adfuere illis benignè. Neque interim Arboreda penitus ab omni caritatis desistebat officio; sed ad morientium, vel periculosè ægrotantium confessiones excipiendas inter manus hominum portabatur. Hac solidæ virtutis specie mirificam adeptus auctoritatem, haud difficilis existimatio est, quantum ad ludos pernicioſos, & ad futilem iurandi tollendum morem, quantum ad sedandas altercationes, pacificandos capitali odio dissidentes valeret. In cæteris fuit, qui, cùm plurimùm Pater Christianam caritatem pacemque pro concione commendasset, ad eius se post paulum pedes abiecit cum lacrymis, testans id à se iter ea dumtaxat causa susceptum, vt inimicum in India interficeret: verùm exinde omnem ab animo iniuriatum obliterare memoriam velle. Vbi nescias vtrum mirere ampliùs, an hominis insaniam tot per mortes vltionem in Indos vsque petentis: an Dei clementiam, qui eò loci progredi sineret, vt durum in patria pectus sensim peregrè emolliret. Denique nauigatio vt vehementer exercita erat, ita non parum pia. Nonis Octobris cùm se Cocino breui potituros arbitrarentur, discrimen omnium propè maximum adiere. Nox erat, & Gubernator haud rectè cognitis locis minùs opportunè incitauerat cursum. Itaque repentè ad vada, quæ Cilai vocant, impingunt: ac repentè ex incussu pallidæ imago mortis omnium oculis obuersatur. Certatim sensu quisque acerbissimo efferre peccata. Cursu represso, cognitoque Dei benignitate nihil admodum acceptum detrimenti; tamen totam noctem insomnes lucem præstolantur. Vbi ea primùm albescens anxiis diem aperuit, procul inde leucam ac dimidiam aspiciunt terram, ad eamque applicitam nauim. Missis in scapha armatis, qui loca nauimque cognoscerent, reperiunt primùm nauim esse vnam ex ijs, quæ simul è Lusitano portu vela fecerant, cui nomen Draco: dein ad fluminis cuiusdam prouecti ostium nauigiolum ex ijs, quæ ibi Ionas vocant, aspiciunt: veritique ne hostes essent, ad nauim Draconem applicuere scapham. Sed cùm iona sponte accessisset, magna vtrimque gratulatio facta est. Erat enim nauicula Christianorum; inque ea Ludouicus Goueanus de Societate vehebatur, qui conspectis maioris formæ nauibus, rem, vt erat, suspicatus eas Lusitanas esse, ex ijs, quæ cursum Indicum ex Europæ conficiunt, vel tempestate in ea vada, vel

273 *Vltionis insana auiditas.*

274

errore abreptas, ad cognoscendum id ipsum veniebat. Insula erat ipsa Manaria, ducentis ab Goa leucis, in qua Christiani Commorinenses ad Iafanapataniæ regnum traducendi, dum bellum conficeretur, stationem habebant. Continuò Prorex, qui ad eas leuandas naues, ægrosque curandos iuuarent, interque cæteros Dimam Bosquem patria Valentinum, quo ipse medico vtebatur, misit. Institutum hospitium est, quod Patri Henrico Henricio, & aliquot Sociorum caritatis nobilem campum præbuit. Ducenti propè ægri in id duabus illis è nauibus deportati, plerique miserandum in modum affecti. Ecce autem, dum familiariter quondam inter se, vt assolet, medicus Dimas, & Pater Henricus agunt, adsunt velut stupentes, magnisq; cũ clamoribus piscatores Patrem Henricum ad suas vt iret scaphas rogantes, spectatum ingens naturæ miraculum. Pisces nouem feminas, septem mares, quos propter similem humanæ speciem marinos homines nominabãt, in retia incidisse. Accessere ambo ad mare Henricus, & medicus. Atque is, post diuturnam admirationem singula attentiùs è sectionum disciplina scrutatus, hæc adnotauit: Caput erat figura rotundum, nulla colli intercapedine truncо compactum: extremæ aurium fibræ, quæ & auriculæ nominantur, ex cartilagine carne eleganter vestitæ: quarum interior pars aptissimis formata anfractibus veram hominis referebat aurem. Oculi suis ornati palpebris: situque & colore non piscis, sed hominis iudicares. Nasus nonnihil aberrabat, malam inter vtramque non vsquequaque eminens, sed leni tramite bipartitus. Sub eo verò labra magnitudine specieque nostris simillima. Dentium, non quales insunt piscium generi, serratilium, sed planorum, & candidissimorum continua series. Pectus alba cute contectum hinc atque hinc paulò latiùs, quàm pro corpore in mammas extuberans: neque eas feminis pendulas, sed quales virginibus, globosas: quarum vni cùm papillam pressisset medicus, ingens exilijt lactis copia miri candoris. Brachia non rotunda, sed latiora, quasi ad natandum facta, duorum longitudine cubitorum, nullis tamen ipsa cubitis, vlnis, manibus, articulisque distincta. Sub alis mollissimus pilus ac longus. At in administris propagandę sobolis membris vtroq; in sexu exterius interiusq; nulla ab humanis distinctio. Agnosceres qua homines re simillimi belluis. Post hæc, veluti de Sirenibus olim poëtæ cecinerunt, in piscem cauda desinebant bisulca. Ac feminis, quod ferè commune natantium generi tradit Aristoteles, corpora erant quàm maribus longiora. Hæc atque his similia subinde rariora miracula effector mundi ostendit, vt homines quanquam in hac rerum vniuersitate tam multa quotidie summa admiratione digna conspiciunt, tamen intelligant plura esse, quæ de infinita illa vi sapientiaque ignorant: & saltem ex inusitatis hisce, quoniam assuetudo cæteris auctoritatem ademit, in admirationem eius & venerationem excitentur.

275

276 *Sirenes quales in India.*

Harum aduentu nauium, quanquam serò Indiam tenuerunt, tamen, quia ijs vectus est Goa-

277 *Primus Goa Ar-*

Digitized by Google

chiepiſcopus. & quæſtionum ſacrarũ tribunal.

Goanus Antiſtes, qui octauum iam annum deſiderabatur, & primus Archiepiſcopus Indiæ fuit, & pax inter Chriſtianos Europæ Principes nunciata; ingens omnium ordinum gratulatio exitit, quam & ſolenni in gratiarum actionem Sacro & ſupplicatione teſtati ſunt. Aduentu Archiepiſcopi ſacrarum quæſtionum tribunal Goæ conſtitutum, cui Archiepiſcopus ipſe præfectus.

278 *Pater Carnerius conſecratur Epiſcopus.*

Decimo octauo Kalendas Ianuarij Pater Melchior Carnerius conſecratus Epiſcopus eſt. Quanquam enim vehementer cuperet priuatus vitam finire, tamen Patriarcha, iuſſuque Pontificis vrgente, qui præceperat, cùm primùm trium foret Antiſtitum copia, conſecrari; cùm adeſſet recèns aduectus Goanus Archiepiſcopus, & ipſe Patriarcha, atque Georgius à ſancta Lucia Epiſcopus Malacenſis, Nicenæ Eccleſiæ titulo initiatus eſt. Qui ad ſuum, (quemadmodum ipſemet ſcribit) ſolatium, ſimulq; vt coniunctionem cum Societate arctiorem obtineret, voto obſtrinxit ſe non ſolùm Societatis conſilijs obtemperaturum, verùm etiam iterum ſolennem in ea profeſſionem emiſſurum, cùm primùm id à Pontifice impetraret.

279 *Prima in Salſettis Goanis Societatis ſedes.*

In Salſettis quoque hoc primùm anno ſtationem Goani Socij fixere. Ea eſt aduerſa Goæ in continenti plaga Luſitanæ ditionis, ſex & ſexaginta frequens pagis, in quibus Chriſtiani circiter mille numerabantur Ethnicis mixti, & cultoribus deſtituti. Goani Patres veluti præſentirent eam vineam egregios Societati paritura fructus, à Conſtantino Proregè ſibi colendam depoposcerunt. Summa igitur eius voluntate Petrus Maſcarenia ſacerdos, & Emmanuel Gomius laicus miſſi, breui centum Ethnicos adiunxere fidelium cœtui; vniq́ue iam veteri Chriſtiano duos annos ſine vlla ſalutis ſpe è paralyſi decumbenti placuit bonorum Auctori omnium recitato ſuper eum à Maſcarenia Euangelio valetudinem priſtinam reſarcire. De ſede Damani priore anno inſtituta, alijſque vetuſtioribus, quanquam multa eſſent non indigna relatu, ne tamen excreſcat in immenſum opus, æſtimanda ex dictis relinquo.

280 *Ariæ Brandani res Armuziæ geſta.*

Armuziæ Arias Brandanus quinquaginta hoc tempore, ſummam, ſi è pertinacia Mahometanorum æſtimetur, haud leuem, fonte ſalutis abluit. In his feminam regiæ ſtirpis. Sed præcipuè eius caritatem Luſitanorum ægrò tantium ſummæ neceſſitates exercuere. Baharenus eſt inſula in Perſico ſinu Armuziano Regi ſubiecta, ferax in primis atque amœna, niſi quòd certo anni tempore caloribus æſtuans peſtifera aduènis eſt. Eam cùm Mahometani ab Armuziano Rege abduxiſſent, Luſitana claſſis, vt reciperet, iniqua tempeſtate appulſa, ita vniuerſa afflicta eſt lue, vt ex octingentis bellatoribus, qui arma ſuſtinerent, vix octo numerarentur. Inde igitur ægris magno numero Armuziam deportatis, humana diuinaque ſubſidia ſedulò Arias præbuit, inſtituto etiam ſua in æde noſocomio, vbi ad ſexaginta curabat omni officij genere: pariq́ue erga vita functos pietate idem precibus manes proſequebatur, & cadaueribus funebres honores reddebat & tumulum.

281 Hoc eodem anno Meaci in Iaponia promulgari Chriſtiana fides cœpta eſt, & Societatis domicilium poſitum. Gaſpar Villela, quemadmodum ſuperior annalis expoſuit, vnà cum Laurentio natione Iaponio iam recepto in Societatem, Meacum vrbem Iaponiæ principem miſſus, extremum ſub annum eam iniuit. Poſt quintum ac vigeſimum diem Bonzij è præcipua nobilitate ductu ad Regem aditum habuit. Quonquenindonus, itemque Yoxiteru (plura enim amant) ei nomina erant, & ab imperio Cuboſama. Huic vocabulo ſi tres, vnde conflatur, partes interpretere, ea notio ſubeſt, vt non Principem penes quem ſumma poteſtas ſit, ſed Principis in re militari adminiſtrum ſignificet. Sunt enim Magiſtratus omnino, & imperij militaris eiuſdem nomina Xongun, & Cubo: nominum ſonus dumtaxat & origo differt. Quippe Xon ducem, Gun exercitum ſonat: Cu Regem, Bo partem: vt Regis partem, hoc eſt quaſi dexteram intelligas. Porro Sama dominus eſt: quod cùm honoris ergò adiungi conſueuerit, Cuboſama exiſtit. Dairis apud Iapones ſummæ eſt titulus poteſtatis: vigetque etiamnum familia, penes quam iam inde ab annis ante Chriſtum natum ſexcentis ſexaginta perpetuo tractu in cunctam Iaponiam manſiſſe eam poteſtatem gentis annales produnt. Sed abhinc annis fermè quadringentis Cuboſamæ, armorum, quibus præfecti erant, abuſi potentia, rerum ad ſe ſummam traxere. Inde Dynaſtæ alibi alij rebellare, ſenſimque alias alijs imperij partes rapientibus, Iaponiæ dominatus ex vno in multos ſciſſus eſt. Maximus tamen regnorum numerus ac præcipuæ opes apud Cuboſamas hæſere. Qui tametſi occupato iam imperio vſquequaque pro dominis ſeſe gerebant, appellationes tamen priſtinas non mutarunt. Ita nunc & Daires, & Cuboſamæ falſa gerunt vocabula. Illis nomen eſt ſine re, miſerum delinimentum iniuriæ; his res ſine nomine, contentis ſub alienæ poteſtatis vmbra exercere pro voluntate ſuam. Quonquenindonus admiſſum ad ſe Villelam ita comiter accepit, vt, quod egregium inter eos honoris ac beneuolentiæ documentum habetur, certum potionis genus (quod Cha, ſeu Cia Italico ſono nominant) ei porrexerit: dein frequentiore in parte vrbis domicilium aſſignauit. Fama gratiæ apud Principem & opportunitate domus maior ad Gaſparem & Laurentium audiendi cauſa ac diſputandi, omnis generis mortalium vis affluxit. Sed enim nunquam pacatè ſiuit diabolus naſci Eccleſiam Chriſti. Sæpè igitur rectorum dominis inſtinctu Bonziorum eijcientibus, mutare ſedes coacti, contumelijs affecti grauiſſimis, ludibrio ac deridiculo habiti. Alij vulpes, quidam ſimias, plerique veneficos, & à dæmonibus occupatos, nonnemo denique humanarum voratores carnium vocitabant. Pueri cùm cæteris iniurijs & illuſionibus, tum lapidum glebarumque & arenæ coniectu vexabant. At ſtrenui Chriſti præcones animo inter hæc excelſo inuictoque, Euangelica porro tuba perſonantes ad centum paucis menſibus ad Chriſti coëgere ſigna. In ijs Bonzios haud paucos, vnumque prænobilem Quenxu nomine. Mos eſt Bon-

Primum Societatis Meaci domicilium.

282 *Cuboſama quid ſignificet.*

283 *Infectationes à Bonzijs.*

284

Digitized by Google

284 zijs eruditione præstantes quadam quasi diuinitate donare. Duobus è præcipuis munus est hanc tribuere dignitatem; qui, quos probãt, constitutos in sella adorant, & approbationẽ eorum scripto testantur. Ex eo tempore qui probati sunt certa ad commentandum capita proponunt cæteris. Hunc dignitatis gradum adeptus Quenxu, ipsis triginta annis in meditando consumptis, ad Gasparem venit contumacia plenus, iactitans haudquaquam discendi se, at animi tantùm veniisse causa; vtiq; cùm sibi iam notum esset quidnam ipse antequam nasceretur fuisset, quid tunc esset, quid post mortẽ esset futurus. Verũ audito parumper Villela, ita repentè diuinitus immutatus est, vt verè nihil esse quidquid sciebat, profiteretur, nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum ediscceret. Baptizatus itaque summa populi admiratione, vitæ exemplo, quam sanctissimam inijt, haud paucos, vel conuertit ad Christum, vel valdè commouit. Id vulgò Bonzij mirabantur in Gaspare, quòd vti præciperet, ita viueret, pudicitiam sanctissimè custodiens, & gratuitò docens: cùm inter Bonzios magistri quique clarissimi non solùm mercedem doctrinæ reciperent suæ, verùm etiam clanculùm quæ alijs interdicebant, ijs vescerentur: & impudicissimè viuerent. Hac comparatione Bonzij nominatim vnius auctoritas, qui quasi deus habebatur, ac cœnobio nobilissimo præerat, ita euiluit, vt de eo eijciendo præficiendoque paupere ac bono quopiam agi sit cœptum. Tam claris Euangelicæ sanctitatis vndique micantibus radijs, cùm eis tenebras palàm diabolus offundere diffideret posse, lepidum est discere quas induerit artes. Iaponicæ sectæ multæ sunt, multumque inter se dissidentes. At cœpere passim garrire Bonzij, in Christiana disciplina non aliud esse, quàm quod sua cuiusque traderet secta. Hac nimirum arte tartarea simia non semel simplici illudere tentauit populo, vt verum salutis auctorem quasi iam tenerent, non reciperent. Anno vertente rursus Villela adito Rege, quanquam multi Bonziorum reclamarent, diploma impetrauit, quo potestas fiebat diuinam legem liberè promulgandi, capitis pœna proposita, qui promulgatores impediret vexaretúe. Ea res cursum Euangelio expeditiorem aliquanto fecit, iamque permultis ad Ecclesiam aggregatis haud immaturum visum est sacram ædem instituere, quò ad doctrinam resque diuinas conueniretur. Ita demum hoc anno magna ad id empta domo, Christianis volenti animo conferentibus, prima Meaci diuino cultui destinata est ædes: sed sacrificium per inopiam necessarij apparatus, non nisi biennio pòst introduci licuit.

Bonzij exi-mij conuer-sio.

285 *Vis exempli.*

286 *Prima Meaci sacra ædes.*

HISTO-

HISTORIÆ SOCIETATIS IESV

LIBER QVINTVS.

1561. ANnum iam voluentis sęculi sexagesimum primum aduentu in Italiam Borgiæ, profectione tum Lainij in Gallias, tum Christophori Rodericij in Ægyptum, nonnullisq; in Italia & Hispania turbis notabilē, opportunum fuerit ex Hispania exordiri. Festinās ad congressum Araozij, & Frācisci Natalis Visitator Compluti Araoziū conuenit. Is cæteriq; Patres auctores fuere, vt Franciscū reuocaret è Lusitania in Castellā. Iam enim videbatur Franciscus offensionē Regis, & Archiepiscopi Hispalensis suspiciones timens, Castellæ se haud liberè fidenterq; cōmittere. Natalis nuncio misso, nihil certi perscribens in eam propendere se partē significabat, vt reditū magis probaret, ne fugæ nomē tribueretur absentiæ; & metus quasi index cōscientiæ sermones suspicionesq; hominum adaugeret. Interim dum opperitur responsum, Concham excurrit, remq; è sententia gerit. Hîc Patres nullo reditu certo, sed piorū eleēmosynis, præsertim Petri à Puteo Canonici adhuc victitarant. Sed & huius ac cæterorū ciuium pietas adeò refrixerat, vt interdū, quò supremæ necessitati succurreretur, aliquid ex ornatu & instrumēto templi fuerit diuendendum. Oriebantur inde tantæ rerū angustiæ, quòd, cùm scholæ Conchæ non essent, Socijq; nec multi, nec facultatis eximiæ, propè ignorabātur, &, si qui norant, ab Canonico eos ali putabant. Quia tamen B. Ignatij tempore ea fuerat instituta sedes; & bene cœptorum difficultates non fuga, sed cōstantia sciebāt potiùs superandas, ibi primùm admouent medicamentū, vbi mali originem vident. Scholas aperiunt Latini sermonis; & Ioan. Martiniū bonum iuxtà virum & concionatorem Toleto accersunt. Is aperto documēto fuit, quanta sit cōstantiæ vis, quidq; facto sit opus, si quando initia malè votis respōdeant. Cùm primū est concionatus, pauculi audiuere; cùm secūdò ac tertiò, haud multò plures: non tamen animum despondet, nec idcirco, quòd pauci aderant, contemptim aut negligentiùs agit, sed perinde ac si frequentissima auditura esset concio, cum cura ac studio, quæ dicturus est, præmeditatur: deinde in suggestu item tanquā à plurimis audiretur, grauiter vehementerq; cum audientiū obseruantia agit: eò quin etiā magis enititur, quo se minùs volūtarij auditores offerebāt. Ecce autē breui rumor exoritur, bonum & acrem apud Patres concionari virum: isque rumor nouis concionibus auctus latiùs funditur, plureſq; ac plures in dies adducit: inde totam replet vrbem cietq;. Neque iam subsidia tantū ad alendos affatim Socios vltrò congerebantur, sed etiam extitere, qui de perpetuis addicendis reditibus cogitarēt. Cogitationem hanc, vbi Natalis Concham venit, Petrus Marquina Canonicus seriò erat ingressus, nisi quòd tot initio abhorrētes ab Societatis legibus aduoluebat cōditiones, vt eiusmodi donatio nimis caro emeretur. Erat vir planè pius Marquina, & iuuandæ patriæ suæ percupidus, & nostræ familiæ amans indeusq; ab notitia & familiaritate Ignatij; qua olim se vsum Romæ gloriabatur. Cuius bonitatē animi ac rectam mentē vbi primo colloquio Natalis perspexit, apertè ac simpliciter monet, Quandoquidē hanc illi Deus cogitationē immiserat, vt, quemadmodū aiebat, quidquid sibi rerum esset, in Dei gloriā impensum vellet; consideraret secum ipso, num è maiore Dei gloria futurum esset liberè Societati prorsus donare, an eas conditiones imponere, quibus instituta eius violarentur. Nihilo plus Societatē obsignatis tabulis coactam, quàm sua sponte facturā. Instituto ac legibus suis iuberi totam se saluti proximorū impendere: in officio si legibus his non cōtineatur, nec quas Collegio Marquina imponat, fore satis. Cogitaret igitur ad Dei quoq; gloriam pertinere, vt, quæ Ignatius tam maturo consilio, tantaq; consultatione cum Deo habita vir diuinæ gloriæ tam acer assiduusq; venator instituta condiderit, intacta & inuiolata seruentur. Nec solùm existimaret in fundando Collegio, respicienda sibi vnius commoda vrbis, sed huius pariter totum per orbē sparsæ familiæ. Nec dubiè maiorē ibi futuram Dei laudem, vnde Societati iuxtà & ciuitati, quàm vnde alteri tantummodo cōsulatur. Facilè inter homines nihil nisi optima sequentes conuentum est. Tumque primùm inita ea ratio est fundandorū Collegiorum, vt ex mera liberalitate cōditores instituant instruantque Collegia, nulla per stipulationem conditione iniuncta: Societas autem donatione admissa præscribat sibi, quæ quoque in Collegio pro conditorum voluntatis significatione præstari à suis velit: quæ postea semper studiosē cumulateque præstitit. Inter hæc litteris à Francisco relatis in Castellam ipsum venturū, Natalis Toletum proficiscitur, Regi litteras Lainij ac Pontificis redditurus, cùm statuisset, antequā Regem allocutus esset, è suo munere nihil administrare. Hîc Ferię Comitē, ac Rodericū Gomium à Silua, ipsis vltrò offerētibus alloquitur, vtrumq; Ordinis amicū, & Araozij admiratorē magnum. Multùm cum alijs quoq; Dynastis profecit. Cōsaluus Fernādus Corduba Dux Sueſſæ, qui Prætor Mediolanū mittebatur, recepit se de Collegio in ea vrbe fundando acturū. Antistes Hispalensis præ cæteris laudibus Societatis mirari se dixit, quòd inter tot ex ea cōcionatores tam lubricis temporibus, nemo vnus eorū deprehensus esset minùs orthodoxum quid docere. Nuncius Pontificius Alexander Episcopus Cariatensis tanquā vnus de Societate haberi volebat; nec aliter humanitate, operā, sermone gerebat sese. Deniq; per Araoziū, quanquā visus ille est id lentiùs exequi, & offensionis quiddam præseferre, ad Regem quoq; aditus patuit. Reddidit à Pontifice, & à Lainio litteras:

1 *Res Hispanica.*

2 *Conchensis Collegy varius status.*

3 *Schola instituta.*

4 *Concionatoris constantia.*

5 *Petrus Marquina Collegium fundandum suscipit.*

6 *Conditiones alienæ ab instituto Religiosis non imponendæ.*

7 *Formula condendorū Collegiorū à Natali inuenta.*

8 *Res à Natali apud Regem & aulā gestæ.*

Digitized by Google

ras: expoſuit, quid veniſſet: quàm eius dedita Maieſtati Societas eſſet: poſtremò ſe cũ bona Regis gratia aggreſſurũ ſuum Societatis viſendę munus, & ad eum, ſi quid opus foret, perfugiũ habiturũ. Benigno Rex vultu Natalem, & eius orationẽ excepit; litteras ſe lecturũ dixit: ſiquid nominatim vellet, cum Roderico Gomio ageret; facturum ſe perlibẽter. Quod poſtremũ, verbum magni inter eos homines æſtimatũ eſt. Litterę inde viciſſim in commendationẽ Collegij Romani ad Pontificẽ, & ad quoſdã Cardinaliũ, haud ampliùs acceptũ.

9 *Natalis ad Borgiam pergit. Buſtamantius in Baticam remittitur.*

Iam verò, quoniã Borgia haud iter ſatis expediebat, ad eum ſibi Natalis pergendũ putauit. Octauo Idus Aprilis Portum venit. Aderat adhuc vnà Buſtamãtius: quẽ remiſit in Bæticam, ne ob diuturnã eius abſentiã grauiùs prouincia laboraret. Nec ſolidæ cuſtos humilitatis, rumuſculorũ contemptor nobilis, ea cauſa, propter quam fugiſſe putabatur, cunctationem vllam intulit. Borgia, tametſi delicias ſummas rebatur, quòd à negotiorum profanorum aularumque abeſſet ſtrepitu; valetudine tamen grauiter afflicta erat. Haud

10 *Borgia latitia in mala valetudine.*

rarò pars aliqua obtorpebat corporis, ſolutiſque neruis quadam paralyſi tentabatur, læto ea re viro Dei, tum quòd patientiæ materia inde ſuppetebat, tum quòd ſperabat regendis alijs haud ſufficienti, in ſanctæ obediẽtiæ gremio ſibi latebras & exoptatam requiem fore; ita vt, cùm in pollicem dexteræ malum aliquando incidiſſet, venuſtè diceret, ſe in eo digito digitum Dei agnoſcere, incipientis à ſcribendarũ ſe litterarum, & imperandi moleſtia liberare. Periucundus accidit illi Natalis aduentus: totum ſe ei aperuit, penituſq; permiſit: nec quidquam habuit antiquius, quàm vt cum eo generalem inſtitueret confeſſionem, exiſtimans vitæ rectorem correctoremque ſibi miſſum à Deo. Ipſe quoque Natalis valdè eſt delectatus, & cæterorum, & Franciſci inprimis conſpectu: & beneuolentiam ciuium erga Societatem Portuenſium, Goueæ ante omnes, admiratus. Domi nihil erat commodi, niſi horti non inamœni, ſed ijdem ardua accliuitate difficiles. Iuſſit Natalis Collegium eſſe, non Profeſſorum domum: ſtatimque à viro nobili oblata vectigalium ſpes. Hîc cognito rerum communiorum ſtatu, cœpit ſingulorum quoque domiciliorum ac Sociorum cognoſcere diligenter res atque componere. Confecit ſibi formulam interrogationis, qua deinde tota in cognitione eſt vſus, incluſis in eam capitibus, ad quæ ſingula cùm reſpondiſſent (ſcripto autem ferè reſpondebatur) ſatis cuiuſque cognitus ſtatus eſſet.

11 *Collegium in vrbe Portus ſtatuit Natalis condendum.*

Res inde Collegij Bracharenſis, Montis Regij, ſedis ſancti Felicis raptim inſpicit componitque. Bracharenſis Collegij adoleſcentia Ignatio Azebedio Rectore proſperè procedebat. In extrahendis è flagitiorũ cœno mulierculis extiterat inſigne operæ pretium. Sed præcipuum opus, ad quod in præſens Collegium Deus Bracharam videbatur aduocaſſe, erat mitigatio ſimultatũ. Tota erat rixis odijſq; implicita ſimul ac diſtracta ciuitas, adeò pleriſq; inueteratis, & altè animis hominum infixis, vt aliorum Archiepiſcoporum, & Cardinalis Henrici euellere ea ſedulò tentãtium irriti cecidiſſent conatus. Aderat tamen Ignatio ac Socijs clementiſſimè Deus pacis, vt vel ex vno

12 *Bracharæ inſignes paces conciliatæ.*

cognoſci exemplo licet. Duos præ cæteris, qui ex vetere inimicitia cõſertis manibus ad necem tendentes peſſimè ſe viciſſim acceperant, ac mutilauerant, ſeparatim allocutus Ignatius, ita deliniuerat paulatim ac flexerat, vt pollicerẽtur in gratiam redituros. Dicta die, qua conuenirẽt in Collegij templũ, pacemq; ſancirent, alter maturè adfuit, alterum iam diu morantẽ ſolicitus Pater aduocandũ internũcio miſſo cogitabat; cùm opportunè vir vulgò bonus in templũ venit. Eum peridoneum putans internunciũ fore, amicè cõpellat, & precatur modeſtè: diu ſe grauem ob cauſam expectare hominẽ illum: exiguũ laboris ſuſcipiat ipſe, nec graue putet accerſere. Ad quæ vir bonus humaniter: Omnia mihi alia imperato, Pater: hominẽ iſtum iam decimum annum non alloquor. Tunc Ignatius mente raptim ad Deum ſublata, Atqui, frater, diuino, vt video, factum cõſilio eſt, vt interuenires. Accerſebamus eum, vt cum altero, quod ſpopondit, pacẽ ſanciret; quando & tua eadẽ eſt cauſa, per Chriſti Ieſu dulciſſimã caritatem ac ſanguinẽ imple gaudium noſtrũ, & tu hîc hodie inimicitias pone. Ille muſſitare primò: tandẽ, quòd in templo erat, quòd ex improuiſo deprehenſus, & manu Dei ductus veniſſe videbatur eo tempore; ſi per alterum non ſtaret, recipit per ſe non ſtaturum, quo minùs diſſidium finiretur. Tum Ignatius tradito homine Patribus pia iucundaq; collocutione detinendo, eo auidiùs illum, qui expectabatur, cupiebat acciri. Rogat itaque aliũ, qui fortè ſe obtulit, eadem comitate, qua proximum; & eodem ille reſpondit modo. Quidlibet præterid mandaret: vnum id omniũ eſſe, in quo gerere morem non poſſet. ſibi cum eo homine iam diu non conuenire. Et hunc intercipit Ignatius: ac tertium, inquem incidit, ſubmiſſè precatur, domũ vſque eius ciuis, quem nominabat, niſi ſit incõmodũ, ferat ſe, nuncietq; dudum ad S. Pauli expectari (id eſt templo nomen.) At is nihilo quàm ſuperiores diſſimulantiùs reſpondet, inter ſe & illum neſcio quid iurgij ac rixæ fuiſſe; nec alterũ alterius domum itare, aut conſuetudinẽ velle. Et hoc quoq; retento, & placidè ad concordię amorẽ reducto, tandẽ qui expectabatur, vltrò adfuit. Ac primò quidẽ ad nomen tot ſibi inimicorũ cohorruit; tamẽ, vbi ſeriem nec opinatã geſtæ rei cognouit, adeſſeq; paratos amicitiam redintegrare, lætus pro vna pace quadruplicem fecit. Nec minor fuit trium voluptas, in fortuito interuentu neſcio quid prouidentia humana maius agnoſcentium. In hiſce proprijs filiorum Dei muneribus feliciter occupatum Bracharæ Ignatium Natalis reperit: cuius ardore, totiuſque Collegij ſecundo curſu delectatus, Conimbricam, vbi maior erat moles, properauit, conuento, vt Borgia ad Portũ ſubſiſteret, quoad ipſe reuerſus in Caſtellam Natalis aliquid ei certi ſignificaret. Magna erat Conimbricenſiũ Sociorum virtus, præſtanſq; apud omnes eorũ opinio, præcipuè apud Antiſtitẽ Ioannem Suariũ: qui ad Concilium Tridentinũ, quod Pius IV. rurſus edixerat, ſubinde diſcedens, ideò ſe lætũ ſecurumq; abire profeſſus eſt, quòd oues ſuas hominibus Societatis cõmendatas relinqueret; iuſſo præterea Vicario quidquid grauius incideret, conſultare cum eis. Tamen, vt numeroſa in familia, multa

13 *Conimbricenſis Collegij ſtatus.*

ſuper-

Digitized by Google

supererant componenda: nec deerant Patres, quibus ardore studiorum sensim intepescere in nonnullis videretur perfectæ amor virtutis: idq; ex eo Consaluus Vazius Mellus intelligere se ad Lainium scripserat, quòd in consuetis à mensa remissionibus haud tanta suauitate, tantoque gustu de pijs inter se rebus, quanto priùs agerent: & feruor vigorque caritatis, & quasi flos deuotionis, qui vulgò antea ex simplicitate consuetudinis, & oris quoque sancta hilaritate apparebat, videretur aliquantum elanguisse. Idcirco Natalis sibi hîc diligenter, & per otium agendum censuit. Rector erat Michaël Sosa, Superintendens Iacobus Miro, qui post creatum Aragoniæ Prouincialem in Lusitaniam redierat.

14 *Quæ forma visitationis vsus Natalis Conimbricæ.*

Natalis hanc visitationis viam iniuit. Ad res decernendas in consilium adhibebat initio omnes Superintendentis consiliarios. Sed quia illi ita dicebant, vt res obscuras incertasq; sententiarum varietate incertiores & obscuriores facerẽt, nec vllum consultatio exitum haberet, Mironẽ tantùm, & Sosam adhibere ad consultationem instituit. Eorum sententijs auditis, quod sibi videbatur, statuebat: tum id, quod statuerat cæteris seorsum consiliarijs expendẽdum tradebat: ac si quid hi commodè admonuissent, amplectens, quod priùs ipse iudicauerat ex eorum sententia corrigebat. Vt autem tanta in multitudine clariùs Sociorum vnumquemque familiariusque cognosceret, cùm in alijs domicilijs semper mẽsa epulisque communibus vteretur, hîc epulis communibus, mẽsa vti priuata instituit: ad quam aliquot semper è Socijs ita distributis, vt nemo præteriretur, aduocabat. Dein singulos ex ea quam sibi confecerat, formula, separatim interrogabat, eorumque generales confessiones excipiebat. Ad omnes verò incendendos, & propriam instituti rationem in commune edocendos frequentes habuit alternis fermè diebus exhortationes. Exposuit initio quàm necessariam hanc visitationem duceret Pater Lainius: sępiusque per se voluisse ipsum Societatem lustrare totam, sed prohibitum semper à Summo Pontifice, qui ad commune totius Ecclesiæ bonum eius operam magis vtilem Romæ censuerat. Porro visitationes eò spectare, eamque ob causam esse institutas, vt excitetur instaureturque feruor spiritus, & quasi vigori iuuentæ, vitæque nouæ sensim sine sensu (vt humana alia) senescens disciplina reddatur. Tum de Religionum natura disputãs, aiebat Deum velle, vt essent in Ecclesia sancta, à quibus perfectè coleretur. Idcirco certas quasdam ac peculiares vias certis ipsum famulis suis demonstrare, quibus ad perfectionem tendatur; & has vias Religiosos Ordines consectari: quibus etiam propria quædam ac singularia gratiæ suæ beneficia impertiat: idque esse quod dicitur gratia propria Religionis aut vocationis: nempe auxilium Dei cuique Ordini proprium: quo Religiosorum quisque quæ peculiaria sunt instituti & vocationis suæ, præcepta & munia exequi possit. Idcirco magni à quoq; fieri debere vocationẽ, in qua vocatus est. Sed nullo pacto alios Ordines negligẽdos. Etenim suum quoq; ab eo contemni, qui alienum parui faciat, cùm æquè omnium præcipua sua gratia auctor sit Deus. Nescire quid sit Religio, qui Religiosarum vllam familiarum parui æstimet. Homines autem Societatis debere in primis altè sentire, atque honorificè de alienis Religionibus loqui; seque omniũ minimos ac vilissimos ducere. Hinc ad agendum propriè de Societate transgressus, ad conuersionem animarum institutam à Deo memorans, dicebat, Si quis eam oculis totam lustraret, animaduersurum nihil esse aliud, quàm vigorem feruoremq; exuberantem & viuum strenuæ caritatis ardua appetentis & magna, nunquam otiosæ, nunquam expletæ, nunquam defessæ. Nec opera misericordiæ, quæ ad corpus pertinerent, hoc ab instituto esse aliena: sed ad gloriam Dei maiorem visere, & alloqui reos in vinculis, & in nosocomio ægrotantibus ministrare, idque gratuitò, eiusdem illius caritatis esse, quæ vti ad Septemtrionẽ inter hæreticos, vti ad Brasilos & Indos Ethnicos, & pugnaces Iaponum populos, ita ad plateas inter Fideles, nosocomia, custodias, &, vbi vbi spes affulgeat quæstum animarũ faciendi, compellat. Nec instituti Societatis esse homines dumtaxatà vitijs auocare, sed eosdem conari ad vitam virtutemque (quantum cuiusq; status patiatur) perfectam per exercitia præsertim spiritualia ducere, non quidem humanis rationibus persuadendo, vt Religiosi fiant; sed vitia remouendo, cęteraque suppeditando adiumenta; per quę ad instinctus Dei sentiendos, quos ille vocauerit, præparentur. Societati totum terrarum orbem pro domicilio esse, eiusque haud dum nisi initia & adumbrationem cerni. Vbi adoleuisset, suisq; partibus ac lineamentis absoluta esset, tum verò longè lateque terras in omnes eius alumnos dimissum iri; vt vbique, quantum in se esset, pararent Domino plebem perfectã. Et quoniam oporteret, qui magistri ducesque ad perfectionem futuri essent cæteris, eos eximiæ esse perfectęque virtutis, & multa offerrentur in his muneribus, in peregrinationibus, in promiscua hominum consuetudine pericula; idcirco decretum, vt haud minus, quàm biennium in Tirocinio poneretur: ac præterea tam multa experimenta instituta, tot ad domesticam sanctimoniam tuendam augendamque comparata præsidia. His adijciebat multa de ortu progressuque Societatis, de factis dictisque Beati Patris Ignatij, quæ iucundissimè audiebantur: de laboribus, deque rebus aduersis, quibus tenera Sodalitas exercita fuerat; ex ijs docens moris Deo esse insigne aliquod beneficium conferre volenti permittere vexationem & infectationem præire. Explicabat Societatis gradus & ordines singillatim: viasque tradebat, quibus in suo quisque perfectum se posset reddere. Sed ardorem, vim, spiritum, quo hæc dicebat agebatque, quis referat? Spirabat oratio: & mirabilis quædam verbis addita diuinitus flamma videbatur ad incendenda audientium pectora: ad amorem erga disciplinæ institutum, & studium efficax perfectionis ac diuinæ laudis ingenerandum. excepti sunt ij sermones scripto, vt læpiùs lectione prodessent: & interdum cõmunia super ijs quę dixerat, colloquia & collationes instituit, magno cum Sociorum profectu: cùm ibi familiariùs planiusq; dicta recenserẽtur; quę quisq; liquidiùs expli-

15 *Exhortationes Natalis.*

16 *Religiosi Ordines omnes magni faciendi.*

17 *Societas quid sit Natalis sententia.*

18

19 *Natalis in agendo vis.*

Digitized by Google

explicata vellet, quærendi potestate facta; sententiasque suas multis in rebus appositè conferentibus Socijs, collationum more, quæ veterum Ægypti Patrum narrantur. Denique res vsque eò præclarè cessit, vt Natalis ipse vberiorem solito diuinæ gratiæ copiam visam adesse ea in re prædicaret: quod Lainij precibus, ijsque quæ tota in Societate pro felici visitationis exitu erant indictæ, tribuebat. Confessionibus generalibus præparati, voluntarijs pœnis limati, adhortationibus his incensi, vota denique cuncti renouarunt sensu dulcissimo sanctæ voluptatis, se quasi nouos homines actum primùm Religiosum curriculum ingressos vigore virium, & proficiendi studio admirantes. Ipsa quoque familiaris cõsuetudo Natalis pro salutari adhortatione erat. Comem se omnibus atque hilarem æqualiter præbẽs, in consuetis à mensa laxamentis multa de Societate, de Patrum fratrumque virtutibus, deque rebus ab eis in commune bonum apud gentes varias gestis prudenter & iucundè narrabat: vnde plurimum & spiritualis doctrinæ hauriebatur, & religiosæ voluptatis. Cùm tabellam vilium atque difficilium operum, quę Romæ publicè exponebatur, vt ex descriptis in ea mortificationibus, quas quisque sibi vellet concedi, ex Moderatoribus postularet, hîc quoque Natalis proposuisset, pulchrè Sociorum ardor emicuit. Nesciebant vel modum, vel habere delectum. Omnes volebant omnia. In cæteris, quæ in commune præscripsit, segregatio à consuetudine & septis Collegij famulorum perutilis fuit.

21 *Borgia Romam iter capessit.*

Hæc dum alacritate & contentione iucundissima Conimbricæ fiunt, ecce tibi repentè ab Portu Borgia. Alteras iam à Pontifice litteras, quibus Romam aduocabatur volente vel in Concilio, vel alia in re eius operâ vti, itemque alias à Lainio acceperat, pergratum sibi eius aduentum fore. Quare nisi Natali aliter videretur, decreuerat confestim iter arripere; &, ne quam in Castella moram offenderet, ad proximum Baionę (Aquas Augustas Latinis putant fuisse) portum naui, inde per Galliam Romam contendere. Vidit statim Natalis anceps consilium & periculosum. Posse hanc itionem Hispalensi Antistiti, Regiq; parum gratam accidere. Qua de causa semper & ipse, & Lainius suaserant, vt abiturus exploratis antè rebus ac præmollitis, per Castellam atque per regiam ipsam transiret. Ergo agendum sibi putauit cautè; vt, si quando opus foret, liceret iurato confirmare nec suadente se, neque consentiente profectum: nec sibi fas fuisse morari, quòd litteras ea super re à Præposito Generali, & à Pontifice accepisset. Iuuat hîc, quàm sincera Borgiæ pietas esset, adnotare. Priore Pontificis diplomate accepto motus loco non est, quòd vereretur ne non satis quidquid in causa erat, explicatum Pontifici esset. Itaque voluit ei disertè narrari, ipsum, cùm etiamnũ Ducis titulos obtineret, scripsisse Hispanico sermone libellos, qui ante recèns deprehensos errores, cum pietate, & absque omnis erroris suspicione lectitabantur: deinde ab sacris Quæsitoribus Hispaniæ interdictos. Quod cùm esset factum, nec quidquã præterea in hominem Quæsitores decressent, se piorum virorum suasu in Lusitaniam, vnde proximè aberat, transijsse. Iam in Castellam reditum pro seueritate laudabili eius tribunalis videri quibusdam periculosum. His probè cognitis, quid è re diuina cẽseret, iuberet Pontifex. Ipsi ad Sanctitatis eius pedes accedere, fore pergratum. Quæ cùm omnia Pontifex ex Ferrariensi Cardinali, & ipso Lainio cognouisset, & nulla cuiquam de Borgiæ sanctitate dubitatio esset, nouum diploma dedit. Hæc ita cùm essent, Natalis, vt necessariam sibi ad agendas res apud omnes libertatem gratiamque conseruaret, noluit negotio immiscerì. Statuere per se Borgiam ipsum iubet. Ille, vti cogitarat, nauim conscendit: sed altero die salo vehementer afflictatus redijt ad sancti Felicis. Inde Natali significat, quando nauigatio non succesisset, iturum se per Castellam. Enimverò cunctos Patres commouit hic nuncius. Existimabatur in apertum ruere discrimen: & quanquam bonitate causæ & conscientia confidebant, tamen vitandam occasionem ducebant, ne quid secùs eueniret atque talis viri fama & sanctitas mereretur. Extemplò igitur Natalis aduocatis in consilium Mirone ac cæteris consiliarijs de communi sententia litteras mittit, quibus eam profectionem magnopere dissuadet ac damnat. Scriptæ raptim missæque continuò litteræ sunt. Sed Deus, qui famuli sui consilia & gressus regebat, Romamque ad Ecclesiæ ac Societatis cõmune bonum destinauerat Francisco sedem, fecit, vt quæuis diligentia ac festinatio sera esset. Cùm enim scriptis ad Natalem litteris, sine mora iter ille esset ingressus, consequi eum nuncius nequiuit. Quæ res solicitudinẽ creauit magnam Conimbricensibus vehementer suspensis, quem exitum repentina profectio sortiretur: nec priuatim ac publicè pro eo preces ad Deum mittere, & immolare diuinam hostiam intermisere.

22 *Borgia simplicitas & integritas.*

23 *Petrus Perpinianus Romam missus.*

Natalis, absoluta visitatione Conimbricensi, cùm Roma litteras accepisset, vt, si quos inueniret ad Collegij Romani res illustrandas idoneos, mitteret; Petrum Perpinianum oratorem insignem è Lusitania iubet ire, scribitque in Castellam, vt Ioannes Mariana, Iacobus Acosta, & quidam Ramirius, quem constantia defecit, eant. Petrum Fonsecam Commentarios, quod ei antè quoque mandatum fuerat, scribere in Philosophiam iubet. Inde Olisipponem meditans, vt cum Cardinali Henrico de Eborensi Academia posset agere, ad propiùs cognoscendũ eius Academiæ statum, Eboram pergit; Leonemque inde Henricum Rectorem ducens, qui & gratia & auctoritate apud Cardinalẽ valebat, & ad Collegij Academiæque sibi commissæ tractandas res necessarius erat, Olisipponem pridie Kalendas Augusti venit. Hîc Regina, Cardinalis, & Rex puer Sebastianus de eius aduentu singularem visi lætitiam præferre. Et puer quidem visitationis beneficio & ipse fruiturus, statim vt vidit Natalem, simplicitate ingenua rogauit, vt iuberet eo die Ludouicũ Magistrum suum scholam breuem habere. Quod vt primùm planè se velle omninoque iubere, Natalis respondit, ipsemet puer alacris nunciaturus cucurrit. Placebat summopere, ac planè regia indoles Natali videbatur. Venerationem Romani Pontificis singularem suauissimè imbibebat; præcipueque aduer-

24 *Regia domus erga Natalem benignitas.*

Digitized by Google

aduersus Custodes Angelos eius efflorescebat pietas, cùm iucundissimè audiret sibi duos è beatis illis cœli Principibus præstò esse custodes. Ac præter alia obseruantiæ studia, quotidie flexis genibus eorum se curæ cõmendabat. Cardinalis ad cæteram humanitatem quantum Societati tribueret ostendit, legibus Academiæ suæ vltrò Natali traditis, vt is eas quocunq; placeret modo, fingeret; &, sicubi opus censeret, penitus ad institutorum Societatis normam pro arbitratu redigeret. Regina Natali eiusq; comitibus, quãdiu Olisippone fuit, impẽsas in cibos attribuit: abeunti egregiam mulam, & quingẽtos ad viaticũ aureos nummos donauit. Qua ex pecunia quinquaginta dũtaxat sibi reseruatis nummis, reliquos ad subleuandas Romani Collegij necessitates Romam transmittendos curauit. quod persæpè faciebat, pauloq; antè alterũ tantum miserat, quasi sedulus Pater, qui inter peregrinandũ egenorũ domi filiorum assiduè memor, quidquid nancisci potest, in solatia eorum seponit. Vt plurimũ hoc quoq; nomine eius viri caritati nõ reliqua modò Societas, sed priuatim Collegium illud princeps, ex eoque tam multæ propagatæ coloniæ debeant. Olisippone eadẽ, qua Conimbricæ forma ac felicitate rem gessit. Ibi quoq; alternis ferè diebus ad Socios Collegij domusq; Professorũ in vnũ conuocatos exhortationes habuit. Ac postremò, quoniã Michaël Turrianus Reginæ confessionibus audiendis alligatus, ægrè Prouincialis muneri, præsertim in adeundis prouincię Collegiis faciebat satis, idemq; bonã missionẽ seriò precabatur; eius loco Cõsaluum Vazium Mellũ Prouincialẽ creauit, nulla eius rei facta cum Regina, vel quopiam externorũ mẽtione: vt, quemadmodũ ipse ait, exemplũ posteris religiosæ libertatis tuendæ relinqueret. Idq; consiliũ cùm postea Cardinalis cognouisset, pro pietate prudentiaq; sua summè probauit. Quippe apprimè intelligens, ac fautor Euangelicæ perfectionis Antistes erat: nec multò antè vnum ex Eborensibus Patribus vehemẽter commẽdarat, quòd eum sibi in re haud leui germani fratris negotium cõmendare noluisse compererat: adiiciens non posse se nõ studio summo complecti ac fouere Societatem, cuius homines adeò animũ ab humanis rebus segregasse perspectum haberet. In Collegio S. Antonij reperit Natalis inter Socios degentẽ Ceilani insulæ Regulum, cui nomen non multis antè annis à Patribus S. Francisci baptizato, Ioannes inditũ fuerat. De eo ab conuictu segregando agendum non duxit, quòd Regina omni studio anno superiore contenderat, vt ibi aliquamdiu educaretur; atq; adolescens ita se piè modesteq; gerebat, vt & Sociorum virtute excitaretur ipse, & illos vicissim excitaret sua. Rectori obsequentissimus erat. Quæ Socios cernebat humilia obire munera, ea ipse quoque inferens se in medios, aggrediebatur: atque interrogatus, cur nõ puderet eum attrectare scopas, ac domũ euerrere; nec barbaro, nec puerili respondit sensu, Euerrere se domũ Dei: atque ex hoc quoque labore, quòd Dei domo dedicetur ac seruiat, intelligere se honorẽ sibi ac decus accedere. Interim Borgia Deo duce iter persecutus in Galliæ fines sospes euasit. Inde litteras magna submissione atque obseruantia scriptas ad Philippum Regem, quibus sese purgabat, mittit. Quam rem ex Araozio Natalis vbi cognouit, tametsi is exclamabat, vituperari ab æquis & iniquis eam fugam: acerbiùs inuehi Archiepiscopũ, litteras ad Regẽ quasi ex hostico missas malè accipi, totam Castellã flagrare inuidia: tamen non æquè his rumoribus cõmotus est, quàm gauisus virum innocentissimũ extra periculũ esse. Quadraginta diebus Olisippone moratus, Eboram redit. Inter cætera, quæ ibi decreuit, illud fuit. Oneri erat Sociis frequẽs quorumdã nobilium, nihil nisi fallendi temporis causa in domesticos hortos ingressus. Iussit Natalis sacerdotẽ spectatæ virtutis notæq; seueritatis deligi, qui daret se in consuetudinẽ eorum; sermonemq; de pœnis infernis, de supremo iudicio, de morte, deq; aliis huiusmodi rebus inferret. Fore vt eius seruitutis pretium extaret, si tales sermones pati possent: sin autem minùs; id certè (quod euenit) vltrò desisterent molesti esse; eoq; itare, vbi minùs, quàm aucupabantur, amœnam auram, minusq; gratos susurros inuenirent. Res Eboræ non secùs atque in reliqua Lusitania, prosperè transactæ: ac tota ea prouincia admodũ Natali placuit. Duo potissimùm laudabat in inferioribus, vegetos animos, & ingenia haud quaquam tristia ac pigra; sed alacria & efficacia: in Moderatoribus facilitatem & obedientiã, qua regi se ac flecti à Visitatore permiserant; suasq; sententias ad eius sensus accommodantes, quidquid ille præcepisset, cupidè & cum veneratione susceperãt. Nec dubium, quin hac in re ad successum visitationis vel præcipuũ fuerit momentũ. Facilè enim descendit ad infima, & omnia continet ordo, vbi nusquã turbatur in mediis. Postremò etiam Brigantinum Collegium Antonio Pinerio Episcopo Mirandensi, & Ioanne Brigantino Duce summo studio petẽtibus admisit. Erant Brigantię ad cœnobium virginum magno sumptu ædes extructæ cum templo: sed compertum quàm vtiliter in ciuitatum emolumentum exerceretur Societas ex opera, quam ibidẽ aliquamdiu Dominicus Cardosus, & Leonellus Lima nauarãt; cogitatio subiit Antistitem simul ac Ducem in ædibus iis collocari Collegium posse. Diu super hac re consultatione habita, multis in eum finẽ de sancto Spiritu iussis fieri Sacris, semper magis cõsilium magisq; probatum est non vrbis modò, sed circumiectorum quoque pagorum oppidorumque, quæ & plurima & egentissima culturæ erãt, opportunitatem spectantibus. Qua de causa ita institere, vt Natalis, quamuis res domestica in præsens angustior offerretur, indulgendum putarit. Et verò populi vniuersi ardor is erat, vt missis sæpè ad Prouincialem & Borgiam antè legationibus publicis, quidquid necesse foret, si Episcopus ac Dux non tribuerent, collaturos se de priuato profiterentur. Nec minoribus studiis, cùm missi incolæ sunt autumno insequentis anni, exceperunt. Leonellus Lima primus Rector; concionator, idemque quæstionũ de Christianis officiis enarrator, Dominicus Cardosus iam Brigantinis noti fuere.

Mortuus Eboræ Simon Corderius & sua virtute & parentis memorãdus. Namque pater filij exequiis eo die confessus, & sancta communione sumpta, ficis oculis interfuit: nec multò antè

25 *Natalis vbique memor Romani Collegij.*

26 *Consaluus Vazius creatur Prouincialis.*

27 *Ioannes Regulus Indus inter Socios educabatur. Pietas adolescentis.*

28 *Borgia iter prosperè cedit.*

29 *Solertia Natalis.*

30 *Placet ei valdè prouincia Lusitana.*

31 *Collegij Brigantini origo.*

32 *Mortuus Simon Corderius.*

Digitized by Google

alterum filiũ item in Societate morte abreptum amiserat. Quorũ ita non absterritus acerbitate, sed potiùs lætatus est pietate mortis, vt iam seipsum in eorũ vicem dare meditaretur, vt finem consimilẽ inueniret. Ibidem mortuus est P. Franciscus Henricius Nauarrus Tironũ Magister virtutum cæterarũ, sed patientiæ in primis & obedientię omnium iudicio, qui nouere, perfectum exemplar. Ludouicus Seguratus Ebora Olisipponem valetudinis causa, quòd sanguinẽ excrearat, missus, ibi decessit, die obitus sui prædicto. Quo instãte rogauit, vt lectulus sibi sacris Christi aç Deiparæ (cui addictissimus erat) imaginibus vndique circumdaretur: eaq; re impetrata, quasi inter sanctissimas manus Matris ac Filij lenissimè expirauit, decem & octo annorũ adolescens: qui cùm donis humanis diuinisque cumulatus permulta haberet inuidenda, innocentia tamẽ morum effecerat, vt obseruaretur & amaretur ab omnibus nõ domesticis modò, quod facile erat, sed etiam alienis. Sed in teneriore etiamnũ ętate, idemq; non multorũ mensium Tiro Gaspar Fonseca robustissimæ virtutis exemplũ dedit: obstupescentibus medicis & chirurgis, cùm fœdum apostema, quod illi in latere extiterat, sæpius ferro sectũ aperuere, vnde in corpore humano patientia & animi excelsitas tãta. In doloribus acerbissimis vulnera dumtaxat recordabatur & loquebatur Christi. Nullum vnquam præter hoc solatium, auxilium, remedium postulauit. Interrogantibus quemadmodum haberet, perpetua respõsi formula erat, Bene: Laus Deo. Fastidio cibi cùm laboraret, ideoq; Patrũ quidam, vbi dapes afferrentur, se velle interesse dixisset, vt animum faceret ac solaretur, Gaspar accersiri hominem rogabat, vt adactus ab eo stomachi contumaciam vincere, occasionem tolerantiæ durioris haberet. Quòd si quãdo obedientiæ fieret mentio, tam auidè quidquid offerretur, quamuis natura grauissimè auersante hauriebat, vt ingenti fame & gustu videretur illectus: obedientia nimirũ quasi cibo è Christi Domini mensa delato, quod condimenta caduca non poterãt, dulcem elaborãte, si nõ corporis, at animi palato saporẽ. Postremò de vita desperatum esse cùm audiit, ita exiliuit, vt reuiuiscere spe mortis vicinæ visus sit.

33 *Franciscus Henricius,*

34 *Ludouicus Seguratus,*

35 *Gaspar Fonseca.*

36 *Turba in Castella.*

Iam Natalis vt in Castellam festinaret, admonebatur. Itaque quàm lætus rebus actis, tam solicitus agẽdis animo magno, fiduciaq; diuina pleno parata sibi certamina præsagiens, Octobri inito iter aggreditur. Placentiam appropinquanti Tellus è Societate occurrit laicus ferens exemplum Decreti, quod Senatus regius Placentinis Sociis denunciari iusserat. Eo iubebatur Societas regnorũ Hispaniæ obseruare leges, quæ vetãt exportari ad externa regna pecunias, & Hispanos homines siue discendi, siue docendi causa ad exteros ire. Biennio antè id posterius vetitum erat. Moxq; alter superuenit frater cum litteris Araozij, Emmanuelis Lopij & Antonij Cordubę; quibus significabãt exortas in aula offensiones multis è causis, sed præcipuè, quòd Franciscus eo se pacto propulisset: ipsos vehementer timere, ne quid alienũ à dignitate & rationibus Societatis decerneretur. Placentiam ingressus admonetur esse litteras secretas Regis ad se. Adit Prætorem. Aduocatis testibus Prætor idem illud Senatusconsultum recitat, & litteras Regis. Hæ iubebant Natalem intra quintumdecimũ diem ab iussi regij denunciatione adesse in aula: & qua cum potestate, quibus cum mãdatis ac monitis ad visenda Societatis in Hispaniæ regnis domicilia venisset, proferre, vt in omnibus decerni id posset, quod in rem videretur. Nonis Octobris hęc acta. Postridie Natalis recta Complutum, Patres, quorum acceperat litteras, tota de re consulturus. Tertio Idus Octobris cum Ægidio Consaluio, quem ad Oropesam obuium habuit, Cõplutum venit. Suspicati multi sunt huius tempestatis cõcitatorẽ Araozium, sed Natalis adduci nũquam potuit, id vt sibi persuaderet. Neq; enim, inquit, simplicitas cõscientiæ meæ ferebat, vt tam atrox facinus, tam pernicioſam proditionẽ ab tali Patre, aut omnino à quoquã, qui Societati nomen dedisset, crederẽ posse proficisci. Quare multa ei occurrebãt, vnde potius ortam coniiceret, vetus abalienatio Regis à Francisco repentino eius occultoque discessu nuper aucta: offensio Præsulis Hispalensis: missi in Italiam Mariana, Acosta, Ramirius excellentis facultatis iuuenes: inuidia ex pecuniis sæpè Romã translatis: abalienatio quoq; propter Generalis stirpẽ, quodq; nuper in Gallias cum Cardinali Ferrariẽsi, qui parũ Hispano amicus nomini habebatur, profectus esset. Quibus ex rebus Procerũ quidã offensi, cùm antea se patronos Societati præberẽt, iam minùs fauebant. Ad hæc illud Natali verosimile videbatur, Rodericũ Gomium Araozio, quem magni faciebat; cuiusque officiis ac nonnullis meritis obstrictus erat, gratificãdi studio, sponte sua susceptisse hanc causam, quòd contra Araozium vnicè instituta visitatio videretur. Quam opinionẽ id, quod nõ multò pòst accidit, affirmauit. Complutũ vbi venit Natalis, tum alia planiùs cognoscit, tum etiã illud, iactari in regia, ipsum Francisco Borgiæ fugæ auctorem fuisse. Eam ob rem conuenire ipsemet Antistitẽ Hispalensem, cui maximè ea insedisse opinio dicebatur, itemq; Regem constituit: causam Societatis, Deo fretus & æquitate liberè ac fidenter agere, nihil indignius in ea tota re putans, quàm Borgiæ latere innocẽtiam. Quæ quidem prudentibus euidens vel inde foret, quòd nihil in hominẽ sacri Quæsitores vnquã mouissent. Et ipsemet Hispalensis Præsul Natali ipsi in primo congressu roganti, nũquid aduersus quem Sociorũ haberet, planè & asseuerãter, imò etiam cum ingenti Societatis laude pernegasset. Profectionẽ verò Pontificis accitu susceptã quis vitio verteret ei, qui nominatim Põtifici obedientiam deuouisset? In Lainio verò quid quisquã desideraret, eo homine, qui genus quidem iam inde ab auis proauisq; & Christianũ & piũ & nobile duceret? tot verò decoribus abũdaret suis, adeoq; præstantibus, sanctitate sapientiaq; tanta, adhæc humanitate ac generosa quadã indole adeò liberali, vt, si semel in conspectũ eius & congressũ obtrectatores ipsi venirent, expressurus esset vel ab inuitis venerationẽ & amorẽ. Nã auctoritate quid grauius fieri aut illustrius posse eius viri, quẽ Romæ in arce Christianę rei, totaq; Italia diuini verbi prædicatione celebrẽ, ad Conciliũ Oecumenicũ primò Paulus III. & iterũ III. Iulius Põtifices

37 *Vnde tempestas.*

38 *Borgia innocentia.*

39 *Lainij auctoritas.*

Summi

Digitized by Google

Summi pro Theologo Apostolicę Sedis misisset: & quę, vt omittãtur Societatis iudicia, & imposîti ab ea magistratus, ad Pisanũ, itemq; ad Florẽtinũ Archiepiscopatũ Duces Hetrusci legissent: Paulus IV. vnà cum Cardinali Placẽtino in sacrũ Collegiũ cooptare deliberatũ habuisset: essetq; hodie & Cardinalis, & Archiepiscopus, nisi illa eius inuicta, & honoribus maior constãtia obstitisset. Quę deniq; Pius IV. summo haberet in pretio, & in grauissimis rebus pręsertim de religione consuleret: & postremò in Galliã religionis sustinendæ causa destinasset, ita in florentissimo olim sanctitate regno periclitantis, aut potiùs præcipitantis, vt opem ferre, si quã quis posset, haud dubiè deberet, non modò non indignari, quòd succurreretur ab aliis. Super hæc haud quidquã dubij erat Natali, quin si probè Rex doceretur, quid pro Romano fieret Collegio, probaturus rẽ magnopere esset. Nam præterquã quòd suis id Collegium ipse Rex litteris Põtifici primũ Paulo IV. dein successori sæpiùs cõmendasset, in hunc modum disserebat. Nequaquam ab Roma pertimescendam corruptionẽ doctrinæ, quæ cæterarum esset Ecclesiarũ magistra: nec alienam & exteram posse censeri eam, cùm Romana Ecclesia eadem Catholica atq; vniuersalis sit. Quare nequaquã ad exteros mitti, qui Romã mitterentur. Cumq; regiũ diploma, quos aula Romę, quos lites aliaúe probabilis fortè minùs teneret causa, gymnasiis interim non prohiberet; non arbitrandum quos Religiosum obsequiũ, & Christiana teneret pietas, eos prohiberi. Atqui, aiebat, cùm Romano Collegio propositũ sit regionibus hæresi corruptis auxilia præparare: earumq; regionum ita ad extremũ necessitas adducta sit, vt Christiani omnes, qui possint, omnino debeant opẽ ferre; nec cuiquã liceat quemquã impedire, qui velit ac possit auxilio esse: simulq; cõstet tam vtilẽ Societatis operã esse, atq; tam pauci ex Hispania, & sine vlla eius iactura mittantur; profectò magnã pio Regi faciat iniuriam, qui opinetur nolle eum huic grauissimo, tamq; necessario caritatis officio fieri satis, cùm tam cõmodè possit: eo magis, quòd minimè est obscurũ, quàm ipsimet Regi Germaniæ res, tum suæ pietatis impulsu, tum gloriosa fortissimi parẽtis memoria curæ sint. Nec sanè minorẽ regiæ pietati labẽ sapientiæque aspergat, qui putet, non ei pergratũ esse, vt Religiosæ familiæ decreta Ordinũ suorũ & institutа accuratè conseruent: cùm hinc nõ modò ipsorũ Ordinũ, sed prouinciarũ, regnorum ac rerum omnium publicarum magna ex parte & humana & Christiana felicitas pendeat. Atqui Societas cùm Romæ orta sit, Romę extet fons integerrimus disciplinę eius, & inde petenda & deriuanda in prouincias sit; Romæ caput ac Præpositum habeat, ex quo tota administrationis domesticæ ratio apta est; Romę sit Pontifex Summus, cui pręcipuo illa voto obedientiam ad religionis negotia profitetur: deniq; ad id conflata & instituta sit, non vt vni affixa sedeat loco, sed omnes peragret terrarum plagas, prout maxima Dei laus, & animarũ cõmoditas poposcerit (quibus ex rebus aliisq; cohærẽtibus, ac similibus perspicuè apparet sine cõmercio, liberaq; cõmeatione legibus eam vti suis, suumq; obtinere incolumitatẽ non posse;) nunquam ego adducar, vt credam hæc Regi verè si declarẽtur, eius consiliũ fore, vt tantũ nobis vulnus infligat, tantum exitij creet. Nam de pecunia, cuius vim quasi immensam asportatam fama garrit, si vera cognoscat, profectò in eos qui tam impudenter sermones excitant, stomachũ erumpat. Rationibus diligẽter subductis, publicè omnibus Rectoribus, aliisq; qui quid pecuniarũ nossent Romam auectum, quantũ id esset, vnde acceptũ, quomodo & quãdo missum indicare iussis; comperi ego ex Hispania tempore omni, postquã Collegium cœptũ est, spatio annorũ decem ad summũ missa nummũm millia septemdecim: quorũ millia decem ex iuribus fuere, quæ primũ Carolus Imperator in quinquennium, tum Philippus ipse Rex in alterũ quinquennium hãc ob rem nominatim in Romani Collegij vsum Borgiæ concesserunt. Reliqua verò contulere tum Societatis homines ex cõsilio Euangelico bona sua erogaturi in pauperes, Borgia idem mille quingentos, Antonius Corduba, Iacobus Gusmanus, Garcias Alarconius millenos: tum pij sæculares, nullo de Collegij vllius reditibus ne obolo quidẽ cõtacto, imò multò pluribus in eorũ vsum cõuersis. Quid hîc ergo displiceat Regi, cùm sępè plus pecuniæ Hispanicæ Hispanus quispiã aulicus vno anno Romæ absumat? & à nobis ferè nihil ipso ignaro gestum sit, nec missa pecunia nisi per libellos collybisticos, vel regiis rationibus omnino saluis, & consueto pretio prępositis ei negotio persoluto? Hæccine pecunia est, propter quam diplomata edenda regia fuerint, tanquã Hispania exhauriretur, cùm quidẽ & Hierosolymã semper & Romam non modò ius fasque, sed laudabile fuerit Apostoli Pauli, & sanctorũ prędonio Patrũ causa religionis eleëmosynas mitti: & nostræ hæ tantulæ in omnium Christianarũ vtilitatẽ gentium, & Catholicę fidei defensionem & propagationem alendis propugnatoribus & propagatoribus impendãtur? Vellẽ viderẽt Proceres isti, quid egressi ex Romano Collegio Socij in Germania gerant: vellem suis spectarent oculis hîc multos Catholicorũ nutantium sustineri, ne ruant: illic incitari cõfirmariq; robustos, vt repugnẽt alacriùs: vbiq; præmuniri seruariq; innocẽtes pueros & adolescentes, ne deprauentur, quibus exitium certissimum imminebat: hæreticorũ multos corrigi, & ad Ecclesiæ gremium reuocari: pertinaciũ redargui insaniã, coërceri ferociã, ne quantã anhelant, cladẽ & perniciem inferant. Totam ibi Societatẽ sublato altè vexillo Catholicæ sanctitatis stare fortiter in acie inter furentium agmina, vndique telis impiorũ appetitam, de vita sua assiduè dimicantẽ, nunquã tela manu ponentem, nunquam certamẽ aduersus nouos terrarũ illarũ dæmones remittentem, nullã interdiu capientem, nullam noctu quietem. Profectò talia si oculis vsurparẽt, vel certè cogitationi vellent Christiano sensu subiicere, nõ illi dolerent ad sacrosanctũ id bellum, adeoq; necessarium modicã argenti stipem conferri; sed bellũ eiusmodi sanguine etiam suo foueri, intendiq; & confici vellent, ne tot fierent animarũ strages, ne castissima sacra impurissimis deliramentis polluerentur, & monstra nequissima Lutherus & Caluinus de Christo Domino, quod horret animus, triumpharent. Hæc, aiebat Natalis,

40 *Collegio Romano prębita auxilia quàm bene collocarentur.*

41

42

Digitized by Google

„ Natalis, volo cognoſcat Rex, intelligatq; nobis
„ quidem peracerbum accidiſſe non emendicare
„ (nam id profitemur) ſed quòd viſi fuerimus in
„ conquirendis ad id opus adiumentis modeſtiæ
„ trāſiliiſſe fines. Verùm cùm id caritas, cùm ſum-
„ ma neceſſitas, cùm Catholicæ fidei defenſio &
„ ſalus Germaniæ poſtularent, nihil ambigo, quin
„ ratum ſit vehementerque gratum habiturus. Ita animato Natali, & ſcripto etiam defenſionibus explicatis, Prouincialis Araozius, Emmanuel Rector, Antonius Corduba, & Ægidius Conſaluius (hi enim conſulebantur) vehemēter diſſuaſere, veriti ne incendium agitando maius excitaretur, & parum decorè cauſa in ſæculari foro diſceptaretur. Araozium igitur allegat. Is illud quidem, vt Natalis Antiſtiti Hiſpalenſi purgatus eſſet, renunciauit prorſus effectum, cæterùm ab regio Senatu expreſſum hoc eſſe, vt ſpatium ſiſtendi ſe quindecim dies ei prorogaretur: quo tempore Collegia ſuo arbitratu viſeret: Senatū diſſimulaturum. Id enim ſingularis honoris Societati haberi, cùm Religionū aliarum Viſitatoribus alienigenis nihil tale permitteretur. Quippe Natalem, quamuis Balearicus ortu eſſet, in mentē venerat inter exteros numerare. Duo inde vſque ab initio turbinis huius propoſuit ſibi Natalis ſemperq; ante oculos habuit: alterū, vt cum magna Principū Hiſpanorū verecundia ageret, prouideretq; quantū Deo iuuāte humana mens poſſet, ne contrà tendendo, aut quo alio modo offenſionis cauſam daret. Ita docere Societatis Conſtitutiones agēdum: ita tempus ferre: vſuq; ipſo compertū, ſi aliter fiat, profici nihil. Alterū, vt nihilo tamen minùs acriter fortiterq; Societatis immunitatē integrā tueretur: nec vllo modo ab Romanis ſancita Pōtificibus alieno tribunali ſubiiceret. Idcirco nunquam ipſe in curiam adiit: nihil petiit: nihil, quod per acta publica concederetur, accepit. Eo tamen ſpatio, quo ſe nō impedituros aiebāt, nō vt accepta ab illis poteſtate, ſed quæ ſibi ab Sede Apoſtolica erat, vtēs, Complutenſis Collegij res ordinare aggreditur. Tamque læto ac fidenti erat animo, quàm ſe vnquam antè fuiſſe meminiſſet. Adeò, vt qui tantam conſtantiam & æquitatem animi intuebantur, ſuſpicarentur Natalem minùs credere vera eſſe, quæ denunciarētur, ſed ſimulata ac ficta: cùm tamen re ipſa ille vera cēſeret: nec ſecùs ac veris obuiàm ſedulò ire ſtuderet. Verumtamen æquitas cauſæ animum faciebat, & auxilium, quod opportuno tempore à Deo ſperabat affuturum. Dum Araozium vrget, vt videat quid ſpectari ex eius opera, & apud Principē gratia poſſit, ex facili intellexit, non multū in eo eſſe præſidij: enitendum tamen putauit, vt, quoniam hominē aduerſus Præpoſitum Generalē, & Ioannē Polancum Secretarium nonnihil exacerbatū videbat, cōciliaret, ac fidū faceret ſibi: nec dubitauit neſcio quid moleſti, quod ſibi quondā à Patribus iis acciderat, aperire, vt cōmunicato dolore cōmunicaret & medicinam. Deniq; quamuis norat Generali ſtatutum eſſe Commiſſarij munus extinguere, tamen quo magis Araoziū ſibi Societatiq; obſtringeret, denunciat, velle ſe duas in prouincias Caſtellam diuidere, & Commiſſariū loco abſentis Borgiæ declarare. Vtrum mallet, eligeret, præeſſe alterutri prouinciarum, an eſſe Commiſſarius.

43 *Natalis modeſtia item & conſtantia,*

44 *& fiducia in Deo.*

45 *Baticam & Aragoniam quomodo abſens compoſueris.*

Eodem tempore deſperata Bæticam & Aragoniam adeūdi poteſtate, earū Prouinciales, vnaq; Ioannē Plazam, Ioannē Suarium atq; Alfonſum Romanum euocat, datis litteris cōmuniter ad Collegia, vt ſcribant ad ſe litteris arcanis quidquid erāt præſenti dicturi de ſe rebuſq; Collegij: Rectoribus quoq; admonitis, vt quæ in vſum ſui quiſq; Collegij fore exiſtiment, nuncient, dicta etiam die, qua ad ſe, ſi placitū eſſet, venirent. His ita inſtitutis ab Roderico Gomio cōuenitur, qui Madrito Complutū venerat. Apparebat aduenire commotū. Petit duos deſignari Patres, cū quibus de rebus grauiſſimis agat. Deſignat Natalis Prouincialē Bæticæ, qui iam venerat, Bartholomæum Buſtamātium, & Antonium Cordubam. His Rodericus epiſtolā iuſſu Lainij à Polanco ad Natalē ſcriptā (quæ neſcio quo pacto ad eius peruenerat manus) recitat. Per eam epiſtolā admonebatur Natalis, vt Araozium, quàm poſſet commodiſſimè, verùm omnino ab aula remoueret. Quā rem indigniſſimè Rodericus ferebat: hanc eſſe planè inſectationē, vexationē, inuidiā. Quid commiſiſſet, quamobrē eſſet ablegandus infelix ille Pater? ad hæc nō cōtumeliis, nec minis abſtinere. Deniq; Natali apertè denunciarēt, Araozio ſe nullo modo deeſſe poſſe. Hæc Natalis vbi audiuit, iubet vtrumq; diuerſos ſecedere; quæque tum ex Lainij epiſtola, tum ex Roderico audiuiſſent, in cōmentariū referre. Acrior epiſtola erat, ſed in extrema clauſula arbitrio tandem Natalis res tota permittebatur. Nec potuit teneri Rodericus, quin ipſemet rurſus Natali cōuento, grauiterq; cōqueſtus Araozij patrociniū profiteretur: eum ſibi amicū identidē fremēs. Ad quę Natalis, quantum liceret cùm Generalis auctoritati, tum

46 *Rodericus Gomius vehementer pro Araozio laborat.*

præſenti tempori ſeruiens, Nihil eſt quòd verearis, inquit, nihil Araozio grauius fiet: & meus amicus & frater eſt. Patrem Generalē quid impulerit, vt ita ſcriberet, compertum non habeo: ſed quandoquidem ſcripſit, haud dubiè graui aliqua delatione commotus eſt. Idem tamen, qui iratus initio videbatur, extrema epiſtola placatū ſe oſtēdit. Facere certè pro munere ſibi credito nequaquam potuit, quin quas rationes exiſtimaret ad priuatū & publicū Societatis bonum pertinere, mihi ſignificaret. At, nequid incōmodi inde eueniret, rem integrā eidem mihi permiſit, ſciens me negotij ſtatū in re præſenti certiùs poſſe cognoſcere, & videre quid ex vſu ſit. Itaq; epiſtola Generalis cùm ad poſtremum exiſtimationem rei totam mihi permittat, nulla eſt. Ego verò nihil faciam, niſi quod me facturum paulò antè Araozio dixi. Feram illi optionē, vt eligat, malit ne Commiſſarius, an Prouincialis eſſe. Hìc Rodericus interfatur: Video, Pater, video quid agatis. Non ita rudis ſum rerum, quin ſciam Commiſſarij munus extraordinariū eſſe, incertumq; ac poſitū in arbitrio Generalis. Vultis nimirū in præſens hoc titulo onerare hunc hominē, vt mox, quemadmodū vobis commodū erit, in ordinē redigatis. Spondeto mihi id muneris bona fide Araozio demandatum iri, nec abrogandū. Natalis demirās vnde ea rerū cognitio Roderico in aula, quantum in ſe ſit, quod ille volebat, ſpondet, ſuum illud priſtinum tenens conſilium, vt omnem offenſionum

omni

Digitized by Google

omni ope materiam ſummouens, rem quàm minimo poſſet motu ſtrepituq; cõponeret: deinde, vt ſi quid agendũ præterea acriùs Generali videretur, rem integrã ei quoad liceret relinqueret.

Iam in exitu annus erat, cùm ad ſuas viſendas prouincias cum ea formula interrogationũ, qua ipſe vtebatur, vt ex ea Sociorũ ſtatum cognoſcerent, Buſtamantio & Cordeſio dimiſſis ipſe aliquanto ſpatij rurſus ſibi prorogato properanter regni Toletani domicilia inuiſit. Accerſitu Ioannis Pacieci Villaregium venit; cogitantiq; Collegium ibi extruere, de quo etiam cum Borgia antè conuenerat, auctor fuit potiùs domus Probationis inſtituendæ: eaque tranſacta inſtitutio eſt, quamuis nonniſi ſexto pòſt anno effectũ habuerit. Belmonte Sociorum induſtriam, ac Rectoris præcipuè boni Petri Seuillani miratus eſt. Anguſto loco erant: templo perangusto vtebantur: & fructum peramplum afferebant. Conchæ, quod reliquũ erat de ſitu rationeq; ædificij, cum fundatore Marquina trãſegit: atq; vt Doctor Vergara (is Complutẽſis Collegij re ſtudioq; pater erat) extra ædes Collegij famulo populari contentus degeret: quod haud mediocris dexteritatis fuit. Complutum inde reuerſus, ex Patribus, qui ex Aragonia & Bætica redierant, earum prouinciarum ſtatu cognito, Plazam Bæticæ Buſtamantij loco dudum quietẽ orantis præfecit, ipſo Buſtamantio Collegij Hiſpalenſis, quod magna accipiebat incrementa, Superintendẽte creato. Aragoniam obtinere Cordeſium iuſſit: Deinde cùm omnes edocuiſſet, quid fieri placeret in prouinciis ſuis, deque nouis creandis Prouincialibus & Commiſſario conſuluiſſet, dimiſit. Multa hoc eodem tempore in Hiſpania Socij præclarè geſſerunt. Doctoris Ioannis Ramirij Chriſtiana inprimis eminuit caritas & facundia.

48 *Villaregienſis domus Probationis recepta.*

49 *Belmontani Collegij ſtatus.*

50 *Ioãnes Plaza Prouincialis Baticæ creatur.*

51 *Ramirij caritas & cõcionum põdus.*

Toleti adeò deſæuiit hiems, vt gelu concreti extinctiq; inopum quidã inuenti ſint. Hoc vt audiuit Ramirius, locupletiorũ malignitatẽ, quaſi immanitatẽ barbaram pro concione deteſtatus, quòd plenis veſtium capſis, mallent iis tineas paſcere, quàm vitã hominũ cõſeruare, quàm Chriſto Domino in ſuis pauperibus animam præ gelu agenti ſubuenire; duos viros nobiles ſpectataq; virtutis nominatim deſignauit, ad quos, qui vltimæ illi neceſſitati Chriſtiano animo ire obuiàm vellent, quod videretur, deferrent. Tantum pecuniæ, tantum eſt collatũ veſtimentorũ, vt indigentibus tota vrbe diligenter oſtiatim cõquiſitis; exploratis etiam, quorũ pudor inopiam occultabat, nemini non ſit abundè conſultũ. Ipſe Ramirius pauperũ adibat domos (& quidem ea voluntate, vt amœnos adire ſe hortos ſoleret dicere) tum vt miſeros allocutione ſolaretur, tum vt perſpectam calamitatem pro concione referens & ſe & auditores acriùs permoueret. Eodẽ procurãte decretũ eſt, ne nouis Chriſtianis ius eſſet Æthiopica mancipia cõparare, cùm animaduerſum eſſet ab pleriſque dominorum per impiam ſimulationem ſpecie tenus Chriſtianis ſimplices homunciones ad fœdam Mahometi ſuperſtitionem abduci. Quo verò apud Toletanos Ramirius loco eſſet, illud pro raro habitũ eſt argumẽto, quòd cõmuni conſilio cum litteris publicis publico ciuitatis ſigno impreſſis, certum hominẽ in Luſitaniã vſque miſẽre ad Borgiam rogatum, ne Ramirium, quod inaudierant eum cogitare, ereptũ ſibi, aliò mitteret. Hoc ciuitatis iudicium, qui talia obſeruant, eo pluris æſtimabant, quòd in eo genere nullum vnquã accidiſſe par memorabant; cùm tanta ſit Toletani populi maieſtas, vt concionatores quamlibet præſtãtes beneficio ſit excipi ab eo, nedum ſoleat de quopiam obtinendo ipſe certare. Non tamen, quamdiu cupiebat, Ramirio frui potuit, cùm oporteret aliis quoque eum ciuitatibus euãgelizare regnũ Dei. Vere itaque exacto Barcinonẽ miſſus, ibi quoq; rem optimè geſſit. Barcinonenſis ciuitas erga noſtrum Ordinẽ ſe egregiè piam ſemper atque benignam præbuit: præq; cæteris pignoribus illud à concilio regio præbitũ hoc anno eſt. Miſẽre hominẽ ad Collegium, qui aliquantũ pecuniæ eleëmoſynæ nomine deferens, totius concilij verbis diceret, cognouiſſe ipſos quàm vtilis in publicũ Sociorum opera eſſet, ac rogare, vt ab Generali Præpoſito viciſſim communicationẽ benefactorum Societatis ipſis impetrarent. Cui voluntati ſatisfieri in omnes partes non potuit. Reſpõſum eſt enim quomodo aliis quoque idem petẽtibus ciuitatibus reſpondebatur: id doni non vniuersè corpori ciuium, ſed hominibus viritim ſolere cõcedi. Hoc publicæ, illud priuatæ fuit erga Collegium caritatis indicium. Cùm Patres ædificij inchoandi cogitationẽ contrà ac ſtatuerant, abiecíſſent, quia alterũ tantũ pecuniæ, quàm quantũ ipſi haberent, neceſſarium erat: eam rem vbi vir nobilis de fabris cognouit, vltrò quantum in impenſas opus erat, ſuppleuit. Ita inſequenti anno ædificatio cœpta. Cordeſij Prouincialis magna ex parte hæc agebat virtus, qui & domi optimè inſtituebat Socios, & quacunque re poſſet, ciuitatẽ ſedulò adiuuabat. Is teneram ætatẽ, quod ad hanc diem Barcinone non fiebat, inſtituere fidei rudimentis cœpit. Quam ad rem cùm puerorum agmina ingentia confluerent, natu ſimul grandium ac nobilium haud parua conueniebat manus, vt Prouincialem inter pueros Chriſti cauſa repuerascentem ſpectaret.

52 *Barcinonẽſis ciuitatis in Societatẽ caritas.*

53 *Cordeſii Prouincialis virtus.*

Ex hoc Collegio miſſa etiã hoc anno in maiorem Balearem colonia eſt. Martio mẽſe Guilielmus Rocafolius (de Rocaful populares vocant) Prorex, & Iurati eius inſulæ ad Natalem ſcripſere impenſè rogantes aliquot de Societate, ac nominatim Ioannẽ Verdolaium ad ſe mitti. Tẽplum, vectigal, omnia prompta eſſe, præter domũ, quã non emerint, vt electio ſitus Sociis, qui mitterentur, integra eſſet. Natalis (qui tamen debebat aliquid patriæ) rem Cordeſio delegauit. Is Auguſto menſe quinque Socios miſit. Tres leucas aduentantibus proceſſit obuiàm Prorex. Decimo Kalendas Septembris vrbẽ ingreſſi ſunt cũ duobus laicis Franciſcus Boldo Rector, Ioannes Verdolaius, & Hieronymus Mur ſacerdotes. Lætiſſima ciuitas, & præcipuè Iacobus Arnedus Epiſcopus excepit. Apud Doctorẽ Ioannẽ Abrinium indidem ciuẽ, qui cognitis in Hiſpania Patribus auctoritate ac pietate pollẽs magna pars accerſendi Collegij fuerat, aliquot dies hoſpitaliter habiti. Aſſignata dein eſt ſacra ædes Deiparæ, quã Montis Sion appellant, vnde Maioricenſi Collegio inditum nomẽ. Paruula erat ædes, ſed editiſſimo

54 *Collegij in maiorem Balearem excudium.*

Digitized by Google

vrbis loco, valdè salubri: & circà ad amplificationem spatium opportunè patebat. Ibi Deo & Deipara auspice munera in animarum opem solennia aggressi, non modò quod aliis quoque locis vsu venit, sensim effecere, vt celebrior esset vsurpatio mysteriorum, diuini cultus maiestas augustior, cognitio maior Christianæ doctrinæ, misericordiæ opera impensiùs omne genus exercerentur, & alia sæpiùs memorata; sed & vt partes, in quas tota ciuitas scissa erat, abolerentur. Neque hæc solùm in vrbe ipsa (cui Palma est nomẽ, quanquam vulgò nomine eodem insulæ Maioricam vocant) verùm etiam per omnem insulam sanè pagis frequentem gesta eo procliuiùs, quo gens ad omnem Christianam laudem habilior est. Quoniam pertenuis principio attributa dos erat, diu Collegium collatitia stipe, quam sanè benignè populus suggerebat, vixit. Additæ mox scholæ, & ædificia templi Collegiique, & vectigalia, quæ & Patrum eius tempestatis in iuuanda ciuitate industriam & ciuitatis in muniendo Collegio benignitatem ex æquo testantur.

55 *Conuersiones duæ insignes Hispali.*

Hispali Societatis existimationem duorum inprimis vitæ mutatio insignis ad vulgus auxit. Clericus erat alter nondum sacerdos: alter sacerdos & honoratus: vterq dedecus sacri Ordinis, plebis fabula. Clericus graui correptus morbo, alteq; sopitus visus sibi videre est dæmonum horrendum agmen in se facto impetu irruentium. Quo in pauore propè exanimatus cùm circumspexisset, si quà vel auxilium, vel effugium se offerret, vidit homines Societatis pro sese pugnantes: quorum tandem operâ factum est, ne opprimeretur. Inde intelligens, quo præsidio vellet Deus vti ad eruendum se è faucibus tartari, cœpit itare ad Collegium, expiatisque prioris vitæ noxis homine & Christiano, & Clerico dignam instituit nouam. Sacerdos per ætatem in Montium Marianorum oppidum ad instaurandas rusticatione vires secesserat. Venit in id oppidum Ioãnes Suarius Rector, qui per eos montes cælo venaturus siluestris turbæ animas vagabatur. Conciliatur, vti facilè peregrè fit, & de industria id agente Rectore, consuetudo: sensimque vti saltem primæ hebdomadæ exercitiis operam det, sacerdos adducitur. In Religiosorum cœnobium ambo secedunt. Hic principio ita delicatè sacerdos, gloriosèq; & impotenter agere, vt Religiosis hospitibus haud parũ molestiarum crearet: nec totum vni illi capiendo cœnobium esset satis. At non multis pòst diebus diuina gratia in hominis cor illapsa prorsus alter videri. Angusta contentus cellula non immani iactatione molestus iam esse: sed lacrymis & singultibus intempesta nocte dormientium quietem interpellare. Hispalis tota mox reuersum pro nouo homine mirabatur. Neque deerant rerum ignari, qui tantam conuersionem vitio cerebri, aut ægritudini vehementi tribuerent, præsertim cùm viderent sacerdotiis se multis & pinguibus exonerare molientem. Ille verò se tum demum sapere cœpisse intelligens, constanter propositum tenuit: & obiicientibus in ea vitæ noua forma minimè perseueraturum, illud responsi dabat: Si minùs quoad viuam, at vnum mensem, at certè hunc diem abstinuero à peccatis: nec vsque magis luendarum pœnarum aceruum accumularo. Montibus in iisdem Suarius quatuordecim presbyteris persuasit, vt Hispalim profecti, parumper exercendo spiritui, munerique suo reputando & cognoscendo sancti in otij quiete vacarent. Duo enim præcipuè solebat ille sequi; alterum, vt ante omnia in Pastoribus ac ducibus populi studium veræ pietatis insereret: alterum, vt ad hosce, quales vellet, fingendos tanquam vnico & singulari præsidio ascetica anachoresi vteretur. Animaduertebant hos fructus tum sacri Quæsitores, tum Vicarius Hispalensis, summisque laudibus efferebant. Atque illi, vt sincera Christi fides vnà cum litteris instillaretur iuuentuti (posteaquam præcipuum ex Ludimagistris, quòd in Lutheranorum laudem carmina edidisset, aliaque ob indicia comprehendi iusserant) is, vt quos notauerat Clericos, traderet sanctis moribus imbuendos, instituere, vt scholæ aperirentur. quod factũ est, auditoribus in quatuor classes distributis. Et sane vtrique, vbi poscebat vsus, benignè adhibebant operam Sociorum. In iis, quos ad fidem conuersos Quæsitores tradidere Patribus catechesim edocendos, fuit iuuenis annum circiter quintum & vigesimum agens: in quo memorabile perspectum est, nec prætermittendum diuinæ prædestinationis indicium, & quantum sit Dei donum parentes sortiri Christianos. Is trimus vnà cum matre & fratre à piratis è Corsica insula abreptus, Aligerium primò, inde Constantinopolim ducitur. Matre ac fratre redemptis inter Mahometanos infans rerum ignarus omnium recutitus, in impia gentis religione adolescit cultor etiam ipse Mahometi. Vbi se roborauit ætas, aggregatur piratis: cum quibus ad Ibericum mare prædaturus nauigans, præda fuit. Quadriennium & eo amplius in Hispaniæ portu captiuus seruiuit. Quo tempore nullis neque adhortationibus, neque blanditiis, neque promissis adduci potuit, vt animæ suæ æternæ saluti prospiceret, ac fieret Christianus: imò totus in eo erat, vt quoquo posset modo, certè fuga ad Turcas, &, vt putabat, ad suos euaderet. Ad extremum quà precibus, quà industria ita egerat, vt prompto redemptionis pretio iter pararet à Calpe mox enauigaturus, cùm incidit in mulierem natu grandem. Ea vt hominem vidit, nescio quid eius figuræ, quam paruuli filij in mente seruabat, vita agnoscere, velut perculsa constitit. Cumque hærens in obtutu, perlustransq; oculis totum, cuias esset rogasset: illeque se Turcam & Constantinopolitanum esse respondisset, contrà mulier plus plusque faciem filij noscitans ac deprehendens, spe que repentina & materno sensu commota: Non ita est, inquit, Christianus es, & filius meus. Delirare visa est iuueni anus: sæpiusque eadem affirmantem modò cum risu, modò cum stomacho abigit. At illa constãtia sanè, quæ matrem probaret, ad Prætorem adit; rem aperit, se non dubitare hunc esse filium suum. Ita olim vnà captos, ita se redemptam, ita eò loci venisse. Consentire in iuuene lineamenta, & oris figuram: consentire ætatem. Si hæc haud satis argumento essent, nudarent: in certa parte corporis geminos repertum iri næuos. Haud negligendum iudicium ratus Prætor, spoliari captiuum iubet:

56 *Exercitiorum spiritualiũ vis.*

57 *Schola Hispali instituuntur.*

58 *Quantum sit Dei donum è parentibus nasci Christianis.*

Digitized by Google

iubet: & ecce næui, quos mulier dixerat, palàm cernuntur ab omnibus. Hîc verò tanquam in comico exitu fit gratulatio & plausus. Iuuenis dumtaxat aliquamdiu stupens & attonitus hæsit: tandemque matre alia super alia congerente signa, cùm ipse quoque haud se pro filio habitum vnquam recordaretur, nec parentes nominare posset; tandem se Christo adiudicauit & matri. Sociis autem Hispalensibus, inter quos erudiendus versabatur, frequenti confessione peccatorum, & cætera pietate, miraque diuini panis fame placebat plurimùm. Pari sedulitate in aliis Hispaniæ Collegiis animorum negotia, & fermè vbique optabili cum euentu gerebantur.

59 *Ioannis Auilæ de Societate iudicium.*

Quam sedulitatem diu animaduertens magnus ille vir Ioannes Auila non poterat cõtineri, quin etiam deprædicaret. Montellæ, cùm eius rei mentionem intulisset, felicem planè Montellam dixit, cui Collegium habere Societatis contigisset. Publicos seruos esse homines Societatis: atque adeò apud se ita quemque statuere debere, totidem se raræ fidei solertiæque mancipia videre sua, quot ex ea viros videret.

Hoc statu rerũ in Hispania non omnino tranquilla fuit Italia: quanquam Romæ maiora in dies incrementa Societas capiebat. Ibi iam numerus Sociorũ ducenti sexaginta: quorum centum ac nonaginta in Romano Collegio: quod & virtutis & litterarum studiis, vt cùm maximè florebat: nec paruum extremo anno subsidium ab iis, quos Natalis ex Hispania miserat, accepit.

60 *Perpiniani Romæ existimatio,*

Vbi Petrus Perpinianus auditus est, agnoscentibus maiorum suorum ornamenta Romanis, eaq; ad se à peregrino referri homine gaudentibus, approbationem ac plausum peperit sibi, laudem & gloriam Deo, existimationem familiæ. Ingenti quoque fama Benedictus Pereria, quam concionibus aliquot in templo Professorum cum excellentis facultatis significatione habitis haud modicè auxerat, factus paulò antè sacerdos iterum docere Philosophiam aggressus est, quinque & triginta de Societate, octoginta externis auditoribus. Vniuersa discentium summa circiter octingenti iam censebantur. Cupidè viri principes Cardinalesque tum gymnasium, tum interiores Collegij visebant ædes. In gymnasio viam rationemque docendi, Magistrorum ac disciplinarum multitudinem & varietatem, disputationum frequentiam & ardorem, ad hæc coniuncta cum humana scientia cælestis sapientiæ studia mirabantur. Interiùs verò in Collegij septis sancta in paupertate Christiana munditia, tam arcto loco multitudo tanta: in multitudine nationum varietas: in varietate adeò numerosa tantus animorum morumque consensus: præterea silentium & quies admirabilis erat. Præcipui tamen è Societate viri bonam valetudinem ac vires integras in tot angustiis, tantaque litterarum ac pietatis contentione pro diuino beneficio numerabant Sed illud ante omnia videbatur quasi perenne miraculum, nullo vectigali certo non ali modò tot capita, sed supperere etiam vnde in sarta tecta, concinnandaque subinde nouas & extruendas ædes sumptus haud exigui fierent. Marchio quoque Vallensis à Pontifice potestate facta intra Collegij adyta penetrandi, quæque donarat, tecta olim sua reuisendi: ea vix agnouit, vixq; oculis credebat in eam, quam cernebat, formam tam opportunè pro loco, nec incommodè, nec sanè ineleganter redigi potuisse. Præter numerum, vt appellabat, filiorum, ex quibus, vt quisque proximus occurrisset, iucundè nationem scisciabatur, gnara aliquid ferè longinquum ac peregrinum responsum iri: admirata est officinas, quas ad omnes propè humani vsus necessitates veluti iusto in oppido institutas vidit. Sed nulla re commota perinde est, quàm cùm Rector Sebastianus Romæus schedulas ostendit: in quibus opera descripta erant humilia & aspera, quæ sibi proximè iniungi certatim flagitarant. Ad earum auditionem conspectumq; rerum, quasi quæ de antiquis Monachis fando acceperat, in conspectu haberet, optima femina præsensus dulcedine illacrymauit. Plus 63 octoginta hoc anno Romæ in Societatem admissi, nec multò pauciores in varias dimissi prouincias. Plerique antequam domum admitterentur, in publico incurabilium valetudinario specimen dabant sui, adeò vt, cùm aliis alij succederent, perpetuò ibi septeni octoniúe degerent, exemplo & operâ cùm ægris, tum nosocomij administris & curatoribus opportuni. Menstrua fermè cuiusque erat commoratio. Qui id spatij obiissent, domum inter Tirones recepti, locum in valetudinario veterrimis petitorum cedebant. E Tironibus fuit vnus nobili genere, qui 64 cùm multis precibus Societatem impetrasset, vix duabus horis, postquam fuerat domum admissus, adeò mœrere angiq; cœpit, & à diabolo concuti, vt prorsus eodem die fuerit remittendus ad suos: at vbi domum venit, repentè tetra ea nubes, quam dæmon offuderat, ex oculis, tanquam obiectum velum amotum manu esset, euanuit. Iamque quàm sibi turpiter esset illusum, quantum boni habuisset in manibus, quantam per socordiam eripi esset passus, dolenter inspicienti accessit ad interiorem vocem, exterior quoque clementissimi Numinis admonitio. Febri corripitur, qua aliquot dies vexatus, tantum luce viq; diuina profecit, vt vouerit se, vbi conualuisset, ad deserta turpiter castra rediturum. Nec moram fecit febris. Tanquam munere, ad quod immissa erat, perfuncta, die eodem abscessit: nec ille voti distulit fidem.

Tiro ad Societatem diuino monitu reuocatus.

61 *& Benedicti Pereriæ.*

62 *Romani Collegij laus.*

Haud minùs feliciter actum est cum Ægidio Montano natione Belga. Is cùm in monte Politiano doceret, nemine Moderatorum conscio, nec sine ciuium offensione repentino quodam impetu Perusiam discessit. Romam inde euocatus, cùm pœna commissi obedienter suscepta in erudiendis in tertia Grammaticæ classe pueris exerceretur, in grauem incidit morbum; vnde etiam sublatus est. Post eius mortem Emmanuel Sà in publica adhortatione hæc Sociis narrauit. Nocte intempesta dum vigilat ille, videtque, cubiculum, in quo iacebat, totum magno iucundoque completum lumine; dein visum ipsum sibi Ægidium cubiculi tecto patefacto, ita vt cælum pateret, sustolli in altum, & quasi plumbea circumdatum veste, quæ, tanquam colliquescente sensim & collabente plumbo, quo ipse altiùs attollebatur, hoc fiebat leuior. Cumque euectus

65 *Ægidij Montani mors & oblatum ei visum.*

Digitized by Google

tandem vsque ad solium augustissimum Dei esset, nec auderet oculos ad eius conspectum erigere, conscientia cuiusdam peccati (quod fuisse creditum est illam ex Monte Politiano fugam) iussum à Deo bono animo esse; seq; intueri: iam condonatam noxam, cuius puderet. Cùm igitur animo ex iis verbis sumpto, fixisset in Deum oculos, eoque spectaculo fruitus aliquamdiu esset, cognouisse die Annunciationis Deiparæ hora diei suprema sibi moriendum, & annuo circitet spatio duos insignes Collegij homines ereptum iri. Hæc ab Ægidio, antequam moreretur, sibi aliisque Patribus narrata Emmanuel publicè affirmauit, nec dubitare vera, quandoquidem dicta omnino die horaque expirasset. His peruulgatis haud paucos Patrum cura incessit, & ipsummet, vt profitebatur, Emmanuelem. Nam, tametsi haud facilè quisquam supra cæteros eminere ducebat sese; tamen interpretatio multos faciebat insignes. Cunctisque ad emigrandum, si Deo placeret, se comparantibus, tandem, vti proximo anno referam, Hieronymus Bassus, & Leo Lilius visi prædictionem implere.

66 *Precationis vis.*

Ex iis, qui ad varias sunt missi prouincias verno tempore, cùm satis magnum examen Laureto haberet iter, incidere in Episcopum, qui stipe vltrò porrecta, eos rogauit, pro Cardinali, qui Romam petens, periculosè æger in via substiterat, preces ad Deum funderēt. Illi positis eodem loco genibus aliquantum orarunt: eodemque propè momento, vt Episcopus postea Romæ narrauit, leuatus morbo est Cardinalis. Singulare Dei & hominum patrocinium alij in periculis experti sunt. Franciscus Granata, qui Neapolim cum quatuor Sociis mittebatur ad eius prouinciæ Siculæque subsidium, Velitris incidit in Hispanum hominem (dignus est cuius nomen non ignoretur: Franciscus Carrillius vocabatur) totius nostræ nationis, ac nominatim Salmeronis perstudiosum. Is vbi cognouit homines de Societate esse, dimisso eorum, cum quibus ibat, comitatu, peditem se peditibus Dei famulis comitem adiunxit, velut indulgētissimus ac prouidus pater commoditates eorum omnes vbique procurans. Et quia Granatam viæ labor morbo implicarat, si fortè equum nanciscereturr, pergens ipse pedibus, inscendere eum cogebat. Sed vltimum mox caritatis ostendit. Consilium fuerat ab Caieta nauigare: sed vento prohibiti, dum pedibus pergunt, quadam in silua in latrones incidēre. Quos procul conspicatus Carrillius, conuersus ad comites, ita fatur: Patres, en latrones: sed bono estote animo. ego monebo, vt ne vos attingant: in me, quidquid libet, crudelitatis expromant. Quòd si lædere vos voluerint, certum est mihi vel capite meo prohibere: felicemque putabo me, si pro tuendis vobis moriar. Quòd si postquam occiderint me, vexare vos velint, dicite id, quod est, nihil vobis esse, quod rapiant: sed vt spolient me: in sinu haud auri parum inuenturos: eo saturati forsitan vobis parcent. Hæc locutus cogi voluit in globum Socios: interque eos & latrones manu ferro admota medium obiecit sese. Facile est cogitare vt affecti animo sint Religiosi viatores, vbi ignotum sibi antea virum, post tot beneficia, viderunt etiam mori pro se ita paratum. Procedebant pari solicitudine, ille ferro Religiosos, hi precibus ad Deum & ad homines fusis propugnatorem suum defensuri: inuicemque soliciti, neutri periculum vel sentiebāt vel curabant suum. Quam caritatem Deus acceptam habuit: latroneque siue terrore, siue religione, siue qua alia iniecta mente, ita continuit, vt nec propiùs accesserint, nec quidquam cuiquam afferre noxæ conati sint. Secùs euenit Vicecomiti Cicadæ, atque Ludouico Osorio in Hispaniam transmissuris. Hi promiserant è Sicilia, vnde soluebant, quatuor è Societate, qui ad Indiam mittebantur, secum traiecturos: verùm vbi conscensio facta est, nullæ valuere preces, nullæ allegationes, vt reciperent eos, cùm tamen affatim aliorum, etiam feminarū admitterent. Quid futurum fuerit, si illud secum famulorum Dei præsidium haberent, vt incompertum mortalibus est, ita, si quod euenit, euenturum erat, apparuit modico illi Indiarum supplemento peperciisse Deum. Vix enim cum triremc ac celoce altum ingressos cepere & abduxere piratæ Turcæ, magno Christianorum incommodo, ex ea quoque parte, quòd tum captus est puer Scipio Cicada: qui dein nulla mercede liberari cùm potuisset, Constantinopoli in pædagogium Ottomannicum inclusus, Christo impiè deserto, in Baxam prænobilem, grauemque Christianis rebus hostem euasit. Multique animaduerterunt superiore anno malè munitam nauem, quæ Socios & ægros sibi commissos reportabat milites, ab viginti septem triremium oppugnatione euasisse saluam: & nunc, quæ illos reiecerant, quamuis optimè viris & armis instructas miserimè periisse.

68 *Socij quidā non recepti in triremē, prædonum sic manus euadunt.*

67 *Insigne caritatis exemplum erga nostros peregrinos.*

In iuuandis Romæ mortalibus egregiè fructuoseque tum à Collegij, tum à domus Professæ incolis laboratum. Collegij alumni non modò multos populos per consuetas litterarum vacationes egressi Vrbe, sed haud pauciores ipsa in Vrbe diebus feriatis excoluere. In plateas & frequentiora digressi compita rusticanos homines, vbi capita fidei ad salutem necessaria edocuerant quàm quisque posset plurimos, pellicere ad expiandos confessione animos nitebātur. Quos cùm rei necessitatem grauitatemque, tum incertos vitæ casus memorantes, perraram opportunitatem, diuinæ gratiæ amicitiæque ad omnia vtilitatem explicando permouissent, suo quisque cum agmine ad Collegium, mirantibus per viam, & Deum laudantibus spectatoribus, redibant. Hîc vnum in locum, qui fermè vna erat ex musæi capacioribus exedris, congregatos viam rectè confitendi paucis edocebant: tum spatio aliquanto ad repetenda memoria peccata, & excutiendam conscientiam præscripto, multis aduocatis sacerdotibus, vt ad sua quoque negotia piæ turbæ superesset dies; celeriter audiendos curabant, nec rarò egentioribus aliquid simul ad vitam subsidij vel è domestica tenuitate, vel è piorum benignitate, itemque non habentibus rosaria, & (siqui nossent legere) pios libellos tribuebant. Ad Professorum domum cùm cæteri suo quisque in munere, tum præcipuè Franciscus Strada ante, & Lainius post meridiem è suggestu cum approbatione & fructu conuertendis ad Deum,

69 *Collegii Romani industria in iuuandis proximis.*

Digitized by Google

Deum, ac perficiendis ciuium animis salutiferis vocibus institere. Lainij auctoritas indies amplior. Super conceptis orandi formulis (Collectas vocant) quibus Ecclesia pro variis anni temporibus in sacrificio vtitur, differebat, sæpè decem, eoque plurium Cardinalium in consessu, cæterorumq; Romanæ curiæ Principum ac Præsulum supra quàm credi facilè queat, corona. Quos in angustiis templi mirũ erat tam patienter ferre calefactum grauemque halitum, tum premi se vrgerique: præterquam quòd perangustè sedendum, interdum etiam standum erat, & alia subeunda, quæ fert in angusto conferta multitudo. Cùm sacro lustrandus fonte in diui Petri basilica Iudæus esset ab Duce Vrbinate missus, delectus à Carolo Borromæo Cardinali Lainius est, qui in ea celebritate verba faceret. Interfuere quindecim sacra purpura insignes Patres, & præter innumeram Præsulum, atque Christiani populi multitudinem, propè cuncti Hebræi: quos proposita pœna adesse Cardinalis Sabellus iusserat. Duas horas concio tenuit cum admiratione ac plausu etiam perfidæ turbæ: nec paucis mollescere ac nutare dura & obstinata mens cœpit. Ipsimet prædicabant inde vsque ab multo æuo parem concionatorem auditum non esse. Nec solùm publicis adhortationibus tantum apud omnes, sed plurimùm consilio ac prudentia apud omnes Lainius valebat, penes quos summa rerum & sanctæ Ecclesiæ gubernacula erant. Eius sententia in perplexis & ancipitibus Christianæ reipublicæ rebus habebatur quàm tutissima: eamque Principes, quam scripto dari volebant, nunquam ferè non sequebantur. Vidi ego (vt id documento sit) sententiam, qua ad extremum superiorem annum, cùm Concilium Pontifex, quod petebatur, nouum cogitaret edicere, grauissimis rationibus dissuasit, ne iniuria Tridentino iam cœpto fieret: vnde effectum est, vt nouum nequaquam ediceretur. Deinde cùm iussus esset in formulam, qua ad edicendũ Concilium diploma cõcipiebatur, censuram scribere; ipsum diploma omnino ad ea, quæ ipse haud pauca notauit, accommodatum animaduerti. At domestici tanti ducis modestiam, ardentemque imitati caritatem, consueta professionis ministeria nouo semper ardore tractabant, & optato successu, Deo iuuante suorum famulorum conatus: quòd plus in eius fauore, quàm in spe reponebant sua. Id adeò in reconcilianda cùm viro coniuge perspectum est. Quæ grauiter ægro corpore, sed periculosiùs laborans ab animo obfirmata nunquam viro, qua se credebat læsam, condonare iniuriam, nostri sacerdotis, qui aduocatus erat, cùm hortamenta omnia respuisset; vbi is ante Domini Iesu in eo cubiculo è cruce pendentis effigiem procubuit in genua, diuque orando perstitit, rursus interrogata, quid consilij caperet, eius nutui sese obedienter permisit.

70 *Lainij auctoritas.*

71 *Vis precationis.*

Secundissimè etiam cessit res in Pauli Quarti Pontificis cognatis ad vltimum supplicium bene ferendum iuuandis. Celebrauere tum rem longè lateque sermones hominum, litteræque; omnibus consentientibus eos meliùs res aduersas tulisse, quàm prosperas. Nocte, quæ Martias Nonas præcessit, supremo affecti supplicio Carolus Carraffa Cardinalis, Ioãnes Carraffa Montorij Comes, dein Palliani Dux, huiusque sororis vir Comes Allifanus, & consobrinus Leonardus Cardines: dieque insequenti tres postremi ad Pontem Ælium spectaculo propositi insigne præbuerunt documentum inconstantiæ humanarum rerum, cùm tota Vrbs, quos paulò antè rerum dominos intuita erat, in summum infortunium deiectos spectaret attonita: iamq; non solùm restinctis tali exemplo odiis, sed fama etiam constantiæ & magni animi, quo vltimum illud miseriarum tulerant, amore conciliato passim miserãretur. Et quidẽ Ioanni Carraffæ putatur Deus tam sanctum vitæ finem largitus, quòd semper bonorum amans virorum, ac benignus in egenos fuisset: olimque Neapoli in Sodalitatem, quam Candidorum vocabant, talia curantem adscriptus, libenter consueuisset præstò esse morte multandis. Is desperatum propè de vita cùm intellexit, cura omni ad ornandam mortem, & casum quemlibet, quo animo generositatem suam & Christianam decebat, perferendum conuersa; Lainium rogauit, vti Patrum aliquem ad se mitteret, qui animam suam tempore illo supremo regeret. Missus est Ioannes Baptista Perusc̃us Romanus, vir prudentia eximia, & omni genere virtutis excellens. Cum eo Ioannes de patria cælesti sermones, de vanitate mortalium rerum, de beneficiis diuinis, deque admirabilibus viis, quibus ad æternam salutem cælestis Pater, quos elegit, perducit, frequentes prolixeque habens, dicere erat solitus, pluris se facere calamitatem illam carceris, quàm præteritam felicitatem, maioreque in Dei beneficio ponere. Nimirum quòd felicitas, vt solet, penè abstulisset, calamitas dedisset mentem. Vndecim diebus, qui finẽ præcessere, hebdomadæ primæ exercitiis, semel quotidie ad eum in arcẽ Adrianæ molis Perusco adeunte, operam dedit. Ter eo tempore meditationem instituit mortis, ita animum componens, ac si iamiam abiturus esset. Peracta generali confessione, inde vsque ex quo sapere cœpit exorsus, quater Christi Domini sanctissimum corpus suscepit, Sacrum quotidie audiens: cui ministrare cupiebat, si sacerdos permisisset. Erant quadragenarij ieiunij dies: quod salutare institutum cùm semper Dux etiam in secundo rerum cursu inuiolatum seruasset, nunc demum ad panẽ & aquam sæpè nihil adhibebat; & crebrò subibat flagellum, sedulò inter cætera curans, vt si quid cui æris alieni deberet, exsolueretur. Si qui de spe vitæ sermonem inferret, alia iubebat loqui: deque ea re suborientes sibi cogitationes, quasi tentamenta dæmonis abigebat. Quòd si fortè absolueretur, statuerat seriò proculcare caducas res: cruceque Domini susceptа, intra Religiosa septa abdere sese. Quod se iam pridem ludibriis sæculi deprehensis agitasse animo confirmabat: & nunc tandem ita apud se deliberatum atque constitutum habere; si fortè libertas daretur, nihil facturum priùs, quàm vt Lainio conuento, ei sese penitus traderet: quem hanc fortè ob causam, quasi iam vnus Sociorum haud aliter, quàm Nostrum Patrem in sermonibus appellabat. Citatus ad audiendam capitis sententiam, cùm in Beatæ Virginis laudem solennes

liorum memorabilis in morte subeunda pietas.

73

72 *Ioãnis Carraffæ & a-*

Digitized by Google

lennes Officij preces recitaret, tantisper interquieuit, dum quod viator significabat, audiret. Vbi ille dixit, eodem vultu, nullo addito gestu verboue, luminibus in libellum restitutis, quod inchoarat, repetiit, & ad extremum est persecutus. Deinde cum Perusco, qui interuenit, perinde ac si nihil accidisset noui, disserere de rebus diuinis cœpit. Intererat item Perusci cùm Causidicus præ dolore vix verba extricans prolatam contra eum sententiam capitis nũciauit. At Dux ad eum nuncium nil, nisi ante sacrã effigiem prouoluitur in genua, Christoq; Domino ac B. Virgini gratias agens solum deosculatur: tum in sermone instituto eadem, qua priùs cõstantia, perrexit, nil titubante voce, nihilo turbidiore vultu, nulla pauoris aut perturbati animi apparente nota. Qua obtruncatus nocte est, vbi adfuere lictores ab arce S. Angeli ad turrem Noniam, qui destinatus erat supplicio locus, eum ducturi, primùm B. Virgini, genibus ante eius imaginem humi fixis sese cõmendauit: tum paruula argentea cruce cum affixo Domino susceptа; Quamdiu hic mecum erit, inquit, nihil timebo: illudq; salutis signum læua sustinens, dextera epistolam, quam optimis refertam præceptis (ea vulgò edita circumfertur, luce sanè dignissima) scribere ad filium instituerat, absoluit. Dein inter lictores alto iter ingressus animo, quotquot obuios habuit arcis milites, ad rectè viuendum alacriter adhortans, suam gestans crucem propè securus incessit. Iam Sodales Misericordiæ, qui supplicio vltimo damnatis adesse solent, ad carcerem operiebantur. Ad hos pauca fatus est magni apud eos viros exempli & motus, offerens se paratum quamuis pœnam & quamuis acerbã subire necem. Vna ei dumtaxat molesta res erat, quòd Perusci confessarius suus abesset. Quare Præfectũ carceri enixè rogat, vt properè accersendum curet. quod factum est illicò. Et Perusci rei antè ignarus cum altero sacerdote festinus aduolauit.
74 Dux interim haud sciens, num tempori aduẽturus ille esset, apud sacerdotem, quem ducebant Sodales Misericordiæ, cui Summus Põtifex plenam ei peccatorum ac pœnarum indulgentiam impertiendi potestatẽ fecerat, confitetur. Moxq; conspecto Perusco mirè lætus, nunc verò sentire se ait, omnia sibi feliciter, atque è sententia euenire. Nimirum esse Deo curæ salutem animæ suę, quandoquidem votis adeò suis obsecundet. Seuocat itaque Patrem, eiq; aureum insigne Equitum S. Michaëlis, quod ab Henrico Rege Galliæ acceptum suspensum è collo gestabat, tradit. Schedulam (adeò erat sui potens) in qua descripta erat meditatio, quam vltimam Exercitiorum habuerat, ac piarum meditationum libellũ reddit. Quas res secum de industria ex arce detulerat, addens valdè curæ sibi fuisse, ne perirent. Eidem suum rosarium donat, vt sit pro se Deum precandi monimentum. Rosarium item piacular, quod commodatum acceperat, socio Perusci reddit, quædam apud se piacularia grana retinens, quibus extremo in spiritu Indulgentiam consequeretur. Dein deductus in partem inferiorem carceris, cùm Allifanum Comitem, & Leonardum Cardinem reperisset, ad eorum prouoluitur pedes: seque tanquam auctorem calamitatis eorum accusans, veniam supplex orat. Nihilo seciùs illi prostrati veniam ab Duce precantur. Videre erat humi abiectos nobilissimos viros tam forti animo, tanquam nulla instaret mors, ab se inuicem veniam precantes, & quemque auctorẽ se mali, supraque alios reum esse certatim profitentem. Ad hoc spectaculum præclaros viros è Sodalitate Misericordiæ admiratio, terror, miseratio, multi variique miscebant motus. Illi venia inuicem multùm rogata, inter seq; arctissimè cõplexi, & suauissimè osculati, ad Sodales conuertuntur. Eos item, si quare offendissent, vt condonare velint, per Christi Iesu caritatem obtestantur: eorumq; in amplexus ruunt. Rursus postea segregantur, & alter nostrorum Patrum cum Leonardo & Comite secessit: apud Ducem Perusci mansit. Iussit Dux recitari cruciatuum Christi Domini historiam à S. Ioanne perscriptam, aperto audiens capite, & cum magna veneratione id flectens, quoties sanctissimũ Iesu nomen appellaretur. Post eam rogauit omnes, vt genua flecterent, secumque Litanias pronunciarent: quod factum est Perusco præeunte, Duce pro se, cæteris pro eo precantibus. His varias ipsemet precationes ad Sanctos, quos habebat patronos, ac præ cæteris orationem S. Vincentij, qua testabatur nolle cuipiam diabolicæ persuasioni præbere aurem, sed in sanctæ Ecclesiæ gremio mori, varioque subiecit Psalmos; illud, quantum apparebat, curans, vt mens occupata piis actionibus, nullam imbecillitati naturæ aut cogitationi noxiæ locum daret. Sæ- 75
peque ad Perusci conuersus: Eia, Pater, aiebat, aliquid boni approperemus: tempus breue est, & auolat. Mox ducendus ad necem, Hanc, inquit, Christi Domini effigiem ad nostrũ Patrem Generalem, vbi mortuus fuero, defer: rogaque vt memor sit mei; & hos trade libellos (secum habebat pios quosdam libellos, & argenteam illam significabat Christi effigiem, quam nunquam posuerat.) Vix ea dixerat, cùm lictor adest, & ad supplicium vocat. Ad quam vocem demissus in genua quasi peritus orator ad Christũ Dominum versus, Video, inquit, bone Iesu, magna te mecum vti misericordia, quòd hanc viam, tanquam omnium mihi aptissimam ad me saluandum elegeris. Agnosco atque profiteor Domine meis sceleribus pœnas deberi æternas: tamen certa mihi fiducia est, non in me, sed in te, in visceribus misericordiæ tuæ, in pretioso sanguine tuo, quem fundere voluisti pro me; in sanctis vulneribus tuis: intra quæ penetrare cupio, & ibi conquiescere, vt in foraminibus petræ, in cauerna macerię. Dicebat etiam, Laus sit, Domine, sempiternæ iustitiæ tuæ, quæ fecit, vt Vicario tuo hanc mentem iniiceres, vt me mea ob scelera morti adiudicaret. Optimè enim noras tu, sapientissime & indulgentissime Pater, aliam mihi viam salutis non esse. His dictis obtruncandus ibat hymnum, *Te Deum laudamus* percurrens; & identidem adstantes, si cui molestus aut iniuriosus fuisset, si bi vt ignoscerent, pro seque vt orationem Dominicam & salutationem Angelicam semel promerent, rogitans. Ad supplicij vt ventum est locum, lictor vincturus eum, veniam de more precans, accedit. Ad quem Dux, Quid

est

Digitized by Google

est quod rogas? Age, frater, age fidenter, quod muneris est tui. Atque hæc dicens dulci hominem stringit amplexu & osculatur: tum submissis rursum poplitibus pauciscq; Christum denuò allocutus, solennia verba confessionis generalis pronunciat, & absolutionis formulam proferre Perusco iubet: qua prolata subiecit ipse Symbolum Apostolorum; eoque finito, collum securi subdidit: quod repentè inter pronunciandum diuinissimum Saluatoris nomen abscissum est. Consimili constantia reliqui duo supremum casum tulere, & Leonardi è capite ab ceruice reuulso clarè auditum est sanctissimum Iesu nomen. Comes Allifanus maioris submissionis gratia nudis pedibus ad supplicium volebat ire: sed permissus non est: & cognito quàm piè Dux mortem oppetiisset, vltrò *Te Deum laudamus* & ipse promens vadere cœpit. Quod eo minùs in eo viro nouum videbatur; quòd is sententia necdum lata necis causaque pendente, hunc in modum solitus erat Leonardum affari: Nónne nos promisimus Deo, Leonarde, si vita concedatur, eius obsequio omnem mancipaturos? Quanto igitur maius beneficium sit, si, dum certa hæc viget voluntas, nos ad se vocet? compendiumque viæ faciens ac laborum ad idem in præsentia euehat præmium, ad quod multò pòst tempore euocaturus esset? Hæc ego ex litteris excerpsi, quas, quo gesta sunt tempore, Polancus ad vniuersam Societatem dedit. Haud nescius sum adiici ab aliis multa, & piam quoque atque accommodatam meditationem referri, quam Dux super septem verbis à Domino in cruce prolatis habuerit: quod fortassis, antequam Perusco aduocaretur, accidit: ideoque nulla eius apud Polancum memoria est. Nec verò videri potui aliena persequi, vbi Perusco alterque sacerdos tanta pars fuere. Præterquam quòd illa mihi voluntas optima Ducis, qua nostrum Ordinem semper antè complexus, supremo tempore etiam cupiebat de Societate esse, & veluti vnum ex ea ferebat, repudianda nequaquam fuit.

76 *Missionum fructus.*

Hæc Romæ dum fiunt, haud pauci, & in Vrbi vicina, & in remotiora etiam Italiæ excurrêre loca, Christianæ vbique sanctimoniæ ardore ingenti ac labore statuentes signa, & pulcherrimã orientis Ecclesiæ speciem reuocantes. Castella inuenta, in quibus ante quintum ac vigesimum ætatis annum nemini mos esset ad mensam diuinam accumbere: & vbi virgines nubiles, quanquam quocunque aliò seu voluntas, seu vsus ferret, vagarentur, templum tamen ingredi, & Sacro interesse, opinione peruersissima, procul decoro haberetur. Imò & rusticanus homo inuentus, planeque rusticanus, qui cùm puer salutationem modò Angelicam & precationem Dominicam, idque prauè didicisset, assiduè deinde in agro versatus & inter belluas, solem venerabatur, nihil se vidisse vtilius aut formosius dicens. Ei se nascenti cadentique septies dicere *Pater noster* & *Aue Maria*. Adeò hominum ingenia absque cultura siluescunt, & indita humanis mentibus in superstitionem paulatim degenerant semina pietatis. His omnibus aliisque zizaniis euellendis feliciter insudatum. Ad infamem impiarum vocum consuetudinem extirpandam, optimè adolescenti, qui sub extrema Paschalis ieiunij comes iuerat eius, quem modò nominaui, Perusci, simplex inuentum cessit. Dominico die Palmarum diu grauiterque in tartareum illud inuectus crimen, singulis auditorum ramulum sacræ oleæ diuisit, iubens eum sibi è collo suspendere: & quoties dæmon execrandi impetum iniiceret, aspicere eum, ac meminisse oleam signum esse pacis: sibique monimento datam, ne impiè cum Deo pugnarent. Tam altè hæc vox simplicibus populi insedit animis, vt deinde veluti prouerbio, si quando vel iratos viderent, vel audirent praui quid effundentes, alij alios admonerent: oleam inspectarent, oleæ meminissent. Eadem Quadragesima Lauellum (est vrbs ea permodica Appuliæ Dauniorum sexto à Venusia milliario prope Lucanos, in quibus etiam hodie numeratur) postulatu Antonij Florebelli eius Episcopi, qui Summo Pontifici à secretis erat, cuique planè multum Societas nostra debet; profectus est concionaturus Emerius de Bonis facultatis vir non vulgaris, cæterùm virtutis eximiæ. Ciuium animos ad alium concionatorem doctrinæ fama insignem, sed apud Antistitem suspectæ, conuersos reperit. Qua de causa non libenter ab Episcopo missum excipientes, volebant eum specimen suæ facultatis præbere, vt ita exciperent, si placuisset. Negauit Emerius suggestum illud ab se ambiri: nec quidquam mercedis pro iis, quæ obiret, muneribus sibi fas esse recipi, nedum mercedis spes eò duxerit. Quàm facilè venerit, tam non difficilè abiturum. Flexit nonnihil eos hæc æquitas animi; sed multò magis vbi eius interfuere Missæ, commoti sunt. Sacrarum dignitate cerimoniarum, pronunciatione religiosa & graui, totius pietate maturitateque actionis (tanti interest in sacro præcone cuncta esse ad exemplum composita) qui primi sacrificantem videre delectati, cum fausta omnes admurmuratione discesserunt; inuitaruntque alios, vt postero die quasi nouæ ac pulchræ diuinis operandi formæ interesse vellent. Cumque postero die plures adfuissent, etiam hi deinceps alios adducebant, vt templum spectatoribus impleretur. In summa; cura abstitere experiundi facultatẽ dicẽdi, satis idoneum rati concionatorem, qui tam probatus erat sacerdos. Hoc autẽ prejudicio imbuti, ac cætera etiam vitæ pietate cõciliati, vbi in suggestum processit, tum verò, nequaquam velut missum ab Vrbe, sed tanquam demissum è cælo audire hominem cœperunt, cateruatim ex oppidis propinquis remotisque promiscua omnium ordinum multitudine confluente. Nimirum eo minus negotij Emerio fuit ad pietatem totius vrbis faciem renouare. Sanctissimum Christi Domini Corpus indecorè asseruabatur, vt honorifica cellula pararetur, curauit. Idem ad decumbentes sine vllo honore deferebatur: paulò pòst magno comitatu, & cum facibus ferè quinquagenis deducebant. Moriebantur ægri in viis ope omni destituti: nosocomium olim cœptum vt perficeretur operam dedit. Vsurpandi sacra mysteria nulla præterquam in Pascha te, tumque perfrigida

77 *Solertia aduersus impias voces.*

78 *Emerius de Bonis rem praclarè gerit Lauelli.*

79

mentio

mentio erat. Sodalitatem instituit, iisque obstrinxit legibus, vt singulis mensibus homologesi animos expiarent, ac cælesti pane reficerent: iidemque stipem corrogarent, quam in egenos præ pudore latentes distribuerent. Quarum rerum cùm primùm perspecta sunt exempla, cùm viri inter eos nobiles ad subsellia sacerdotum, & ad mensam diuinam accedere, vel pro foribus templi conspecti sunt mendicantes, miraculo propè fuere. Quo die electorum de templo negotiatorum sacra historia tractatur, valdè Clerum permouit, vt multo deinceps accuratiùs communis psalmodiæ cursum exequeretur: permouit autem ea maximè re, quòd qui parum distinctè decoreque canerent, eos dixit videri in templis non boues, sed boum mugitus vendere. Vigebat ibi
80 quoque infamis mos impia in Deum ac Diuos dicta iaciendi. Hoc ita crimen seuerè pro concione detestatus est, vt Marchio, qui adfuit, protinus edicto grauem proposuerit pœnam, qui in posterum tale scelus auderet: & vnius linguam, qui paulò pòst deprehensus in scelere est, fuerit transfixurus, nisi concionator intercessisset. Valuit tamen ille terror, & sacri præconis incusatio vehemens, vt magna ex parte tartarea illa linguæ intemperantia coërceretur. Hæc populus commoda animaduertens, Emerium, quem principio abnuebat excipere, haud postea adduci poterat, vt perfunctum munere abire sineret. Verumtamen quoniam Societati non licebat per paucitatem operariorum ibi sedem figere, cùm adhortatus Marchionem esset, vt è Franciscanorum Moderatoribus, quorum Lauelli cœnobium est, impetraret viros, qui bene instituta conseruarent, quamuis inuitis omnibus, tandem abscessit. Romam primùm reuersus, deinde Perusiam missus est: id Patribus curantibus, vt ad eas vrbes, in quibus fixa domicilia Societas habebat, subsidia inprimis idonea mitterent.

81 *Hæretici in Calabria reuocati ad sanam mẽtem.*

Sub idem tempus Lucius Crucius & Ioannes Xauerius Calabriæ salutarem opem tulerunt. Extiterat repentè circa Consentiam & Montem Altum ingens hæreticorum vis, adeò vt fieri numero impij metuque perculsi, ne singuli comprehensi pœnas darent, exire facto agmine oppidis, attrectare arma, & ad errorum fluctitiam latrocinij furorem adiungere auderent. Capti circiter mille sexcenti: reliquorum pars magna ostentata veniæ spe resipiscentibus, in oppida rediit. Ad hos ab errore deducendos, & confirmandos in veritate orthodoxos, Proregis & Cardinalis Gaddij Archiepiscopi Consentini postulatu sacerdotes duo, quos dixi, profecti sunt. In Monte Alto primùm expurgando prosperè laborarunt. Ex multis, de quibus sumptum capite supplicium est, vno die octogintaocto in frusta concisi: ad quos Xauerius communiter post confessionem acrem adhibuit adhortationem. omnesque rectè animati, rectèque sentientes deducentibus singulos ad supplicium Patribus, subiere necem: nec quidquam miseri dolebant, nec querebantur aliud, quàm serò tales Magistros venisse: si duos citiùs menses aduenissent, haudquaquam se in eam insaniam tantamque calamitatem fuisse lapsuros. Duo dumtaxat tam numerosa in turba pertinaces fuere: quorum alter inter hæreticos magno erat in pretio, & Prædicator appellabatur, homo agrestis, Latinè ignarus, nec quidquam sciens, nisi impium errorum carmen: quod iisdem semper verbis frequentissimè iteratum, quamuis brutæ menti inhæserat, non modò firmamentum, quod vllam imaginem haberet veri, sed nihil omnino argumenti errorum, quos canebat, potens afferre: & tamen humana peruersitas, & diabolica fraus tali trunco ac stipiti audientiam faciebat. Expurgato Monte Alto ibidem Lucio subsistente, qui & concionabatur diebus festis, & aliquoties in hebdomada Clericis ac Religiosorum non paucis Conscientiæ explicabat casus, valetudine peregrinari prohibitus; Xauerius in vicinos pagos summa commotus necessitate populorum excurrit. Loca erant ab exulibus & grassatoribus infesta: perpetuumque periculum iter sine valido præsidio tentantibus imminebat; tamen securum aiebat se ire Xauerius, quòd, si spoliaretur, Domino ita locupleti seruiret, vt iterum ab eo vestiri non difficilè posset: si occideretur, in beneficio esset magno repositurus id sibi in Italia offerri, quod alij consectantes immensa tranent maria, ad Indosque & nouum penetrent orbem terrarum. Deo tamen milites protegente suos, multis perfuncti laboribus ac periculis, & in adiacenti agro, & Consentiæ strenuè exerciti, cùm morbo etiam Lucius diuturno vexatus esset, multis animarum millibus dæmoni ereptis, eaque pretiosa onusti præda incolumes redierunt.

82 *Patris Iosephi Xauerij constantia.*

Maceratam vere extremo Collegium missum est. Decimoseptimo Kalendas Iunias tredecim eò Socij peruenere, exceptique sunt conducta in domo ab ciuium primis: qui non modò instruxerant domum, & hospitalem parauerant cœnam, verùm etiam prohiberi non potuere, quo minùs ipsimet sacris hospitibus de via fessis, dum cibo vires instaurant, humanitate summa & alacritate ministrarent. Iam diu expetierant id Collegium Maceratenses, cùm secunda Lauretanorum Patrum per totum agrum Picenum, extraque eum manante fama, tum fructu illecti, quem ex breui aliquo eorumdem excursu identidem sua ipsi in vrbe degustarant. Cæsar Brancatius, qui sub Paulo Quarto prouinciam Picenam administrauit, & documenta non pauca sapientis Prætoris reliquit, nihil non mouerat, vt res primo quoque tempore perficeretur, missis etiam Lauretum ad Rectorem eius Collegij Oliuerium, quatuor lectis viris, & ad Lainium Romam procuratore cum mandatis ac litteris tum suis, tum ciuitatis. Aiebat cùm prouinciæ caput Macerata sit, prouinciæ totius causam agi, quam sancta Societas & apud Deum & apud homines factura illustriorem esset. Atque Oliuerius quidem ita suscepit causam, vt Lainio confirmaret, cùm alij populi complures suam ad impetrandum Collegium operam requisiuissent; tamen

83 *Macerata Collegium inchoatum.*

Digitized by Google

men pro vnis Maceratensibus laborare se, quòd nusquam amantiorem & paratiorem ad profectum ciuitatem vidisset. Verùm decessione Brancatij refrigerata causa, minimè paucos honestissimæ sortis ille iam vanus occupauerat metus, ne filij abducerentur. Cæca futuri pectora id metuebant, quo nihil haberent optatius, si suspicari possent, fore haud longè pòst tempus, cùm Maceratēsis ciuis (Matthæum Riccium loquor) per hunc, quem anxiè verebantur modum abductus, ideſt in hanc conscriptus militiam, ab eaque excultus, euectus & amandatus in Indiam, eiusdem ope regna Sinarum amplissima, non religioni modò Christianę, quod summum est, aperiret, verùm etiam in Europæarum gentium, quarum sic apud Sinas iacebat opinio, vt pro Barbaris vulgò despicerentur, admirationem adduceret, summa cum Christiani nominis amplificatione, magna cum Occidētis totius, quem iam magnum Sinæ cognominăt,
84 & scilicet præcipua Maceratæ gloria. Talium igitur ignaros tum ciues ita præposterus ille retardabat metus, vt, cùm tandem ciuitatis Concilio publico, in quo vndeseptuaginta interfuere, quinque & sexaginta suffragati Collegio sunt; mutatio dexteræ Excelsi visa sit: nec tam repentinus, præterque opinionem consensus nisi sancto Spiritui tribueretur. Quod præter cæteros grauis prudensque vir Cæsar Gambara, qui vices legati gerebat, probeque norat quid paulò antè ciuium multis animi esset, prædicare non cessabat quasi diuinum opus. Iuuit tamen quamplurimum ex ordine Seruitarum magnæ auctoritatis iuxtà ac sanctitatis sacer orator Eusebius, & in sermonibus priuatis, & in concionibus publicis commendans vrgensque negotium. Iuuere de ciuibus quoque multi: sed nemo omnium studio, pecunia, labore acriùs contendit, quàm Ioannes Iacobus Gabutius: cui tamen rerum Deus omnium sapientissimus dispensator impetrati Collegij lætitiam concessit, fructum negauit, vel commutauit potiùs, pro breui modicoque æternum & immensum largitus. Quo die Maceratam Socij iniere, eo Ioannes Iacobus ad sepulcrum elatus est, quingentis Collegio aureis testamento legatis. In assignādis reditibus difficultatis aliquid interuenit. Volebat ciuitas certi nihil attribui, sed transfato dumtaxat in Collegium stipendio, quod Grammaticæ præceptori communi antea pendebatur, quidquid præterea desideraretur, suppeditandi curam Quatuoruiris
85 delegari. Sed earum rerum neutram Pater Generalis subeundam putauit, edoctus iam satis experimento, & Foroliuiensis, & Amerini, & Montis Politiani Collegiorum, nil stabile ac permanens esse posse, vbi res pendeat ab eiusmodi Magistratibus, qui tam sæpè mutantur, tamque latè per genus propè omne ciuium vagantur; vt vbi vni alteriue quacunque ex causa offensionis quidquam obortatur, rerum summa periclitetur. Aliquid tandem certi à Christophoro Madrutio Cardinali Legato assignatum est. Is, cùm ab Oliuerio, & Collegij Rectore inuiseretur, magna voce (& aderant plurimi) velut concionabundus extollere miris laudibus Societatem aggressus, præter cætera, gratias dixit ab omnibus Deo

Parum firma quæ ex arbitrio pendent populariū Magistratuum.

agendas, quòd tali tempore talem orbi terrarum hominum cœtum dedisset: ac bonam deinde de pecunia sua stipem ad Collegium misit suum mittentis nomen, quanquam frustra, cupiens ignorari. Rector Collegij primus fuit Angelus Douitius, qui cùm à secretis Florentino Duci Cosmo esset, paulò ante biennium transgressus ad Christi aulam, moribus planè Angelus videbatur. Principio sacra quoque ædes deerat: deinde attributum est templum sancti Ioannis, quod erat Archidiaconi Maceratensis. Libenter cessere Firmanus Firmanius Archidiaconus, eiusque frater Ioannes Franciscus rituum sacrorum apud Pontificem Summum Magister, cui regressus ad Archidiaconatum patebat. Cęterùm nondum ædibus ad incolendum prope templum paratis, procul aliquanto tempore magno cum incommodo, magnaque patientia habitarunt. Nimirum sua rebus omnibus quædam ætas est, per quam adolescant, & ad iustum modum per gradus proficiant. Quas æquo animo tempestiuitates opperiri, neque earum paria vbique postulare interualla non Euangelicæ modò constantiæ, sed humanæ quoque prudentiæ est. Exordium docendi facturi, in templo sancti Francisci Latinam orationem Ioannes Dominicus Romanus doctus & eloquens iuuenis, Græcam Ioannes Catalanus habuere cum approbatione summa florentis ac doctæ coronæ: adeò vt designati à ciuitate Collegij curatores statim Lainio grates per litteras egerint ciuitatis nomine; rogarintque vt in publico Gymnasio semel in hebdomada docere eos vellet, quod impetratum est. Dieque Saturni nouis Magistris ad docendū dicto, confluebat auditorum ingens ac varia multitudo: qui quantopere doctrina placeret attentione, modestia, silentio haud alijs in auditorijs consueto testabantur. In domesticis autem scholis ampliùs centum & quadraginta numerabantur discentes. Nequaquam par initio ad templum, & mysteria diuina concursus. Multis diebus nemo virorum, nisi vnus quidam adolescens quàm occultissimè dubia luce ad cæleste conuiuium accessit. Feminas absterrebat metus, ne Theatinæ vocarentur. Sed paulò pòst malum pudorem, & diabolum qui eum offundebat, vicit subegitque gratia Christi, templumque ac diuinam mentem viris femineque compleuit. Dumque liberalitas ciuium cum Patrum sedulitate certat, breui ædes attributæ sunt templo contiguæ, & Sociorum numerus amplificatus, vt extremo anno viginti iam essent, & Sodalitas sanctæ Mariæ, quam Virginum vocant, vt magnificam, quę extra vrbem condebatur, ædem ijdem acciperēt, omni ope annitebatur.

Eodem mense Maio primum in ditione Sabaudi Ducis Collegium positum est. Agebant apud eum Antonius Posseuinus, & Ludouicus Codrettus, impigreque alpinis in vallibus religionis restitutionē vrgebant. Verùm Angronienses, quos suprà demonstratum est malo subactos (vt infidus est custos officij metus) mortuo Galliæ Rege Francisco, audacia sumpta, cumque finitimis Delphinatus coniuncti hæreticis aduersus Ducem rebellant. Id metuens Possevinus censuerat principes eos, qui Vercellis hæresim 87

Digitized by Google

ciurarant, haud sinendos domum redire, sed per vrbes spargendos & oppida; & cœnobijs assignandos, vt per otium pleniùs docerentur, & pariter ad constantiam bonorum vsu confirmarentur. Sed cùm quidam Gallorum religione & ipsi parum sincera minimè malos homines permansuros in fide affirmarēt, redeundi venia facta est. Ergo mouenda Duci de integro fuerant arma, remisso cum prisco munere Posseuino: & multū negotij fuit, quoad propugnaculo in faucibus duarum vallium excitato, ne qua erumpere in subalpinam planitiem hæretici possent, & quibusdam conditionibus in officio contenti. Tum ad expurgandam totam circà regionem subalpinam, quam inter diuturna arma errores ita infecerant, vt Vigoni, quod inter Valles, & Augustam Taurinorum medium est oppidum, sena hominum millia ad Caluinianam cœnam conuenirent, duo maximi vsus Posseuinus excogitauit. Primùm ex Ligurum & Mediolanensium cœnobijs lectos quadraginta cōcionatores euocauit: perque certa loca cum suo quemque comite disposuit, auctoritate Ducis, & Apostolici Nuncij, qui etiam ex vigesima, quam Pontificis assensu subalpinis sacerdotijs imposuerat, impendia in eorum alimenta contulit. Deinde Vercellis, Genuæ, Venetijs vim immensam Catechismorum Canisij, & magnorum foliorum, in quibus descripta erant opportuna monita ad cauendas hæreses, impensa Ducis edendam typis curauit. Ex quo sacro instrumento copia ingens ad concionatores distribuenda missa Ludimagistris, & singulis discentium donati Catechismi. In templis, xenodochijs, diuersorijs, & publicis alijs locis propositæ tabulæ agglutinatis folijs: eaque solertia cū pestiferi, quos Geneuenses seuerant, excussi de manibus, obliteratique libelli: tum salubris per omnes ordines ætatesque propagata doctrina. Haud laboriosè minùs ac fortiter verbi diuini mouebat arma Ludouicus Codrettus. In duabus præcipuè vallibus rē administrauit Sturæ, & Barcellonæ. Illa cis montes in Italiam, hæc vltra in Galliam versa est. Quare & apud Sturanos populos, quòd Gallicè parū intelligerent, concionabatur Italica lingua; apud Barcellonenses Gallica, quòd fermè Italicè ignorarēt. Vtrobiq; mores, vtrobiq; corrupta religio: sed fœdiùs apud Barcellonēses. Inscitia ante omnia rudes mortales aduenarum fraudibus opportunos reddebat. Verū confidentiæ tantum atque superbiæ vnà cum hæresi deprauatis imbibebāt mentibus, vt femina, quę ęgrè posset suum litterarū apicibus sonum reddere, non erubuerit sacrum Testamēti noui codicē vernaculo sermone versum manu tenens, Ludouicū in frequenti corona ad disputandū lacessere. Quā Pater graui supercilio meritaq; castigatione reiecit, cùm abunde hæreticos spiritus redargueret temeraria illa procacitas, perquā assumere sibi grauissimi magisterij partes imperitissima, & femina auderet.

88

89 Ebredunensis Archiepiscopus Guilielmus Auansonius, cuius diœcesi Barcellonę vallis est cōtributa, cognitis in ea rebus à Ludouico gestis magnopere lætatus, Ebredunū accersijt, productūque sæpiùs ad populi concionem, Glanum (Gap hodie vocant) exiguis septem ab Ebreduno leucis, misit, tentaturum, si quid miserè perdita in ciuitate posset. At simul primùm Glani Catholicum adesse concionatorē emanauit, hæreticorū quidam accurrunt; ferociterq; testantur, ab incepto ni desistat, antequam in suggestum euadat, iugulaturos: nec viuum fuisse portas intraturum, si quamobrem veniret, olfacere ipsi potuissent. His digressis armatorum globus superuenit: & solum in diuersorio circumsistunt. Actum de se Pater opinabatur: & propitium sibi Deum implorans, ad cadendum fortiter animum componebat. Verùm ne illi quidem vltra conuicia ac minas, si affari populum auderet, progressi. Non latuit Catholicos insultantium hæreticorū proteruitas. Arma iuuentus sumit, & suum oratorem ad concionandum instigat. Ille verò, quanquam indignum censebat orthodoxi præconis constantiam ad Hugonottorum furias trepidasse; tamen, cùm pars vtraque iam esset in armis, maluit in propinquum pagum transferre concionem, quàm videri fundendi sanguinis causam dedisse. Hunc in locum redacta Glani religio ea tempestate erat: perque tot discrimina, ne funditus tota ea regione rueret, succurrendum erat. Hoc magis Dux Emmanuel & Apostolicus Nuncius festinabant vt Collegium primo quoque tempore alicubi in subalpinis tamquam arx, vnde circumquaque excurri, & ad quam tenerior ætas rectæ institutionis gratia vndique conuocari posset, statueretur. De sede ambigebatur: dumque alia alij præferunt loca, ciues Montis Regalis admonitu sui iuuenis, quem Ludouicus Codrettus Auenione meditationibus exercuerat, ab Duce institere, vt apud se poneretur. Nondum Augusta Taurinorum, Cherium, Pinerolium, Sauinianum, Villanoua in Ducis redierant potestatem, quæ sibi Rex Galliæ Henricus ex pacis conditionibus reseruarat, dum ex Emmanuele Duce, & Margareta coniuge Henrici eiusdem sorore proles virilis susciperetur. Ergo ex reliqua ditione opportunissima sedes visa est Mons Regalis (Mons vici, seu Mondeuium vulgò est) tum propter cæteras commoditates, tum quòd ciues, vt dictum est, id valdè peterent: & Academia tum loco eodem conderetur. Collegæ partim Roma, partim Nouocomo duodecim missi: quorum plerique eodem prorsus die in Montem Regalem, quo Ludouicus Codrettus Rector futurus, occurrerunt. Verùm cùm parati nihil esset, Fossanum ad se Posseuinus transtulit, & hospitaliter habuit magno oppidanorum & accolarum bono: ad quos conciones & catechismum ardore eo animi detulere, vt primus ille Collegij quasi flosculus velut index eius feracitatis ingenti lætitia & spe latè prouinciam omnē complerit. Conducta domo in Monte Regali, rebusq; cæteris (vt copia fuit) paratis, sacelloque in aula adornato, nulla re quàm paupertate magis spectando (diu enim, vt id specimen sit, pro candelabro vitreus cyathi fracti pes fuit) initium tandē docendi factum ab tribus Magistris, quorū præcipuo etiam schola Rhetoricę, & Græci sermonis ex Academia attributa. Continuò affluxere è subalpinis oppidis pagisq; adolescentes: &, quæ sperabātur, apparere cœperūt fruges. Pleraq; Dux ad impensas suppeditauit: cuius etiā studio,

90 *Collegium Montis Regalis in subalpinis.*

Digitized by Google

studio, & Nuncij Apostolici, itemque Cardinalis Alexandrini biennio pòst proprium Collegio tectum est attributum à Summo Pontifice monasterium virginum S. Clarę, sanctimonialibus, quę duæ dumtaxat reliquæ erant, aliò translatis.

91 *Nouocomēſſ. Collegij initium.*

Nouocomenses iam pridem Societatis haud dum nisi fama, ex litteris præsertim & commendatione ciuium suorū, qui Romæ degebāt, cognitę, ambr & cupiditas ceperat. Mouebat ante omnia liberorū caritas, quorū erudiendis formādisq; ætatibus expertam multis locis, vulgoque celebratā nostrorum Magistrorū industriam exoptabant. Est præclara quædam Nouocomi procuratio animarum instituta & corporum leuandas calamitates. Opus Misericordiæ ex re ei nomen. Præsunt lecti ciuiū. Id operis qui ea tempestate procurabant, Collegij aduocandi negotium fecere suum, quòd persuasum sibi esse dicerent, nullam ab se erga patriam suam accidere posse misericordiam potiorem. Itaque post allegatos Romæ homines, qui coràm rem agerent, & alios Mediolanū missos, quò quempiam Patrū peruenisse audierāt; anno ineunte M.D.LVIII. ipsimet primò ad Vicarium Lainium, deinde ad Generalem Præpositum, & coactos in conuentu Patres sæpiùs scripsere, quatuor Sociorū studiosissimè postulantes. Nam quòd ciuitatē nec peropulentam, adhæc attenuatam bellis, atque exhaustam impendijs aiebant esse, negabant posse eam statim in Collegij iusti impensam sufficere. Aliquid tamen domicilij, & S. Pauli sacellum, & omnem caritatem, suasque opes omnes largiter deferebant. In eamdem sententiam ad suos siue ciues, siue potentes amicos atque patronos Episcopos & Cardinales Romam litterarum plurimum addidere. Remorabatur Patres primò Sociorum penuria; deinde, quòd Collegiorum ea fragmenta parum disciplinæ, parum diuturnitati

92 apta censebant. Instabant tamen Comenses, atque ex vsu Bobadillæ & Wolfii, dum in Vallem Tellinam transgrediuntur, vel inde reuertuntur; itemque ex fama Collegij, quod ipsi Volturrenæ concedebatur, nouus ardor accesserat; cùm ad superandas difficultates attentè cuncta circumspectantibus consilium planè bonum ac felix incidit. Leo Carpanus ex Merone pago in agro Plebincinij (quod Licinij forum sunt qui putent fuisse) vir pius ac nobilis sub annum extremum sæculi euntis duodequinquagesimū perfectionis studio facultates suas abdicauit; eoque contulit, vt per eas ob inopiam destitutis pueris tum Comensibus, tum Plebincinensibus necessaria vitæ, pariterq; litterarū & morum doctrina prouideretur ex sententia venerabilium Presbyterorum à Somasca, ad quos ipse Leo sese recepit. Ei negotio curatores præposuit tres, Mediolanensis diœceseos vnum ex oppido Herba clarū virtute Primum Comitem nomine; Comenses duos, & ipsos genere præstantes & moribus, Bernardum Odescalckum, & Iacobū Baiaccam. Deinde cùm Leonis propinqui abalienatarum dolore possessionum (qui plerisque mortalium morbus est) in eas frequenter inuaderent, & fructus infestos incertosque facerent, & cœpta institutio in destinato à Leone loco parum ad vota succederet; Presbyteri de Somasca omni se cura illa exemerunt, & curatores à Iulio III. Pontifice impetrarunt, vendere vt eas possessiones, & redactam inde pecuniam in alia pietatis conferre munera, fas esset. Hæc igitur cùm in promptu pecunia esset, visa est ad Collegij iusti firmamenta diuinitus reseruata. Vtque sententia hæc sedit; atque consultis Comensium ciuium primis, tum qui in patria, tum qui Romæ incolebāt, in Societatis Collegium consensu collata est; incredibile dictu est, quantū omnes Comensium ordines vniuersē ac priuatim eo lætati consilio sint. Præcipuus auctor transactorq; consilij Bernardus Odescalckus fuit. Cui viro, præstantibusq; eius filijs, cùm reliquis, tum Paulo Atriæ Pennæq; Episcopo, & Francisco Camerę Apostolicæ Præsidi, per quem illa Romæ pecunia occupata est fructuosè, plurimùm sanè debetur. Præiuit gregi Pastor Ioannes Antonius Vulpius multiplici sapiētia clarus Antistes: qui Collegij eam curam ita nunquam ponebat, vt etiam cùm ad Heluetios Pontificius Nuncius abesset, per crebras grauesq; litteras extimulare Lainium non cessaret. Nec minore interim studio Benedictus Canonicus, idemque frater ac Vicarius Episcopi cōtendebat. Porrò hi omnes, vbi illa Collegij perficiendi via reperta est, litteris separatim suis, itemque suis ciuitas, & Collegium Misericordiæ modis omnibus instituere, vt primo quoque tempore scholarum copia fieret. Commemorabāt incommoda publica ex ætatis infirmæ neglectu, pericula ex hæreticorū propinquitate, postremò opportunitatem ipsos hæreticos inter propinquas Valles curandi. Quæ voluntas & opportunitas cùm Patribus nequaquam reiicienda videretur; Comenses de assignanda Collegio sede disceptarūt, eam maximè ob causam; quòd, cùm vrbem modicam ambitu murorum incolant, sed in suburbia tria sanè frequentia expatientur, intra mœnia, siue propter angustias, siue quam aliam ob causam, cœnobia nulla virorum habent: neque vlla inferri, si quis foris decesserit, cadauera patiuntur. Quorum, & huiusmodi veterum morum oppidò retinentes sunt. Quamobrem erant qui censerent, nequid contra patriæ instituta committeretur, ne Societatem quidem penitus in sinum recipiēdam. Verùm Hieronymus Magnocaballus illa prudentię magnæ indole, qua postea domi foriſque in amplis muneribus, & legationibus, & Senator Mediolanensis, & Cremonensis Prætor claruit; quique perpetuæ in nos voluntatis suæ non modò liberos heredes reliquit, sed vnum etiam nobis & Indiæ dedit: aliam Religionum aliarum, ac nostræ rationem esse disputauit. Nam quod Societati dedissent, id eos profectò liberis suis dare, quos ad disciplinam quotidie extra mœnia relegari non oporteret. Quæ sententia non modò placuit, sed in tantam omnes expectationem erecti sunt, vt Palmius anno sexagesimo cùm propiùs spectarum res aduenisset, eam mitigandam putarit. Quam enim audierant disciplinarum Romæ varietatem atque magnificentiam, eam Como repræsentandam præceperant animis. At Palmius, qui censebat vbique præstanda quā ostendenda plura, Collegiorū patefacto discrimine, Comēsi docuit tres fore satis Magistros primum Humanitatis atque Rhetoricę, reliquos

93

94

Digitized by Google

emendatè loquendi: extremóque eiusdem anni, ex quo anno natalis Collegij censetur, ad res adornandas, & concionum aliquid exhibendum Ioannem Baptistam Velatum misit. Iamq; difficultatibus victis cæteris, vna restabat Sociorum inopia, quæ gaudium continuò expleri non sinebat; cùm hæc quoque repentè tollitur, Grisonum hæreticorum decreto, nihil minùs quàm commodare volentium. Qui electo ex Volturrena Collegio, quam ipsi respuêre benedictionem, fruendam Comensibus tradidere. En quanta inter se conferuntur arte consilia Dei. Ille nimirum, vti parauerat exulibus suis in Comensium humanitate perfugium; ita Comensibus destinarat ex hæreticorum inhumanitate præsidium.

95 Igitur vbi hoc anno Tarquinius Rainaldus cum Socijs è Valle Tellina electis superuenit, quàm ægri ciues eorum exilio, tam suæ lætitiæ occasione pariter omnes, sacræque & humanæ potestates instant, vt initium docendi fiat. In ædibus Misericordiæ vnus primò ludus, tum deinceps proximis annis alter ac tertius publicantur. Domum ad inhabitandum commodauit primò, deinde donauit Bernardus Odescalckus è regione scholarum sitam. In ea Collegium, quoad magnificæ, in quibus nunc degit, comparatę sunt ædes, mansit. Puerorum & adolescentium materia bona, & ad omnem laudem facta. Nihil docilius ijs, nihil tractabilius, modestius, obseruantius. Excitato in classium vna & ornato altari, eò conueniebant diebus sacris ad vespertinas Deiparæ exequendas preces. Quibus verò diebus intermittebantur scholæ, ducebantur communiter à Magistris singulari modestia ad exercendum, auramque captandam in agros. Eo spectaculo gestire ciuitas, & omnem benignitatem in Collegium explicare: quam postea nunquam intermisit. Neque Patres non sedulò alias experiri vias, quibus publicè Collegia solent prodesse. Quanquam non modicè retardauit aliquot annis domicilij templique inopia, dum propter commemoratas vrbis angustias locus haud facilè idoneus & parabilis inuenitur. Sed omnia tandem hinc perseuerantia nauorum Religiosorum, inde constantia beneuolæ ciuitatis vicere. Maturatum Collegium est, vt solatio atque subsidio Tellinensi quoque iuuenturi esset: & Tarquinius Rainaldus Rector impositus, quòd percarus erat ijs populis, eosque vicissim plurimùm diligebat. Haud facilè quidquam vnquam Pontanis, totiusque Vallis Tellinæ Catholicis indignius ac luctuosius eo Patrum exilio accidit. Tametsi minore illo conuentu, quem pitachium vocant, vt anno proximo demonstratum est, homines Societatis facessere iussi erant è valle Tellina, eamque ob rem Edelium vicinũ in pagum Venetæ ditionis secesserant: tamen ingressi erant Pontani haud dubiam spem in iustis comitijs quod postularent, exoraturos. Nihil enim se petere quod contra Rempublicam faceret, sed quod in commune maximum caderet bonum: nempe, vt liceret sibi quos genuissent, rectè instituere, doctosq; ac probos Reipublicæ educare ciues. Equitis Quadrij, qui homo esset apud suos honestissimus, & apud Germaniæ Principes, ipsumque Cæsarem clarus, & gratia pollens, verecundiam habituros.

Collegij Vallis Tellinæ exitus.

96 *Studia Pontanorum in retinendo Collegio.*

Valituras commendationes omnium ferè Principum Christianorum, valituram consensionem contentionemque omnium Vallis Tellinæ populorũ. Pecuniæ certè nihil inexpugnabile esse. Equitis cognatos spe magnæ partis hereditatis placari posse. Denique ipsum vallis Prætorem Ferdinandum Beccarium, quippe Catholicum, susceptum negotium, & ad eum, quem velit, exitum perducturum. Hac adeò probabili veraque freti spe Pontani sedulò omnia procurant. Litteras à Principibus, ab Rege Galliæ, ab Imperatore, ab Marchione Piscariæ Gubernatore Mediolanensi, ab Duce Bauaro, ab Republica Catholicorum Heluetiorum, ab alijs impetrant. Deligunt præcipuos è ciuibus suis acres ac strenuos viros legatos, Prosperum Quadrium, & Ioannem Mariam Guizzardum. Hi statim, vt occupent gratiam, cum cura & studio circumeunt vicinos populos, rogantque & obtestantur Catholicos, vt communi causæ faueant: cæteros implent promissis. Marcus Antonius Quadrius Pontanorum Curio nulli pascit impensæ. Quidquid habet rerum, vel indumenta corporis sui, vel vitæ alimenta paratus impendere, & Apostolica caritate superimpendere seipsum. Allegationes ad Ferdinandum Beccarium, & dona missa, ac fusas preces arduum sit memorare. Omnia in illo esse: immortali hoc beneficio posse & qui nunc sunt, Vallis Tellinæ incolas accolasque, & liberos eorum, & posteritatem obligare omnem. Religioni, sanctitati, Deo daret. Ille prolixè omnia polliceri. Dies tandem comitiorum 97
adfuit, quæ in oppido Curia Rheticæ ditionis præcipuo habita sunt. Multæ ab Societatis hominibus æstimantibus, quanti momenti esset in Italiæ illo confinio præsidium id religionis statui, pro ea re preces ad Deum fundebantur, & ab alijs, & ijs præcipuè, qui Edelij diuersabantur: multæ priuatim ac publicè à Curione populoq; Pontano. Prosper ac Ioannes Maria legati fideliter enixeque gerunt rem. Nihilo segniùs hæretici, & è Saxonia, & Geneua, & Zurichio Heluetiorum (Tigurinus is olim pagus) præter eos, qui in Vallibus, & inter ipsos Grisones erant, tanquam summa rerum suarum ageretur, machinâ nullam non admouere. Bis legatos, quos iureiurando adegerãt quantũ plurimùm possent, allaboraturos, ad populorum occupanda studia circumisere: postremò nulli satis credẽtes, plurimi eorũ ad comitia dictis promissisque, & ampla pecunia corã turbaturi omnia perrexêre: quodque antè denunciare soliti erant, id tum maximè vociferabãtur, nullã esse Euangelio suo capitaliorem pestem, quàm Iesuitas. Hos & sophismatibus adultos irretire, & puros illecebris circumuenire, ac demum omnes sub Papæ dominatum trahere. Vbi illi sint, stare Lutheri disciplinã, Euangelium stare non posse. Animis hoc certamine accensis legati Pontanorum accuratè præparata oratione in hanc sententiam verba in conuentu fudiunt: Antonius Quadrius, Domini, Eques hones- ,, 98
tissimus, idemque prudentissimus ciuis noster, cùm liberos non haberet, ex facultatibus, ,, *Verba Pontanorum in conuentu Grisonum pro Collegio.*
quas labore solertiaque sua quæsiuit, in eum vsum partem donauit, vt Ponte apud nos, quæ ipsius est patria, ludi magistri perpetui alerentur.

Id,

Digitized by Google

„Id, si contra vlla vel priuata, vel publica iura fe-
„cit, æquum est sapientia vestra rescindi: sin au-
„tem saluis omnibus institutis ac legibus in sum-
„mum cedit totius Vallis beneficium, liberorum-
„que nostrorũ,& posteritatis vniuersæ, rogamus
„vos supplices, obtestamurque per Deum, vt id
„nobis beneficiũ proprium velitis esse: nec à quo-
„piam sinatis vi doloue interuerti. Ac principio
„quidem de prudentia ac bonitate Antonij E-
„quitis non est necesse apud vos quidquam loqui.
„Nemo enim vestrûm est, qui nesciat eum suam
„ob insignem industriam, probitatem, sapientiam
„cunctis Germaniæ Principibus, Ferdinandoque
„ipsi Cæsari carum inprimis esse. Id autem quod
„egit, si repentino aliquo abreptus fecisset impe-
„tu, posset quispiam reprehendere, quòd sic egis-
„set. Verùm tamen factum ipsum, si nihil incom-
„modi haberet, non esset cur mutaretur. Atqui il-
„le tantæ prudentiæ vir, diu hanc rem meditatus
„est; multos annos in hac fixus hæsit cura, viam-
„que peruestigauit assiduè, qua optimum consi-
„lium ad effectum perduceret. Tandem Pragæ
„duobus antè annis solennibus legum vsquequa-
„que seruatis, donationem fecit. Eamdem proxi-
„mo anno Ponte instaurauit, quò inde vsque ab
„Praga, vt possessionem ritè transferret, venien-
„dum sibi grauis ætatis homo putauit. At quæ bo-
„na donauit? nempe ea, in quæ nullus omnino
„mortalium arrogare sibi ius potest: ipsemet quæ-
„siuit: pretium laborum, fructus curarũ eius sunt:
„nemini vllo modo obligata sunt: nec inuentus
„est quisquam aut alienus, aut propinquus, qui ta-
„le facinus non probet, non prædicet, & ad æter-
„num Quadriæ gentis pertinete decus non arbi-
„tretur, præter vnum aut alterum ex gente eadem,
„qui orbitate Antonij læti iamdiu spem & oculos
„in illam pecuniam coniectos habent. Quos æ-
„quum est considerare, quid fuisset futurum si E-
„ques vel rem non fecisset, vel liberos suscepisset;
„tum certè sperandum ipsis nihil fuerat. At illi ne-
„scio quid etiam ex patrijs legibus iactant, tanquã
„vetitum sit alienos, nisi ex tertia parte heredes
„institui. Quodquàm nihil ad rem faciat, minimè
„est obscurum, cùm de donatione inter viuos hîc
„agatur, eaque ob causam & communem patriæ,
„ac piam; denique eiusmodi, per quam, si verè ex-
„istimetur, ad ipsosmet proximos non imminuta
„tertia parte hereditas, quam sperare summam
„per leges (quas obtendunt) poterãt, sed integra,
99 „& solido ex asse perueniat. Quippe simile vero
„est non ita rem sibi ipsos petere vt liberis suis in-
„teruersam velint. Vehementissima enim eadem-
„que iustissima mortalibus diuitiarum cupiditas
„liberi sunt. Nunc ergo cùm Antonius carens suis,
„cognatorum omnium liberos pro suis putarit;
„eisque non caducum, sed æternum; nec alendo
„corpori, sed formandis mentibus patrimonium
„compararit, quid vltrà petunt? Num suæ ipsi po-
„steritati inuidi iniuriosique volunt esse? Nequa-
„quam enim possunt existimare minùs de ipsis be-
„ne meritum, quòd non solùm eorum liberis, sed
„simul etiam nostris omnibus, vnde bene viue-
„rent, benignè prospexit. Non enim ideò minor
„ad eos pars peruenit, quòd communicatur cum
„multis. Potiùs gaudere debent, quòd & suis &
„alienis, ac patriæ vniuersæ prospectum est. Nam
in communi beneficio priuatum continetur, &
in hoc genere priuatum multò esset minus, nisi
& commune esset. Quid igitur vir sapientissimus,
& suorum & patriæ amantissimus excogitare po-
tuit, quo priuatim magis ac publicè omnes sibi
ordines deuinciret? Quod vnum idemque &
ab re bene constitutis opportunum, difficultate
domestica impeditis necessariũ, toti nostræ Val-
li eque salutare esset? Quod denique totius Qua-
driorum gentis immortale ad posteritatem ca-
rumque facere nomen posset? Etenim, si rectè
animaduertimus, quæ res cuiuis bene instituto
hominum cœtui maximè necessaria est, ea nos la-
boramus maximè, liberûm institutione. Quippe
non eas colimus terras, ad quas vel locorum a-
mœnitas, vel lucri magnitudo, vel nominis &
famæ cupido idoneos Magistros alliciat. Inde so-
bolem nostram haud propè aliter, quàm suos
belluæ partus, educamus; cibum modò eis po-
tionemque, per quæ inertia nutriantur corpora,
subministrantes. Inde in domibus priuatim vi-
tia, inopia, inhumanitas abundat: publicè in op-
pidis nulla est sapientia, nullus splendor, huma-
nitatis parua vestigia. Quæ peruidens mala vir 100
altissimæ mentis, parisque caritatis noster Eques,
quoniam progeniem natura illi negarat, viam
excogitauit, per quam melius fieret pater, perpe-
tuamque patriæ bonorum ciuium procrearet so-
bolem. Magistros accersiuit, & alimenta de suis
facultatibus attribuit: vt, dum sapientum copia
Præceptorum domi est, opportunitate locuple-
tes vtantur, tenuiores consulant necessitati: &
Magistri, dum liberalitate eius affatim vnde se
tucantur adepti, non lucra ex priuatis petunt, ne-
minem reijciant pauperum, nemini ditiorum in-
dulgeant. Quæ si omnia Quadriorum erudien-
dis dumtaxat liberis tradidisset, simul tamen Ma-
gistros conquitendi eisdem aduocandique, vel
filios peregrè ad disciplinam mittendi negotium
reliquisset; quanto id beneficium minus foret?
At ille, quò gratiam quàm cumulatissimam con-
ferret, omni in perpetuum vacuos solutosque
cura esse voluit. Magistros ipsemet studiosissimè
conquisiuit, cunctis auctoritatis suæ opibus vt
aduocaret, contendit; denique aduocauit, quo-
rum nec dubia facultas, nec caduca, aut interitu-
ra vnquam disciplina esset. Etenim ex eo Ordine
sunt, qui in dies vegetiùs sese propagans, facilè
poterit in Præceptorum senescentium & caden-
tium locum sine cura nostra sufficere nouos:
ijdemq; sunt, qui Viennæ, qui Pragæ, qui Ingol-
stadij, Monachij, Treuiris, Coloniæ: in Gallijs,
in Italia, Sicilia, Hispania, Lusitania, denique in
India cum opinione excellentis sapientiæ do-
cent. Hos vt liceat nobis retinere, vt Equitis iu-
dicium honestissimi, & amantissimi patriæ viri
comprobare suffragio vestro velitis, suppliciter,
Domini, petimus. Ne permittite per Deum im- 101
mortalem, vt pœniteat nos patres esse: vt natio
nostra siluescat in dies atque efferetur magis,
atque adeò extinguatur. Vt quid enim, si insti-
tuere fas non est, suscipiamus liberos? pecudum
ne vt gregem pro familia educemus? Ne sinite
inopum misero apud nos gregi, omni alia desti-
tuto, hanc incidi spem, hoc patrimonium surri-
pi. Ne dolorem hunc ætati supremæ, ne labem
hanc

Digitized by Google

„ hanc clarissimo nomini Equitis vobis addictissi-
„ mi, vestrique obseruantissimi inurite: vt qua in
„ re ab cæteris omnibus summam consecutus est
„ laudem, condemnetur à vobis. Omnes circà
„ nationes, Resque publicæ ac Principes ad hoc
„ iudicium intendêre oculos, & exitum rei exspe-
„ ctant, ij maximè, qui & à nobis, & celebri fama
„ rem edocti, plurimum spei in sua apud vos com-
„ mendatione iusserunt reponere: nec fore vllo
„ modo timent, vt sua auctoritas vilis vobis sit, &
„ quasi iniqui patrocinij notentur. Omnes hoc di-
„ cunt, nisi sint inter vos, qui ad infamiam vniuersi
„ conuentus partem eius hereditatis cum aduersa-
„ rijs pacti sint, nihil esse nobis timendum. Videte
„ vtrùm magis grauitatē vestram deceat tot maxi-
„ mos demereri Principes, Equitis existimationem
„ conseruare, nostrorum liberorum misereri; an,
„ quod patriæ nostræ, quod pupillis ac destitutis
„ ad salutem ac decus donatum est, cum summa
„ vestri nominis (quod nunquam Deus sinat) igno-
„ minia, hominis vnius aut alterius iniquissimæ
„ cupiditati prodere. Agite igitur, præstantissimi
„ Domini, longè lateque celebratam constantiæ
„ vestræ & grauitatis famam cum salute dignitate-
„ que nostra conseruate. Id à vobis summo studio
„ Christianissimus Galliæ Rex contēdit (hæc cùm
dicerent, commendatitias proferebant litteras)
„ id Ferdinandus Cæsar, id Maximilianus Boëmiæ
„ Rex, id Albertus vtriusque Bauariæ Dux, id Hel-
„ uetiorum Respublica, id Prætor Mediolanen-
„ sis, id nostra omnis patria ad vestros abiecta pe-
„ des supplex rogat; id nostri liberi, atque adeò
„ nepotes nostri, & cuncta posteritas comprecā-
„ tur. Si licuisset huc accedere, ipsos hîc pueros,
„ ipsas matres familias, vniuersos Vallis vestræ po-
„ pulos, & totam vicinitatem videretis ad vestra
„ genua prouolutos, vobis tendētes supplices ma-
„ nus. Experti enim sumus, benignissimi Domini,
„ quas habeat vires recta Institutio; quæ sit horum
„ hominum doctrina & facultas. Paucis apud nos
„ fuere mensibus, & iam pueri nostri alij sunt, lon-
„ gè quàm antè modestiores, domi ac foris quie-
„ tiores, maiorum obseruantiores; suis longè ma-
„ gis obsequentes, longeq; magis cùm laudis tum
„ litterarum amantes. Nos æquitate causæ, Equitis
„ Quadrij sapiētia, eius facti gloria, adhæc iustitia
„ & benignitate vestra freti, quas hanc ob rem sub-
„ iuimus vel ærumnas, vel impensas, rectè arbitra-
„ mur positas; vt in tanto beneficio, & Quadrij,
„ quòd primùm contulerit; & vestrùm omnium,
„ quòd restitueritis, ex æquo apud nos, nostrosq;
„ posteros memoria immortalis viuat. Hæc legati
quanquam vehementer, nec sine lacrymis perege-
runt; tamē segniter auditi sunt. Et scilicet, quo
Societatem magis, doctrinæque eius vim com-
mendarant, hoc minùs causæ apud hæreticos
cōmodarant. Post eos Iuris cōsulti duo ex his, qui
cognatione proxima Equitē contingebant, con-
tradixerunt: Quadrij equitis fortunas, quòd ipse
liberos non susceperit, per leges & instituta pa-
triæ ad se pertinere. Iniquum esse sibi eas inter-
cipi, & ignotis hominibus nescio vnde erutis cō-
donari. Per speciem quippe & nomen Magistro-
rum irrepere alienigenas, & nouæ cuiusdam re-
ligionis homines; vt falsis interpretationibus,
fraudulentisque commentis instituta regionum
earum legesque corrumpant. Præsenio iam sui
potentem Equitem non esse: nihil ante id tem-
pus, cùm saperet, tale cogitasse. Iam nunc demū
& delirare ipsum, & inductū fraude ac deceptū
esse, vt cognatos patriamq; spoliare velit, & Val-
lis Tellinæ bonis vagos & turbulentos Mona-
chos saginare. Hæc, & alia multa cùm dicerēt, se-
cūda cum admurmuratione excepta declamatio
est, vt legatos Catholicorum non leuis cura ac
formido incesseret. Verumtamen in Ferdinan-
do Prætore pro persona, quam sustinebat, & qua
valebat apud Grisonū Principes gratia, spei sum-
ma reposita erat. Hic autem planè fratrum hone-
stissimorum ac ceterę suę familiæ pietate, ac pro-
fessus Catholici nomine, quod profitebatur, indi-
gnus, siue quòd plus ab aduersarijs pecuniæ ac-
cepisset, siue quòd captare Dominorum gratiam
vellet, siue quòd re ipsa hæreticus esset, cuius rei
abunde argumento erat tum magistratus, quem
gerebat, delatus ab hæreticis, & in quo multa iu-
ris sacerdotalis munera attrectanda erant, tum
quòd sacerdotes Catholicos vexabat, adhæc
quòd ex æquo Catholicis & Hæreticis propo-
suerat pœnam, nisi illi ad Missam, hi ad suum Eu-
angelium audiendum adirent, & multa alia ge-
neris eiusdem. Hic igitur talis cùm esset, intem-
perantiùs, quàm hæretici ipsi est locutus. Ho-
munculos illos, qui in Valle Tellina se profitere-
tur Magistros, criminibus omnibus coopertos es-
se, ex multis prouincijs & vrbibus vel eiectos,
vel fuga elapsos, ne scelera capite luerent: teneræ
ætatis non institutores, sed corruptores esse. Ad
quæ verba qui boni intererant Catholicorum,
Prosperque in primis, & Ioannes Maria cohor-
rescere: ira indignationeque disrumpi: reclamare:
proferre tot Principū commēdatitias litteras,
& grauissima testimonia de Societatis institutis
& laudibus: hominum Deique fidem implorare.
Deniq; post longam concertationē decretum fit
quarto Idus Februarias, vti Iesuitæ ex vniuersa
Grisonum ditione, vt qui hostes Euangelij sint,
quamprimum pedem efferant. Donatio Equitis
nulla sit. Bona sua in posterum nec abalienare,
nec dare pignori, nec administrare vllo modo ei
ius sit, sed eorum dumtaxat, dum viuit, vsum ha-
beat: post eius mortē ad proximos sanguine per-
ueniant. Hæc vbi cognita per Vallem sunt; lu-
ctus & comploratio, velut vltimum exitium
miseris immineret, oborta est. Vbi verò legati
Pontem reuersi gestæ rei seriem euulgarunt,
tum liberæ auditæ voces duos Iuris consultos
Prætoremque incessentium, execrantium. Vix
manus & impetum abstinere. Præcipui Nobi-
lium Equitem miserari, infelicem senem à con-
sanguineis, & publico conuentu tanquam pro-
digum & mente captum bonis suis spoliatum,
rebus addictum necessarijs. Hoc valuisse indu-
strio viro tot annorum labores, vt compararet si-
bi miseram & infamem senectutem, & propin-
quis ne expectato quidem funere præda esset.
Cùm eximia semper prudentia valuisset, ac po-
strema ætate rem esset aggressus æterna memoria
dignam, caritatis singularis in patriā, in qua Gym-
nasium tam nobile collocasset, quo tantum splē-
dor opesque Pontanorum, confluentibus vndi-
que vicinis ad disciplinam, augerentur; impia
duo-

102 *Verba aduersantium Collegio.*

103 *Decernitur exilium Patribus à Valle Tellina.*

104 *Dolor inde Pontanis.*

Digitized by Google

duorum auaritia, cæcaque perfidia opus disturbari, & qui id molitus sit, pro insano venditari. Si rei dulcedo traheret, cur non qua sedulitate Equefes erat, ipsi facerent? cur aras ac templa spoliarent? & Christo donata eriperent? cur in consanguineos, atq; senes tam bene de omnibus meritos latrocinium exercerent? Multas huiusmodi querelarũ plenas litteras & ad ipsum Equitem, & ad alios cùm cæteri eius cõsanguinei, tum alij primores dedêre: quas ego legi tam grauiter, tantoq; cum sensu doloris scriptas, vt cõmouere quemlibet possint. Aucti deinde sunt motus, vbi Socij, qui Edelij subsederãt, vltimũ vale dicturi discessuriq; adfuerunt. Viri, feminęq; cuiusuis & ætatis, & ordinis auelli sibi sua viscera querebantur. Destitui se velut in faucibus luporum oues. Porro adolescentes ac pueri tam vberem in fletum, tantisque cum singultibus erupere, vt viris ætate grandibus, & ipsis quoque nostris Patribus necesse fuerit collacrymare. Prosequebantur abeuntes faustis precationibus. Deduxere multum viæ præcipui oppidanorum, & commigrare simul velle se omnes aiebant. Marcus Antonius Quadrius Curio, qui cùm in Societatem admitti cuperet, quòd sat vtilis eius opera in eo, quo erat, loco videbatur, repudiatus, præsentia se & consuetudine, monitisque Sociorum consolabatur; vbi & Societate, & eo, quod vnum reliquum solatium erat, spoliatus est, tum planè se afflictum atque orbum lamẽtans, abeuntibus comes ibat. Socij autem quanquam non grauatè ferebant se pro Christi nomine extorres fieri, miserabantur tamen populum, quem tam ad pietatem propensum, tam erga se officiosum experti erãt, & considerabant quo loco sanguine Christi emptas animas, quamque omni præsidio nudas relinquerent. Vix ab Ponte quinque millia passuum recesserant, cùm tam graui motu illa omnis ora cõcussa est; vt vulgò timerent, ne dehiscente terra ob scelus eiectorum Patrum (sic interpretabantur) omnes, Tartarus absorberet. Catholicæ autem multitudinis ita exacerbati sunt animi, vt nisi spem præcipui inter eos ostendissent fore, vt in æstiuis comitijs decretum abrogaretur, & Magistri reuocarentur, turbarum aliquid impenderet. Interim Lainium impensè rogarunt, vt iuberet Nouocomi Gymnasium institui, vt illud saltem haberent perfugium, quo filios rectè pieque erudiendos mitterent. Equitem Quadrium noluit Deus tam graue diu sentire vulnus. Vix nuncio decreti Viennam perlato est mortuus, cùm testamento id omne, quod priùs egerat, confirmasset, adiecisseteque vt, si Ponte non liceret, Nouocomi Collegium pecunia eadem fieret. Cuius mortis fama necdum certa perlata Pontem, duo Iuris consulti illico, Prætore iuuante, possessionem eius bonorum inuadunt: eodemque die ad inurendum bonis dolorem, & tanquam victis insultandum, in hortis, quos Collegio Quadrius attribuerat, ijdem tres pariter conuiuium ingens fecere, omnibus ingemiscentibus præ mortalium inæstimabili prauitate tam peruersos in humanis cerni rerum exitus, vt intemperantiæ materies fierent, quæ bonus Eques alendæ dicauerat sanctitati. Superuacaneum visum est apud Grisones quidquam post hæc de Collegio

105

106 *Terræmotus in Patrum discessu.*

restituendo tentare: quamuis Pontani sæpiùs omni ope institerint. sed cùm Pater Tarquinius Equitis fine ac testamento cognito Pontẽ abijsset, vnum heredum religio subijt, nullo tamen effectu. Aliquot pòst annis cùm ab diuinis velut pecuniæ sacrę depeculatores abstinerentur, & iram diuinam ex alijs in alias præcipitati calamitates, manifestè sentirent, factionis aliquid agitatum est. Prętor apud Catholicos obruebatur infamia, quam vt excuteret, prę sertimà Pontifice sibi metuens, lepidam stropham inuenit. Negabat aduersus Collegium se iuisse: sed funditus desperatam cùm eius videret causam, hæreticosque id agere, vt vectigalia illa ad lutheranismi propagationem transferrent, id ne fieret cum pernicie Catholicorum, in Iuris prudentium causam incubuisse. Marcus Antonius Curio vehementer exagitatus ab hæriticis, & aureis trecẽtis grandi, vt in suo tenui, multatus ære, quòd Summo Pontifici cremandis hæreticorum libris obtemperasset; ad extremum tribus pòst annis, misso Comum ad Patres nuncio, se mori, vti vixerat, Societati coniunctissimum, pro sese orarent, nobilis confessor decessit.

In Monte quoque Politiano, & Venetijs aliquid hoc anno turbarum fuit. In Monte Politiano maxima populi pars optimè erant ad sacra, & Societatem affecti, adeò vt dicerent ipsos templi Societatis parietes spirare & ingenerare in adeuntium animis pietatem. Sed feminarum ad cõfessionem, & sanctam Eucharistiam crebrò accedentium numerus & pietas erat insignis. Inde fiebat vt multæ virgines intra monasterij septa abderent sese Deoque deuouerent. Aliæ mulierum pudicitiam sanctissimè, fidemque coniugij colerent. Quibus rebus nonnullorũ vel humana consilia, vel flagitiosæ ac fœdæ cupiditates cassæ euadebant. Inde ijs, quibus affinitatum spes, & familiæ conseruandæ prouehendæque opportunitas interpellabatur, indignatio nonnulla; cæteris, qui ab destinatis flagitijs deijciebantur, dolor ac furor. Hi præcipuè admouendas omnes machinas statuunt, vt Societatem è Politiano præcipitem exturbent, & cum infamia. Igitur ea rem aggrediuntur, qua nequam ac fœdi homines in omni ætate conati sunt pudicos & sanctos deformare; sua in illos probra conijciẽtes, idq; eos insimulantes, quod prohibiti essent ipsi per eos. Spargitur in vulgus rumor, Iesuitarum quemdam vim afferre feminæ voluisse, eamque fugientem insectatum. Non Iesuitæ nomẽ, non feminæ, nec vbi, aut quando id accidisset, memorabatur. Quare Deo sic volente facile fuit intelligere figmentum id esse; & comprehensus rumoris auctor, nisi Patres nostri deprecatores interceſſisset, meritas probri affecti dedisset pœnas. At pudicitiæ hostes vbi simulata dedecora non succedũt, tartareo planè furore verũ crimẽ conantur inducere. Callidissimæ meretriculæ magna præmia pollicentur, si quem Patrum ad flagitium pelliciat. Horret animus cogitare, nedum referre id Christianos homines ausos. Sed periucundum, & verò grati est animi retractare quantum semper pusillum hunc Pastor bonus suum gregem protexerit. Boni illi ac simplices agni Dei securi agebant, ignari positas non corporibus sed ani-

107 *In Monte Politiano res turbulenta.*

108 *Multiplici infamia Patres vexantur.*

Digitized by Google

mis ſuis ab lupis inſidias: ignari ab his, qui ſe Chriſtianos præferrent vocabulo, animas, quas vita & ſanguine ſibi emit Chriſtus, meretriculis ac diabolo vendi; cùm extemplò re cognita expauere, & ad periculum, in quo fuerant, oculis coniectis non ſine horrore gratias Chriſto Ieſu, eiuſque matri Virgini ac pudicitiæ præſidi infinitas egerunt. Et quamuis nonnullum auctor deteſtandæ fraudis rumorem diſſipaſſet, velut nefarium cœptum ſucceſſu non caruiſſet; diuina tamen bonitas in peſſimum inſidiatorem hîc quoque retorſit infamiam. Sub idem tempus Simon à Valle Tellina vnus è quatuordecim, quos inde Bobadilla miſerat, laicus Adiutor, prope Politianum, quò Peruſia veniebat interrogatus à muliere, quò eat, cùm reſpondiſſet, ſe ire Politianum; ipſe viciſſim homo incautus, & nimiæ ſimplicitatis feminam, quò eat interrogat, nec expectato reſponſo iter cœptum perſequitur. Inde noua fabula creditur enata; quemdam è Ieſuitis voluiſſe mulierem ſecum abducere. Sed infamia nulla magis inualuit, quàm quæ tempore eodem vulgata eſt, vnum è Collegio noctu conſpectum, dum furtim ad meretricem ingrederetur; quod (vti ſuo loco referam) ab ſcelerato viro factum eſt, qui noſtrum habitum ad conflandam criminationi auctoritatem mentitus erat. His ſermonibus illud fiebat, cùm præſertim tam multi alij ſuper alios in dies peruulgarentur, vt, quamuis verum crimen (quod Dei gratia aberat) nullum deprehenderetur, tamen iam ſimplex populus ab conſuetudine Patrum abhorreret: &, quod grauius eſt, quidam longè primus ciuium magis ac magis ſuſpicionibus impleretur. Erant ei ſorores duæ, vtraque plurimùm dedita pietati: longis ſermonibus ambæ initio pijs de rebus cum Rectore Ioanne Gambaro frequenter agebant. Id quanquam fiebat palàm in templo ac religioſè, tamen Gambarus ab omni ſpecie mali, vt ſuſpicaci in populo, cauturus ex Ordinis diſciplina cœpit paucis ab ſe dimittere. Harum altera, matrona in omnes partes ſancta, filium in Societate habebat: quæ cùm interdum de eo, vt fit, rogitans; aliàs de vijs in ſpiritu proficiendi, quas ſtrenuè ineat, loquens, paulo patientiùs à Rectore audiretur; altera ſoror præferri eam ſibi interpretans, commouere ſuſpicionem infeſtam apud fratrem cœpit. Quam cum inimici Societatis & Chriſti, quos modò narrabam, lingua furiali incendiſſent; optimæ ſorori bonus frater aditu templi Collegij, congreſſuque Gambari interdixit. Vnde & inter affines nonnihil ſimultatum exortum, & nobiles cunctæ ab templo eodem deterritæ: & concionatori è Capuccinis adeò intoleranda viſa res eſt, vt ad amoliendam infamiã pro concione & in priuatis ſermonibus pro ſancta matronam deprædicare, atque celebrare ſanctimoniam Patrum non dubitarit. Cæterùm non reſtincta magis infamia eſt, quàm propè accenſa in ciuitate ſeditio, & factiones enatæ. Quæ primarius ille cùm videret, vrget Lainium litteris, vt Gambarum ab eo Collegio ſummotũ aliquò amandet. Nec id diaboli canes latuit latratibus & morſibus inhiantes. Excitant famam Rectorem flagitij compertum, idque indicio euidenti fore, quòd breui ablegandus Politiano ab ſuis Præpoſitis eſſet. Vt iam neutrum nec abire, nec manere ſine ignominia cùm ſua, tum aliena permitteretur. Noua additur fabula, expreſſiſſe eum ex femina quadam aureos quinquaginta, coactumque ab Epiſcopi Vicario reddere vel inuitum. Proferuntur etiam litteræ (haud ſatis conſtat Gambari, an ad Gambarum) amatoriæ (vt ex præcepta ſuſpicione interpretabantur) ſcriptæ: quibus ad eumdem Epiſcopi Vicarium delatis, ipſe Rector accitur: ſtatimque vt Vicarij domum ingreditur, diſſipant totam per vrbem doli machinatores, deprehẽſas litteras fœdiſſimas, citatum Gambarum, coniectum in cuſtodiam, ſupplicio afficiendum. Quibus vocibus nobilium manus, quibus haud pro dubia Patris innocentia erat, patrocinatum accurrunt. Sed nullo patrocinio fuit opus. Probata Vicarius ſatisfactione Gambari honorificentiſſimè domum eum reduxit. Iniqui tamen fictis criminibus vim & inſidias addunt, præſentemque Gambaro necem moliuntur, ſeu certè eum rumorem euulgant, vt ad fugam terrore compellant. quæ demum miſeris alea feliciter cecidit. Iam in exitu annus erat, & Lainius in Galliam venerãt. Ad eum Gambarus, ſe Peruſiam ire domi præfatus, rationem facti ſui redditurus contendit. Repentina profectio, & quòd multos dies quid factum eſſet Rectori, cùm Peruſiæ non appareret, quò ſe abdidiſſet, ignoratum eſt, ciuitatem omnem perturbauit. Lainius vbi hominem videt, cognoſcitque Romanorum Patrum iniuſſu fugam cepiſſe, vehementer commotus eſt. Ante omnia dedit operam, vt exprimeret, planeque cognoſceret ecquid ſolidi ſermonibus vulgi ſubeſſet. Nihil religioſæ quæſtionis omittitur. Cumque omnia per ſeque, & Paſchaſium diligenter ſcrutatus, nihil præter nimiam quamdam ſimplicitatem, aut fatuam bonitatem in dictis quibuſdam ſcriptiſque Gambari comperiſſet, cætera vana, conficta, peruerſa ab maleuolis; hominem ob eam ſocordiam, vt erat meritus, maximeque ob fugam ſeuerè obiurgauit. Perferendum quiduis potiùs fuiſſe, quàm committendum, vt tali profectione conuictus ipſe ſceleris videretur: & Societatis, atque adeò matronæ honeſtiſſimæ & ſanctiſſimæ nomen iniquorum linguis inquinaretur. Si animus ad moriendum deeſſet, potuiſſe periculi diſcrimen domeſticis ſeptis vitari. Quòd ſi neceſſariam fugam duceret, cur non Peruſiam, vti domi ſignificarat? cur Romam non abiiſſet? Ob hæc pœna etiam impoſita, ad extremum deprecantem licet, & ad miniſteria quæuis, ac nominatim ad pueros totam vitam docendos paratum, ab Societate ſegregandum putauit. Non defuere (vt cuique ſagax ingenium eſt remedijs ſeris excogitandis) qui maturè Politiano euocatum oportuiſſe cenſerent. Haud dubiè negotij genus id erat, quod celeritate minùs, quàm tarditate periclitaretur. Cæterùm non ſolùm Emmanuel Sà Viſitator, ac Petrus deinde Ribadeneira Prouincialis cauſa coràm ſpectata, conſilioque in re præſenti capto, mouendum nihil cenſuerant; ſed cùm iam decretum eſſet, vt ad ponenda Collegij Moguntini initia mitteretur, ex itinere Gallicano eà tranſiens ipſe Lainius, vbi omnia explorauit, ſororeſque etiam inter ſe primarias

109 *Rector Gambarus fugit.*

110 *Ab Societate ſegregatur.*

Digitized by Google

matias illas in præsentia reconciliauit, Romam scripsit pro destinato Moguntiam Gambato alium mitterent, iustis ipsum de causis amoueri non oportere. Nimirum vt genus humanum perueſtiget ad solidum, & introspiciat vbique verum, ac futura sine errore dispenset, mortalitatis conditio negat. Itaque ergo reliquum est, cùm quæ humanæ sunt opis cum diuina ope præstiteris, vt feras patienter euentum: & inuicem sibi mortales promptiorem in parum prosperis ealibus excusationem ac veniam, quàm reprehensionem & iram commodent. Quandoquidem is, cui potestas est vniuersa nullo negotio propulsandi, maluit denunciare, necesse esse vt veniant scandala, quàm prohibere ne veniant: vt nec miremur cùm accidant, &, ne per nos accidant,
111 caueamus. Latius quanquam eò progressum intelligebat incendium, vt facilè restingui non posset, plurimęque ciuitates summis expetrerent votis Collegia, quibus satisfieri per Sociorum paucitatem non poterat; tamen omnia priùs tentanda ratus est, quàm vt inde Collegium penitus summoueret. Ioannes Nicolaus Notarius ab Perusino Collegio, quod regebat, & Roma Franciscus Strada vetustissima Politianis caritate cõnunctus, apud quos mira concionum suarum rudimenta adolescens posuerat, ire continuò iussi, qui sedare tumultum, & auctoritatem Collegio sarcire conarentur. Nihilque remissius aduersarij omnia agitare, vt fessi victique tædio Patres vltro sibi exilium consciscerent. Nihil iam suppeditabatur ad victum. Solitas præceptori publico pendi mercedes, quæ fuerant ad Collegium translatæ, reuocato præceptore sustulerant. Sodalitas, quæ vocatur Grandium, quæ habitandas Collegio libero vsu ædes concesserat, ijs iam ita communiter ac promiscuè vti volebat, vt Religiosi secessus, & claustri custodia obtineri non posset. Quas res vbi Hetrusca Dux cognouit, haud modicè indignata, & summam rerum omnium inopiam subleuauit ære suo, & dixit videri sibi per sacrilegium repetita ab ciuitate, quæ dederat, & proditos Dei seruos. Et Cardinalis Ioannes Riccius in idem ciuis aiebat palàm, dignos esse Politianos, quibus Collegium eriperetur. Et sanè præ iniquitate sermonum magis iam ludibrio, quàm auxilio erat. Vulgato Iobelæo, quod Concilij reperendi gratia Pontifex proposuit toto orbe Christiano, nullus omnino discipulorũ, qui ad Collegij adibant scholas, ad Patres confessionis causa accessit. Ad supplicationẽ, quam Iobelęi causa Episcopi Vicarius edixerat, proposito anathemate, qui Religiosi Clericiue abessent, cùm Socij etiam accessissent, testati se id, quanquam præter instituta Societatis, vt extraordinario imperio parerent, exequi voluisse; laudauit Vicarius voluntatem eorum, dicens haud animi sui fuisse, vt edictum illos teneret; tamen quoniam venissent, & Clerici essent, secundùm Ordines Monachorum ac Fratrum incederent. Sed mox cùm Prædicatores existimarent aliquam id Ordinis sui tanto vetustioris notam pertinere, Vicarius materiam litium amoturus, eos domum dimisit. Et illi quidem beneficium rati, quòd nihil insuetum disciplinæ peregissent, læti gradiebantur. At è populo non defuere, qui cùm abeuntes viderunt, quasi eiectos, & à cœtu pię supplicantium segregatos infestis clamoribus & sibilis prosequerentur. Bonos verò & patientia eorum, & alacris quædam constantia, index testisque conscientiæ, mirè cùm aliàs semper tota hac in tempestate, tum eo tempore commouit. 112 *Quæ prona in deteriorẽ partem hominum iudicia.*

Minor Venetijs, sed non leuis tamen perturbatio fuit. Nouus Patriarcha Ioannes Triuisanus longè Dtiedo cui successerat (vt suum cuique hominum ingenium, sua sententia est) dissimilis erat. Cùm enim ille ad res propè omnes nostrorum operam hominum adhiberet, hic nescio qua præoccupatus opinione, nihil, quod ab illis gereretur, probabat: multáque oblocutus, & assiduè noxia spargens etiam per sacrosancta & diuina Euangelia iurasse dicebatur, diu Chiappinos (sic eos nominabat) in Veneta ditione haudquaquam mansuros: adijciens, Væ Clarissimis nisi fidem sibi habuissent. Hæc dissimulabant se scire Patres muneribus intenti suis, Deoque precando, vt veram rerum notitiam Antistiti aperiret. Ecce autem nec opinatum illud proditur monstrum, quod Venetias, lateque Italiam concussit omnem, motibusque varijs atque sermonibus permiscuit. In cœnobio Conuersarum quidam sacerdos (Ioannes Petrus habebat nomen) qui 114
confessionibus earum præpositus erat, magnæ vulgo sanctitatis opinione notus, deprehenditur multa dictu nefaria commisisse: & supplicio afficitur: & mulieribus ampliùs centum dilapsis, obstinatis non cibum sumere, donec dimissæ essent, cœnobium propè vastatur. Nec longè abfuisset exitium, nisi aduocatus illico Palmius tota illa adnisus potentis eloquentiæ, & lacrymarum vi aliquot à fuga deterruisset. Quæ res adeò præter opinionem, cùm & presbyterum illum ac totum gynæceum pro sanctitatis existimatione Respublica omnis veneraretur, animum Patriarchæ sua sponte fractiorem timore & suspicionibus ita cumulauit, vt cui satis crederet, non inueniret. Cæterùm occasionem nactus ciuium animos aduersus Societatem suis terriculis concitãdi, vel suæ potestati subijcere eam, vel præcipitẽ exturbare aggreditur. Igitur (quantum omnes argumentabantur) instinctu eius acerrimè in Senatu quidam disputant, non esse ferendos in Republica Iesuitas: homines esse turbulentos, qui non, vt reliqui Religiosi, intra suæ cellæ ac monasterij fines teneant se; verùm immisceantur negotijs ciuilibus, & ad publicas res porrigere manus audeant. Esse Hispanæ factionis, naufragos, extorres, hinc alios, alios inde eiectos. Subornare matronas: perque eas quid in Republica fiat, speculari. Nec solùm perlongos in templis secretosque conferre sermones; sed etiam domum ab ijs feminas recipi. Hæc aliaque multa figmenta cùm ab diuersis referrẽtur, conuenientia testimonia non erant. Quo fiebat vt nimio criminandi studio (quoniam est cæca improbitas) alij alios inuicem refutarent. Hæc autem cùm agitarentur, rei totius erant ignari Patres. Sed scilicet diuinæ prouidentiæ oculus falli non potuit. Clarissimorum quidam ex ordine vltrò patrocinium suscepere. Tum verò illi prima spe ejciendæ Societatis delecti, illam alteram tentant. Negari certè non posse quin peregrinis 115 *Criminationes in Societatem.*

homi-

hominibus periculosè tantum licentiæ permittatur, vt suo arbitratu tam multorum confessiones audiant. obuiam primo quoque tempore eundum, nec sinendum, vt nomen eorum, vt gratia, vt potentia in tantum inualescant. Satis superque recenti exemplo admonitos esse, quàm parum cuipiam credendum sit; quàm in arcta custodia habendi, qui periculosa, perque ipsius sanctitatis escam capientia sensim animos negotia in manibus habent. Apponendum saltem custodem ac vigilem; qui, quæ agunt, obseruet; qui in officio contineat, qui impunitatis adempta spe nimiam licentiam temperet. Hunc autem sibi videri Patriarchã esse oportere. Hęc aduersarij cùm dixissent, Senator è primis surrexit, quem omnes existimabant acerrimè omnium & ipsum aduersaturum. At ille contrà eam defensionẽ instituit, vt nihil exoptari vltrà posset. Præter cætera dixit: Hanc Religionem apud Vicarios Christi Romanos Pontifices fuisse magno semper in pretio, & nunc maximè esse. Ab ijs immunitatibus multis ac beneficijs ornatam fuisse; nec facilè fore, vt, cùm supremi sacrorum Antistitis beneficio Pontificum minorum exempta ditione sit, eius benignitatem suamque libertatem negligat, & dominum vltrò iugumq; Venetijs, quod nusquam alibi terrarum iniunctum sit, assumat. Nec sanè id expedire; si casuum varietas, quam tempora ferunt, consideretur: nec, quomodo quidem in præsentia res haberent, necessarium esse. Quòd siquis vel desideraret in ijs quidquam, vel in futurum cauendum censeret, videri sibi admonendi eos negotium Serenissimo Principi commendandum. Hoc enim pacto nec querimoniæ causam Religiosis fore; & tum demum, cùm hæc non profecissent, ad remedia acriora iustiùs gradum facturos. Cùm hæc sententia placuisset, aduocato Palmio, tam benignè Princeps (is erat Hieronymus Priulus) egit, tam multa de suo erga Societatem, ac nominatim erga ipsummet Palmium, quem assidere sibi, & capite semper tecto esse voluit, amore disseruit, vt sincerum suum pectus, & humanissimum animum propè ante oculos statueret. & addidit, si qui Societati obtrectarent, tribuerent tempori, ac ferrent patienter: quòd hoc virtutis proprium esset, aduersarios habere. Fuisse in Senatu acerrimos Societatis propugnatores: sibi demum mandatum, vt vnum atque alterum nescio quid considerandum ei offerret (nam ea dumtaxat è magna fabularum turba, vt esset colloquendi materia, reiecta non fuerant) Primùm, haud probari nonnullis, quòd Palmius ipse, qui iudicia conscientiæ & possit & debeat exercere, ab ijs abstineat: deinde illud quoque parum consultum videri, quòd idem iuuenes annorum quinque & viginti, aut paulò maiores cæteruis feminarum audiendis proponat cum totius dolore ciuitatis.

116 *Defenditur vltrò Societas in Senatu.*

117 *Palmius Duci satisfacit.*

Ad quæ Palmius cùm gratias primùm egisset de singulari benignitate, quam Princeps antea semper, & nunc maximè erga hunc Ordinem ostenderat; ac significasset, quàm curæ vicissim foret Societati in suis quamuis pauperibus precibus ab summo Deo diuturnã eius Serenitati ad Reipublicæ salutem felicitatem exposcere: atque se quidem dixisset, quantum vel prouinciæ administratio, vel Euangelij prædicatio permitteret, in pœnitentiæ foro perlibenter versari; pauca præfatus de boni cõfessarij facultate, quę nequaquam omnino ex ætate penderet; singulorum Patrum, qui Venetijs operam confessionibus dabant, probitatem, doctrinam, annos exposuit, edocens (vti reipsa erat) neminem ibi esse secundo & trigesimo anno minorem: adiecitq; quantum curæ Moderatores, quantum vigilantiæ hanc in rem intenderent: quàm vndique aditus propè omnis diabolo per domesticas leges obseptus esset. Quæ cùm voluptate & approbatione mirabili Princeps audiret, addidit Palmius, fontem horum sermonum (quanquam nisi res cogeret, statuerat vexationem quamuis perferre potiùs, quàm videri quemquam notare) cùm maximè necessarium iam esset, posteaquam in eum locum progressæ erant res, vt nihil Principem lateret, breui indicaturum. Inde quemadmodum ad id loci Societatem Antistes accepisset, modestè fideliterque narrauit. Ita toto eo congressu delectatus est Dux, vt confirmarit septem annis nullo sibi colloquio æquè factũ satis, nullo tantundem voluptatis allatum. Non tamen prætermisit Palmius ex occasione Socios adhortari, vt, quo iniquiora erant tempora, eo diligentiùs conarentur omnem sermonum offensionumq; materiam, quantũ fieri posset, præuertere & amoliri, in reliquo nihil calumnijs territi. Nam quòd ea ministeria odiosa mundo essent, apparere grata esse Deo. Idem amicis cùm suaderent ab nonnulla re abstinendũ, quòd periculosa videretur; & vicem Patrum dolerent, quòd dictis factisque contrà ac meriti essent, acciperentur; respondebat, suaderent potiùs, vt quæ Societas adeò matura deliberatione pro Dei laude administranda suscepit, considerate prudenterque administranda curaret. Non enim quæ recta sunt, metu periculi omittenda, sed tractanda cautiùs: nec (quæ est humana prauitas) quidquam tam sanctum tutumque esse, quod ab improbis peruerti, & ad perniciem trahi non queat. Gratularentur autem insectationem patientibus. Hanc enim summum esse donorum, quæ diligentibus se tribuere Deus solitus sit: atque eius diuinam maiestatem rogarent, vt dignos faceret, qui ad laudem & gloriam sui nominis quamplurima perferrent. Et verò perspectum est in hac tota procella præsens ac propitium Numen. Criminationes nihil nisi ad pleniùs cognoscendam Societatem, eiusque existimationem, & confluentium ad eam multitudinem augendam valuerunt. Multi clarissimorum virorum, qui priùs exteriorem tantùm illius speciem & facta nouerant, vbi per eam occasionem domesticæ quoque disciplinæ præceptis & ordine cognito, eiusdem interiorem formam tanquam animam peruiderunt; pro sua prudentia totius quasi fabricæ rationem intelligentes, admiratione eam & laudibus celebrarunt.

118 *Palmij vigilantia atque constantia.*

In cæteris Longobardiæ Hetruriæque Collegijs diuinæ res cum domesticæ simul & publicæ sanctitatis incremento gerebantur. Senis Iacobus Mignanellus Episcopus Grosseti, benignissimè templum sancti Vigilij, domumque ei adiunctam concessit, quoad ipse viueret: perpetuæ

119 *Incrementa Collegij Senensis.*

etiam

Digitized by Google

& Lauretani.

etiam possessioni à Pontifice impetrandæ adiutorem se fore pollicitus, vt impetrata est. Lauretanum Collegium à Pontifice confirmatum est tertio Nonas Decembris: quo die Societas primùm septẽ antè annis acceperat. Laici omnes ad gratias Deo agendas, opemq; impetrandam ad

110 Desiderii Galli praclara virtus.

suam & aliorum pietatem augendam in Deiparæ conclaui sanctissimam sumpsere Eucharistiam: quod eo die anniuersario Oliuerius quotannis fieri volebat. Florentia ad cælestes domos Desiderium Gallum sacerdotem transmisit annos natum circiter quadraginta, virum nunquam ab sanctis actionibus vacantem, ad subsellium in templo assiduum. Quòd si qua intercederet ab confitentibus quies, flexis ibidem genibus operiebatur, cum Deo colloquens, & diuina meditans cum attentione ac pietate tanta, vt interdum, qui confessuri superuenerant, nec ipse aduerteret, & illi non audẽtes sanctas Patris cogitationes interpellare, defixis in eum oculis tali spectaculo cum sui profectu animi fruerentur. Desiderij verò commentatio fermè in Nouissimorum consideratione consistebat. Inuisens carcerem, nosocomium, varios per vrbem ægros ciues (quod frequens, & cuique optatissimus faciebat) ibat per vias orans ac Rosarium fermè terẽs. Lectio eius multa vitarum Sanctorum Sermocinatio modica, ac potiùs citra modum etiam remissionis consuetæ tempore: rarò nisi interrogatus fari solitus: vel, siquid loqueretur, Sancti alicuius vitam narrabat. In doloribus morbisque, quibus haud rarò conflictabatur, quî secum ageretur, quærentibus, respondebat, peius cum ijs agi, qui damnati in triremibus: peius cum iis, qui in Purgatorio cruciatu essent. Denique domi foriſque propter excellentem caritatem humilitatemque in pretio habitus excessit xiv. Kalendas Augusti.

121 Lainius iubetur Magistratum obtinere.

Inter hæc iussa superiore anno de Generalatu continuando aut finiendo suffragia pleraq; allata Romam erant. Vnus fuit Franciscus Adurnius, qui valere etiamnum acta Pauli Quarti censeret. eamque obrem, & maximè ad specimen obedientiæ, quam singularem Pontifici profitemur, edicenda comitia; cum eo tamen, vt antequam iretur in suffragia, cum summa verecundia, & animi in vtramque partem æquabilitate peteretur ab eo, qui tum Ecclesiæ sanctæ præesset, Societatis vt instituta redintegraret; ex ijsque perpetuus Præpositus crearetur. Franciscus Borgia, Benedictus Palmius, Iacobus Gusmanus, Antonius Correa, Bartholomæus Hernandius, quamuis pro antiquatis rectè haberi possent Paulina mandata; tamen ad iustitiæ abundantiam, & firmamentum tranquillitatis in omne posterum tempus, materiamque & obtrectationum & vexationum æquis iniquisque adimendam; denique vt exemplum modestiæ & venerationis aduersus Christi Vicarium Societas adolescens ætatibus secuturis relinqueret; cupiebant ab Summo Antistite abrogationem accedere. Alij fermè omnes nihil dubitabant, quin superiorum decreta Pontificum prorsus in statum suum redijssent. Natalis Conimbrica suffragium tale misit: Sentẽtiam meam hoc faciliùs, Parer, complectar litteris, quo sæpiùs apud te Romæ coràm per-

„ „ „ „

Adiere eum Polancus & Strada. Pontifex vbi totam rem planè cognouit, mandato Pauli de habendo choro, deque Generalatu tribus annis finiendo, quantum opus foret penitus abrogato, iussit Lainium perseueranter impositum sibi onus ad mortē vsq; perferre, & Societatis Constitutiones, quas de integro comprobabat, in posterum obseruari. Quæ cùm viuæ vocis oracvlo statuisset, Cardinalem Hippolytum Estensem, qui aderat, eius rei facere fidem rite iussit. Cæterùm quæ causæ mouerint Patres, vt tanto consensu studioque Præpositum perpetuum esse voluerint, quanquam cuique venire in mentem ex facili possunt, tamen res postulat, vt hoc loco prodantur. Auctoritas in primis, vt modò dixi, Ignatij mouebat. Quippe cùm ea res grauissima sit, atque in talibus decernendis non humana solùm prudentia Ordinum conditores duci, sed etiam diuinitus afflari persuasum haberent; nihil erat dubij, quin Ordini huic conuenientius id censerent, quod eius Conditori placuisset. Mouebat ad hęc sapientissimorum Patrum summus in conuentu primo consensus; mouebant rationes ipsæ, quas oppidò validas ei legi Beatus Pater adscribit. Hæ sunt sex: Maior vsus & peritia gerendarum rerum, maiorque notitia regendorum hominum: tum maior Præpositi auctoritas: simul ambitionis remotio: ad hæc quòd promptius sit idoneum vnum inuenire, quàm multos: præterea infrequentiores conuentus: denique administrationum cęterarum exempla. Quarum rationum pleræque cùm haud perinde omnibus, vt in nostro cœtu valeant, nolim quę hîc disputantur, aliò quisquam transferat. Nam quemadmodū de membris singulis, quàm apta & conuenientia sint existimari non potest, nisi ad rationē totius corporis referantur: ita nequaquā singulæ per sese cuiusq; reipublicæ spectādæ sunt partes, sed conferendæ inuicem, & ad vniuersam referendæ molem, vt ita de singulis, prout ad totius compositionē corporis aptè, aut secùs conuenerint, iustum modum, nec ne habeant, rectè an perperam constitutæ sint, pronuncietur. Præpositus ergo perpetuus hoc primum habet commoditatis, quòd vsu perficitur. Quippe cùm omnes disciplinæ & artes exercitatione excolantur, ars homines regendi, quæ meritò ars dicitur artium, sine dubio & ipsa vsu proficiet. Sanè idcirco prudentia, quæ publicarum rectionum spiritus & anima est, propria senum dicitur, quòd multa eos ętas docuit: quę dum respiciunt, sagaciterque ex præteritis disponunt præsentia, & futura coniectant, consilia temporibus accommodata capiunt. Magnarum procurationum initijs haud perinde negotiorum grauitas ac multitudo obturbat ac premit, quàm ipsa nouitas, cùm quidquid acciderit, vt inexpertum commoueat. Vbi autem paululùm vsus inueterauit, quia humanæ fermè res in orbem eunt, & nihil est sub sole nouum, administrationis cursus, similiter atque fluminis alueo inuento, tranquillè labitur. Nec solùm res, sed & homines præstat vsu nosse; nostro quidem Præposito planè necesse est. Nam cùm tota ab illo pendeat administratio, ad illum pertinet distributio munerum grauiorū, ad illum cooptatio ad varios gradus & ordines, exquibus velut membris cōflatur hoc corpus: ad illum creatio Prouincialium atque Rectorum, & similia his; enimvero talia sine hominum diuturna notitia aptè ad cuiusque facultatem ac merita, attemperateque distribui non poterunt, præsertim cùm tam longè lateque sparsa familia sit. Auctoritas verò sine dubio ingens est momentum obsequij. Quis autem non videt, quanto sit ea futura maior in Præside, cui finitum tempus Præfecturæ non sit? Nam (præterquam quòd potestati, quo maior ipsa est, eo plus auctoritatis ac venerationis inest, maior autem est quam fines nulli temporis circumscribant,) homines sumus: & ita comparata sunt humana ingenia, vt iam nunc pares ducant, quos pòst paulò pares futuros norint. Haud igitur dubiè amplius reuerebuntur omnes, quem sciant sibi esse perpetuò præfuturū, quàm quem mox conspecturi sint redactum in ordinem, æquatumque, & fortè subiectum sibi. Inde etiam fiet, vt simul Præpositus magis ex animo capessat onus, quod sibi in omnem vitam gerendum norit, simul inferiores sincerius capessant obsequium, quòd videant cōmutari non posse. Negligentia enim ex proximo obrepit, vbi res quodammodo in transitu, & tanquam aliena geratur. Ad hæc animum Beatus Ignatius huc intendit, occasionem non modò vt omnem ambitionis, sed etiam (quantum fieri posset) vt cogitationem penitus remoueret. Namque ambitionem non modò eorum munerum, quæ ambiuntur pestem, sed etiam in quauis Sodalitate omnium malorum parentem vocat. Quæ in sacris cœtibus eo sunt veriora, quo clariùs constat fundamentum eorum Christianam esse humilitatem: qua subducta ædificium necesse sit totum ruere. Siquidem virus est ambitio, quod semel animo conceptū consilia, facta, vitam q; omnem velut in radice corrumpit. Reipublicæ itaque religiosæ nerui, ossa, sanguis, omnia demum sunt obedientia, submissio, tranquillitas animi, curarum vacuitas, & sua contenta sorte quocunque loco ponatur, modestia. Quibus conseruandis alendisque quo aptiora legislator præsidia excogitarit, eo diutiùs feliciusque victuram fundarit Rempublicam. Frequens autem Præpositorum creatio procul dubio locū ambitioni multis modis aperit. Primùm, quia quemadmodū nulla est cogitatio, dum Præpositus diu sperator victurus, ita nō potest animus cogitatione & expectatione rei mox futuræ non tangi & cōmoueri: deinde quo plura loca aperiuntur, eo pluriū primò cupiditates, tum spes irritantur: è multis enim locis non desperent vnum, qui vnicum numquam sperent. Porro ab spe in ambitionem protinus lapsus est; gradus nullus interiacet. Vt enim cogitatio cupiditatem lacessit, ita spes ad conatum instigat. Præterea ex his quoque qui decedunt, periculum ambitionis impendet. Quis enim facilè omnes post degustatum locum superiorem bona fide amaturos inferiorem præstet? Quòd si intercluſus domi sit ascensus, quæretur fortasse foris. Quis ad communem omnino eos vitæ normam reuocet? Quis prohibeat, ne quamdiu quasi familiam ac sectam etiam tum obnoxiorum habeant? Et quidem vnà cum Præpositis

123 *Rationes propetuo Generalatu.*

1. *Auctoritas Beati Ignatij.*

124 *Non eadem instituta aquè omnibus apta Ordinibus.*

125 2. *Exercitatio & vsus.*

126 3 *Hominū notitia.*

127 4. *Auctoritas Præpositi.*

128 5. *Sincerior administratio.*

129 6 *Ambitionis remotio.*

Digitized by Google

tis, quoniam necesse est multa mutari, nec quidquã factu procliuius est, quàm vt inter se priores posteriores sq; Præpositi, & eorum diuersæ agendi rationes viæque comparentur (sua enim quædam cuique est) quanta ea factionum est seges? Age in consiliis capiendis & rebus decernendis quanto longiùs aberit ab studiis, quæ transuersos agunt mortales, Præpositus de se securus, qui nunquam obnoxius futurus sit, quem neque ab his timor, neque spes ab illis suspendat? Infrequentes verò congregationes palàm est plurimum habere commodorum. Namque Societas cùm occupata sit omnis pro Christiana republica; &, quoties ad conuentum vocatur, haud minùs toto anno primos quosq; omnium ferè prouinciarum viros eundo redeundoque peregrinatio distineat; ingens profectò detrimentum est rerum & communium & priuatarum. Iidem viri in plurima coniiciuntur discrimina: nec impensarum maximarum (quanquam postrema debet esse) nulla habenda est ratio. Ad hæc ipsamet creatio Præpositi tam res est grauis, adeoque impedita & lubrica, vt ægerrimè in comitiis turbæ aliquæ, & dissidia si non voluntatum, certè sententiarum vitari queant. Iam illud explicatione non indiget, cùm tanta sit raritas hominum vsquequaque ad publicam administrationem idoneorum, ægrius fore multos idoneos nanciscì, quàm vnum. Nam, tametsi fortè extiterit cætera par ei, qui iam in magistratu est, tamen vsu, quæsitaque iam auctoritate, ac rerum hominumque notitia adæquari non poterit: &, quamuis præstantissimum tandem & instructissimum, multos experiundo reperias, nunquam tamen perfecto consummatoque frueris, quia cùm ad maturitatem appropinquare cœperit, alteri nouo acerboque cedere locum cogetur. Postremò in Rempublicam vel humanam, vel sacram intuenti offeruntur hinc Episcopi & Summi Pontifices, & multi Abbatum, & quidam Religiosorum etiam Ordinũ, ac nominatim Prædicatorum Magistri Generales, quorum in omnem ætatem perseuerat potestas. Nec alia Minorum ab primo exordio in longum deinceps tempus instituta fuerunt. Inde Imperatores ac Reges, cæterique minores Dynastæ, quibus item dominatus nonnisi cum vita finitur. Quæ omnia cùm essent, & rectè considueraret Ignatius, id modò reliquum erat videre, vt hæ commoditates (quando in rebus humanis nihil est ab omni parte tutum atque perfectum) quàm puriſſimæ, quamque minimi admixtione incommodi perciperentur. Idque ita cauit, rationem comitiorum ita descripsit, creato Præposito eos custodes easque leges apposuit, vt neque in comitiis præteriri optimus, neque is postea corrumpi, vel certè nequaquam magnopere diuque nocere videatur posse; cùm non modò deiici maturè de gradu, verùm etiam, si quid dignum ea pœna commiserit, exterminari è Societate possit.

129 *7. Infrequentes cõgregationes.*

130 *8. Quòd facilius sit vnũ quàm multos inuenire idoneos.*

131 *9. Exempla aliarũ gubernationum.*

132 *Prouidẽtia Ignatij in remouendis perpetui Generalatus incõmodis.*

Lainio, vbi confirmatus est magistratus, peregrinatio ingentis & momenti & negotij suscipienda fuit. Religio Catholica grauissimè laborabat in Gallia. Cùm enim Henrici morte ad filios eius Franciscum Secundum adolescentem, moxque eo quoque mortuo, ad Carolum eius nominis Nonum, duodecimum agente annum peruenisset regnum; ex veteribus institutis rerum administratio ad Regentem, quem vocant, & appositum ei Ordinum delectu concilium redacta est. Quo in concilio cùm essent quidam rerum studiosi nouarum, hos Catharina Medicea Regis mater (quanquam & concilij princeps & Regens, hoc est, summa cum potestate erat) ac cæteri Catholici non ita poterant cõtinere, quin hæreticis ac pessimis hominibus vehementer insani spiritus crescerent, & turbulentissimos excitarent motus. Ad quos sedandos edictus erat conuentus ad Poissiacum (id est cœnobium virginum in agro Parisiensi haud procul ab villa regia, cui sanctus Germanus est nomen) in quo conuentu etiam de religione agendum ferebatur, vt inter veterem, hoc est veram Catholicorum, nouamque, id est vanam hæreticorum, Ecclesiam concordiæ ineundæ ratio quæreretur. Quæ cùm essent, grauis Pontifici Summo cura incessit, ne regnum vsque ad eam diem & cætera & pietate florentissimum ingentem aliquam acciperet plagam. Id omni ope, quoad Apostolica posset cura, prohibiturus, Legatum eò destinauit Hippolytum Cardinalem Estensem prudentia Principem opibusque pollentem, & nationi Gallicæ ex veteri patrocinio carum. Is à Pontifice instìtit, vt, quando tam grauem tamque difficilem sibi demandaret prouinciam, quæ non adiumenta mediocria, sed egregia doctrina viros bonitateque communitos requireret, adiutorem Lainium daret. Pontifex tametsi inuitus subsidium illud subducebat Romæ, tamen non vnius vrbis, sed totius Ecclesiæ circumspiciens commoda; palàm professus haud dubitare se, quin bene animatus, vitamque pro Catholica fide paratus fundere iturus Lainius, atque adeò vnus propè ipse eam (tanti hominem faciebat) restituturus esset, placere sibi, vt iret, respondit. Haud quidquam tergiuersatus est Pater: verùm ipse quoque rei ponderans grauitatem, inq; gloriæ diuinæ successum intentus, ad maiorem animi sui quietem, vtq; obedientiæ insuper sanctæ, quæ victorias loquitur, virtute armatus robustior audentiorq; vaderet, & quanto sibi minus reliquisset libertatis, tanto ad perseuerandum enixiùs vrgeretur; rogauit Sanctissimum Patrem, vt eam profectionem præcepto sibi iniungeret. quod facilè, obsecundante ei deuotioni Pontifice, impetrauit. Dein ne per occupationes publicas domestica administratio detrimenti aliquid caperet, regendis Italiæ Siciliæque prouinciis Salmeronem designat Vicarium, substituto interim Madridio, dum Neapoli Salmeronem venire Romam mitior anni tempestas sineret. In Hispaniæ prouinciis aderat cum suprema potestate Natalis: Boreales per se erat ipse ex propinquo recturus. His rebus cõstitutis, moram haud ferente Galliæ statu in summo æstu Kalendis Iulij vnà cum Polanco, & Annibale Codretto sacerdotibus, & Ludouico Giappo Adiutore laico Roma discessit.

133 *Lainius in Gallias mittitur.*

134 *Salmeron Vicarius Generalis decernitur.*

Postero die Christophorus vnà cum Ioanne Baptista Eliano Nuncius Pontificius ad Patriarcham Cophthorum discessit. Legationis hęc fuit causa. Pontifice Paulo IV. apparuit Romę homo Syrus

135 *Christophorus Rodericius Memphim à Põtifice mittitur.*

Digitized by Google

Syrus, qui se legatum ferebat Alexandrini Patriarchæ cui Cophthi parent, ab eo cum litteris missum, quibus Romano Pontifici submittebat sese,& obedientiam profitebatur. Fortè ita euenit, vt nemo tum Romæ præstò esset, qui legere Arabicè nosset. Itaque eas litteras in sermonem Romanum vertere, qui linguæ eius sonum intelligebãt ex iis, quæ ipsemet Abrahamus (hoc Syro nomen) verbo referebat. Ideoq; non habita omnino est fides. Mortuo dein Paulo, Cardinalis Alexandrinus à Pio IV. explorare iussus rem, ad Leonardum Emum Venetorum Consulẽ litteras Cairum (olim fuisse Memphim opinio est) dedit, vbi erat Patriarchæ sedes: nec solùm ab Consule, sed etiam à Patriarcha prioribus lætiores litteræ allatę sunt; quibus insuper postulabant virum ad se mitti, cum quo de Cophthorum Ecclesia cum Catholica & Romana penitus iungenda agitaret. Natio Cophthorum latè patet. Ea de causa Pontifex pro summi & optimi parẽtis officio nihil omittendum ratus, quo minùs plurimarum animarum, quantum in se esset, saluti consultum iret, accersito Lainio, ab eo sacerdotes duos petit ad tanti momẽti expeditionẽ idoneos. Destinabatur Emmanuel à Monte maiore, qui in Cypro insula erat, cùm repentè ex Hispania maturiùs, quàm Natalis destinasset, quasi ad id diuinitus missus Christophorus Rodericius venit. Erat is præstanti doctrina vir, virtute etiam maior (vti suprà etiam significatum est) qui anno superiore cùm ex Germania Romam venisset, & hinc remissus in Hispaniam esset, statum rerum perturbatiorẽ offendit ob eas causas, quę suprà demonstratæ sunt: maximeq; dolens vexationẽ iniquissimam Borgiæ, cuncta Lainio expositurus reuertit. Inde Memphim destinatur socio addito Eliano, qui Christianus ex Iudæo factus super excellentem virtutẽ & flagrantissimam caritatem potissimùm lectus erat ob linguarum & nationum peritiam. Adiutor quoque & leuamentũ humanarum imbecillitatũ laicus missus est Alfonsus Brauus, & ipse expertę virtutis. Abrahamus, quãquam ad eam diem satis hospitaliter Romæ & comiter habitus fuerat, tamen post vltimas Patriarchæ litteras longè carior haberi: vulgò ab omnibus salutari: excipi sæpè conuiuiis: donis luculẽtis à Præsulibus & Cardinalibus honestari. Ipsemet Pius, quo magis & fidum & ad cœpta perficienda strenuum redderet, omni officiorum ac benignitatis genere, donata insuper grãdi pecunia studuit demereri. Rodericio & sociis prẽter liberale viaticum magni pretij vestes ad totũ Patriarchæ ornatũ vnà cum aliis donis deferendas ad eum dedit, simulq; binas litteras: quarum alteras, quibus de nuncio ab se misso cum adhortatione ad sanctè exorsa promouenda certiorem faciebat, initio statim redderẽt: alteras, per quas suadebat, vt pro se Vicarium ad Tridentinum Concilium mitteret, tum redderent, vbi procedere rẽ vidissent. Addita scripto monita & mandata. Inprimis cum schismaticis Græcis quã cautissimè agerent; cumq; Patriarcha, ad quem mittebantur, nihil tractandum prius susciperent, quàm vt penitus persuaderẽt caput illud orthodoxæ fidei, Vnam esse primam ac cæterarũ magistram Sedem, eamq; successorum Petri, Romanorum Pontificum esse. Hoc enim constabilito cætera modico negotio conuentura. Addidit Lainius, vt effectus spe in diuina vi posita, quod in se esset, ardentem animarũ vt pote non auro & argẽto, sed pretioso Christi sanguine emptarum excitare sitim studerent: plusq; in probitatis sanctorumq; morum exemplis, quàm vlla in re ad permouendos cõciliandosq; sibi Cophthorum animos momenti ponerẽt. Publicas res & regnorum iura nullo modo attingerent: tantùm, vt Apostolus monet, curarent, vt omnis anima potestatibus sublimioribus subdita esset: & captiuos ad obedientiam dominis fidemq; præstandam adhortarentur. In congressibus ac disputationibus meminissent mansuetudinis ac patientię: cauerent cuiusquã exacerbare animũ: nec dogmata, in quibus quis erraret, statim aggrederentur omnia, sed paulatim ac pedetentim procederent: vtq; paratiores ipsi in congressum venirẽt, sanctiones ac decreta Conciliorũ Summorumq; Pontificum, & scripta sanctorũ Patrum, quibus de rebus agendum erat, sedulò recognoscerent. His aliisq; instructi præceptis, confessione generali, instauratione votorum, multisq; precationibus & afflictationibus corporis præmuniti, vt. Nonas Iulias magno animo, & ad quęuis perpetienda parato, Roma discesserunt. Venetiis dum nauigationem opperiuntur, ad Christophorum defertur indicium, legationem Abrahami simulatam esse, nec auctore Patriarcha susceptam: cauerent ne Syro lùdus fierent, temereq; se in periculum darent. Rodericius, quanquam auctor leuis videbatur, tamen ne quid celaret, Romam indicium nunciat: quod Cardinalis Alexandrinus aliiq; Romani Antistites, cùm quatuor annorum spatio, quibus Romę fuerat Abrahamus, nihil esset auditum, imò legatio litteris & Patriarchæ & Veneti Consulis cõfirmata esset, contemnendum putarunt, Rodericioq; bono vt animo pergeret, rescripserũt. Kalendis Octobris habitu, quo Ægyptij sacerdotes vtuntur, naui conscensa leuibus defuncti periculis Alexandriã tertio Nonas Nouembris tenuere, nauigatione vsi magno cum suo ac vectorum pietatis emolumento. Quippe Christophorus, statim vt conscenderunt (quod nunquam toto eo legationis tempore pro more Societatis intermisit facere) socios communiter, quanquã duo tantũ erant, adhortatus est ad gratias primùm Deo agendas, quòd ipsos potissimùm ad hanc expeditionẽ legisset, oblata aliquid eius causa perferendi materia: deinde ita se gererent, vt nihil ab ipsis impedimenti diuino cõsilio, & felici legationis euentui obiiceretur. Postremò diei tempora & actiones ita distribuerent, ita componerent, vt & cum suo & proximorũ fructu, quod Societati propositum est, iter facerent. Itaque, quantũ locus permitteret, disciplinæ mores ac leges cunctas, quarum deinde frequentem lectionem curabat, sedulò obseruarẽt: & cum vectoribus non temere, sed præmeditati agerent; verba, sentẽtias, actus, totam quotidianæ vitæ, familiaritq; consuetudinis formam priùs apud se cum consilio corã Domino ordinates. Talia verbis præmonstrãs Christophorus, plura docebat exemplis. Nec sociis siue ad audiendum alacritas, siue ad sequendum

137

138 *Rodericij pia industria inter nauigandũ.*

136 *Monita Rodericio tradita.*

vis

vis & conatus deerat. Inde, quæ virtutis veræ natura est, vectorum ad se omnium breui oculos & animos conuertêre. Erant in naui plurimarũ nationum, vt fit, ac religionum permixti homines: præter Catholicos, desertores Christiani, Iudæi, schismatici Græci, aliiq; aliorum errorũ affectæ. Catholicis docendis excolendisq; præcipuus labor ab Christophoro & sociis dedicatur. Initium ab nautica turba fecerunt. Capita religionis, quæ interest salutis cognoscere, precandi formulas, & apta vitandis peccatis remedia tradidere. Ab his paulatim ad cæteros comitate, virtutisq; decore conciliatos progressi, ad alia citiùs omnia adducebant, quàm ad sacrã homologesim. Nam extra Paschale tempus, adhæc in naui dextræ sacerdotali caput subiicere inusitatũ, & pro absurdo habebatur, cùm interim haud pauci adessent, qui annos cõplures subiecerant nunquã. Quòd si qui tandem ab semet impetraret, vt exonerare conscientiam vellet, ad eum audiendũ Patres vel de media nocte, vel certè aliquot ante lucem horis surgebant, donec malum Deus pudorem propè diuinitus tandẽ eiecit. Cùm enim vnus vectorũ, qui id priùs abnuerat facere, graui laborãs morbo cõfessus esset; postridieq; ita bene haberet, vt è lectulo surgeret, cœpit deprædicare desperatã valetudinem sibi confessione redditã. Eaq; res, quæ in oculis omnium versabatur, fecit, vt libenter ac luce palam ad sacerdotis pedes acciderent ita promiscuè multi, vt Ioãni Baptistę sua linguarum varietas egregiè vsui fuerit; cùm & vernacula Italorum & Latina lingua, itemq; Hispanica & Germanica & Arabica sua promẽtes crimina audierit. Conciliatũ sibi nauarchum permouere, vt vetaret quẽpiam vel iurare, vel ludere. In circulis alter Patrũ aliquid è pio quopiam libro, quod ad rem faceret, recitabat. Quod cùm ad incitamentum pietatis valebat, tum ad segne otium eiusq; sobolem mordacia ac turpia dicta excludenda. Homines circiter decẽ nobiles, ac fermè iuuenes sodalitatẽ inter se minimè probabilẽ ad iucundè licenterq; vitam in commune ducendã coiuerãt. Singulis hebdomadis creabatur magister, cuius dicto sodales parerent. Leges itẽ sibi posuerant, nimirũ proposito accommodatas: quas qui præteriret, certa pecunia mulctabatur. Horũ curæ ad hilaritatẽ conuersę omnes: horum in ore scurrilis dicacitas, petulantes cachinni, effrenis impietas. Christianos vix aliundè nosceres, quàmquòd religiosa Christianis nomina vel temere iurando violabant, vel execrationibus incessebant. Eoq; erat difficilius ab tali vitæ genere auocare, quòd illo cõiunctos fœdere cùm expugnare vniuersos peroperosum, tum aggredi singulos vanum erat. Tamen & hos fusæ ad Deũ pro illis preces, comitas & exempla Patrũ, cæterorum vectorũ mutatio, pudor ipse paulatim vicit. Leges itaque præscripsere sibi prioribus longè dissimiles. Qui obscœnum verbũ proloqueretur, dicta mulcta est: qui temerè iuraret, cui impia in Deum Diuosque verba exciderẽt. Cautum, vt quotidie singuli solenne precũ officium Deiparæ recitarent. Postremò etiã fuit, qui hebdomadarius princeps lectus edixit, vt singuli noxas sacerdoti aperirent proposita mulcta, ni facerẽt: idemq; qui tulerat legẽ, facto viam præiuit. Vt iam sancta Christi decuria esset, qui modò grex fuerat Epicuri. Cũ schismaticis Græcis, Iudæis, Turcis nihil actum, quòd ita acceperant in mandatis: Christianæ tantùm sanctitatis, quæ mirarentur, subiecta oculis documenta. Quæ species (quid enim rapacius humani animi, quàm Christianæ innocentiæ facies?) ita homines deliniuit, vt omnibus locis adiutores se vltrò sponderent fore. Hæreticorũ ad sanctæ Ecclesiæ gremium reuocati nonnulli. Abrahamo verò quid obsequiorũ, quàm assiduè humiliterq; exhibuerint, cùm plurimum in eius beneuolentia momenti ad summa legationis intelligerent situm esse, nec relatu pronum, nec cogitatu est. Tanquam fideles hero famuli, tanquam pij parenti liberi cum labore, incõmodo, impendio ingenti suo noctes atque dies præstò erant. Hunc in modũ nauigatione transacta, protinus Memphim Ioannes Baptista, vt apud Consulem tutus esset, cum bono Venetorũ ciuium comitatu præmissus est. Stratim enim vt Alexandriæ apparuit, coniecere in eum oculos sibi notum Hebræi. Et quia grauissimè oderant, quòd non solùm ipse ad Christũ transierat, sed & fraudes eorum in lucem proferens, redarguensq; perfidiam multos alios attrahebat; & magnam Romæ Talmudicorum librorũ vim incendẽdam curauerat, haud temerè metus erat, ne, cùm potentes in ea vrbe essent, fictis criminibus exitium ei (vti postremò fecere) machinarentur. Subsecuti paulò pòst Rodericius cum Alfonso, & Abrahamus VII. Kalendas Decẽbris Memphim ingressi sunt. Rodericius vt Gabrielis (hoc Patriarchæ erat nomen) animũ planiùs exploraret, dabat operam, ne prior eum adiret ac præoccuparet Abrahamus. Contrà is impensè studuit aditũ occupare: nec homo familiaris, & magnæ inter Cophthos auctoritatis, quo minùs prior conueniret separatim solus solum; &, quæ commodũ fuit præmoneret, satis caueri potuit. Kalendis ipsis Decembris admissus ad Patriarcham Rodericius salutat nomine Pontificis, eiusq; litteras reddit: tum præmeditata oratione paucis exponit quãta sit Sanctissimi Patris caritas erga ipsum, totumq; Clerũ populumq; Cophthorũ: missum se, vt apud Patriarcham agens, qua re posset, auxilio illi sit; curetq; coniunctionẽ Cophthorum Ecclesiæ cum Catholica & Romana ad ipsorum salutẽ necessariam. Sibi quidem gratissimum accidisse, quòd antiquissimã & florentissimã olim viris sanctitate & doctrina inclytis Ecclesiam visere, eiq; laborum aliquid & studij nauare licuerit: paratumq; esse in eiusmodi causa vitã millies fundere: ipsum Patriarchã, qui sponte negotium mouisset, scire adhortationibus nõ egere ad cœpta sanctissima consummãda. Salutem innumerabilium animarum Christi Domini sacrosancto emptarum sanguine eius in manu esse. Gratias igitur potiùs sancto Spiritui agere, qui hanc mentẽ sapientissimo Antistiti iniecisset, vt dignitatẽ pristinã suę genti, veritatẽ doctrinæ, & necessariam ad salutẽ Sedi Romanæ obedientiam restitueret. Respondet Gabriel: gratiã se habere Pontifici, quòd vt verus Pastor ac Pater omnium curã Cophthorũ susceperit adeò propriè, vt ad se potissimùm nuncium destinarit suum, nõ itẽ ad alios Antistites: quamuis alij quoq; multi id expetierint, significarintq; eius

139 *Sacra confessionis vis.*

140 *Sodalitas non bona in bonam conuersa.*

141 *Ioannes Baptista Eliahus odio est Iudæis.*

142 *Verba Rodericij ad Cophthorũ Patriarcham.*

143 *Patriarchæ responsio.*

Digitized by Google

eius potestati subiiciendi sese volũtatem. Siquidem in officio fore: &, vbi res tulerit, Nuncij operâ plurimũ vsurum. Paucis pòst diebus, quo res minore strepitu agatur, conueniunt apud Venetum Consulẽ. Ibi spectãte Patriarcha facit Sacrum solenne Rodericius ad cõiunctionem Ecclesiæ institutum. Tum alteras litteras proferre

144 *Prospera exordia rerum apud Cophthos.* maturũ visum est & munera Pontificia. De mittendis ad Concilium, quod Romanus Pontifex posterioribus litteris postulabat, respondet Patriarcha daturũ se operam, vt proximo vere Episcopus è suis iret vnà cum ipso Abrahamo, qui Romæ fuerat. Pontificalia vestimenta ac dona cætera lætus accepit: voluit tamen aliquamdiu apud Consulem asseruari, dum captato tempore clàm domũ suam transferret, ne ad Turcas prædæ inhiantes odor aspiraret. Rogauit præterea Rodericius, vti acceperat in mandatis, vt è sua diœcesi aliquot Patriarcha iuuenes mitteret Romam, qui simul inde Christiana dogmata velut ex fonte, simul erga primam Sedem caritatem & venerationem debitã haurirent. Hos Patriarcha respondet consideraturum se, expediret nec ne mitti: ne ea fortè res Turcarum animos suspicione deteriore perstringeret. Hæc inter secunda initia annus effluxit.

145 *Lainij iter in Galliam.* Interim Lainius itinere in Galliam instituto, Roma profectus Caprarolam primùm accersitu Alexandri Cardinalis Farnesij, qui æger ibi decumbebat, venit. Lætatus est plurimùm Cardinalis: multaq; cum eo ad animũ suum spectantia communicauit. Dixit pro sua benignitate, Societatis causa quamplurimum agere ad neminem

146 *Cardinalis Farnesii in Societatem benignitas.* omniũ, quàm ad se priùs pertinere, eo nimirum officio, quo gloriosa stirpis facta tueri gentiles & cumulare pietas iubet: vltroq; est pollicitus templum ad Professorũ domum ingenti impẽsa ædificaturum. Atq; ex eo die morbus leuari cœptus est. Inde Ameriam Lainius ac Perusiam venit, rogatu præcipuè Cardinalis Fuluij Cornei; qui pro sua in Patrem incredibili pietate & obseruantia ab Cardinali Ferrariensi id ipsum flagitarat. Perusia digressus primùm Montis Politiani miserũ exercitumq; Collegiolum; vbi (quas suprà diximus) primarij ciuis sorores inter se se in præsens reconciliauit: dein Collegium Senense, Florentinum, Bononiense obiter visit: nec domesticas modò res ordinauit; sed vbiq; in templis, quamuis & graui anni tempore, & de via fessus domesticorũ & ciuium precibus adactus, verba fecit, totis ad audiendum effusis vrbibus. Per hos & dicendi & viæ & summi æstus labores vbi Ferrariam attigit, in febrim incidit: quæ cùm diuturnior videretur fore, quàm grauior, Deo volente sub septimũ fermè diem abscessit. Inde vnà cum Cardinali ad VII. Idus Augusti repetito itinere, tametsi valetudo haud dum confirmata non sinebat in suggestum ascendere; tamen nunquam intermisit inter viam, in hospitiis, in vrbibus, vbi vbi aliqua se daret occasio, priuatis sermonibus vel adhortari ad pietatem rectè sentientes, vel nutantes in fide statuere, vel redarguere dogmatibus falsis imbutos. Cremonæ aliqui è Somascis

147 conuenere, vt quod per litteras antè tractarant, coràm si possent, transigerent, de vno Ordine è suo & Societate conflando. Sed idem, quod ad litteras responsum litteris erat, coràm præsentibus demonstratum est, Societatem ab suo instituto nolle quidquam alienum assumere: nec expedire, quod ipsi susceperant, orbos parentibus pupillos educandi sanctum ac pium opus omitti. Quare coniunctis animis sua quisque in parte communi Domino deseruirent. Augustæ Taurinorum tres Hibernos iuuenes Romam euntes obuios habuit, quos Dauid Wolfius in eam insulam anno superiore à Pontifice legatus Deo seruiendi in Societate cupidos, & erudiendos ad Vrbem mittebat: & litteras ab iisdem accepit, quibus Dauid de se, & insulæ statu hæc nunciabat. Se inter insidias hæreticorum consolandis 148 confirmandisque Catholicis, & ordinandis Hi- *Dauidis Wolfii in Hibernia labores.* bernæ Ecclesiæ rebus operam dare. Tertiodecimo Kalendas Februarias Corcbum venisse: exceptum mira gratulatione Catholicorum, & aliquot ibi dies coactum subsistere. Cùm, quàm maximo silentio potuit, Catholicis adesse se, quidque adesset nunciandum curasset, miseranda specie inde vsque ab sexaginta passuum millibus gregatim viros feminasque accurrere nudis pedibus, vno tãtùm indusio tectos, peccata confessuros, & absolutionẽ super incestis matrimoniis rogaturos. Plus mille coniugum paria non multis mensibus ex iniustis nuptiis auctoritate Apostolica legitimis ab se iuncta. Hoc maximè implicatum vitio populum: cæterùm ab hæresi purum esse: Clericos cœnobitasq; passim omnes cum mulierculis suis. Demirari populos, quòd 149 nec mercedis quidquam, nec doni Dauid acciperet. Se tamẽ omnibus, quæ Roma gestabat, naufragio amissis, vehementer inopia conflictari. Ad conuiuia non adire, ne locum gratiæ aperiret. Emendicare minimè expeditum esse, quòd in ea prouincia interdiu panem vix apud quemquam reperias: quòd, cùm exiguus sit prandij vsus, ad cœnam quotidie panem recentem, sed non fermè ante vesperum coquant. Quosdam Ecclesiasticorum, quibus tanta Dauidis abstinentia non placebat, irridere inopiam eius. At se propositũ abstinentiæ tenentem, sanctæq; paupertatis fructus abundè & alacriter colligentem irrisionem illam pro lucri accessione numerare. Felicem si talibus exordiis conuenientia attexuisset. Nam demum per solitudinem & impunitatem, remissa paulatim cura sui, vtilior multis, quàm sibi ita se homo gessit, vt segregandus ab Societate fuerit. Interim lætus ea religiosi animi firmitate Lainius Taurino Ripolim ad Allobrogum Ducem abiit. Eique & Margaritæ coniugi Catholicæ fidei sua in ditione tuendæ restituendæque curam commendat. Gauisi ambo cùm conspectu, tum 150 monitis & animo sincero Patris. Fortè Michaël *Lainii cum Duce Sabaudo congressus.* Gisslerius Cardinalis Alexandrinus, qui ad suum Montis Regalis Episcopatũ visendum venerat, eodem tempore, & Cardinalis Ferrariensis apud Ducem fuere. Hi dum vnà de rebus adeò periclitantibus regionum Ducis imperio subditarum consultant, statuerũt fore optimum factu, si Dux hominem de Societate bene doctrina ac pietate munitum apud se haberet, cuius & consiliis in religionis difficultatibus vteretur, & concionibus vniuersa eius familia, & vrbes præcipuæ erudirentur: ac nominatim Salmeronẽ postularunt.

Lainius

Digitized by Google

Lainius Fratrem Angelum Iustinianum ex Ordine S. Francisci, qui deinde Geneuæ Episcopus fuit, proposuit. Erat is doctus & eloquens vir, Societatis, ac nominatim Lainij amantissimus; & in proximi veris magno ieiunio cum plausu ad templum Aræ cæli Romæ concionatus Societatem laudibus magnis è suggestu affecerat: atque eum quoque Cardinalis Ferrariensis secum in Galliam comitem legationis ducebat. Cùm tamen vel Salmeronem, vel Benedictum Palmium instarent illi petentes; Lainius, quoniam Vicarium suum in præsentia Salmeronem reliquerat, nec Palmium ab sua prouincia, quam mirabilis eloquentiæ auctoritate sustinebat propè vnus & amplificabat, vllo modo abduci oportebat, rem in reditum ad Vrbem suum distulit. Quam moram Alexandrinus, & Dux non ferentes ad Cardinalem Borromæum & ad Pontificem, vt omnino mitteret Salmeronem, scripserunt. Cæterùm Pontifex maluit Concilio Tridentino inter lectos ab se Theologos interesse, vt anno proximo referemus. Desiderium eius suppleuit aliqua ex parte Antonius Posseuinus. Is iam creatus sacerdos bonam Cherio primùm, antequã Duci redderentur, quæ suprà dicta sunt, oppida; dein postea reddita, Taurino nauarat pro suggestu operam, nouitate ipsa (quòd sacerdos non è cœnobio, sed è populo videbatur; & præceptoria decorabat) gratiam conciliante. Cherium ita penetrarant hæretici, vt ciuium aliquot corruptis, id iam pro Geneua altera, & Caluinismi seminario in Italiæ capite destinarent. Qui vbi Posseuinum audiuere, duplici machina aggrediuntur. Primùm Gallorum præcipui ab concione domum honorificè prosecuti, postquam in conclaue domesticum ventum est, collaudãt eloquentiam atque doctrinam; tum nobili sponsa, quæ florenti eius ætati dignitatique conueniret, proposita hortantur, vt ad ipsorum transeat partes, primarium inter Ministros futurum. Quibus sacerdos castissimus inter miserationem & stomachũ, Si pudicitiæ decus, inquit, & opes, & quàm fœcunda cœlestium donorum parens sit, experiri velletis, abstineretis profectò ista mihi obtrudere. Castitas, Deo propitio, erit mihi sine diuortio sponsa, dum viuam. Primatus verò ministerij vestri nullo apud me loco est. Sacerdos ego sanctæ Romanæ Ecclesiæ sum, & ab ea legitimus diuini verbi minister decretus. Talem si vultis, nõ modò ministrum primarium, sed infimum quoque habebitis. Illi machinam primam vbi vident in cassum admotã, alterã tentaturi, Burdillonium qui Taurini pro Rege Gallorum ea loca tenebat, admonent, si Posseuinus Cherij sit, ciuitatẽ non expectata die in Sabaudi Ducis potestatem vltrò se traditurã. Ergo Taurinum accitur, & quid ita Cherium Proregis iniussu venerit, interrogatur. Sed Burdillonius vbi cognouit Archiepiscopo Taurinensi volente isse, & religionem Cherij eo loco esse, vt, si prolataretur remedium, ne regiæ quidem opes valituræ satis forent, homo cordatus & Catholicus, Abito, inquit, felix: tantùm videto, nequid turbarum existat. Protinus ergo reuersus, cum Canonicis, cumque ciuium ac nobilium iis, qui è re visi sunt, egit quemadmodum hæresim coërcerent: librosq; pios in scholis atq;

151 *Antonij Posseuini labores in subalpinis.*

152

Sodalitatibus proponendos missurum se; &, si posset, idoneum concionatorem pollicitus, Fossanum recedit. Mox nascitur Emmanueli Carolus filius: remotisq; præsidiis Gallorum, aditus ad conseruandam reducendamq; religionem liberior aperitur. Tum sede sibi Posseuinus Taurini delecta, ibi per æstatem principe in æde frequentem concionem edocet. Inde nactus Lainij copiam ad eum Ripolim septem Taurino passuum millibus, vitæ suæ suarumque concionum rationem redditurus contendit. Lainius ad multa, quæ fusè audierat, sapienti respondit compendio, id modò sciscitatus, Num concionibus habendis augeri sibi perfectionis suæ voluntatem sentiret. Id enim argumento esse rem ordine rectèq; administrari. Digresso Lainio iussu eius Ripoli dum adfuit Dux, concionari perrexit: tum vltra montes in Allobroges Ducis eiusdem & Nuncij Apostolici missu, egregieq; ab iis cõmendatus Camberium adit, clitellarium equum libris onustum, quos ad manum spargendos haberet, ducens. Camberiensis Senatus continuò decreuit, vt maior Petri Canisij summa Christianæ doctrinæ in adultiorum gymnasiis traderetur: hæretici catechismi prorsus abolerentur: Consules & Parochi aduersus Geneuæ fraudes peruigilarent: neminiq; hæresim vllo modo inuehere fas esset. Quibus fouendis exordiis Posseuinus cùm Catechismorũ & piorum codicum Gallicè scriptorum necessariam videret copiam, Lugdunum ad parandam eam migrat. Inde impigro sacerdoti noua rerum gerendarum oblata seges.

153 *Signum boni concionatoris.*

Posseuini res Camberij.

Iam Alpes Lainius superans transcendebat in Galliam, cùm Franciscus Borgia Italiam attigit, & Laureto Deiparæ domum salutaturus iter habens, pridie Nonas Septembris Romam venit. Quarto pòst die Salmeron quoque ab Neapoli adfuit. Eo die prandebat in Collegio Borgia cum Petro Soto è Dominicana familia inclyto scientia & aliis laudibus viro. Id Salmeron (nam paulò ante meridiem peruenit) simul vt cognouit, rectà ad Collegium tetendit. Secundùm epulas collegæ in suas quique diuisi nationes, Itali primùm, dein Germani, Boëmi, cæteræ propè omnes Europæ gentes ad Salmeronem salutandum & complectendum turmatim accedunt: quæ & multitudo & diuersitas nationum, & præcipuè alacris & ingenua caritas valdè commouit Dominicanum hospitem: qui obseruantia quoque erga se delectatus est, cùm ad cætera officia quidam Sociorum Latinis & Græcis extemplò scriptis carminibus salutassent. Eodem die vulgato iam per Vrbem aduentu Borgiæ, ad eum nõdum è Collegio digressum multi nobilium aduenere. In his Lusitani Regis orator, & vnus è Pontificij cubiculi interioribus Præfectis, qui Pontificis nomine rogauit, vt apud eum in Vaticano diuersari vellet; aut, si id mallet, Pontificem eius personã dignas alibi instructurum ædes; adiiciens gratum illi fore Francisci conspectum. Quod ad ædes pertineret, gratiis actis remisit Borgia. Sed quoniam bis accersitus antea vsque ab Lusitania tam benignè, & modò tam liberaliter inuitatus fuerat, adiecit se primo quoque tempore ad osculanda Beatissimi Patris vestigia ausurum accedere.

154 *Borgia Romam aduentus.*

155 *Per honorificè à Proceribus & à Pontifice excipitur.*

Digitized by Google

dere. Decimoquinto Kalendas Octobris acceſſit. Nec minorem Chriſti Vicarius præſenti honorem ac benignitatem habuit quàm abſenti tribuerat. Quanquam fuit cum ſancta Franciſci humilitate certandum. Surgere enim iuſſus non antè potuit de genibus demoueri, quàm Pontifex id ſeriò, & ex obedientia imperauit. Cùm aliquamdiu collocuti eſſent, ſubiecit Pontifex curæ ſibi ipſum Franciſcum, eiuſque res fore, vti deberet propter ſingulare exemplum, quod is ſuis temporibus mortalibus præbuiſſet.

156 *Vaniſſimus ſermo Neapoli de Salmerone.*

Paucis pòſt diebus litteræ Neapoli perferuntur, tota vrbe Neapoli, atque adeò toto regno de Salmeronis abitu multiplicem enatum ſermonem. Res prorſus ad vanitatem hominum & hæreticorum (ita creditum eſt) fraudes indicandas digna memoratu fuit. Nihil notius Neapoli Salmerone erat: nihil eius excellentis doctrinæ & eloquentiæ fama celebrius: nec, poſteaquam ante triennium poſtremò eò reuerterat, pedem quoquam extulerat, ipſa ciuitate litteris nunciiſque certante, ne ſibi, (quoties id agi ſentiret) eriperetur. Itaque Neapolitanum Nolanumque Collegium, quæ optimè progrediebantur, adminiſtrans, toto anno diebus quibuſque feſtis, & in Quadrageſima quotidie magno cum plauſu, nec fructu minore conciones ad populum in celebratiſſimis ſuggeſtis habebat. Vbi verò præter opinionem deſiit Neapoli apparere, diaboli inſtinctu, & occultorum opera hæreticorum vulgatur, primùm Salmeronem in vincula coniectum fuiſſe; ideo carere publico: mox vires eundo acquirente fama, adiicitur exuſtum fuiſſe: & erant, qui oculis ſuis deflagrantem vidiſſe teſtabantur. Poſtremò rumor cooritur deſciuiſſe ab Catholica fide, & magna ſui parte arcinatum pecunia Geneuam hæreticum aufugiſſe. Hæc poſtrema fama aliis oppreſſis maximè inualuit. Proferebantur falſæ & ſuppoſititiæ litteræ tanquam ab Cardinalibus ſcriptæ: quibus ea defectio & repentina fuga nunciabatur. Accedebat conficta fabella. Cum Salmeron feminam opulentam abſoluere decumbentem noluiſſet, niſi quatuor ſibi aureorum tribuiſſet millia, id à Pontifice reſcitum; & Salmeronem in Vrbem accitũ: at eum, quò ſupplicium eluderet, cum tota ea pecunia Geneuam maturaſſe fugam. Iamque adeò res erat celebris, non modò vt vulgus, ſed ne homines quidem nobiles, Dynaſtæ, ſacerdotes ac Religioſi, quibus primò portentum videbatur, de ea dubitare poſſent. Illi ipſi, qui nos amabant vnicè, cùm ex aliquo Patrum id, quod temerè iactabatur, falſum eſſe audiebant, non poterant inducere animum, vt crederent; ſed quaſi verum elicituri laicorum ac ſimplicium Coadiutorum per artem ſermones captabant. Tali ex fama, ſed potiùs tartarea flamma quantum exiſteret offenſionis, haud tardum eſt ſuſpicari. Nulla de re alia in circulis, ſuper menſas, in foris ſermo erat. Adoleſcentes, qui gymnaſium Collegij frequentabant, ab æqualibus hæretici vocabantur. Erant qui accedentibus ad Patres confeſſionis gratia inſuſurrarent, Apud iſtósne peccata deponetis, quorum princeps hæreticus eſt? Pueri carmen ſibi confecerant: & vbi quiſpiam Sociorum occurreret, occinebant per vicos gregatim, Salmeron hæreticus factus eſt, Salmeron fugit Geneuam cum quatuor millibus aureis nummis. Sed illud erat exitiale inprimis, quod vtique diabolus & hæretici taliagebant infamia. Incipiebant plerique vulgò minùs ab hæreticorum abhorrere nomine, ita ſecum ratiocinantes: Si Salmeron, ille vir adeò doctus tantæ apud omnes auctoritatis Geneuam conceſſit, fortaſſis haud adeò vanum eſt, quod hæretici afferunt. Quæ cogitatio cùm perniciosè ſerperet, viresque in dies validiores caperet, plerique eius erant ſententiæ, vt oporteret Salmeronem ire Neapolim, & aliquot dies populo ſeſe ſpectandum præbere. Qui interim Romæ (vt ipſemet ſcripſit ad Palmium) Deo bene iuuante non perſeuerabat modò in Catholica fide, ſed etiam in Euangelica ſua paupertate tam lætus, quàm Pontifex ac Rex in Pontificatu ſuo regnoque: paratus ſemper laceſſere hæreticos; & precans Deum pro talium inuentoribus fabularum; rependens maleficiis beneficia, vnde & victoriam ſpiritualem ac fructuoſam, conſolationemque & materiam vbique Deo gratias agendi affuturam ſibi confidebat. Cùm verò ab Romana eum ſtatione abire Societatis adminiſtratio non permitteret, Pontifex patrem ſe vbique ac patronum verè pium præbens, dedit negotium certis Cardinalibus, vt nomine ſuo ad Proregem, atque ad alios è primis teſtes rei litteras Neapolim darent. Eorumque operã iuuante tempore, cùm & ipſa per ſe monſtroſior eſſet, quàm vt diu viuere poſſet, paulatim emortua ac ſepulta infamia eſt.

157 *Priuilegia intra cannas & graduum conferendorum & decimarum Societatis conceſſa.*

Ad cæteram quoque Societatem indulgentiam ſuam, patrocinioque vmbram clementiſſimè ſummus Paſtor extendit. In domiciliis ſtatuendis frequentes oriebantur cum Religioſis Mendicantibus lites, exiſtimantes intra centum & quadraginta decempedas ab ſuis cœnobiis Collegia domoſue Societatis inſtitui non licere. Iamq; Collegium Palentinum in Hiſpania propè erat, vt cauſa caderet. Incidebant etiam frequenter certamina cum Academiis, vel homines noſtros, vel qui apud nos ſtuduiſſent, ad Magiſtrorum ac Doctorum inſignia recipere detrectantibus, quòd in Academia ſua non ſtuduiſſent. Pontifex vt lites remoraque omnem diuini cultus incideret, Domos & Collegia vbilibet fundandi habendique, & in ipſiſmet gymnaſiis Societatis ad gradus litterarios euehendi idoneos poteſtatem fecit, itemque ab omni decimarum penſione Societatem fecit immunem. Auditis motibus Venetis, & coràm eorum oratori Societatem impensè commendauit, & ad Senatum litteras ſuper ea re Apoſtolicas dedit; explicans quanti à ſe is Ordo fieret; quàm eius operâ, quantoque cum Reipublicæ bono vteretur. Et ad Philippum Regem cognito decreto, quo ſubſidia Collegij Romani impediebantur, tantis cum laudibus cunctæ familiæ ac propriè Romani Collegij ſcripſit, vt earum litterarum exemplar, quod grati animi erga adeò benignum parentem incitamentum ſit, vulgare poſteris æquum putem.

Cariſ-

Digitized by Google

Cariſſimo in Chriſto filio noſtro Philippo Hiſpaniarum Regi Catholico.

158 *Pontificis littera ad Regē Philippum de Romano Collegio.*

Cariſſime in Chriſto fili noſter, ſalutem, &c. Et officio noſtro conuenit Religioſam vitam degentes patrocinio noſtro diligenter tueri ac fouere, & Regibus maximè expedit de ſeruis eius, per quem ipſi regnant, quàm optimè mereri. Dominus noſter in ſeruis ſuis recipitur & honoratur, ſicut ipſe in Euangelio dixit: Qui recipit vos, me recipit. Sed inter Religioſorum Ordines ſingulari ab Apoſtolica Sede ſtudio meritò complectendus is Ordo eſt, qui non ita pridem inſtitutus, & ab hac ſancta Sede confirmatus Ieſu Societas appellatur. Hi enim operarij, licet nouiſſimi, tanquam nona diei hora in vineam Dominicam ab ipſo Domino inducti ſint; adeò ſtrenuam tamen & vtilem operā nauare cœperunt, vt non modò ſpinas ex ea & vepres euellere aggreſſi ſint, ſed ipſam etiam alibi auxerint & propagarint. Incredibile ferè eſt quātum tam breui tempore Hic Ordo profecerit, quātum Eccleſiæ Dei vtilitatis attulerit: quàm multa eius Ordinis Collegia, diuina fauēte gratia, alia aliis in prouinciis inſtituta fuerint non ſine maximo earum nationum fructu & commodo. Quorū diligētia alibi fides Catholica confirmatur; alibi hæreticæ prauitatis peſtis reprimitur: alibi Gentiles & idololatræ relicto idolorum cultu ad Chriſti veri Dei cultum conuertuntur. Ex quo cuiuis perſpicuum eſt excitatum hunc à Domino Ordinē fuiſſe his tam turbulentis & calamitoſis Eccleſiæ temporibus, & aduerſus Satanæ miniſtros & operarios oppoſitum: vt, cùm illi Eccleſiam Catholicā vehementer oppugnent, eam hi non minùs acriter defendant: cùm illi ſimplicibus hominibus errorum tenebras offundant, hi lucem veritatis oſtendāt: vt, quantum denique illi prauis exemplis, & diſciplina peſtifera deſtruunt, tantum hi vitæ ac morum ſanctitate, & ſalutari doctrina ædificent. Huius Ordinis maximum in hac alma Vrbe Collegium habemus, quod tanquam ſeminarium quoddam eſt aliorum, quæ per Italiam, & extra ipſam Italiam in Germania & Gallia propagantur. Ex hoc vberrimo Seminario Apoſtolica Sedes inſtituit delectos, idoneos miniſtros tanquā generoſas & frugiferas plantas alios aliò, prout vſus venerit, conſerendas mittere: qui quidem tum inſtituendis piè & diligēter pueris, tum prædicando Euangelio, tum miniſtrandis Sacramentis fructus eos Domino cooperante ferunt, quibus hoc tempore Eccleſia Dei maximè indiget. Nullum vnquam hi laborē pro Dei honore, & huius ſanctæ Sedis obſequio recuſant. Eunt & nauigāt ad omnes nationes & loca, quocunque mittuntur, etiam ad hæreticos, ad infideles, & ad remotiſſimas Indiæ partes ſine vllo omnino metu, eius nimirum auxilio freti, cui deſeruiunt. Itaque multum debemus huic Collegio ita de religione Catholica merito & aſſiduè merenti: adeò ad Chriſti Domini noſtri, & huius ſanctæ Sedis obſequia parato. ſed vt in hac Vrbe tanquā Chriſtianæ religionis arce, & Eccleſiæ Catholicæ capite poſitū omnibus Eccleſiæ membris prodeſſe poſſit; non ſolùm à nobis diligēter tuendum eſt, qui ei certè non deſumus, ſed piorum omnium, tuoq; in primis auxilio, tua protectione indiget. Qua de re quædam ad Maieſtatē tuam mandata dedimus Venerabili fratri Alexandro Epiſcopo Cariatenſi Nuncio noſtro. Sed ex eo neceſſitatem ipſius Collegij te cognoſcere maximè volumus. His autem litteris propriè indicandum tibi duximus fructum, quem ex eo vniuerſa Eccleſia maximū, & maximè opportunū percipit. Quamobrem M. T. hortamur in Domino, rogamus, & in remiſſionem tuorum peccatorum tibi ſuademus, vt pro tua præſtanti in Deum pietate, in Religioſos, & bene de Chriſtiana religione merentes Ordines liberalitate, ſicut Rex verè Catholicus, hoc Collegium complectare, & quàm commendatiſſimum habeas: certum habens tibi & filio tuo, & in hoc, & in altero ſæculo quidquid his Dei ſeruis tribueris, profuturum. Datum Romę apud ſanctum Petrum, die XXIV. Nouembris, anno MD.LXI. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

159 *Alia Pontificis erga Societatem ſtudia.*

Pari cura totius Chriſtianæ gentis cuſtos in omnem partem excubans Septemtrionem reſpexit. Granuelano nuper creato Cardinali Societatem in Belgio, diplomate item Apoſtolico commendauit. Zachariæ Delphino, & Ioanni Franciſco Commendono Legatis, quos circumire ciuitates, Principeſque Germaniæ, & ad Tridentinum Concilium inuitare iuſſerat, mandata addiderat protegendæ, & quàm plurimis locis collocandæ Societatis. & illi quidem diligenter, ſummaque benignitate executi mandata reſcripſerunt, aditas ab ſe quamplurimas ciuitates, obitaſque prouincias, & perſpectū, quàm ſtrenuè, quamque feliciter Ieſuitæ vbique laborent: nec apparere aliam commodiorem, vel conſeruandi integra, vel recreandi perdita viam, quàm ſi multa eorum Collegia diſponantur: idque ſe ſedulò curaſſe. Quibus litteris incitatus Pontifex ad Ferdinandum quoque Cæſarem eximiè id commendans diploma Pontificium miſit. Quanquam Societati potiùs operarij deerant, quàm vel optimo Imperatori, vel aliis Catholicis Germaniæ Dynaſtis eius aduocandæ voluntas. Deo enim famulorum ſuorum conatibus aſpirante manibus ipſis maior tenebatur fructus, quàm vt diſſimulari à bonis poſſet. Auguſta Vindelicorum Petri Caniſij laboribus ſenſim aliam faciem induebat. Profitebantur hæretici eius rationibus reſiſti non poſſe. Vel è Saxonia, ſi quos error fefellerat potiùs, quàm occæcarat improbitas, ad Caniſium veniebant, & poſito errore animoque purgato læti reuertebantur. Et ipſa in vrbe Auguſta præ cæteris nobiles feminæ quædam conuerſæ ſunt, & ad inſignem profecere pietatem: inter quas Vrſula Liechtenſteinia, & Sybilla Eberſteinia, illa Georgij, hæc Marci Fuggerorum vxor eminuere. Quas res cùm ab Othone Cardinali Auguſtano Pius Pontifex cognouiſſet, gratulandum ſibi Caniſio, eumque adhortandum incitandumque dato Breui Apoſtolico putauit, vltrò pollicens ſi quæ optaret ad rem bene gerendam Sedis Apoſtolicæ beneficia. Et quanquam Cæſar eum ad Concilium mittere, & Otho Cardinalis optabat, & Hoſius, qui inter Legatos Apoſtolicos aderat, pro eare contendebat; tamen Pontifex

160 *Petri Caniſii ope Auguſta reſtituitur.*

Digitized by Google

tifex ciuitatis & Canonicorum Auguſtanorum rogatu, timentium ne ea vrbs, quam Proteſtantes, quòd inde peruerſa illa Confeſſio emanarat, veluti matrem habebant, eoque ſedem & arcem errorum tendebant efficere, tali ſpoliata præſidio penitus inuaderetur, ſubſiſtere ibidem iuſſit.

161 *Theodorici Caniſii induſtria.* Nec Monachij Theodoricus Caniſius Petri ex patre germanus degenerem præbebat ſeſe. Inchoauit hoc anno Collegium pauperum ſimile Viennenſi. nec in externorum curam magis, quàm domeſticorum intentus, cùm totam ſuam familiã haberet religioſiſſimè inſtituram, ad cætera induxit paulatim morem, vt in remiſſionibus à menſa conſuetis quiſque conferret quod è lectione ſuper menſam præcipuè notandum putaſſet. Quæres & ad attendendũ lectioni magis valebat, & ad ſanctiùs remiſſione vtendum: cuius in recto, ſeu prauo vſu (vt eſt mors & vita in manu linguæ) religioſæ perfectionis maxima ex parte ſalus eſt aut pernicies. Ducis verò Bauari eiuſq; matris actuosus familiæ mira erga Collegium benignitas erat. Volebat Principis mater, ſiquis fortè Sociorum ægrotaret, è ſuis ædibus ſuoq; penu cibos, & quæ eſſent opus, deferri: nec vllum faciebat finem interrogandi, num quid eſſet opus. Principi nihil erat ingratius, quàm ſi quem obtrectantem Ieſuitis audiret. Palàm iubebat Patres ſecuros agere, temnereq; hominũ ſermones: abundè enim ſe reſponſurum. Qui Principum fauor momentũ ingens ad diuinum cultum exaggerandũ habebat. Eaq; erat Pragæ ac Viennæ in primis cauſa cur tãtum homines Societatis proficerent. Nam ab Cæſare, ab Dynaſtis, ab ſacrarum rerum Præſulibus, ab cuſtodiæ publicæ ac noſocomiorum procuratoribus ad regendam familiam, ad confeſſiones excipiendas, eaq; omnia, quæ moris noſtri ſunt, adhibebantur: vnde fiebat, vt priuati quoque ad eoſdem confugerent. Quin & ipſi hæretici ſi quam inter ſuos conciliare pacem vellent, non rarò pacificatores adhibebant Ieſuitas. Sed & ipſorum operoſa caritas & induſtria collegarum eo ſe fauore, eaque auctoritate dignam præſtabat.

162 *Bauara domus pietas in Societatem.*

163 *Pragenſium Sociorum ſedulitas.* Iuuat Pragenſis Collegij ſpeciem, qualẽ huius initio anni Henricus Blyſſemius litteris ad totã Societatem tranſmiſit, hîc in conſpectum dare.

» Collegium, inquit, noſtrum quamuis exiguum,
» tamen optimè conſtitutum eſt, & in dies creſce-
» re ſpirituali vocationis noſtræ profectu videtur.
» Nam cùm ſimus duodecim numero, & nonnun-
» quam duo decumbant ægroti, & ſcholæ po-
» ſtulent octo, & Collegium etiam nouum (con-
» diderant paulò antè & ipſi ſtudioſorum paupe-
» rum Collegium) item abſtulerit duos, & plura
» ſint domi munera, etiamſi tantùm grauiora nu-
» merentur, quàm homines, vt Deus noſtram om-
» nium diligentiam, alacritatem & magnanimita-
» tem probare videatur; ita tamen omnes diuina
» benignitate comparati ſunt, vt quilibet officia
» plura, maximè quę humilia ſunt, ſubire conten-
» dat, atque ita vnus ſit inſtar multorum. Et, quod
» momenti non leuis eſt, quæ ſancta obedientia
» committit, tanta fide ac diligentia præſtant, vt in
» duobus ſat magnis Collegiis (nempe mole re-
» rum agendarum magna, haud numero vocat) ni-
» hil omittatur, quod diligens ac prouida guber-
» natio, & eiuſdem fidelis executio deſideret. Ec-
» quid, obſecro, pulchrius, ac noſtrę quidem vo-
» cationi magis conſentaneum exiſtimari poteſt,
» quàm quod hîc non rarò cernitur; vt homo
» idem nunc verbi diuini prœconem in templo,
» mox in ſchola grauiorum diſciplinarum profeſ-
» ſorem, deinde paruulorum doctorem in minima
» claſſe; poſtea domi in culina coquum, in cœna-
» culo miniſtrum, vel (vt de aliis taceam) apud
» oſtium ianitorem agat? Nam quid dicam, quòd
» idem foris negotia Collegij curet, idem viſitet
» carcerem, idem in noſocomiis & xenodochiis
» infirmos aut pauperes conſoletur? Atque hæc
» multa licet, nec exigua munia ſint, adeò tamen
» eos, in quos ſir vel incidunt, non grauare viden-
» tur, vt ipſi non minorem hinc conſolationem,
» quàm vel cæteri domeſtici ſpiritualem ædifica-
» tionem, vel extranei pauperes tam animæ, quàm
» corporis vtilitatem frequenter ſentiant. Hacte-
» nus ex Blyſſemij epiſtola. En quibus artibus pau-
» ci ingentem numerum æquabant: iidemque tan-
» tum ſibi nominis, tantum publicę vtilitatis com-
» parabant. Omnes obedientia duce ſe poſſe om-
» nia, & ad ſe omnia pertinere prœceperant animis:
» & experiendo valentior quiſque fiebat. Nam &
» hebetes vſus exacuit. Omnes ad agendum inten-
» ti; laborum auidi: in id, quod inſtaret, toti eſſe:
» nihil in tempus ſeponere; nihil in poſterum vi-
» rium reſeruare: quia nihil priuati conſilij coque-
» bant. rerum agendarum nullum habere diſcri-
» men, niſi vt laborioſiſſima quiſque, & vulgò in-
» fima ſibi potiſſimùm vellet: nec reſpicere quid
» ſociis fieret; ſed quidquid in quoque eſſet, pluſ-
» quam pro virili in commune conferre, & mutuo
» ſibi auxilio eſſe: id modò laborare, ne quam quis
» ſegnitia ſua opi diuinæ tarditatem afferret, & pu-
» blicum bonum remoraretur. Hac conſenſione
» & contentione Societas ex puſilla facta magna
» eſt: & eadem quamdiu vigebunt ſtudia, tamdiu
» & ipſa, quantumuis tartarus & ſæculum contrà
» pugnent, vigebit atque proficiet.

164 *Quibus artibus pauci pro multis ſint.*

Magna erat Ioannis Victoriæ Viennæ auctoritas. Benignitatem Procerum, & quo die profeſſionem ſolennem emiſit, & Kalendis Ianuarij, quem præcipuè diem propter ſacroſanctum nomen Ieſu honoratum ac ſanctũ Societas habet, ſingularem expertus eſt. Voluere intereſſe conuiuio ſummus flos & apex laicorum hominum & ſacrorum, cùm ipſe Cæſar de ſuo, perque ſuos adminiſtros conuiuium apparaſſet. Victoria nihil niſi ſecundùm epulas appendiculam honeſtiſſimo illi cœtui non inſuauem, & ſcilicet mantiſſam, quæ obſonium vinceret, adiecit. Cùm inuitaſſet num tantiſper ludere chartis placeret, illis partim mirantibus, partim noui aliquid ſuſpicantibus, tres lances in menſa ponit. In vna ſingulorum conuiuarũ ſeparatim ſcripta, & complicata in ſchedis erant nomina: in altera totidem ſelectorum nomina Sanctorum: in tertia ſchedulæ partim pictę haud iniucundè, partim ſcriptæ. Deſcripta autem erant varia munera pietatis, vel confitẽdi peccata, vel certam pecunię ſummam in pauperes erogandi, vel certas exequendi preces, & alia generis eiuſdem. Cùm ludi formam Victoria paucis explicaſſet, lætique probaſſent hoſpi-

165 *Viennenſis Collegij res.*

166 *Ioan. Victoria pia comitas & pium ludi genus.*

Digitized by Google

hoſpites, ludi cœptũ eſt. Sors omnia cõficiebat. Vt cuiuſque nomen ſorte captũ erat è prima lance, eidẽ item ſortitò è ſecũda cæleſtis patronus, tum è tertia deſcriptum opus, quod in eius Sancti veneratione obiret, pari ſortitione dabatur. Qua Victoriæ induſtria non magis hilariter, quàm piè traductum id tempus eſt, quod vel in profanis ludis, vel deſcribenda aliorum vita pleriq; mortalium abuntur. Et iucundũ erat videre quàm quiſque alacriter, quod ſorte euenerat opus obeundum, polliceretur executurum, præſcripto etiam aliquid adiiciens, præſertim ſi pecunia eroganda foret. Gymnaſium valdè florebat, & præcipuè conuictorũ nobilium Collegium: ad quod fama exciti ex variis gentibus Pannonij, Boëmi, Poloni, præterq; Germanos, Itali quoque accurrebãt. His Dominica Quinquageſimæ, quo tempore ſolent mortales laxare intemperantiùs frænа licentiæ, cùm ad menſam conſediſſent (nondum enim cœnaculo à Patribus diſcreto vtebantur) Patres nouum ſpectaculum edidere. Ingreditur ex improuiſo cœnaculum Cornelius Brogelmanus altera manu crucẽ cum affixo Domino, altera demortui hominis informe caput altè præferens. Ponè ſequitur acriter ſe verberantium longus ordo, & mœſta voce pium carmẽ immurmurantium. Ad talem ſpeciem, vt iis locis inſolentem, & nunquam antea viſam, ad immanem ictuum crepitum, dum cœnaculũ illi totum lento gradu circumeunt, cohorrere adoleſcentium animi; nonnullis fortioribus manabant lacrymę: alij hærebant attoniti: quidam os auertebant: alij mappa oculos obtegebãt. Non tamen vinci omnino generoſa ſoboles voluere. Obfirmatis animis ad id, cuius vel conſpectum expauerant, ſubeundum, poſtero die idem ipſi ſpectaculum reposuere. Valebat exercitationis id genus nõ modò vt aliquid reficeretur ex eo, quod tempore eodem paſſim intemperantia deſtruebat: ſed etiam vt adoleſcentuli mox religionis munimenta in ſuis quiſque futuri terris, laudabilẽ ſalutaremq; Eccleſiæ ſanctæ ſeueritatem, quam hæretici exoſam habent, amare, magniq; facere conſueſcerẽt. In aliorum quoque diſcipulorum animis Ieſu Chriſti gratia miris agebat modis. Multi parentum ſuorũ velut parentes effecti, à quibus vitam mortalẽ acceperant, iis ad æternitatis venam, Catholicã Eccleſiam reuocatis immortalẽ retribuêre. Fuit puer decennis, qui iobelæi cauſa abſtinere à cibis ad orthodoxi ieiunij normam cùm vellet, ab impiis parentibus fruſtra conatis à propoſito reuocare, domo expulſus eſt: nec ea re conſtantia pueri victa eſt. Ad auiam Catholicam fugit: libereq; apud eam geminata cum laude ieiunium peregit. Condemnaturus profectò in ſupremi iudicij magno illo conuentu adultorum ingluuiem, quam nullæ minæ vindicis Dei, ac ne corporis quidem, quas accerſunt, peſtes coërcent. Nec vrbi ſolùm Victoria ſatis habuit conſultum ire, ſed miſſionum quoque eam formam, quæ Romæ ſolennis erat, in vicinos pagos & oppida tentaturus, duodecim circa Viennam, ternos abſque viatico vllo dimiſit. Quanquam minimè defuere ab odio hæreticorum pericula; tamen res, protegente Deo, bene ſucceſſit. Præcipuus excurrentium labor, præcipuumque pretium fuit, paruulos cùm cætera Chriſtianæ fidei ſincera rudimenta, tum ſalutationis Angelicæ clauſulam, *Sancta Maria, ora pro nobis*, & reliqua, quam hæreticorum impietas abſciderat, edocere. His laboribus atque ſtudiis in agro & vrbe ita mutatus eſt rerum ſtatus, vt miles, qui captiuus aliquot annis fuerat apud Turcas, Viennam hoc anno regreſſus, res tanto procedere meliùs videns, præ gaudio dicatur lacrymis maduiſſe.

167 *Boni exempli vis.*

168 *Bona educationis fructus.*

Tirnauienſis quoque Collegij poſitum fundamentum eſt. Nono Kalẽdas Maias Tirnauiam Victoria vnà cum Ioanne Seidelio ſacerdote, & Antonio Flandro laico accerſitu Strigoniẽſis Archiepiſcopi venit. Eſt in ea ciuitate populus ſimplex ac rudis è tribus linguis conflatus, Illyrica, Pannonia & Germana; quæ præcipua habetur. Clerici erant & Parochi deprauati maximè. Nullum inueniſſes, cui non inceſta domi muliercula. Fama erat cõfeſſionis cauſa ad ſacerdotem nunquam eos accedere, tanquam haud alia eſſet preſbyteris neceſſaria confeſſio præter eam, quam initio Miſſæ pronunciant. Ad hæc multis implicati hæreſibus tenebantur. Archiepiſcopus Strigonienſis Nicolaus Olahus ſanè vir bonus æquè ac vigil Paſtor omnium Parochorum & ſacerdotum agebat conuentum, cui & aliquot Epiſcopi intererant: ad hos potiſſimùm refingendos ſtudio intento Victoria & ſingulos & vniuerſos blandè, acriter, ſeuerè, vt ferebat vſus, alloquẽs, eò rem demum perduxit, vt omnes execrati errores, confeſſionem ab multis exorſi annis pellicibus exturbaris, aliquam Chriſtiani Cleri referrent ſpeciem. Vnus ex omni numero ſilice durior inuẽtus eſt: quem nec Victoriæ, nec ſuis precibus, atque adeò lacrymis emollitum Antiſtes ad extremum magno cum animi ſui dolore de gradu deiectum, & ab cœtu fidelium ſegregatum excedere diœceſi iuſſit. His peractis, & hęreticorum libris tum è Muſæo, tum è populi manibus excuſſis Viennam rediit Victoria præparando Collegio: interimque Tirnauienſibus alter concionibus, alter ludo litterario iuuandis Seidelius, & Antonius remanſere conducta in domo, benignè omnia Archiepiſcopo ſubminiſtrante. Kalẽdis Septẽbris Collegij ædificatio cœpta eſt. 169 *Tirnauienſe Collegiũ inchoatur.*

Sub idem tempus & Oenipontano Collegio aliquod factum exordium. Oenipontanos ciues ob egregiam in retinenda fide conſtantiam, præcipuè dignos auxilio Caniſius prædicabat; eos pariter ac Bauaros, tribui Iudæ & Beniamin, quæ ſolæ non reliquerunt Dominum, ſolitus comparare. Et Cæſar ac Reginæ (quinque erant Cæſaris filiæ virgines) vehementer inſtabant, vt quàm primùm Collegij incolę mitterentur. Minor erat Sociorum cohors, quàm vt in præſidia carpi tam multa poſſet. Interim miſſus Vienna Carolus Grim, dum ſedulò domum ac cætera maturando operi neceſſaria curat, nec valetudini haud dum ſatis ex veteri morbo recreatæ parcit, ipſummet inter prima ſubſtructionum decora eſſe Deo placuit. Poſt repolitam generali confeſſione animam, ac cætera Chriſtiano ritu ſuſcepta ſacra, piè decedit tertio Nonas Decembris. Ampliùs decem annos in Societate vixerat, diu Viennæ probata induſtria in pueris inſtituendis. Caniſij olim præclara & Gaudani Theologiam ingol- 170 *Oenipontani Collegij exordium.*

171 *P. Carolus Grim moritur Oeniponti.*

Digitized by Google

Ingolstadij profitentium exemplo ad cõplectendum idem vitæ genus incitarant. Animo vir fuit simplici & candido, obedientia singulari; vti ad capessendum quidquid iuberetur, quasi non videns, ita ad bene transigendũ egregiè oculatus. Oeniponti substitit Laurentius Hermanutius, quem Canisius grauiter ægrotãti Carolo solatiũ miserat. Eodemq; filiarũ Cæsaris rogatu, & quia suggestũ fabulator hæreticus tentabat inuadere, missus est Hermes Vinghemius, qui populũ veritatis prædicatione ab errore defenderet. Huius Collegij, itemque Pragensis, Viennensis, & eius, quod nuper cœptũ Tirnauiæ est, ædificationi ac reditibus procurandis Victoria est præpositus, Henrico Blyssemio Rectore Pragensibus Sociis præfecto, & Paulo Hoffæo Viennã in loco Victorię misso. Exemptus est Victoria regẽdi munere, quia dudum id ipse flagitabat, parũ se idoneum clamans, & quia auctoritate, qua apud capita rerum valebat, expeditiùs vtens plurimùm poterat eorum Collegiorum perpetuitati consulere. Adde, quòd & ingenij seuerioris habebatur.

172 *Treuirensis Collegij incrementa.*

Hæc in superiore Germania dum fiunt, in inferiore constabilitũ Treuiris Collegium, & nouum est Moguntiæ collocatũ. Aucto Sociorum numero, viginti iam Treuiris erant, quorũ vndecim sacerdotes. Altero Februarij die, qui Purificationi Deiparæ sacer est, votis ritè instauratis, ipsam Deiparam studiorũ præsidem adoptarunt. Postridie Sacrũ solenne, quod Carmelitani perlibenter concinuere, sancto Spiritui factum est: cuncta nobilitas è populo & Clero, & Socij vnà cum Euerardo Prouinciali interfuere. Inde vniuersa multitudo ad Collegium, quò & Consules aduenere, contendit. Ibi Latinã orationẽ habuit Balduinus ab Angelo Philosophię futurus interpres: tum perelegans carmen venustè pronunciauit nobilis adolescens scholasticorum è numero lectus, conditũ ab Ægidio Fabro Græcę Latinæque linguæ & Humanitatis Magistro. Describebantur reuocatæ Treuiros Musæ magno artificio & lepore. Nihil præterea actum est eo die. Cæterùm (quæ erant tum tempora) omnes abiere nullam eiusmodi ab se visam actionem, nihil auditum simile prædicantes. Postero die Antonius Vinckius Rector, & Hermanus Tyræus Theologiæ doctrinã auspicati, alij reliquas disciplinas, cùm priùs magnificum sanè indicẽ circà dimisissent librorum, qui enarrãdi, & disciplinarũ, quæ

173 *Leges Gymnasij Treuirensis.*

tradendæ erant. Affixæ sunt etiam publicæ noui Gymnasij leges in hanc sententiam: E re studentium & Academiæ hæc videntur. Primùm, cui Gymnasium frequentare consilium erit, nomen suum ad gymnasiarchã deferto: vbiq; diuersetur, indicato: eiusdẽ cognitioni subiicitor: nec classem, nisi quam is præscripserit, adito. Secundò, Vniuersitatis Rectorem, quo die Magistro videbitur, conuenito, vt ab eo vniuersali albo adscriptus beneficiorũ Academię sit particeps. Tertiò, diuino Missæ sacrificio quotidie adesto. Feriatis diebus concionẽ in templo, explicationẽ Euangelij in scholis áudito: suoq; tẽpore reliqua pietatis munera piè obito. Quartò, inanis iurisiurandi conceptio, rixæ, iniuriæ, cõtumeliæ, turpia ac soluta dictu factuue procul à discẽtibus, & in scholis extraq; eas sunto. Quintò, cum armis militaribue aut alioqui indecoro habitu vultuq; ad Gymnasium ne adeunto. Sextò, quam cui præceptor studẽdi proposuerit rationẽ, seruãto; eiusq; iniussu nemo à disputationibus, neque à prælectionibus abesto: nec seriùs aduenito. Septimò, Domino Cęlitumq; primis dedicatis diebus statâ horâ declamantẽ seu Latinè seu Græcè vnusquisque audito. Octauò, Ecclesiæ magistratus, cæteroq; honestos viros obseruãtia debita prosequitor. Qui penes quemq; erunt libri, indicẽ eorum ad præceptorẽ deferto. Is quibus, quatenus vtendum, abstinendũ demonstrabit. Qui cõtrà faxit, ei mulcta esto. Permisere quoq; Patres in corpus Vniuersitatis se cooptari: quod factũ est, disertè apposita conditione, vt omni ex parte institura Societatis salua essent. Canisius moderatiora hęc principia maluisset, quo relinqueretur progressui locus: nec plus ostenderetur, quàm præstari commodè diuq; posset. Contrà Euerardus Mercurianus eius erat sententiæ, vt mallet pauciora recipi ab Societate Collegia, quàm quæ recepisset, ea nõ pro dignitate tractari, atque ita, vt non sustineretur modò expectatio hominũ, sed etiã vinceretur: idq; necessarium existimabat iis locis ac temporibus; quòd valdè anceps de Societate existimatio, & apud pleroq; calumniis hæreticorum plus nimio aduersa esset. Quare si quibus in locis primùm apparebat, non aliquid afferret, quod ipso statim initio excitaret populos, plausumq; & fauorẽ exprimeret: ac splẽdidiùs quàm vt obscurari posset dictis maleuolorũ emicaret, continuò auctis animis aduersarios in contemptum eam ad multitudinẽ & Principes vocaturos. Hermannus Tyræus nõ in Gymnasio solùm, sed in templo Treuirenses in admirationẽ rapiebat doctrinæ facundiæque præstantia. Qui cùm Quinquagesimæ die adhortatus populũ multis esset ad sobrietatem & continentiam tribus præcipuè illis diebus ante cineres obtinendã, subiecisset q; id sibi indicio ac pignori fore haud ab se frustra sudatũ, nec voces in ventos effusas, si tum ipsum ter orationem Dominicã & salutationem Angelicam proferrẽt. Vix ea verba finierat, cùm vniuersa cõcio abiicit se in genua, pronunciataq; iniuncta prece, obeditura se pollicetur. Nec solùm ad conciones habẽdas, verùm etiã ad Sacra facienda certatim varia in tẽpla sacerdotes Collegij accersebãtur, & ad vtraq; populus libentissimè confluebat. Tum verò sibi renasci Treuirorum visa ciuitas, cùm iam & in Academia Magistrorum insignibus adolescentes ornari vidit; & sacræ reliquiæ, quę quatuordecim antè annis prępopuli torpore nunquã productæ fuerãt, publicè ostensæ sunt. Placuit quoque sanctissimo Christi Corpori, luce ei sacra, habitus honos. Cùm supplicatio vnius parœciarum per atrium domus, quam Socij incolebant, duceretur, extructo ibi altari, ad cætera consueta, quatuor de nobilitate pueri Angelorum specie induti, flores ac thuribula manibus prætendentes carminibus variis, Latinè primus, alter Græcè, Gallicè tertius, quartus Germanicè Dominum salutarunt. Consules ambo talia cùm obseruarent, ad Collegium gratias acturi iuere Patribus, prolixè studia sua & ciuitatis polliciti. Vitæ subsidia nihil opus fuit, quanquam optarent, vlla suggerere: quòd

174 *Initia Collegiorum qualia vellet Canisius, qualia Euerardus.*

175 *Hermanni Tyræi præclari labores.*

176 *Excitata Treuiris studia & pietatis & litterarum.*

tam

Digitized by Google

tam benignè cuncta ſuggerebat Antiſtes, vt diceret velle ſe Dei famulos in gaudio, non in triſtitia obſequij ſui hoſtiam immolare. Harũ fama rerum multos vndiq; Treuiros præſertim ſacerdotes acciuit, vt vel ſuas vel alienas conſcientias liberarent. Ab quinque & viginti millium ſpatio vnus acceſſit, qui cùm rectè antèa nunquam crimina ſacerdoti aperuiſſet, admonitũ ſe in quiete memorabat, vt Religioſos, qui nuper Treuiros venerant, conueniret, & confeſſionem apud eos inſtauraret. Poppardia trium dierum itinere ab Treuiris in extremis finibus diœceſeos oppidum eſt non ignobile. Inde exercitiorum ſpiritualium cauſa Paſtor Petrus Phaë, quo plurimũ Antiſtes vtebatur (Societatem deinde iniit, & multa præclarè geſſit) Treuiros ſe recepit: ac nequid interim grex Paſtoris cuſtodia deſtitutus ab circumfrementibus lupis pateretur iniuriæ, impetrauit, vt ſacerdos de Societate Vicarius ſubſtitueretur. In vicinum quoque Treuiris pagũ miſſus eſt, qui diebus Dominicis diuina tractaret: vbi populus adeò erat bonus; vt, cùm initio cõcionis de more ad ſalutandam Virginem procubuiſſet in genua, nunquam genua, niſi poſtquam concionator deſcenderat, liberaret, totam horam ſic nixus crebros inter gemitus auidè audiens perſeuerans.

177 *Moguntini Collegij initia.*

Hæc autem cùm alios potentum atque optimatum ad accerſenda Collegia excitabant, tum eos Danieli Brendelio Moguntino Antiſtiti admouebant ſtimulos, vt moram pati neſciret. Præmiſſus ineunte vere Ioannes Rethius duas contiguas domos alteram ad habitandũ, alterã ad docendum (interim dum proprium domicilij pararetur) inſtruxit. Nec verò optimi Principis cœpta vt infringeret, perpetuus bonorũ hoſtis diabolus eniti ceſſabat. Affigitur publicè libellus, quo tum ciues admonebãtur, vt caueret Ieſuitas, qui per nomen inſtituendæ iuuẽtutis ad eam deprauandã venirent: tum Princeps, vt, quãdo adhuc pacatam habuerat ciuitatem, quid poſthac futurũ eſſet, proſpiceret. Multi è primis nobilib̃ Doctorumq; ſubſelliis erant, apud quos Ieſuitæ Anabaptiſtis ipſis peiùs audiebãt. Canonicorum concilium nunquam putabatur aſſenſurum, nec deerant è Dynaſtis, qui aures Archiepiſcopo aſſiduè, nequid noui moueret, obtunderẽt. Quibus hoc ille reſponſi dabat: Vos non fertis, vt quiſquam præſcribat vobis, ne quos libitũ vobis eſt, ditione veſtra recipiatis. Quę igitur ratio eſt, prę-
„ ſcribere vt vos velitis mihi, ne ditione mea, quos
„ animo meo placet, excipiam. Deinde, vos feritis
„ me, qui tamen agnoſco, nec inficior, multis mo-
„ dis meo muneri me deeſſe; & hos igitur ferte,
„ quos rectè ſuo munere functuros ſperamus. Po-
„ ſtremò quid iniquius eſt, quàm ſparſis incerto
„ auctore voculis infeſtis aurẽ præbere, cùm tam
„ multa læta ac fauſta auditoribus certis audiãtur?
„ Aliquid, ſi poteſti, firmũ ac verum proferte, tum
„ viderimus quid facto ſit opus. Adeo verò diuina benignitas adfuit, &, quæ habet in manu corda hominũ, molli tactu in quam voluit partem inflexit, vt præter opinionem (quemadmodũ Princeps retulit) ſumma etiam Canonicorũ voluntate tandem exceptũ Collegium ſit. Autumno iam inclinato & quinque Roma miſſi, & cæteri Colonia, & Lambertus Auerus, qui primus fuit è ſuggeſtu Magiſter, Collegiiq; Rector, Moguntiã peruenere. Is die conceptæ Deiparæ conciones auſpicatus retulit pro plauſu audientium admirationẽ ac pium motum. Poſtero die celebritate conſentanea initium docendi factũ. Petrus Colonienſis orator præluſit: cui & oratio, quam ſtatim impreſſore adducto, primarij quidã, vt vulgaretur, flagitauerunt, & in primis modeſtia, quã Angelica quędã ſpecies decorabat, mirã gratiam peperere. Index rerum auctorumq; explicandorum Spiræ, Francfordię, aliiſq; circà oppidis propoſitus eſt: multiq; ciuiũ Moguntinorũ Diſtelfordia, Norimberga, & huius generis vrbibus, quarũ peior Lutherana gens ferebatur, liberos, vt Patribus erudiendos traderent, reuocarunt. At Princeps Elector Aſcafenburgi quoque, vbi plurimũ agebat, ludũ inſtituit: cui præcepta ac præceptorem dari à Lamberto voluit, ab eodemque regi, & id quaſi Gymnaſij Moguntini rudimentũ ac tirociniũ eſſe. Et ſanè virtus erat eximia Lamberti, parq; apud omnes virtutis exiſtimatio. Cõmendonus ſecum in legatione ſua per Septemtrionis prouincias cum nuper circũduxerat, adiutore ad regendos familiæ mores, & in rebus religionis, quas hæretici in controuerſiam reuocarent, diſceptatore vtens. Eiq; viro Lãbertus, cunctæq; eius familiæ vſque eò ſapientiam ſanctitatemque probauerat, vt laudibus eius plenam, & actionibus gratiarũ epiſtolam ad Lainium Commendonus dederit. Ait præ cæteris nunquam in celebrem ſe veniſſe locum, quò non multò antè præcurriſſet fama cum Legato Ieſuitã aduenire: ſiq; nihil aliud, id certè lucrifactũ, quòd ſit oſtẽſum hæreticis Catholicorũ ſpecimẽ ſacerdotum ac Ieſuitarum. Diſputauit in ea peregrinatione Lambertus non rarò cum hęreticis, ſed præcipuè apud Marchionem Brandeburgenſem. Is vicina ex Academia, qui ſe Theologos profitebantur, quos cum Lamberto committeret, euocauit. Super menſam ferè diſputabatur. Accedebãt illi binos ternoſue ſub ala geſtãtes libros. Sed nullo negotio quamuis ex improuiſo inermiſq; deprehenſus (quemadmodũ Legatus Pontificius narrauit) eos redarguebat Ieſuita, eaſq; redigebat in anguſtias, vt identidem muti, & tanquã ſtupefacti ſe inuicem aſpectarent. Quod cùm videret Marchio, non ſemel quaſi ſuccẽturiatus ſubſidio fractis veniens, vſque ad ingentes clamores concertauit: cùm Lambertus interim ſine vllo ſtrepitu, nihil modeſtiæ ſuæ mutato vultu in loco ac tempore grauia firmarum rationum vibraret tela ineuitabili ictu. Nec tantum diſſimulare potuit Marchio, quin apud Legatũ in diſceſſu profiteretur relinqui ſe multis confixum aculeis, quos Ieſuita iniecisſet. Hic vnus omnium Lutheranorum Principum honorificentiſſimè & Pontificis tractauit Legatum, & ad Põtificem ſcripſit. Vxorem habebat Catholicam ſororẽ Poloniæ Regis: ad quã quotannis ſemel à Polonia, qui myſteria diuina pręberet, ſacerdos Catholicus accedebat.

178 *Lamberti Aueri virtus.*

Reuerſus è legatione Commendonus Lambertum Moguntiæ reddidit: ipſe Coloniam profectus Societatẽ Archiepiſcopo & Senatui enixè commendauit, affirmans neſcire ipſos quantum haberent theſaurum: & Romam ſcripſit ideo minùs placuiſſe ſibi Colonienſes, quòd Societatem reci-

179 *Colonienſis Collegij ſtatus.*

Digitized by Google

recipere, certumque ei domicilium ac templum tribuere cunctarẽtur. Nam etiamnum tanquam doctores potiùs, quàm veluti Religiosi homines agebãt in trium coronarum Pædagogio (Bursam ibi appellãt) quod Senatus certa eis pecunia cùm locasset, summam auxit hoc anno. Existimans enim, vti cæteros, Societatẽ ex auditoribus quęstum facere, aiebat, quandoquidem ex auditoribus, quos tam multos habebat, tantum fieri posset lucri, æquum esse ærario quoque publico vtilitatem inde maiorem quæri. Cumque quatuor annorum, qui exacti erant, postquam Pædagogium locarat, omnes pensiones, quas antea nunquam postularat, exegisset; demoueri non potuit è sententia, quo minùs etiam consequentes in annos maiores mercedes imperaret. Itaq; suscepta est necessaria conditio, eò præsertim, quòd quidam dubiæ fidei homines & inuidi magnos breui tempore eius Collegij progressus cùm ferre non possent, quasi vel emolumentis ipsorum vel dignitati officeret, causas quærere videbantur præcipitem Colonia Societatem expellendi.

180 Nec satis dum pacatus erat Senatus, cùm ex leuissima re vexatio grauior, ac publicus propè tumultus exarsit. Antiquus erat Colonię, lateq; per Septemtrionẽ mos viget, vt qui primùm ad Philosophiam conferũt sese adolescentes, ab iis, qui auspicati eam iam sunt, sonitu cornuũ, & ligneorum strepitu crepitaculorum, alioque absono & incõdito fragore excipiantur, & quasi initientur: opinor, vt admoneant futuro Philosopho finem

181 puerilibus nugis inscitiæque ponendum. Beanissimum hoc ludicro poni dicunt, fortè à balatu pecudum voce ficta. Nescio quid tale Nazianzenus in more fuisse Athenis, vnumq; Magnũ Basilium, tanquam is haud quaquam nouitius, sed iam perfectus accederet, ob singularem morum grauitatem exemptum fuisse narrat in eius vita. Qui doctoribus Societatis operam dabant, eum ludum, præsertim, quòd solebat petulantiùs fieri: & absurdum videbatur per leuitatem propemodum bacchanalem Philosophicæ grauitatis admonere, sua sponte paulatim omiserant. At vbi ad disputationes in communẽ Academiam, seu scholas Facultatis (vt vocãt) artiũ conuenere omnes, reliquarum Bursarum auditores explodere eos, qui apud Iesuitas studuissent, cœperunt, negantes habendam eorum rationem; contemptimq;

182 Beanos vocitantes. Hi numero adolescẽtes haud multò cęteris omnibus, scientia verò ac nobilitate nullo modo inferiores ea re vehemẽter irritati, vix inhiberi potuerunt, ne ius vi manuq; asserent. Inde contra Gymnasiarcham Societatis delatæ querelę. Nec fuit finis, donec aduocata ex aliis Pædagogiis manus discipulorũ nonnullos è nostris auditoribus suo illo ritu expiauit: per quos deinde reliqui omnes ad amoliendam querimoniarum causam, Beano eximerẽtur. His igitur motibus Colonięnsis res, quæ prosperè ad eam diem processerat, turbari cœpta. Quin etiã cùm alternis annis confirmandum communi disciplinarum consilio Collegium esset, cæterarumque omnium disciplinarũ professores confirmassent; Philosophi assensum hoc anno negarunt, cùm dicerẽt querelas se aduersus id Collegium habere: coniurasse Iesuitas ad Colonienses Academiæ euersionem: idcirco & Treuiros & Moguntiam auertere ab Colonia iuuentutẽ; &, si quæ residua esset, eam ad se totam abducere. Apparere eos aditu exiguo dato, ita se insinuare, radicesq; propagare ac figere, vt omnia soli occupent; nec remoueri vnquam postmodum queant. Hæc foris 183
turbidiora cùm essent, tamẽ domestica disciplina hoc anno maximè cœpta ad Societatis formã redigi, segregato sæcularium adolescentiũ conuictu. Florebatq; non discendi solũ, sed & multò (vt æquũ est) magis perfectæ virtutis amor. Erga Sanctos, qui in menstrua sortitione obuenissent, præcipua erat obseruantia. Præter quotidianum cultum, ternas sibi quisque pœnas volũtarias ad eorum venerationẽ singulis mẽsibus assumebat. Cùm verò cætera præsidia ad rem diuinã strenuè promouendam, tum etiam linguarũ sibi comparabant, in Latinæ Gallicæque & Germanicæ linguæ studia incumbentes: quibus linguis diuersæ quaque hebdomada declamationes exercitationis gratia habebãtur. Quanquam hac re contentionem Treuirensium Sociorum haud æquabãt. Ibi enim quoniã perutilis Germanica lingua est, in remissionibus quoque agendum Germanicè erat: & iucundæ erant excogitatæ pœnæ, qui aliter loqueretur.

Ex re leui perturbatio.

184 Louanij adhuc cùm Senatu res erat, qui omnia ab se volebat pendere, sed Cardinalis Granuelanus commendatã sibi, vt aiebat, à Rege Philippo & Summo Pontifice Societatis causam suscipere professus est. Tornaci Septẽbris mensis extremo Michaëlis Archangeli die, magisque nocte, quæ proximè consecuta est, per vrbem totã discurrere fanaticorum instar hæretici ad trecentos profana sua carmina concrepantes, & Catholicorũ fores sacerdotũ petentes saxis, identidẽ denunciantes, quod tum noctu facerẽt, mox luce meridiana facturos. Nulla tamen re Catholicorũ pietas aut fiducia imminuta est. Apud Ioannẽ Mortagnam, qui vnicus de Societate ibi sacerdos vnà cũ laico socio erat, cùm decẽ initio haud plures, iam trecenti celebrioribus festis ad sacrosanctã Domini accedebant mensam. Canonici cunctaq; ciuitas summis precibus Collegiũ petebant; quibus Lainius opem ferendã tum cæteram ob pietatem, & bonam animi prępararionẽ, tum etiam quòd prima ea vrbium Belgicarũ Societati cõsilio publico receptũ apud se dedisset, existimabat. Deniq; hæreticorũ ille furor ad rem accelerandã valuit, admonitis Catholicis quid religioni, quid tranquillitati publicæ, quid cuiusque capiti atq; fortunis, nisi maturè prępmunirentur, impẽderet exitij. Ergo cùm Episcopus, qui alienioré ad id loci sese præbuerat, non modò consentiret, sed pecuniæ etiã aliquantũ in sumptus destinasset, suasq; portiones ciuitatis Magistratus & Canonici & Abbates S. Martini sanctiq; Nicolai, adhæc Carthusiani Patres, & priuati quidã ciuium adiecissent; sub proximi anni initium, assensu Lainij Lutetia petito, Collegium inchoatũ, quod primus ipse Mortagna rexit. Nec modò scholasticorum doctrina, sed etiam conuictorum (nihil vt opis omitteretur) disciplina suscepta. Et mox ea transiens Natalis elementariorũ informationẽ adiecit. Adeò videbat grassari pestẽ, quæ sanè iam nõ hæc modò, sed & potẽtiora remedia postularet.

Belgica res.

Iam

Digitized by Google

185 *Perturbatissima religionis res in Gallia.*

Iam verò miserâdũ prorsus hoc tẽpore Christianissimi Galliarũ regni statũ nullius, qui describere conetur, non succũbat facultas. Hęretici vbiq;, turbęq; ac seditiones inualescebant: publicè ac passim impia in Christi Vicariũ, in Sanctos ac B. Virginẽ, in cultum piarũ imaginũ, in sacrosanctũ Missæ sacrificiũ dicta audiebãtur. Nox, tenebręq, tẽpestas immanis occęcabãt & obruebãt omnia. Dolore & lacrymis boni cõficiebãtur. Vgonotti nõ occulta modò habebãt cõciliabula, sed multis locis Geneua profectę furię palã spargebãt faces. Ad hęc Caluinus Religiosorũ S. Frãcisci & Dominici, & aliorum habitu suis satellitibus huc illucq; dimissis, eam multis locis confusionẽ attulerat, vt nesciret simplicior populus cui crederet; cui pietatẽ, animãq; suã, & spẽ vitę æternę cõmitteret, ouiũ habitu luporumq; cõfuso. Hominibus Societatis assidua pericula tẽdebãtur. Apamiensiũ Sociorũ cũ saluberrimi erãt, tũ etiã toto regno celebrabãtur conatus. Tolosę Pelletarius, Apamijs Edmundus per Quadragenariũ solẽne cõcionati. Edmũdus quãquã fremẽtibus aduersarijs, amplius mille eo tẽpore vel à ruina cohibuit, vel iam stratos erexit: ciuitatẽq; omnẽ, ne rebellaret, in fide cõtinuit. Hęretici libellos cõtumeliarũ plenos contra Pontificẽ, sacras imagines, Missã publicè interim affligere, ac dissipare: saxis Collegij fenestras noctu ferire: necem & carnificinã Edmũdo minitari: etiã rumorẽ spargere eum veneficijs vitiatũ, ac mẽte captũ: adeò vt populus ad Collegiũ anxius accurrerit quęsitum, quid acciderit cõcionatori, quod eumde statu mẽtis emouerit. Sed paulò pòst vbi ille in suggestum redijt, nõ Catholici modò liberati cura sunt, sed etiã sapiẽtiæ hostes intellexerũt plus quã vellẽt, sapere sacrũ athletã: adeò fidenter eos & acriter diuexauit. Haud minore publico Tolosates priuatoq; bono Pelletariũ audiuere. Vbi tãtus erga Societatẽ amor in bonis exarserat, vt pecunia pro tẽporũ iniquitate nõ parua ad parãdã Collegio sedẽ cõferretur. Pelletarius bona illis impetrãdi, quod optabãt, prębita spe, post Pascha se Apamias refert: & misso Turnonẽ, vti à Pręposito Generali iubebatur, Edmũdo, sacris diebus cõciones ad populũ repetit. Haud multis pòst diebus è laborum assiduitate & magnitudine, tũ etiã ex angore animi, quòd hereditas Christi Domini, quę illi sanguine & vita constitit, tam miserè latronibus præda esset, acri lateris dolore febriq; corripitur. Dum sic prostrata valetudine iacet, xv. Kal. Iunias ingẽs equitũ armatorũ numerus Apamias venit, ac semiuiuũ Dei famulũ lecto extractũ illico abducũt, ne Antistes Apamiẽsis, qui eo die expectabatur, si tẽpore adueniret, aliquid moliretur impedimẽti. Capti sunt & duo cõcionatores Melchior Frãciscanus, & Finettus è Minimis optimi ambo viri, qui eadẽ Quadragesima Tolosæ cõciones habuerãt. Causa prętẽdebatur, quòd hi tres è suggestu cõtra Regem dixissent, ac turbas in populo cõcitassent. Reipsa osores probitatis vrebat, quòd fraudes ipsorũ palã fecerãt, & Apostolica fortitudine increparant. Qui breui experti sunt malũ cõsiliũ cõsultori pessimũ. Quippe Religiosorũ causam cũ ciuitas boniq; omnes susciperet, accusatores deprehẽsi sũt super hęresim, furtis quoq; & adulterata pecunia, & incestibus, & sceleribus aliis cooperti fœdissimis. Pelletariũ ab vicino oppido, vbi quãquã in custodia, multis, à quibus inuisebatur, saluti erat, & quibusdã presbyteris Sacramẽtorũ doctrinã explicabat, Tolosam Catholici deducendũ curarũt, quo tutior ab hęreticorũ insidijs esset: certatimq; ab multis vrbibus, & ipsis quoq; Tolosatibus concionator

186 *Edmundi Augerij praclari conatus.*

187 *Pelletarij conciones & vincula.*

expetebatur. Antistes Apamiẽsis egerrimè eam rem tulit. Institit, vt Catholico viro causa cognoscẽda ab Rege permitteretur. quod facilè impetrauit, cũ satis regijs cõsiliarijs explorata calũnia esset. Ad duos menses Apamijs Episcopus fuit; nec tamẽ rem Collegij potuit expedire. Vbi ille discessit, continuò ab Geneua ouile lupus inuasit, & gregẽ discerpere sanctũ cœpit. E superiore loco Satanicus Minister palã serere errores aggreditur: nec multò pòst vrbs ab hæreticis tota capitur, & armis spoliatur, quo impuniùs miseras animas æternã in mortẽ trucidẽt. Religiosi omnes ac nominatim Iesuitæ exterminãtur.

188 *Religiosi viri & nominatim Socij Apamijs ejecti.*

Dum ita laborat Apamijs, Turnone nouũ Collegium Societas ponit. Initio anni Epiphaniorũ die Cardin. Turnonius Collegiũ, quod in ea vrbe magnificũ struxerat (Baptista Viola id nomine Prępositi Generalis accipiente) Societati donauit. Eò cura fuit Patribus homines quã lectissimos mittere, quia id Cardinalis postulabat, ac tẽpora exigebãt. Idcirco vocatus Apamijs Edmundus Augerius, & Roma missi sex lecti sacerdotes, & aliquot laici vnà cum Eleutherio Pontano, qui Parisijs Magister, Romæ Doctor creatus, Philosophię & Theologię perbene sciens, optimi vir exempli, Rector destinatus erat. V. Nonas Maias die S. Cruci sacro alacriter ominati crucẽ imminere, & ad perferẽdam parati Io. Baptista Viola, & Edmũdus Turnonẽ venere. Est Turno vrbs modica amni Rhodano imminẽs, sed vndique nobilibus cincta oppidis aptissimè sita, ad latè in Dei obsequiũ circũferendã industriã. Viola supellectili cõparandæ intento, Edmũdus cũ ingenti admiratione & emolumento populi diuinũ præconẽ agit. Post S. Io. Baptistæ natalẽ cùm omnes collegæ aduenissẽt, & veteribus succedendi Magistris tempus esset, auspicati litteraria studia. Edmũdus Theologiã, & res fidei apud hæreticos cõtrouersas, Antonius Trãcosus antemeridianis scholis Physicam, pomeridianis Metaphysicam (is deinde ab Societate defecit) Claudius Matthæus Logicã, Iacobus Siluester Mathematicam explicare aggressi sunt auditoribus propè dcc. Omniũ, sed maximè Edmundi clarebat nomẽ. Qui per sacrũ Domini Aduentum, quo tẽpore quotidiana Euãgelij ad populũ tractatio vsitata Gallis est, Valentiã ita accersitus, vt cætera, quæ Turnone habebat in manibus, posthabenda fuerint, Annibale Codretto, qui in Galliã cũ Lainio venerat, Vicario substituto, Valentiã ad semẽtem diuini verbi faciẽdam excurrit. Superauit viua vox, vbi primũ Valentinorũ ad aures cæli thesauros aduexit, sonitũ famę. Virum præ cæteris primarium (quod & ad exemplũ aliorũ plurimũ valuit) Ecclesiæ sanctæ restituit: atque hæreticũ declamatorẽ ita perturbauit, vt clanculũ ad vitandã infamiã oculis se hominũ furatus Valẽtia profugerit. Et quia non solũ in omni disciplinarum genere excellẽs, ad animos populi è superiore loco tractãdos erat factus, verũ etiã ad negotia domestica, & religiosã disciplinã regendã indolẽ Edmũdus egregiã præseferebat, Turnonio Colleg. prępfectus est, Eleutherio, qui grauius, quã humeri ferre sui possent, onus cõquerebatur, liberato, & in Montẽ Regalẽ cis Alpes remisso.

189 *Turnonense Collegiũ inchoatur.*

190

Billomęum Collegiũ, itemq; Parisiense ingẽs totum annũ labor & solicitudo exercuit. Quippe anno priore cũ Guilielmũ à Prato Claromõtanũ Episcopum, qui ea fundarat, mors rapuisset; testamenti procuratores, quòd Societas non dum recepta in Gallia ad iura ciuium esset, negabant posse ad eam legata peruenire. Et iniquo sanè non reip. modò

191 *Difficultates Collegiorum Parisiensis & Billomãi.*

Digitized by Google

Christianæ, verùm etiã Societati tẽpore, cùm iam propè esset, vt ea admitteretur, optimus adolescens Frãciscus Rex II. obierat. Itaq; Patres humanis orbati præsidijs, eo accuratiùs cõfugêre ad opẽ diuinã. Ieiunia, corporis verberationes, diuturnas preces (quas & interdũ perpetuas XL. horarũ instituêre) sacrosancta sacrificia offerunt Deo, ac Domino Iesu, cuius in fide ac patrocinio velle se propriè esse, Societas nomine suo testatur. Neque ex altera parte quidquã humanæ curæ industriæque, quod Deus idẽ vult in negotijs à mortalibus poni, negligitur. Cũ Regi Francisco Carolus eius frater hoc nomine Rex IX. successisset, ætate haud dum regno matura, apud Proceres, penes quos gubernacula erãt, Pontius instituit, vt litteras nomine Regis acciperet ad Lutetianũ senatum, quibus acta à Francisco Rege cõprobarentur; & simul imperaretur senatui, vt Societatẽ tandem ciuitate donaret. Accessere etiã tum propriæ à Regina, & Cardinalibus tribus Lotharingo, Borbonio, Turnonio, alijsq; viris principibus cõmẽdatitię litterę. Sed visus est omnia parui senatus facere. Iubet Cõstitutiones Societatis Epis. Parisiensi, quẽ probè norat minimè causę fauere, ac duobus è Regio cõcilio expendendas tradi. Episcopus, qui iam censurã in Apostolica diplomata (vti suprà dictũ est) pro arbitratu ediderat, cũ in Cõstitutionibus nisi quod valdè probaret haud quidquã reperisset, se quidẽ nihil repugnaturũ respondit, dum Societas, quas ipse præscripsisset, conditiones acciperet: easq; cõditiones multas senatui scripto edidit. Duæ in his erant, vt potestati Episcopi omnino subesſent, ac nullũ iniussu Curionũ è Sacramẽtis administrarẽt. Sed cùm senatus nihil expediret, Pontius causas quæri per frustrationẽ intelligens, refert se ad regiã; nouasq; litteras, & virum nobilẽ impetrat, mãdatumq;, vt senatus vel omnino recipiat Societatem, vel intra XV. dies causas expromat, quo minùs recipiendam censeat.

193 *Societas in senatu Parisiensi defenditur.*

Non semel actum super hac re in senatu est. Piget persequi quã multa variaq; pro cuiusq; ingenio iactarẽtur. Introductus est in senatũ etiã Pontius, & iusso ad ea, quæ interrogaretur, iurato respondere, postquã multa quęsierãt, Agè, inquiũt, quibus tandẽ subsidijs homines noui vitã toleraturi estis, cũ ea nunc tẽpora sint, quibus refrigescit caritas multorũ? Ad quæ Pontius, Multorũ, inquit, nõ omniũ. Nec erit vnquã, vt pauperes, siue ij voluntate, siue necessitate sint pauperes, modò rectè pieq; viuãt, necessaria deficiãt fulcimẽta vitæ; sed quia nos sæpè muneri nostro Deoq; desumus, idcirco & Deus iure optimo deest nobis! Ad hęc profertur decretũ Sorbonicũ: & ad verba singula cogitur ex tempore Pontius respõdere: Deoq; famuli sui, tametsi actione magis, quã scientia rerũ exerciti mentẽ regente ac linguã, ita senatui fecit satis, vt dicerẽt quærendũ ex auctoribus decreti eius, quid ita censuissent. Nec defuêre ex ipsis Senatoribus, qui sumpto animo apertè professi sint, se Cõstitutionibus Societatis, diplomatisq; Pontificũ, quibus ea confirmata & ornata est, perspectis, cõperisse vanũ omnino ac falsum id, quod in eo decreto huic Ordini imponeretur, esse. Interim Socij Billomenses maximis premebantur rei familiaris angustijs: &, quoniã Societatis admissio tantũ distrahebatur, videbaturque exitum non habitura; multis ex partibus oppugnatio testamenti, & legatorũ Episcopi coorta est. Ciuitas hinc Billomensis, hinc Canonici volebãt administrationẽ bonorũ, & procurationẽ ædificij sibi cõmitti, ne Iesuitæ furtim (vt dicebant quidam) quantũ possent, argenti plurimũ secum asportãtes aufugerẽt. Pauperes Claromontani, quos heredes Episcopus instituerat, etiam quæ donata Societati erant, quando quidẽ capax eorum ipsa, vt ciuitatis expers, non esset, ad se deuolui debere, vtpote heredes, demonstrabant. Religiosi Mendicantes; ad hæc duarum triumúe hospitaliũ procuratores domorum, sedulò ad se deriuare aliquã saltem rerum earũ partẽ conabãtur. Sed tandẽ Principũ rogatu multorũ, labore assiduo Paschasii, Pontiiq; in primis, qui quamus ætatis iam grauioris, & valetudinis afflictæ, omne tempus à prima luce ad multum noctis, vel terendis curiæ liminibus, vel circumeundis vrbibus acerba multa & indigna exsorbẽs, incommoda omnia patiẽbatur, ponebat; senatus admittẽdæ Societatis negotio in futurũ conuentum Ordinũ, seu Statuũ, vt ipsi appellãt, vel prouinciale Concilĩ reiecto, pronunciauit, nihil hanc rem velle officere, quo minùs ea interim legatis ab Antistite Claromontano frueretur. Haud multò pòst cùm turbæ vbiq; nouæ coorirẽtur, & hæresum incendiũ latiùs in dies fusum cuncta vastaret, quærendis malo remedijs conuentus edicitur, quem Assembleam gens appellat: & haud dubiè diuino Numine conuersis ciues Claromontani animis fauere causæ incipiunt, adeò vt Collegiũ apud se extrui velle, dicerent. Billomenses verò Consules, & cuncta ciuitas ita rem ex animo susceperе, vt dimissis per Aruerniã omnẽ probatis viris testimonia multa de probitate hominum Societatis, quamq; vtiles, atque adeò necessarij forent, conquisierint: quæ tredecim è pręcipuis Aruernorum ciuitatibus luculenta, & plena ingentiũ laudũ scripta protulere. Addiderunt disertè nobiles, nisi Rex vellet omnes Aruernos, vel hæreticos fieri, vel insciția obrui, necessariũ esse Societatẽ amitti.

195 *Billomenſiũ pro ſuo Collegio ſtudium.*

196 *Cardinalis Lotharingi & Turnonij in Societatẽ ſtudiũ.*

Dum autẽ ad Cardinales Lotharingũ atque Turnoniũ supplicẽ super ea re libellum Billomęi deferrẽt, lumina illa & propugnacula Ecclesiæ Gallicanæ lætissimè accepto libello addidisse orationem talem feruntur: O vos beatos, quos diuina Maiestas tẽporibus his horum virorũ dono dignata est! Vtinã eius misericordia fieret, vt singulę huius regni prouinciæ tanto potirẽtur bono! Tenete vos, quibus concessum est. Amplexamini Sodalitatẽ hanc Iesu Christi, & vestigijs eius ac monitis inhærete. Nos & vestro nomine, & pro officio nostro dabimus operam, vt Gallia tãto Dei munere nequaquã priuetur. Interfuêre huic actioni quidã procuratorum testamenti Episcopi fundatoris, qui vel pietate, vel verecũdia ducti, suum cõtinuò libellum supplicẽ adiunxere. Postero die in conuentu Cardinalis Lotharingus verum se patronũ Societatis ac parentẽ probãs de susciպienda ea retulit: postq; sententiã suam multis cum eius laudibus explicatã accuratas prẽces adiecit. Secundùm eum Cardinalis Turnonius, quanta Deus per nouum hunc Ordinẽ non in terris modò Christianorũ, sed etiã apud Indos ac barbaros populos efficiat, cùm fusè percensuisset; Hoc etiam, inquit, si quid pertinere ad rem putatis, addam. Ego his Patribus ob eorum cognitam mihi vitæ probitatem, sanctioremq; doctrinam Collegium illud meum, quod non sine magnis sumptibus apud meos ædificaui, perpetuò habendum cum vniuersis vectigalibus dono dedi. Tres alij Cardinales

197

194

Digitized by Google

dinales Armeniacus, Guisius, Borbonius eiusdē fuere sententię, atque ex Episcopis multi: non tamen eo die transacta res est: sed paulò pòst, cùm etiam à Ferdinando Cæsare, alijsque principū virorū multis accessissent cōmendatitiæ litteræ, & iam Cardinalis Ferrariensis appropinquaret, secum Lainium ducens, vt eius quoque habita ratio videretur, tandem recepta est. Quo die Parisios Lainius peruenit ad cumulandam Sociorum Parisiensium, vnaque hospitum lætitiam (is fuit dies XIV. ante Kal. Octobris) lætus nuncius receptæ in Poisiaco conuentu Societatis affertur. Vbi Pater dulcissimos filios vno alteroq; die præsentia sua recreauit, ad S. Germanum, quò rectà ad Regē Cardinalis Ferrariensis cōtenderat, vt præstò esset, si operæ suę vsus incideret, quoniā cœpti erant haberi conuentus, ire perrexit. Aderant in eo cōuentu regni Proceres pleriq;, multi sacrarū rerū Antistites, Sorbonicorū Doctorū non pauci: præterea Caluinianorū Ministrorū turba: quorū præcipui tres, Petrus Martyr, Theodorus Beza, ac Marloratus. Agebatur enim, vt suprà significatū est, de cōsensionis inueniēda via in dissidijs religionis. Octauo Kal. Octobris Cardinalis Lotharingus in cōuentu hæreticos adegit expromere à quo missi essent; per cuius impositionem manus potestatē euangelizandi accepissent: dein de præsentia sanctissimi Christi Domini corporis in Eucharistia cōuenirēt, nec ne cum Catholicis. in eo dogmate si cōuenirēt, posse procedi, & alijs quoque in controuersijs concordiæ viam inquiri: sin autem in eo dissentirēt, nec Catholicæ doctrinæ cederent, nihil vltrà disceptandū, quòd consensionis spes nulla relinqueretur. Ad hæc Beza, qui solus ex aduersarijs eo die locutus est, cùm quædam perplexè respondisset, eò summā dictionis suæ redegit, vt peteret scriptū sibi id, quod ex se quæreretur, dari. continuoq; Cardinalis scripsit, Lainioq; ostensum hæretico dedit. Nihil hoc die Lainius publicè locutus est: verùm cùm indignè tulisset hæreticos Ministros, cùm interim Catholici Doctores starent, sedisse, egit cum Cardinali Ferrariensi, vt deinceps ea indignitas, adeoq; insignis orthodoxæ sapientiæ & reipublicę nota remoueretur: ex eoque die nulla fuit sedendi potestas hæreticis. Tertio inde die iterum conuentum. Venit eōdem Regina Mater, Antonius Rex Nauarræ cum vxore sua Ioanna, eiusque frater Princeps Condæus sua item cum coniuge (quanquam hæc in conspectu non apparuit, sed è quadam ianua prospectauit) Dux Guisius, eiusq; frater Dux Aumalæ, Dux Montmorantius, & alij Concilij Regij Principes. Aderant & quinq; Cardinales, qui priore in conuentu interfuerant, Lotharingus, Borbonius, Armeniacus, Guisius, Castillonius, XXV. Episcopi, totidem propè Doctores, inter quos vnà cum Lainio quatuor ex ijs erant, qui cū Legato Pontificio venerant. Legatus interesse noluit, nec Turnonius Cardinalis. Ac cæterorū quoq; pleriq; abfuissent, quòd videbāt Conciliū id ad res fidei tractandas nequaquā legitimū esse, nisi ad maiorē auertendam pernicię, seruiendū tempori cēsuissent. Postremò aduocati sunt hæretici Ministri. Ac Beza exorsus dicere significabat Ministros nonnihil cōmotos, quòd iussi essent profiteri à quonam missi essent: vnde

198 *Conuentus Poisiacus recipit Societatem in Gallijam.*

Poisiacus conuentus.

199

200

potestatē accepissent docendi; tamen ei percunctationi, quo cumulatiùs faceret satis, velle se de scripto respōdere. Ac protinus libellū profert, vt appareret præmeditata loqui, & in quæ sui gregis homines conueniissent. Demū id vnum dixit, defectu Pręsulum coactos extra ordinē venire ipsos sine vllius impositione manus. Nam Pręsules Ecclesiæ Catholicæ pro veris à se Præsulibus nō haberi, quippe qui non essent ingressi per ostiū, sed pecunia irrepsissent. Ad hæc se à Principibus suis & Magistratibus lectos esse. Scriptū etiam dedit, quid ab ipsis de Christi Domini præsentia in Sacramēto concedi posset: quod mutilū, longeque alienū ab Catholicorū dogmatis erat. Respōdit continuò Cardinalis Lotharingus, & sapientissimè, vt eos apud Reginā, & Principes quā meruerant, vocaret in inuidiā, persecutus est, euidēterq; ostendit insana eorū consilia nō ad Ecclesiasticæ modò, sed ad regiæ quoque euersionē potestatis tendere, & ad confusionē rerum omniū. Deinde ostendit quā rectè pieque in Catholica Ecclesia Pręsulū creatio fieret: vnde apparebat quā absurde inepteq; demū per intolerandā superbiam, vt se ipsi intruderēt, defecisse veros Præsules cōminisci auderent. Locutus est dein Petrus Martyr vernacula Italorū lingua (hac enim, quòd Gallicè nesciret, voluit eum Regina loqui potiùs, quàm latina.) Multa impius de diuinissimo Sacramēto fraudulenter disputauit, vetus gladiator, exercitæq; in sanctissimo Christi petendo corpore impudentiæ & fraudis. Aususq; etiā est honestissimum illū adhortati cōsessum, vt execranda blasphemiarū suarū portenta in animos admitterēt. Huic quoque cùm idē Cardinalis, ac Espencæus, Sorbonicus Doctor insignis respōdisset, Lainius, quem Cardinalis Legatus adhortatus erat vt ipse quoque loqueretur, hunc in modū Italica & ipse recenti lingua, cōuersa ad Reginā oratione cœpit: Quāquā, Regina, in aliena republica hospes curiosus non debet esse; tamē, quoniam fides sancta non vnius propria nationis, sed communis & Catholica est, nequaquā alienū arbitror, Maiestati vestræ significare id, quod mihi vniuersa de re, de qua hîc agitur, & priuatim ad quædā, quæ Frater Petrus Martyr (pupugisse hęreticū dicitur ea præfatio, vt exprobratrix abiectæ cucullæ) & collega eius obiecere, in mentē venit. Ac primū quidem, quantū ego lectione vsuque perpetuo comperi, res est ingentis periculi cum ijs agere, qui ab Ecclesia sancta deficiunt, & audire eos. Nam, vt in Ecclesiastico est, Quis miserebitur incantatori à serpēte percusso, & omnibus, qui appropiant bestijs? Qui Ecclesiā deserunt, eos diuina Scriptura lupos in vestimētis ouium vocat, & vulpes; vt intelligamus valdè ab ijs cauendū esse propter eorū inprimis simulationē ac dolos, quibus omniū ætatū hæretici vsi sunt. Pelagiani, qui negabant gratiā Dei necessariā, viresq; quas non habet, tribuebāt naturæ, adacti ab Ecclesiæ Magistratibus, apud eos quidē profitebantur gratiā necessariā esse: at suis asseclis clàm in angulis insusurrabāt, se nomine gratiæ naturam intelligere gratis à Deo nobis tributā. Quidā fuere, qui negabāt resurrectura ex morte corpora, aiebantq; tantū animę resurrectionē esse, tumq; eā resurgere, cū per Dei gratiā sancta sit. Hi interrogati num re-

201 *Verba Lainij in conuentu Poisiaco.*

202 *Hæreticorum fraudes.*

Digitized by Google

„ surrectionem hac in carne crederēt, prorsus affir-
„ mabant, sed furtim suos dein admonebāt, resur-
„ gere animam in carne, videlicet, quòd carni con-
„ iuncta, dum in corpore est, gratia Dei fit iusta.
„ Eadem possent de sectis alijs singillatim dici. In
„ vniuersum sectarij omnes eò conueniunt, vt fa-
„ teantur esse Catholicam Ecclesiam, esse eius Re-
„ ctores ac Ministros, esse diuinorum librorum sal-
„ tem nonnullorum certam diuinamq; auctorita-
„ tem; ac pro se quisque suam Ecclesiā, Catholicā
„ Ecclesiā; suos Magistratus ac Ministros, veros ac
„ legitimos Magistratus & Ministros; sensum di-
„ uinarum Litterarum, quem ipse eruit, germanū,
„ verum, Catholicū esse contendit: & tamen cer-
„ tum verumque hoc est, nec Ecclesiam, nec Mini-
„ stros eorum, nec sensum, quem imponunt Scri-
„ pturis, verum esse & Catholicum, sed Catholici
„ imitatorem ac simiam. Idcirco necesse est, vt qui
„ eos audit, oculos diligenter intendat, pericula vt
203 „ vitet. Quare mihi, Regina, succurrebat Maiestati
Laica po- „ vestræ remedia afferre duo: quorum alterū mihi
testati non, „ quidem bonum videtur, alterū minimè malum.
licet con- „ Prius est, vt vestra Maiestas intelligat, nec suum,
trouersias „ nec humani cuiuspiam esse Principis agitare fidei
tractare. „ res; quòd talibus Principibus harum potestas re-
„ rum non est; præterquā quòd ferè eiusmodi ho-
„ mines non solent in subtilibus ac reconditis de
„ religione disputationibus versati esse: ratioque
„ vult, vt fabrilia fabri tractent. Sacerdotum igitur
„ est hoc negotium. Et quoniā res fidei causæ sunt
„ maiores, ad Sacerdotē summū ac generale Con-
„ cilium statuere de ijs spectat. Quod Concilium
„ cùm in præsentia apertum sit; nec æquum, nec le-
„ gitimū videtur cōuentus hos habere. Idcirco Pa-
„ tres in Basileensi congregati Synodo (hāc citauit
„ maximè, quia & hæretici probabant) quamdiu
„ Oecumenicū Conciliū duraret, sexq; antè men-
„ sibus Prouincialia vetuere fieri. Ergo remedium,
„ quod dicebā bonum, est, vt vestra Maiestas istos
„ ad Conciliū mittat. Quia cùm & docti homines
„ nationū omnium conueniāt; &, cùm in eo (quod
„ caput est) certa S. Spiritus præsentia & rectio ad-
„ sit, quam hīc polliceri nobis haudquaquā possū-
„ mus: cumque Pontifex salvos ac tutos præstatu-
„ rus sit, si inducant animum ire ac doceri, quod
„ velle se dictitant, multò id eo loco meliùs fiet.
„ Quanquā vt id, quod res est, dicam, haud mihi
„ isti persuadent velle doceri; sed docere, & sua la-
„ tè venena spargere, quippe qui loco audiendi a-
204 „ lios, sesquihoras declamāt. Alterum remedium
Monetur „ haud illud quidem bonum, sed minimè malum
Regina ne „ est, vt, quādo vestra Maiestas istorum miserta, vt
interfit „ indulgētia & caritate erga eos vtātur, si quo mo-
hæretico- „ do demereri & recōciliari Ecclesiæ queāt, disputari
rum dis- „ vult; id fiat dumtaxat coram doctis exercita-
putatio- „ tisq; viris, qui procul à periculo sint, ne infician-
nibus. „ tur ac perturbentur; imò coarguere & docere
„ istos queant, & hac via vestræ etiam Maiestati, &
„ his Illustrissimis Principibus hęc audiendi mole-
„ stia eximetur. Hæc Lainius cùm diceret, vidisses
summè omnes attentos, hęreticorū incertos vul-
tus; toruosque in oratorem coniectus oculorum:
Doctores verò gestire ac triumphare Catholicos,
quòd ea audiebant, quę cùm dicenda omnes pu-
tarent, nemo dicere audebat. Lainius verò alte-
ram partem persecutus validis apertisq; rationi-
bus ambages hæreticorū expediuit, & figmenta
dissoluit. Illud inter alia euidenter, & ingeniosè,
nec sine plausu. Cū enim dixisset Petrus Martyr,
quòd Missa sit cruenti sacrificij, quod factum est
in cruce, imago & simulacrū, non posse ibi adesse
ipsummet Christum, quòd desinat simulacrū rei
esse vbi res ipsa est; rem omnē Lainius hoc simili
illustrauit: Fac Regem, qui præclarā ex hoste vi-
ctoriam reportarit, victoriæ eius memoriam in-
staurari quotannis velle; id triplici via procliue
erit facere. Primùm, si narrari tantūmodo seriem
rei gestæ iusserit: deinde si per actores simulacrū
belli ipsum referri: postremò, si ipsemet inter ac-
tores adesse velit; quamq; in pugna olim subijt,
eam postea in imitatione & repræsentatione idē
ipse personam subierit. Hanc enim cum vera Re-
gis præsentia veram imaginem, veramque repre-
sentationem haud dubiè fore. Idque nunc in di-
uinissimo & incruento Missæ sacrificio fieri. Po-
stremò professus, quæ dixerat de præsentia Chri-
sti in sanctissima hostia Catholicam esse veritatē,
proque ea se mori paratum, adhortatus est Prin-
cipes cęteros ac Reginam ad eam defendendam:
ita Deum affore eius regno ac filio; alioqui sub-
latis diuinis stare humana non posse. Quæ cùm
commotus diceret, auditores quoque permouit.
Ad horæ dodrantem verba fecit, totamque eam
orationē dein iussu Cardinalis Ferrariensis scri-
psit, qui eam ita probauit, vt vertendam Gallicè
& vulgandam curaret. Ex ea ego, quæ hīc appo-
sui propè verbum verbo reddens, Latinè conuer-
ti. Visa nonnemini libertas nimia est; plerique ta-
men diuinitus factum, vt ita loqueretur, affirma-
bant: lateque ac longè fastis hominum sermo-
nibus tota est illa actio celebrata. Regina, quan-
quam non sine aliquo morsu animi, monitum
boni consuluit: ex eoque die nunquam conuen-
tui postea ac disputationibus interfuit. Catho-
licis Doctoribus valdè animi creuere, fidentiusq;
in posterum pro religionis sanctitate certarunt.

205 *Quomodo Missa sit repræsenta-tio, & Chri-stus sit præ-sens in Sa-cramento.*

206 *Verborum Lainij suc-cessus.*

Post eum diem nocte iam cæca, cùm Lainius
ad S. Germanum è Poisiaco rediret, obtulit se ob-
uiàm in silua Hispanus hæreticus; qui cùm ali-
quantum disputando certasset, repentè stoma-
chatus ac fremens, subditis equo calcaribus, præ-
cucurrit, viamq; vnà cum tribus equitibus inse-
dit. Quæ res cùm Lainij comitibus curam iniecis-
set, dubitarentq; num progrediendum esset, se-
curus ipse perrexit, ac Deo protegente per me-
dios transijt tutus. Nec postea cognitum est ad
terrorē ne solùm incutiendum homo stolidè glo-
riosus id fecerit, an vim inferre paratum milium
tutor suorū Deus inhibuerit. Lainio certè opta-
tius nihil erat, quàm nobilissimo ei regno, tot-
que animarū millibus, quas miserum in modum
ruere in exitium videbat, quacunque posset ope
consulere, fœdumque incendium vel cruore suo
restinguere. Cùm iam pridem tota in Societate
fundi ad Deum preces, suscipi voluntarias pœ-
nas, fieri sacrificia, & quæ alia ad iram Dei placā-
dam valent, iussisset, eaque Socij vbique certatim
exequerentur; tamē cùm in dies necessitas ingra-
uesceret, & oculis subiecta calamitas acriores mi-
serationis stimulos dies ac noctes admoueret, de
integro ad omnes prouincias Europę, vbi Socie-
tas esset, scripsit, vt insisterent populis à scelere

207 *Lainy fi-ducia.*

208 *Conatus pro religione iustituenda.*

deter-

Digitized by Google

deterrendis: eosque confessarij, concionatores, magistri, vniuersi denique singuliq; pro sua virili, vbi se ferret occasio, ad tanti momenti causam Deo enixè commendandam incitarent: adirent extraneos quoque concionatores ac Religiosos, idemque commendarent; curarentque vt quàm plurimorũ supplicum precibus Numinis ira temperaretur. Videri enim prorsus iratum, iræque eius flumina in Christianissimũ olim regnum depluere. Ad hæc ille Reginã priuatim alloquitur, adit Proceres, separatim voce, stylo, manu quantum conniti potest, labentem sustinet pietatem. Cùm autem priuatim ac publicè Dei causam in regia procurasset, ad populum quoque Parisiensem deriuare operã suam cupiens, cum Reginę ac Legati gratia Parisios migrauit: præsertim quòd hæreticos si non in templis, at publicè in hortis, & in propatulo ædium concionari cognouit audientibus Primorũ quibusdam palàm, vt auctoritate sua ad audiendum multos pellicerent. Hîc igitur zelo Dei, & vltimæ necessitatis consideratione stimulatus sacer athleta nunquã interquiescens, nihil non tentans, quà placandis superis, quà generi omni hominum vel corrigendo, vel confirmãdo intentus, mirum profectò est quàm multa conatus sit. In tẽplo S. Augustini Religiosis libentibus conciones Italico sermone per sacrum Domini Aduentum habuit, multis cõfluentibus Italorum Gallorumque. Nec pauci hæreticorũ quamuis primò irrisuri accederent, conuersi deinde sunt, & ad orthodoxos reducti. Et quoniam videbat ad longè plures fundi vtilitatem posse, si Gallicè verba faciens ab imperita etiam multitudine intelligeretur; vt vsum eius linguæ repeteret, ad virginum monasteriũ, quas Dei filias vocant, Gallicè adhortationes instituit, vnde mox instructior in arenam, & in publicum quasi armis detersis prodiret: interimq; dum in priuato tentat se, exercitatio ipsa effectu vacua non esset. Adijt omnia Discentium Collegia, quę sunt multa Parisijs, omnia item cœnobia Religiosorum. Conuenit concionatores viritim, præcipuosque Sorbonicorum Doctorum, multos è Magistratibus atque principibus viris: multos quoque è præcipuis nouorum dogmatũ studiosis. In Collegijs Rectores alloquens adhortabatur, vt quatuor res præcipuè curarent. Primùm, vt Magistri iuxtà atque discipuli rectè pieque viuerent, & omni studio eo maximè tempore noxas vitarent. Morum enim corruptio efficax est corruptela opinionum. Deinde, vt neminem paterentur è suis ire auditũ hæreticos. Tertiò, vt si quos in familia ac cœtu suo reperirent peste attactos, segregarẽt protinus & eijcerent; ne contagione sani afficerentur. Postremò, Collegæ vnà omnes quotidie supplices Deum rogarent, vt hanc hæresis pœnã, omnium pœnarum grauissimam, propter populi scelera immissam auerteret. Hęc vbique modestè docens, perque studiosè commendans Collegia omnia singillatim percurrit. Rectores in ijs omnes atque Primarios incorruptos atque integros reperit, ac validè animatos ad religionem tuendam: gratijsque comiter actis polliciti sunt, quæ bene is monuisset, se cum fide obseruaturos. Prępositos autem Religiosorum æquè Mendicantiũ & Monachorum adhortabatur, quando ea tempora essent, maiore & ipsi cura cõseruandæ inter suos religiosæ disciplinæ, studioq; virtutis amplificando insisterent: eaque populis vitæ exempla, quæ tempestas requireret, exhiberent: deinde, vt quotidie præcipuas pro ea re institui curarẽt preces, vti monitos dixi Collegiorum Moderatores. Super hæc darent operam, vt confessarij & concionatores ipsorum curæ subiecti populũ ad pœnitentiam, ad correctionẽ morum, ad preces pro præsenti calamitate faciendas incitarent. Munere eodem proportione quadam in sacris aliquot gynæceis, & hospitijs publicis functus est, & omnibus generatim prudentia viri & caritas mirè placuit, nec mediocri incitamento fuit. Concionatoribus auctor erat, vt populum nequaquam ad seditionem, sed ad impetrandam ab Deo pacem atque misericordiam supplicibus votis, & mutatione morum impellerent. Id ipsum Curionibus suadebat, adijciens præterea, vt impensè cauerent ne quam ipsi Clericiue sui auaritiæ speciem, & materiam oblatrandi præberent intentis in occasionẽ hæreticis. Pręcipuos Sorbonicorum Doctorum admonuit, non modò vt precibus, sed etiam vt in suggestum progressi verbo Dei Ecclesiæ calamitatibus subuenirent. Id enim esse tempus, quo minimè oporteret acceptum à Deo talentum defodere; sed quo, vt quisque maximè esset armorũ diuinorum peritus, ita militiæ partem maximam deposcere sibi deberet. Magistratus rogauit, vt præcipua cura in Reipublicæ iustam administrationẽ incumberẽt: fidem Catholicam firmissimè retinerent: eamque atque eius propugnatores omni ope protegerent. Nec potuit sibi temperare, tanquũ metueret, ne, si quid omisisset, per id potissimùm medicina impediretur; quominùs præter Reginam Matrem, Regem quoque Nauarræ, eiusque coniugem, & Principem Condæum fratrem, ac propè singulos Galliarum Proceres seorsim adiret, adhortans maximè ad rem Tridentini Concilij promouendam, ex eoque controuersiarũ explicationem petendam. Quod vt nominatim Principi Condæo hęresum acerrimo propugnatori, & morum corrigendorum plausibilem speciem assiduè obtendenti facilius persuaderet, orationẽ ad eius sensum hoc temperamento accommodauit: Excellentissime Princeps, viam inire idoneam, qua nouæ Ecclesiæ cum Romana veteri, à qua discessere, cõcilientur, quanti non ad pacem modò & quietem ciuilem, sed multò etiam magis ad æternam salutem tot pereuntium animarum interfit, minimè arduum intellectu est. Etenim cùm vera Ecclesia non nisi vna sit, extraq; eam spes salutis nulla sit, si hæc est Romana vetus, sanè actum est de reliquis: si fortè nouarum aliqua vera est, item infelix est conditio reliquarum: eorumq; caritas, qui sunt in Ecclesia vera, postulat, vt curent ad eamdem cæteros aggregare. Coniunctionis autem ratio cognitis dissidij ac disiunctionis causis, peruestiganda est, vt ad remouendas eas incumbatur. Porro causæ potissimùm fuisse videntur duæ: altera Ecclesiasticorum vita; quæ re vera in moribus, suorumq; functione munerum correctione haud modica indiget. Mala enim horum exempla tantum præbuere offensionis, vt quorum vita cõtemptui fuit, eorum pariter contempta

209 *Lainij conciones.*

210 *Monita Collegiorũ Parisiensiũ Rectoribus,*

211 *Prępositis Religiosorũ.*

212

213 *Verba Lainij ad Condæum Principẽ.*

214 *Vnde hæresum accersita occasio.*

Digitized by Google

„ tempta doctrina sit: iniustè id quidem. Nam Scri-
„ bæ quoque & Pharisæi improbi erant, & tamen
„ Christus ait; Super cathedram Moysi sederunt
„ Scribę, & Pharisæi; omnia quęcunq; dixerint vo-
„ bis, seruate & facite: secundùm autem opera eo-
„ rum nolite facere. Verùm iusto iudicio permisisse
„ Deus videtur, vt sal infatuatum conculcaretur,
„ idem tamen conculcãtes iudicaturus. Altera dis-
„ sidij causa fuit, quòd in cultum diuinũ siue ex in-
„ scitia, siue ex auaritia, siue aliunde irrepsere vitia
215 „ quædã, quæ abalienationis causam præbuerunt.
Remedia hæresum. „ Ergo remedium ad disiunctionẽ tollendam esse
„ tale debet: quo & duo hęc mala remoueantur, ac
„ simul de cõciliandis dogmatibus agatur in spiritu
„ caritatis, & non cõtentionis. Tale autẽ hoc vide-
„ tur. Papa Oecumenicũ edixit Concilium; acciuit-
„ que vniuersos, qui iure, aut consuetudine adesse
„ generalibus Concilijs solent. Hi sunt non soli
„ tantùm Episcopi, sed Abbates quoque & Reli-
„ giosorum Ordinum Prępositi Generales: præter-
„ que hos alij viri docti, saltem vt suadendi consu-
„ lendiq; ius habeant. Quocirca faciendũ videre-
„ tur, vt è regno Galliæ probi doctiq; permulti ex
„ Episcopis, Abbatibus, Doctoribus, alijsque ido-
„ neis viris mitterentur: qui copiosum ac floridum
„ suffragiorum numerum vel statuentium, vel sua-
„ dentium efficerent: qui cùm à prudentia, tum
„ à doctrina meritò auctoritatem haberent: pos-
„ setque capitibus eorum negotium dari, vt seriò
„ reformationem morum vrgerent. Idem cum Phi-
„ lippo Rege, idem cum Cæsare agi posset, vt de-
„ mandarent suis. Nec dubito, quin pro eo, quan-
„ tum hi Principes Cleri emendationem optant,
„ paratissimi sint futuri: idque eo procliuiùs fieret,
„ quòd suapte spõte paratus Papa est, vti potest de
„ Legato cognosci, imperare inprimis, vt de refor-
216 „ matione agatur. Quapropter si accedere volun-
„ tatem Principum viderit, idem impensiùs exe-
„ quetur. Iam Concilium cùm planè liberum sit,
„ in eoque seriò de correctione sit agendum, vide-
„ tur æquum, vt capita nouarum Ecclesiarum in
„ Gallia, Germania, & vbicunque locorum sunt,
„ eò conferant sese, vt & monitis correctionem
„ suis iuuent, & de controuersis suis dogmatibus
„ disceptent: spesque est fore, vt sanctus Spiritus
„ veræ auctor vnitatis & pacis, quemadmodum
„ in alijs Concilijs in eius nomine congregatis ad-
„ fuit, & fidei controuersias diremit magnas, ita in
„ hoc quoque adsit; & dissidia, quæ in præsentia
„ terrarum permiscent orbem, componat. Quòd
„ si nouarum Ecclesiarum hominibus haudqua-
„ quam placeret de dogmatibus suis ex maiore to-
„ tius Concilij suffragiorum numero decerni; in
„ promptu est via, quæ in Concilio Ferrariensi &
„ Florentino sub Eugenio Quarto est inita, cùm
„ Græci Latinis reconciliati sunt, totidem vtrim-
„ que constitutis, qui absque suffragij latione, san-
„ ctarum Scripturarum inter se Doctorumque lo-
„ cos ac rationum momenta expenderent. Securi-
„ que sint nouarum Ecclesiarum homines bene se
„ acceptum iri & humaniter ante postq; consensi-
„ onẽ. Pro qua equidẽ vel centies, si toties possim,
„ mori nõ abnuam. Atq; hoc pacto ex dissidij malo
„ emẽdationis in Ecclesię capite ac membris bonũ
217 „ existeret. Hæc Lainius cũ dixisset, visus est Con-
dæus Princeps vehementer probare: eademque
scripta sibi tradi iussit. At Lainius Bezæ quoq; ac
cæteris hæreticorum antesignanis omni ope suasit, vt adirent Concilium; ibique studio veritatis
cognoscendæ de placitis suis disputarent. Nec
optimum illi Patris consilium visi sunt in præ-
sentia parui facere. Cæterùm cùm neque Dyna-
stas hæreticos studium religionis, sed potiùs re-
gnandi cupido transuersos ageret, nec hæresum
inuentores spiritu veritatis, sed contentionis, su-
perbiæ & blasphemiæ agerentur; nihil mirum
est, si haud per errorem, sed vitio animi sponte
ægrescentibus medicamenta salubria, nec verbo
damnare licuit, nec re placuit experiri. At since-
rus Dei seruus Lainius in cœnobijs & mona-
sterijs obeundis cùm quædam inopiæ difficulta-
tibus pressa reperisset, ab Cardinali Legato op-
portunam illis opem impetrauit. Quippe quem
Christi caritas vrget, nulla dissimulare nouit a-
liena mala: & quemadmodum prima habet ani-
morum remedia, ita humanarum leuamenta ne-
cessitatum non omittit. Cùm verò Pater admo-
neretur, vt affectæ valetudinis suæ rationem ha-
beret, nec eam totum diem vastam vrbem circ-
umcursans pedibus profligaret, respõdebat, Si-
nite me modicum hoc laboris assumere. Nequa-
quam mihi nunc licet religionibus celebrata
longinquarum regionum loca visere, non sacra-
rum stationum causa Romanas lustrare basilicas:
hæ meæ nunc peregrinationes, hæ stationes sunt.
Neque hac modò sedulitate tanta, sed tota vitæ
quotidianæ forma mirabile exemplũ exteris do-
mesticisque præbebat, nulla in re à communi So-
ciorum seueritate discedens. Talibus in officijs
omne sacri Aduentus Domini, & reliqui anni
tempus haud vnquam intermittens cum assiduis
gemitibus & lacrymis apud Deum communem
Ecclesiæ, totque pereuntium ac periclitantium
animarum causam agere, ac misericordiam ex-
poscere, circumeundo, adhortando, scribendo
constans & alti animi Christi miles absumpsit.

218 *Lainij caritas.*

219 *Consaluus Siluerio Manomotapa Regem adit.*

Transmarinæ interim hoc anno prouinciæ
non solùm militantem Ecclesiam nouis auxere
neophytorum manipulis, sed etiam triumphan-
tem inclyto duce Consaluo Siluerio. Is Cafribus
(quæ fœdissima Æthiopum gens est ad pro-
montorium Bonæ spei) immaculati Agni Chri-
sti sanguine dealbandis intentus, ad Manomota-
pæ maximum per ea loca Regem profectus, po-
stridie sacri Christi Natalis regiam in vrbem, vti
anno priore demonstratum est, pedem intulit.
Rex, quoties vsus ferat, militum centum millia
cogere sub signa fertur: triginta millia circa se
in vicinis pagis disposita omni tempore, velut
prætorianam cohortem habere. His hac tempe-
state Lusitanus vir præerat Antonius Caiadus
Regi percarus: eumque confestim Rex ad salu-
tandum Consaluum (quippe quem non virtute
solùm & sanctitate, sed & natalium splendore
nobilem audierat) cum muneribus misit. Mu-
nera erant auri ingens pondus, boues permulti,
famulique domesticos in vsus. Sanctus anima-
rum mercator, qui cæli daturus, non quæsiturus
terræ veniebat thesauros, officiosè remissis cum
gratiarum actione donis, renunciari iussit: ex ip-
somet Antonio posse Regem cognoscere, quod
genus auri, & quarum copiam rerum petitum in

220 *Regia dona remittit.*

ea

Digitized by Google

ea loca penetrasset. Nihil enim regium velle, sed ipsummet Regem: quem cælestis regni, æternæque felicitatis compotem faceret. Eam excelsitatem animi admiratus dicitur Rex. aduenientem certè mox Patrem ad se non vsitata honoris significatione excepit. Namque in intimũ conclaue regium cùm mortalium nemini, ne stipendiarijs quidem Regibus pateat vnquam accessus, sed è foribus eum alloquantur, nec ad colloquium nisi pedibus nudis ire fas sit; Consaluũ calceatũ in ipsa penetralia introduxit: mediusque ipse consistens, assidente ex altera parte matre, considere eum ex altera iussit. Antonius Caiadus, qui interpres adhibebatur, præ foribus cõstitit. Consaluus ante omnia Regi pretiosæ vestis aliquantũ, quod ex India Mozambicoq; vectum Senæ reliquerat, & tandem inde perlatum erat, dono dedit. Quo Rex comiter accepto, perseuerans in sua illa rerum, quas ipsi mirantur, ostentanda magnificentia vicissim è Consaluo scisciatur, quantum feminarum velit, quantum auri, quantum agri & prædiorũ, postremò quàm multos boues. Quippe bobus apud eam gentem haud minus quàm auro pretium ferunt esse. Ad quæ Consaluus conuenienter ijs, quæ per Antonium primò nunciarat, cùm se nihil extra ipsum Regem respondisset optare: quippe qui aurum, & humana posthabuisset omnia meliorum bonorum cupidine; quæ ipsi Regi ostensum veniret; pariter viam demonstraturus, quemadmodum ne morte quidem regnum amitteret, sed melius inchoaret; admiratus ille, & ad interpretem conuersus, Profectò necesse est, inquit, qui nihil horum cupiat, quæ cæteri vsque eò mortales amamus, is alia quadam ab communi naturâ constet, atque adeò ex genere herbaceo sit ex oleribusque prognatus. Ita Barbarus locutus est, cùm verius esset pronunciaturus, sic eminenti supra homines ab Deo esse originem. Tum prolixè omnia rursum pollicitus quàm maximo cum amore atque honore verborum dimisit. Consaluus ad mapale suum reuersus, plerumque temporis in propitiando Deo ponebat. Mapale idem pro diuersorio ac templo erat. Excitauerat aram in eo, & pro copia præsenti ornarat, beatissimæ Dei parentis imagine pereleganti proposita. Ibi dum quotidie more suo rem diuinam facit, Procerum quidam Cafrum conspecta obiter è foribus imagine Virginis, ad Regem deferunt, Lusitano sacerdoti pulcherrima domi forma puellam esse: atque vt eam sibi deposcat, hortantur. Mittit absque mora Rex, qui renunciet, auditum sibi illum coniugem secum aduexisse: eam sibi vt videndam præbeat etiam atque etiam petere. Errorem facilè intellexit Pater, & occasione libenter vtens, vt auspice ac patrona Dei Matre Euangelicum opus exordiretur, tabulam pretiosa inuolutam veste affert ad Regem. Hic, vt rudem animum nondum nisi terrena sapientem ad sublimia sensim erigat, & ad veneranionem debitam præparet, pauca præfatur de vno summoque rerum auctore ac principe, deque filio eius, qui hominum causa intemeratæ Virginis sinu conceptus Deus idem & homo sit: penes quem rerum omnium potestas, vitæque & mortis arbitria, coronæ ac sceptra Regum atque Imperatorum omnium. Eius itaque, à quo vno & petenda & expectanda sit salus, non quidem Parentem ipsam, quæ cælum beata pollensque incolat, sed Parentis effigiem ostensurum se, & ipsam, vt tantæ maiestatis subijcientem oculis formam, veneratione dignam. Proinde ipse quoque Rex veneraretur in ea potentissimam terræ cælique Reginam, Deique ac Domini sui parentem. Talia dicens cum obseruantia summa Pater simul procumbit in genua, simul integumento summoto repentè imaginem aperit. Ad augustum eius conspectum commotus Rex & ipse venerabundus prosternitur. Inde per otium diu contemplans, quo intuebatur attentiùs, eo maiestas barbarum animum magis ac magis imbuebat. Itaque orare Consaluum instituit, ne donare sibi grauetur. Pater non modò nihil moræ fecit, sed quo honorificentiùs haberetur, sua manu in cubiculo regio, quod sacelli in morẽ aulæo magnifico vestierat, collocauit, sperans clementissimam Parentem aditum Deo filio in Regis & popularium mentes patefacturam. Ac sanè retulere postea Lusitani, noctibus deinceps circiter quinque Reginam cæli in ea ipsa, quam tabula referebat specie, diuina quadam & iucundissima circumfusam luce, pleno maiestatis ac suauitatis ore, semisopito Regi adstitisse, & benignitate quidem summa visam eum affari, verùm incognita lingua. Quod cùm ille rei nouitatem admirans matri, itemque Lusitanis narraret, qui statim renunciabant Consaluo; postremò ipsum acciuisse Consaluum valdè anxium ac dolentem, quòd sermonem Reginæ eius, quæ se singulis affaretur noctibus, percipere nequaquam posset. Cui Pater, nimirum eam esse linguam diuinam, quam nemo intelligeret, nisi qui sacrosanctam filij eius Reginæ legem ac disciplinam amplecteretur; eumque, vti par erat, qui Deus esset verus, totius humanæ gentis Redemptor & vnica spes, piè sanctèque coleret. Quæ Rex audiens probare visus est. Et quanquam in præsentia non nisi benigni oris assensu, & vultus hilaritate significauit Christianum fieri velle; biduo tamen pòst differè per Caiadum denunciat se pariterque Reginam matrem apud animum suum statuisse dare Christo nomina: quare ad imperriendum ipsis baptismum primo quoque veniret tempore. Consaluus lætus successu, Deo Deiparæque gratias agit: tum aliquot diebus in catechismo consumptis, vbi maturum visum est, quinto circiter & vigesimo ab suo Manomotapam aduentu die, vtrumque pompa & gratulatione magna sacro fonte perfudit; Regemque Sebastiani in Lusitani Regis gratiam, matrem verò Mariæ nomine, vt ipsa cæli Regina, quemadmodum cœperat, patrocinium eius regni gereret, appellauit. Eo ipso die obseruantiæ & amoris ergò de pretiosa veste, quod supererat, aliquid Regi donauit: eique vicissim Rex, quoniã aurum vt acciperet, adduci non poterat, boues dedit centũ. Quos Pater protinus ad Antoniũ Caiadum cædendos distribuendosq; inter pauperes missos, nouam hecatombẽ multò priscorum celebratis illis præstabiliorem fecit. Tantamque beneficentiam Rex ac populus vniuersus eo suspexere ac celebrauere magis, quo nota minùs

221 *Perhonorificè tractatur à Rege.*

222

223 *Regem instituit Christiana disciplina.*

224 *Beatissima Virgo Regi apparet.*

225 *Rex & eius mater baptizantur.*

226

Digitized by Google

minùs est liberalitas inter Caffres: apud quos vitio stolidæ mentis inueteratæque barbariæ, omnibus ignoratis virtutibus proximè ferinum vita agitatur ritum. Ad quas densissimas tenebras tandem Euangelij luce dissipandas videbatur quædam maturitas appulisse. Namque post Regem è primis fermè regni ad sacrum fontem accessere facilè trecenti, præsidia religionis ac semina futuri. Qui deinde ita Consalui delectabãtur consuetudine, ita iucundè de sanctis Christianæ disciplinæ mysterijs vel differentem audiebant, vel interrogabant, vt ab eius latere auelli vix possent: idem plurima ad victum delicatiora ferebant, mittebantque quotidie. Sed Consaluus tanquam sibi iam præsentiret nequaquam longum patientiæ restare cursum, longè solito arctiorem omnis asperitatis inierat viam. Nihil eorum, quæ donabantur, attingens, sed ad inopes mittens, neque vllis omnino vescens carnibus, perexiguo dumtaxat cocto milio, herbisque & siluestribus pomis naturæ medebatur infirmitati. Atque vtinam fuisset, qui diligenter eius acta exploraret, notaretq;, vel aliquid ipsiusmet extaret litterarum, vnde interiorum eius animi sensuum & actionum specimen caperetur. Haud dubium, quin multò admirabilior narratio foret. Nunc autem litteras, quas à Consaluo ad Quadrium fusè scriptas Caiadus retulit, idem confirmauit perijsse. Hæc verò, quæ narramus idem Caiadus, alijque Lusitani ab Manomotapa reuecti, constanter quidem ac fideliter tradiderunt. Sed, vt erant interioris sanctitatis æstimatores parum periti, meritò fragmenta quædam vitæ beati Martyris, & tanquam putamina nucleo cassa videri possunt. Certè id constat, cùm genere vitæ sanctissimo, tum studio proximorum salutis acerrimo tantum sibi fidelem Dei administrum conciliasse fidei & caritatis, omniumque animos vsque eò permiscuisse, vt in Christianam religionem Manomotapa omnis cum regno breui ventura videretur: cùm æternus Christi & probitatis hostis Satan, eiusque importuni satellites Mahometani tam lætas spes cum infinita earum gentium pernicie succiderunt. Mahometani quatuor potentes & vafri homines, & apud Regem gratiosi, pro capitali odio, quo ab Christianis dissident sacris, veritine, si Euangelij sanctitas tam se latè funderet; Alcorani sui impura superstitio pessum iret, vnaque eorum per eas terras quæstuosa negotia ruerent; inter se contra cælestem præconem impiè fraudulenterque coniurant. Princeps coniurationis fuit quidam nomine Mingoames, ciuitate Mozambicenus, professione inter Mahometanos Antistes. Cacizios vocant. Hi de suo collatis, longeq; ab aliis de secta corrogatis donis ad Regis animum expugnãdum, simul coràm per se se, simul per improbum delatorem Regi suspectum Consaluum reddunt. Eum missu Proregis Indiæ, & Præfecti Sofalæ, & Ceputi eiusdem Sofalæ Regis ad explorandum Manomotapæ regnum, solicitandosque ad defectionem populos aduenisse, vt motibus excitatis, ipsi deinde infesto cum exercitu subsecuti opprimãt Regẽ: occupent omnia. Ad hæc Consaluum magum esse teterrimum, varijsque veneficijs instructum ac medicamentis venisse ad incolarum peruertendos animos, Regemque mactandum. Quicunque caput suum perfundi aqua paterentur, conceptis Langariorum (ita Lusitanos appellant) verbis à Consaluo pronunciatis, confestim velint nolint iugo eius ceruicẽ subdere: idque iam alibi experimento compertum. Nam his fermè artibus Mozambiçũ & Sofalam ipsimet Regi Manomotapæ erepta, & pleraque Indiæ in Lusitanorum potestatem per summam iniquitatem abducta. Ergo videret Rex, quid facto opus foret. Si venificum adeò potentem abire permittat incolumẽ, nihil profecturum. Certò cognitum sibi, fore, vt ciues in eius digressu inter se concurrant, mutuisque se cædibus amentes lymphatiique conficiant. Vnam itaque viam salutis relictam, si maturet: homineque adeò tetro sublato de medio, regnum sibi, vitam omnibus cum libertate conseruet. Rex adolescens ætate erat, &, quod omnium instar est, Cafer: quo nomine exlegem significant. Ergo nec satis ad præcauendas fraudes vel ab ingenio, vel ab ætate munitus, mobilis idem natura, & supra modum cupidus, haud magno negotio inductus est. Idem & matri, feminæ nihilo meliùs aduersus fallacias præmunitæ, nõ difficilè persuasum est: primo quoq; tempore Consaluũ opprimi necesse esse. Id siue coniectura, siue diuinitus Pater cognosset, antequam vlla ad alios manaret suspicio, Antonio Caiado prædixit, Regem sibi necem moliri: paratumq; se ad finem adeò beatum ex Dei voluntate imponendum peregrinationi suę. Antonio, qui norat, quo caritatis & obseruantię gradu apud Regem eiusque matrem modò vir Dei esset, res ita incredibilis visa est, vt subridens reiecerit. Sed idem mox animum Regis cùm explorasset, in cogitato fixum sacrilegio reperit, & frustra remouere, & vanas ex animo suspiciones abolere tentauit: tantùm expressit, vt iterum se deliberaturum reciperet. In consilium adhibiti ijdem, qui conspirationis nefariæ architecti & capita erant. Nec in consultatione reuocata nex, sed tantùm de necis genere disputatum. Quod tamen Rex dissimulatione cruenta tegens, Caiado respondit, id modò decretum, vt procul ab regia in vicum Tete amandaretur. At Consaluus, quem diuino collustratum lumine humanæ fraudes nequaquam fallebant, ab Caiado vehementer institit, duos tresue Lusitanos, quos nominabat, confestim ad se se adduceret. Constitui enim hodie, inquit, & confessiones vestras excipere, & sacrosancta vos Eucharistia reficere: quod nisi hodie fiat, postea non licebit. Aberant ij. Itaq; dum ab Antonio euocantur, seroque veniunt, Pater ad meridiem vsque frustra præstolatus, sacrificium peregit: & quas consecrarat diuidendas euocatis hostias, nequid indecori contingeret, ipsemet sumpsit. Deinde ex catechumenis, qui instructiores erant circiter quinquaginta, sacro tinxit lauacro: quibus nonnihil, quod supererat vulgarium vestium, ad corporis cultum, & rosaria ad precandum, & præclara monita ad rectè viuendum dedit. Lusitani sub vesperam adfuere: quos Pater confessionis Sacramento, quo iam licebat vno, purgatos, mira vultus hilaritate, animique tranquillitate studuit confirmare, ad omnem impensè

227 *Consalui vita aspera.*

228 *Consaluo Mahometani necem moliuntur.*

229 *Rex ad Consaluum necandum inducitur.*

230 *Præsentis imminentẽ sibi necem Consaluus.*

231 *Parat sese ad necem.*

Digitized by Google

impensè virtutem adhortans, & vitam Christiano homine dignam inter eas nationes conseruandam. Iisdem quidquid librorum, & ad sacrorum apparatum habebat, dedit in ædes Antonij deferendum, vna sibi Domini è cruce pendentis
232 effigie, duobusque cereis reseruatis. Hinc tanquam ad Agni nuptias propediè ingressurus nouam induit tunicam, & Clericorum candidum amiculum (cui superpellicco in libris ritualibus nomen est) superinduit. Adfuit sub vesperam rursus Caiadus, & talem ornatum miranti lætus Pater leniter manu pectus prehendens, Antoni, inquit, profectò paratior ad mortem obeundam ego sum, quàm inimici ad inferendam. Regi autem matrique eius, quòd per simplicitatem ille adolescens, hæc femina Mahometanorum astu in fraudem inducti sunt, libenter ignosco. Quæsoque, & oro Deum, vt quidquid hæc regna pœnarum debent, in vnum me caputque conuertat meum. Tum attonitum propè Caiadum ægrè perpulit, vt domum sese reciperet. Credo equidem miraturos homines, quod mihi quidem venit in mentem mirari, si quanta fertur apud Regem gratia Caiadus, & opibus ijs pollebat, totque armatorum millibus præerat, quid ita non vltrà adnisus sit, vt periculum summoueret, vel certè rem traheret, cùm fuga, latebris, præsidijs, consilio tantisper declinare discrimen potuerit? Vt cuique libitum fuerit, opinetur. Vero mihi simillimum fit haudquaquam eum induxisse in animum credere vsque adeò discrimẽ vrgere. Itaque cum summo dolore auulsus à Patre, confususque, nec satis apud se statuens quam in partem ferretur, cùm talia ab viro Dei, talia ab Rege, & parente eius audisset; satis putauit famulos duos mittere (quod continuò fecit) qui ea nocte apud Patrem excubarent, seque, siquid ingrueret, admonerent. Nihil illi profecere aliud, quàm vt quæ consecuta sunt, cognoscerentur. Illi narrauere Consaluum noua illa tunica, sacroque fulgentem amiculo pro diuersorio in area ad multam noctem citatis præter morem gressibus inambulasse, oculis identidem intentis in cœlum, manibus modò sublatis, modò in crucis figuram extensis, suspiria crebra ex intimo corde ducentem. Agnosceres emicantẽ iam animum in beatam lucem, moræque impatientẽ, & gestientem
233 ex corporis custodia exilire. Vbi diu hic ambulauit, suum demum tugurium subijt. Hîc cereos, quos reseruarat, duos accendit, & cruce statuta in medio hinc atque hinc ad latera eos collocat; prostratusq; in genua aliquamdiu persistit orans. Tum in storea ex arundinibus texta corpusculũ suum reponit. Ita iacebat sub vmbra Domini sui è patibulo inter faces pendentis, vt moribundi componi solent. Et quantũ existimare licuit ambulatione, æstu animi longaque vigilia fesso irrepsit somnus. Id vbi ex insidijs dudum ad cædem nefariam missi satellites, nec ausi vigilem aggredi, conspicantur, illico circiter octo irrumpunt.
234 Præibat inter barbaros homo nobilis Mocurumes nomine, tanquam alter Iudas. Nam consuetudine, frequentique mensa singularem B. Martyris caritatem expertus erat. Hic ferocia barbara tugurium ingressus in iacentis pectus toto impetu deiicit sese, opprimitque. Inde bini brachia, totidem crura arripiunt, & sublimem tollunt: duo funem collo implicant, quo vtrimque adducto beatus Dei præco ingentem ex ore & naribus sanguinis copiam effundens victorem spiritum Conditori suo reddidit. Quid, vbi sensit beatum adesse, tamque diu expetitum tempus, fecerit dixeritue; vt gratias egerit, vt se in holocaustum Christi holocausto adiungens, diuinissimæ obtulerit Trinitati; vt pro carnificibus, qui sibi tanti erant boni administri, fuderit preces, aliaque his similia, quoniam qui obseruaret ac proderet nemo fuit, quisque ex tota Consalui vita coniecter. Namque ipsum olim Consaluum
235 pro certo Lusitani produnt Conimbricæ, cùm homini adfuisset, dum pro maleficijs laqueo necaretur, post acrem ad circumfusam multitudinem adhortationem, dedisse se in preces: dumque pro demortui anima supplex agit ad Christi Domini cruciatus cogitatione lapsa, instituisse obsecrare, vt sibi pro ipso vitam donaret effundere: in eoque precationis æstu cognouisse diuinitus non modò se pro religione occubiturum, sed etiam quo genere mortis occubiturus esset: itaque & Socijs aliàs ex occasione, ac nominatim Leoni Henricio virtutis præstantis viro id prodidisse: & Olisippone inter concionem insolito quodam gaudio exultantem collum cùm ostenderet, se id tanti facere dixisse, quanti rerum humanarum nihil; quod strictum olim pro Christo nobilem sibi præbiturum martyrij palmam esset. Ergo votorum summa potitus suorum quo gaudio triumphauit? At barbari non eo contenti parricidio, sacrilegas in Christi Domini signum injciũt manus; idque per summam impietatem comminuunt obteruntque. Inde iterum rabie in sanctum Martyrem versa, venerandum eius cadauer vestimentis stimulante auaritia exuunt: cumque applicitum carni textum ferro cilicium reperissent, hominem acerbiùs detestatum, tanquam sine dubio veneficus importunissimus esset, qui ita ferro induereturr, reste alligatum attractumque in profluentem amnem abijciunt. Quippe hoc addiderat mendax Mahometanorum impudentia, periculum esse, ne cadauer ipsum tam malefici hominis si sub dio putresceret, veneni sui peste vndique diffusa cuncta corrumperet.
Id quoque præcognitum olim Consaluo ferunt.
236 Atque adeò cùm ab oratione digressus quodam Conimbricæ sancto quodam ardore æstuans in culinam ad famularia ministeria ingrederetur, dixisse, Exerce hoc frater iumentũ, exerce (suum corpus significabat) erit cùm Dei causa raptetur; atque, vt sine nomine ac sine honore lateat, proiciatur in flumẽ. Sublato parẽte vocantur in periculum filij. Etenim Rex, quo cœperat porro
237 ruens furore, Christianos pariter quinquaginta, quos pridie Consaluus vltimum sui Apostolatus partum Christo genuerat, rebus ab eodem donatis spoliari, & morte affici iubet. At id simul atque regni Proceres cognouere, indignitate rei permoti, consensu adeunt Regem; atque, Si hominibus his, inquiunt, moriendum idcirco est, quòd aquam infundi ceruicibus suis ab Myste Langario permiserunt, eadem omnium nostrũm & verò tua quoque causa, Rex, est. Vno omnibus eodemque pereundum est casu, vti pariter

Consalui Martyrium.

Consaluus præsensit se Martyrem fore.

& suum cadauer abiciendũ.

Periclitantur Christiani post necem Consalui.

Digitized by Google

in baptiſmum vnum eumdemque capita dedimus. Hoc conuicium Regis veſaniam coërcuit. Eumdem Luſitani biduo pòſt, ſimul viderunt mora quoque interpoſita ſedatiorem, conueniunt, libereque edocent quàm immani ſcelere ſeſe obſtrinxerit; nec dubitant, poſtquam non modò innocentiam Patris, ſed etiam eximiam ſanctitatem expoſuere, & generis quoque claritudinem opeſque cõmemorarunt, terrores adijcere, denunciantes non Deum modò graui ſupplicio famuli ſui innocẽtiſſimi, ſibique acceptiſſimi, ſed etiam homines viri nobiliſſimi indignã necem bello atque armis vlturos. Rex magnum præſe perpetrati facinoris dolorem ferens, culpa in ſuaſores reiecta, eorum duos, vt fama fuit, occidit: quòd ſanè non difficile creditu facit, vel pœnitentiæ dolor, vel ſimulandi cupido, vel certè vilitas inter Barbaros capitum. Doli auctor Mingoames, & alter, rem odorati fuga ſibi conſuluere. Nec verò falſa vaticinati ſunt Luſitani ſupplicia, vt ſuo dicendum loco erit.

Hunc habuit glorioſum Conſaluus finem nocte, quæ illuceſcebat eo anno in quartam ieiunij magni Dominicam, eamdemque quintam decimam Martij lucem. Vir fuit Conſaluus ad præclaras res agendas humanis, diuiniſque, & naturæ præſidijs apprimè inſtructus, nobili genere, viribus firmis, apta dicendi copia, mireq; prompta, excellenti doctrina: quam laurea quoque Theologi Doctoris ornarat. Sed multò magis ſanctis animi abundabat bonis. Acerrimus erat mundi, ſuiique met contemptor; macerando per inediam, verbera, aliaſque aſperitates corpori, ſilentio item atque orationi deditus extra potiùs, quàm intra modum. Ortus eſt Almerini prope Oliſipponem ſeptimo Kal. Martias anno ſalutis humanæ ſupra ſequimilleſimum vigeſimo ſexto. Parentes habuit Ludouicum Silueriam Sorteliæ Comitem, & Beatricem Cotiniam: quæ liberos viro enixa nouem, dum decimum Conſaluum parit extincta eſt. Ea triduo ante partum vagientis in vtero vocem exaudiſſe fertur: ſiue ipſius caſum parentis portendere viſus ſit præmatura querela; ſiue ſtudium affligendi ſe, & peccata hominum deplorandi inſatiabile, tanquam humanas anticipare calamitates voluerit; parumque habuerit inchoare lucem à lacrymis. Nihil puer, nihil adoleſcens ex oblectamentis earum ætatum adamauit. Ludicra eius ad Deum Cæliteſque precatio, pij codicis lectio, ex copia quæ adeſſet, in egenos benignitas: æqualium puerorum vel tenuiſſimorũ, ſi fortè ægrotarent, aditis ſordidiſſimis tectis, conſolatio, recõciliatio diſſidentium. Amor veritatis tantus (rara laus infirmioris ætatis) vt interrogatus de puerili errore, cùm faſſus eſſet, & increpararetur, quòd non modò ſuſtinuiſſet cõmittere, ſed nec erubeſceret confiteri, dixerit, cum rubore quidem ac dolore fateri ſe; cæterùm erubeſcendũ magis putare mendacium. Egregiam indolem iuuit & Religioſorum virorum à prima ætate vſus. Namque Grammaticã in cœnobio S. Margaritæ ad Luſitaniæ & Caſtellæ fines à Franciſcanis didicit. Deinde Conimbricam ad grauiores diſciplinas miſſus apud Canonicos Regulares S. Crucis domicilium habuit. Hîc Sociorum noſtrorum miratus exempla Mironi ſe extolendum per mentis exercitationem tradidit. Cuius rei ſucceſſum ipſe Miro his ad B. Ignatium verbis ſcripſit: Hîc nobiſcum Proterum vnus, cui nomen Conſaluus Silueria, Societatem inijt, recta admodum mente, eoque ſolùm permotus ſtudio, vt Deum quærat, & omnia præ amore eius contemnat. Ita affectus ad exercitationes ſpirituales acceſſit, animo magna in æquabilitate ac velut æquata lance conſtituto. In ijs cum eximia rerum Chriſti Domini, eiuſque vitæ notitia ad Societatem incubuit, & manere nobiſcum decreuit: quod ante exercitationes perarduum ducebat. Adoleſcens eſt alto grauique iudicio, ad magna factus. Ad æternarum veritatum perceptionem ac ſenſum venit; & inde commotus eſt. Videtur enim impreſſas habere in corde. Validum ac robuſtum eſt corpus: & vigilantia eſt opus in moderanda nimia in ſe ipſum aſperitate: ſed idem apprime docilis & credulus eſt, ſiquid moneas. Egregijs inſtructus eſt dotibus. Res eſt exempli præclari, quomodo ſeſe gerat, intueri. Etenim qui nuper tribus famulis, Magiſtroque morum viro graui ſtipatus incedebat, eum iam in culinæ, alijſque domeſticis operibus videre velut quiſquilias abijcientem ſe; quamque ex animo ea factitet, res eſt profectò vnde Deus meritò magnopere laudetur. Ingens in aula extitit motus eius cauſa: & propinqui, qui ſunt magnæ dignitatis perſonæ, ſtrenuè dimicarunt: ſed eius bene fundata conſtantia & fortitudo tum illis, tum etiam nobis pro miraculo eſt. Hæc Miro in re præſenti de primis Conſalui rudimentis litteris commendauit. Conſaluus inter ipſas exercitationes præter Religioſorum communia vota tria, vltro illa ſuſcepit. Primum, nunquam neque directè, neque artificioſè atque diſſimulanter eorum relaxationem quæſiturum. Deinde, nihil vnquam pro ſpiritualis perfunctione muneris, ne ſtipis quidem accepturũ. Ad hæc nunquam ſua voluntate nec Societatẽ, nec rationem vitæ eius deſerturum: quòd ſi fortè eijceretur, omni ope reditum curaturum: ſique reijceretur, ac ſibi integrum relinqueretur, quid in poſterum ſequi deberet, nunquam aliud vitæ genus ſecuturum. Sin autem Religioſorum Ordinem alium Patres proponerẽt, nutui eorum omnino obtemperaturũ. His rudimentis reliqua ætas præclarè conſenſit. Nihil illo laborioſius in ſalutem animarum, nihil in ſe atterendo implacabilius, nihil à propinquis & humanis neceſſitudinibus cuiuſuis generis alienius. Excelſitas animi, conſtantia, fortitudo in gloriæ diuinæ cauſis aggrediendis ac ſuſtinendis, quanta in nullo propè mortalium audacia. Viſum & ſublimem à terra dum oraret: quædam Vatum more prædixiſſe, aliaque mira edidiſſe, Luſitanæ prouinciæ hiſtoria, & Nicolaus Godinius, qui vitam B. Martyris cum cura Latinè vulgauit, tradidere. Verùm diſſimulandum non eſt ex ardentiſſimo illo diuini nominis, & ſalutis humanæ ſtudio, ex eaq; abſolutiſſima forma religioſæ perfectionis, quam Societati propriam ducebat, factum interdum, vt abripi ſe vir acer longiùs ſineret, quàm moderatæ videretur prudentiæ conuenire: idemque ſagacior ad intelligendum quid fieri oporteret, quàm cautior in actione ad circumſpicienda,

238 *Breuiarij vita Conſalui.*

239 *Ortus & indoles puerilis.*

240 *Educatio.*

241 *Mironis de eo adoleſcente teſtimonium.*

242 *Vota Conſalui, cùm Societati ſe dedit.*

243 *Aptior eſt ad parendum quàm ad imperandum.*

Digitized by Google

ſpicienda, quæ circumſtarent eam ſingula, iudicaretur. Denique meliùs multò inferioris, quàm Præpoſiti implere perſonam. Quin adeò ipſemet pro ſanctæ humilitatis amore non profiteri modò ſolebat, verùm etiam (vt ſcripſit Patriarcha Nunnius) in beneficijs à Deo ſibi præbitis numerare, quòd minùs eſſet ad imperandum idoneus. Cæterùm cùm ſemper ad perfectam enixè virtutem incubuiſſet, animaduerſum eſt magnopere intendiſſe conatum, ac totas laxaſſe habenas, vbi peruenit in Indiam. Anno M. D. LIX. exeunte iam Auguſto quidquid librorum, & ſacrarum reliquiarum, & aliud quiduis, quanquam cum Moderatorum approbatione habebat, ſponte abdicatis, etiã Breuiario paulò elegantiore cum vulgari viliſque mutato inter Nouitios ſeceſſit afflictando corpori, & orando Deo præter ſolitum vacaturus. Mox vbi Prouincialatu abijt, omnes ſubmiſſione ſua parendiſque alacritate mirum in modum commouit: & tanquam id, quod eſt conſecutus, agitaret animo ac præſagiret, aliquot dies recognoſcendis quæ de martyrio docet ſanctus Thomas, inſumpſit. Eaſque verſanti curas oblata eſt ad Cafres profectio. Quam haud facile dictu eſt quanta ipſe alacritate expetierit, quanta ſuſceperit; quantumque talem profectionem difficultatum eius ac periculorum conſcij Europæi iuxtà Indiſque mirati ſint. Poſtremò in tot beati huius Martyris virtutibus erga integerrimam Virginem Dei Matrem inenarrabilis obſeruantia eminebat. De qua ita ſuauiter, frequenter, magnificè loquebatur (vt epiſtolæ eius multæ, quas ego vidi, teſtimonio ſunt) vt præclariſſima tantæ Reginæ exiſtimatione & amore plenum omnino ac redundantem animum ſit agnoſcere.

244 *Conſalui erga Deiparam pietas ſingularis.*

De beato Conſalui exitu perlatis in Indiam nunciis, Antonius Quadrius, id ipſum vehementer optante Prorege, idoneam nauigandi tempeſtatem expectabat, vt Socios aliquot Manomotapam ſubmittèret ad perſequenda incepta. Felix omnino incrementum initijs tam efficaci perfuſis ſanguine promittentibus. Sed ea quoque ſancta vota, ac iuſtæ ſpes ad irritum cecidere, vti à legatione quoque in India ad Idalcanem ſub id tempus deſtinata breuis dumtaxat ſpei fructus effloruit. Nouus Rex Idalcan ſuſcepto poſt patris obitum regno ad Gaſparem Archiepiſcopum Goam ſcripſit, rogans vt aliquot ad ſe viros doctos deſtinaret, quos ad religionem veram aperiendam cum Cacizijs ſuis committeret. Archiepiſcopus Dominicanorum Vicarium, & Conſaluum Rodericium è Societate legit, & Viſaporam iuſſit contendere, ipſemet Goa abeuntes ad bonum ſpatium proſecutus. Magno animo profecti, nihil niſi inanem curioſitatem in iuuene repererunt. Verùm neque Goanum Collegium, quem ſperabat hoc anno Chriſtianorum prouentum tulit. Cauſa hæc fuit: Archiepiſcopus, quem ſub anni prioris exitum veniſſe demonſtraui, incidit in feliciſſimæ eius meſſis inſolitam vbertatem, cùm ingentia quotidie agmina Indorũ ad fidelium cœtum aggregabantur: continuoque quorumdam pecuniæ potiùs, quàm animarum ſtudentium lucris præoccupatus ſermonibus, tanquam inuiti Indi ad baptiſmũ compellerentur; quicumque eſſent ſacro abluendi fonte, ſi in plaga habitarent, in qua parœcia eſſet, quas multas ipſe quoque inſtituit, in ea fieri id iuſſit: ac ſi quando maieſtate maiore celebrandus baptiſmus eſſet, reſeruauit ſibi. Quæ res pio conſilio ab Antiſtite optimo inſtituta, ſucceſſum haud perinde ſortita eſt. Etenim cùm ſinguli, aut certè pauci propè in tenebris, & in angulis ſacra tingerentur aqua; ille autem ſplendor ex Goana magnificentia, ex numero candidatorum, ex nouo veſtitu cultuque, ex nobilitate Luſitana, ac Proregis ipſius præſentia & oculis, cæteroque apparatu abeſſet; cœpit tanti myſterij opinio & cupiditas rudem apud populum, qui vbique terrarum, ſed ibi maximè, oculis ducitur, cadere & frigere. Adempta igitur celebrium baptiſmorum procuratione Goani Socij ad recentes Chriſtianos doctrina moribuſque ſanctis ſtudioſiùs imbuendos incubuere, dimiſſis è ſuperioris anni inſtituto Dominica quaque feria binis ad varias circa Goam Eccleſias catechiſtis, qui cum bono ſemper catechumenorum redibant agmine: è quibus in Collegij templo peregrini modò, nec in certas contributi parœcias baptizati circiter quadringenti. Præcipuus in his fuit Malacenſis Tumungamus (ita appellant, qui iuriſdictionẽ inter Ethnicos Malacæ ſupremam habet) quem & filium Regis Iantanæ ſpurium ferebant. Is quorumdam inſimulatus criminum ad dicendam Goæ cauſam cùm in libera cuſtodia haberetur, quamuis ſæpè tentatus à Patribus nunquam præbere aures ad fidem hortantibus voluit, quoad pependit cauſa. Quippe (ſicut ipſemet poſtea retulit) innocentiæ ſuæ conſcius, documentum religionis Chriſtianæ ex ſententiæ, quæ de ſe ferretur, genere volebat capere. iniquè ſanè è priuatorum hominum facto, quos error aut prauitas ſæpè à recto detorquet, de veritate diuinæ legis & ſanctitate iudicaturus: at Chriſtianos egregiè admonens, quantum priuata cuiuſque vita demere, vel addere auctoritatis religioni ſanctiſſimæ queat: cui profectò ſi mores noſtri reſponderent, nulla eſſent acriora hortamenta, nulla potentiora miracula ad mortales omnes in eius obſequium beata captiuitate ſubdendos: nec iam (vt ſancti viri pronunciant) alienus ab ea quiſquam ſupereſſet. Tumungamus igitur vbi abſolutus eſt, totumq; iudicium ſincerè ac iuſtè tractatum vidit, tum demum vltrò obtulit ſeſe baptiſmo. In Collegio S. Pauli cum ſua familia rudimentis fidei præparatus, ingenti pompa, gratulatione populi, ſuiq; animi lætitia ad ſanctum admotus fontem, Franciſci nomen accepit. Præterea renatorum in numero fuit puer octo circiter annorum, paralyſi in eum locum redactus, vt pro depoſito Ethnici parentes baptizandum deferri ad Patres iuſſerint, addita vltrò conditione, vt, ſi fortè conualeſceret, vitam noſocomio miniſtrans omnem exigeret. Huic, ſimulatque ſacris elutus eſt aquis, quædam Petrus Alfonſus è Societate laicus, qui noſocomio præerat, medicamenta adhibuit; verùm ita redijt valetudo, vt nemini dubium fuerit, quin diuina ſalutaris lauacri virtute reuocata ſit. Poſtridie enim ad noſocomium ſe puer ſuis pedibus lætus & exiliens retulit. In Goano Semi-

245 *Legatio ad Idalcanem Regem.*

246 *Refrigeſcit Indorum conuerſio ſublata baptiſmorũ magnificentia.*

247 *Ex factis Chriſtianorum Ethnici de religione iudicant.*

248 *Vis ſacri baptiſmatis.*

nario

nario præ cæteris magnæ spei adolescentibus vnus educabatur nomine Laurentius, quem Rex Soloris miserat Christianis cùm disciplinis, tum moribus probè formandum. Hic Rex à mercatore (vt suprà docui) Christianâ legem edoctus, & sancta initiatus vnda Malacam duobus antè annis scripsit ad Patrem Balthasarem Diazium, rogans, vt ad se suosq; populares diuina planiùs lege imbuendos doctoré mitteret: cumque Pater socijs destitutus cum ingenti animi dolore nequiuisset præsentem opem afferre, Rex, cui liberi non erant, fratris filium, qui olim magister inter suos esset, erudiendum vltrò transmisit: isque in Goano Seminario in spem magnam educabatur hoc tempore. Cocini dubitatum hactenus an Collegium, an Professorum domus statueretur: sed ad initium Collegij, qui Grammaticam doceret Goa Quadrius hoc anno ire iussit. Ibidem templo Deiparæ fastigium impositum. Bazaini amplius ac magnificentius, vt oppidi frequentia, & messis copia postulabat, ædificari

249 *Superstitiones sublatæ.* cœptum. Hîc ad superstitiones Ethnicorũ euellendas cùm alia, tum illud effectum est. Ethnici, postquam in balneo, quo priùs ad expiandos, vt rebantur, à noxis animos abluebantur, Patres superioribus annis templum sanctæ Cruci dedicarant; ad stagnum sex ab oppido passuum millibus transtulerant superstitionem, persuasum habentes, qui ibi certo die lauarent, noxa & pœna omni exemptum iri. ad hæc (quod certum ac præsens erat Satanæ lucrum) vnus quotannis, qui se maximè probare pium volebat, in stagnum ex arbore in id impendente desiliens, nunquam postea apparebat. Hoc cognito Pater Christophorus Acosta ab Lusitanorum Præfecto manu militum impetrata, quo die impium fiebat sacrum, fugata Ethnicorum turba, comminutis eorum simulacris, fanis incensis, & præcelsa in eodem tractu statuta cruce, postremò stagnum vndique vaccæ sanguine & intestinis, quod piaculum est apud Ethnicos inexpiabile, contaminauit, Ita sordes abactæ sordibus, tartareæ bubulis: quod mirere; cùm adeò spurcitia omni dæmones oblectentur.

250 *Patris Marci Prancudi res Damani,* Prancudus Damani præ cæteris nobilem feminam ad Christum conuertit, coniugem Præfecti, qui Damanum ipsum, quo tẽpore captum à Constantino est, obtinebat. Bello instante hãc feminam vir Surratum amandabat, cùm à Lusitanis intercepta, felici (quemadmodum nominare ipsamet postea consueuerat) seruitute, filiorum Dei libertatem adepta est. Non illa leuiter, neque continuò dedit Euangelio manus: verùm quanta cunctatione susceperat, tanta susceptum constantia tenuit. Legati à viro ad eam tentandam missi, atque ipsa eius mater nec aduenire dubitauit, nec vllum obtestationum, blanditiarum, lacrymarum, atque eiusmodi lenium tormentorum genus destitit admouere. Sed contrà Christiana heroina matrem quidem vicissim acriter obtestata est, vt ipsa quoque Christiana fieret, denuncians si id respueret, haud ampliùs sibi parentis futurã loco: legatos autem post longam altercationem molestè sibi caput perseuerantes obtundere, Patris Prancudi admonitu aggressa coram ijs catechismum pronunciare, & crucis sibi formare signum, repentè ab se quasi dæmones dispulit. Idem Pater anno ineunte 251 *& Surratis.* Surratum contendit, quòd Cadamessanus, cuius in dominatu oppidum illud & arx erat, ortus parentibus Christianæ fidei desertoribus, significauerat de religione consultare se velle. Verùm Mahometani Cacizij subterfugere certamẽ. Cadamessanus multa quæsiuit disseruitque, & cuncta valdè probans, nihil certi statuens non procul ab regno Dei relictus est. Prancudus paulò 252 *Mittitur in Molucas.* pòst reuocatus Goam Nouitijs instituendis præfuit, quoad in Molucas discessit. Eius in locum Arias Brandanus Damanum profectus ad cæteram messem octoginta Mahometanorum, quæ pro nationis pertinacia non leuis est summa, traduxit ad Christum.

Sextò Idus Septembris nouus Prorex Goam 253 *Comes de Redondo Prorex Indiæ.* attigit Franciscus Cotinius Comes de Redondo. Sex cum eo de Societate aduecti Balthasar Pigna, & Paresia sacerdotes: laici Cõsaluus Rodericius, & tres Itali Ioannes Baptista Regius Mutinensis, Ioannes Baptista Ferrariensis, Stephanus Dinis, optimum Indis futuri subsidium, vti fuerant in via comitibus: quibus eas ad animi corporisque salutem opportunitates attulerant, vt vulgò dicerent bene agi cum ea naui, in qua aliqui de eo genere veherentur; curandumque, vt quanquam nulla præterea esset eundi causa, tamen in qualibet semper veherentur nonnulli, qui vectoribus in tam longa periculosaque nauigatione præstò essent. Illud prudenter de eo- 254 *Prudentè consilio inimicitiæ ponitur finis.* rum consilio ac monitu statuit Mozambici Prorex. Non rarò fiebat, vt conceptę longo in cursu inter milites aliosque vectores inimicitiæ, quibus quasi arena in mari defuerat, tum demum, vbi primùm Mozambicum appellerent, loci opportunitate in singularia certamina, indignasque cædes erumperent. Ea causa vetuit Prorex, qui inter se dissiderent, nisi priùs simultates posuissent, è naui pedem efferre. Ita pax, terræ amore, inter complures redintegrata, & multorum facinoribus intercisa maturitas. Auctus etiam operarum in India numerus est, cùm octo Goanorum Sociorum sacerdotio, quos Patriarcha initiauit, tum Emmanuelis Aluarij, & Ioannis Roscij post longum tandem tempus, plurimumque æruminarum aduentu. Nauis, cui Sanctus Paulus 255 *Longa & misera nauigatio nauis S. Pauli.* nomen, in qua Emmanuel & Ioannes ibant, vnà cum alijs quinque (vti suprà memini) priore anno Olisippone profecta, perdiu in Guineę detenta plaga ad recreandos ægros, quos permultos exustæ plagæ vapor afflixerat, nouumque imponendum viaticum, flexo in Brasiliam cursu decimo sexto Kalend. Septembris anni proximi Sanctorum omnium Bayam tenuit. Erant ibi Pater Ludouicus Grana, & Pereria, qui valdè Sociorum lætati conspectu, ipsis cæterisque vectoribus omni officij genere succurrerunt. Rodericus Mellus naui prærat. Nobiles multi vehebantur, in quibus & Iacobus Pereria Vasconcellus cum vxore, & familia. Recreatis magna ex parte ægris instructaque affatim naui sexto Nonas Octobris è Brasilia discessere. Rarò extra certas tempestates, quas studiosè captare necesse est, nauigatio illa succedit. Ergo magnis dies multos fatigati imbribus, decimo septimo Kalend. Decembris

in

in conſpectum promontorij Bonæ ſpei venere: tertio inde die promontorium præteruecti, ingẽti à puppi propellente vento, nequaquam flexo ad Mozambicum, vti fermè fit, curſu, ſed recta nauigantes inſulam conſpexere nunquam antea ab quoquam notatam ab Æquatore in Auſtrum duodequadraginta partibus diſtantem. Quæ deinde in quaſdam geographicas relata eſt tabulas nullo nomine, ſed eo tantùm cum titulo, quòd ad eam nauis Luſitanorum, cui à S. Paulo fuit nomen, appulerit; quanquam epiſtola à Patre Emmanuele diligenter perſcripta nequaquam factam in eam exſcenſionem ait, ſed tantùm procul tribus quatuorúe leucis conſpectam. Poſt longum per maximam Oceani vaſtitatem nullo terrarum aſpectu errorem decimo tertio Kalendas Februarias anni, quem nunc exequimur, inſula quam Auri appellant, propè Æquatori ſubiecta, triginta ab Somatra leucis apparuit. Hîc tempeſtas pridie coorta adeò fœdum in modum inhorruit: fluctuſque adeò immanes voluebantur, cùm ſimul inter ventorum inenarrabilem ferociam aquarum eluuies vaſtá rueret, vt cunctis de ſalute deſperantibus, periti quoque & plurima experti nautę faterentur nihil ſibi vnquam vſque eò horrificum toto oceano contigiſſe. Inter eos terrores ad enuncianda peccata, & abſolutionem auferendam certatim accurritur. Emmanuel (is enim vnicus ſacerdos aderat) ſic, vt miſerabili in tumultu licebat, omnibus præſtò erat. Amici æquè inimiciſque cum lacrymis ſeſe amplexantes vltro citroque veniam petere: tanquam ſupremo in articulo vltimum ſalutare. Diem ac noctem ea tartarei barathri ſimilis horrori funeſta rerum facies tenuit. Vbi poſtremò ſe paulùm aperuit lux, circumiectæ vndique apparuerunt terræ: nihilo tamen minùs æſtuoſiſſimo in freto huc illucque pro vndarum inſania iactabantur. Deniq; iactis fruſtra duabus anchoris lacera atque exarmata nauis vi tempeſtatis abrepta ad breuia prope inſulam paruam, quam è regione Somatrę dicebant eſſe, alliditur figiturque cum miſerrima hominum comploratione & vlulatu. In eam inſulã vectores vel ſcapha delati, vel tabula quapiam electi, merſis non paucis, qui vel peritiores, magiſque ſibi fidentes, vel temere præ mentis perturbatione delapſi in aquas enatare non potuere. Trepidè item è naui, antequam penitus ſolueretur, quidquid & cõmeatus, & mercium, & nautici inſtrumenti potuit, ſubductum in terram. Emmanuel ſimul ac in vnum coactos vidit, monere & cohortari inſtitit, vt ante omnia debitis erga Deum officijs fungerentur. Itaque tum periculis alijs, nouiſſimoque naufragio infirmitatis humanæ admoniti, tum ſeruatæ grati ſalutis, tum demum ad opem in id, quod reſtabat, quod neſcirent cuiuſmodi eſſet futurum, impetrandam ad Deum confugerent: illum ſuper omnia ſtuderent placatum habere: ſumma omnium malorum peccata declinarent, commiſſiſque ad hunc diem accurata confeſſione deletis, velut renati vitam nouam, longeque anteacta ſanctiorem exordirentur. Cæterùm tum, ſi vnquam, animaduerti maximè potuit, quoſdam hominũ nullo corrigi malo. Dum ea maximè Emmanuel inclamat, haud paucos in alienis rebus è naufragio rapiẽdis occupatos vidiſſes ita auidè, vt multa vel in inſulæ eius latebris occultarent, & foſſã humo obruerent. Mox grauis oritur ſeditio. Roderici Melli, qui in naui præfuerat, iam imperium detrectabant; grauiſſimè autem ac palàm in nauis magiſtrum inuchebantur Ioannem Ludouicum nomine, ſanè parum felicem rei nauticæ adminiſtrum. Quippe idem ille erat, qui anno M.D.LV. facto item naufragio, partem vectorum, cum quibus tres de Societate manſerunt, in inſula deſerta reliquit, vbi & fame plerique perierunt. Id ipſum igitur tanquam in præſentia moliretur, naufragorum turba ſuſpectum hominem & odioſum habebat. Hac in ſeditione cohibenda opportuna fuit Emmanuelis pietas & induſtria, vnum illud inculcantis in vltima calamitate nihil fieri pernicioſius, & ad funditus omnia perdenda aptius diſſenſione, ſeparatiſque conſilijs: contraque nihil ſingulis ſalutare magis, quàm quod in commune conſuleretur. Mouit inſuper contentionem atque diſcordiam cibariorum diuiſio: neque aliter potuit ſedari, quàm vt Emmanuel ipſe curam eam conſilio communi delatam ſuſciperet. Iam purgato loco prædenſo in nemore, communitiſque in morem caſtrorum ſeptis metu Barbarorum, Chriſti quoque ſacerdos ædiculam ſacram ornarat, in qua & confeſſionibus dabat operam & concionibus & precibus, & ſingulis diebus publicam habebat per Litaniarum carmen venerationem Sanctorum, identidem excogitans, vnde pietas miſerorum excitaretur. Nam & vltrò verberantium ſeſe ſupplicationem inſtituit. Inter quæ ſedulò è fractę onerariæ reliquijs eaque materia, quam ſuppeditabat inſula, nauigij aliquid concinnabatur, cùm cœperunt atro colore Barbari apparere: qui nutibus & blanditijs pellecti, cùm promiſiſſent aliquid ad victum allaturos, Luſitanorum vagos quoſdam, dum palmulas, aut aliquid ſilueſtrium pomorum quæritãt, deprehenſos mactarunt. Cumque interdiu rari admodum conſpicerentur, ac ſubinde alios atque alios ex aduenis interciperent necarentque, refugiebant in nota latibula: quæ propter impenetrabilem ſiluæ denſitatem perueſtigari non poterant: noctu autem ingentes audiebantur velut ingentium cateruarum clamores. Quæ res magno miſeros naufragos ſuper cæteras calamitates metu angebant, nequa ex improuiſo ingrueret. Iam nauigiorum opus perfectum erat. Tria elaborarant, vnum formæ ſatis capacis lembo ſimile, ita partitum, vt in id feminæ imponerentur, quæ erant ad triginta honeſtorum fermè mercatorum coniuges, vel earum ancillæ: ſcaphas duas, quarum alteram ſuo magnã ex parte ſumptu & opere Petrus Aluarius hyponauclerus ædificauit ornauitque: altera eadem erat, quæ priùs onerariam ſequebatur, in paulò maiorem amplificata formam. Cæterùm non maior hinc lætitia, quàm tumultus ac deſperatio exorta. Quippe cùm per nauigiorum anguſtias magna vectorum pars excluderetur (Quod quidem antè Pater Emmanuel nunquam deſtiterat præcauendum monere: ſed fortaſſe vitari non potuit. Poſtea verò ſumma idem inſtitit ope, vt merces, & quæcunq; potiùs onera, quàm vllus hominum delereretur.) poſt multas alter-

256 Naufragiũ.

257 Hominum quorumdã prauitas propè inemendabilis.

258

259 cationes, ita conuentum, vt ad fluminis ostium leucas inde quatuor, vbi palmeta plura, & statio tutior videbatur, migrarent, valentiores terra, reliqui mari. Sed nihil miserabilius fuit eo delectu, per quem alij recipiebantur in nauigia, alij destituebantur ignoto in litore. Hi enim & Barbarorum timentes impressionem, & multò magis fidei diffidentes nautarum, tendebant supplices manus, vt se quoque acciperent, quoad altitudo aquæ permitteret, mare ingressi: at validiores iam quidquid sarcinularum tam cupidè modò legerant ac seruarant, obliti (adeò in contentione vitæ cuncta vilescunt) nudi perlongo tractu ad nauigia ipsa natatu tendebant; ijq;, postquam primi recepti sunt, deinceps tam multi, vt demum non vocibus modò, sed fulgentibus gladijs repellendi essent miserabili necessitate, ne & multitudo degrauaret nauigia, & terra ituri opportuniores iniuriæ paucitate & imbecillitate
260 relinquerentur. Alterum illi Sociorum nostrorum optarunt comitem: cumque se Emmanuel offerret, Ioannem Roscium prætulerunt, rati opinor, Emmanuelis, vtpote sacerdotis, auctoritatem plus habituram ponderis apud nautas ad fidem exigendam, & succurrendum relictis. Pro ductore etiam ac simul obsidem celebrem cùm Christiana, tum militari virtute virum postularunt Petrum Diazium nomine, qui Lusitanus genere, domicilium habebat & coniugem Meliaporæ in colonia sancti Thomæ. Et ille præclaram de se opinionem affirmans perlibenter descendit, sociumque se peditibus in omne discrimen adiunxit. Ita demum post sextum ac sexagesimum ab naufragio diem, quinto Kalendas Aprilis iter ineunt. In lembo centum ac viginti capita vehebantur: in scapham Petri Aluarii triginta, in scapham onerariæ septemdecim recepti: centum octoginta tres terrestri pergunt itinere. Cæterùm iam destinatum ad conueniendum fluminis ostium præteruehi cùm videret Emmanuel, haud destitit palàm admonere datæ fidei Præfectum, & obtestari, ne tam multos vel fami, vel Barbarorũ immanitati conficiendos obijceret. Ille tamẽ duos dies quarumdam insularũ legens oram, nauigare perrexit, ex-
261 plorandis (vt vero simile) regionibus. Sub auroram diei tertij procul in mari cernitur nauigium ex ijs, quos præcipuę apud Indos magnitudinis Iuncos appellant. Cumque visum esset explorandum quid spei afferret, ambæ scaphæ cum lectis militibus, & cum sua quæque minoris formæ bombarda, quos Berzos vocant, accedunt, ac statim rogant, num quid venale ad victum habeant, num ipsum vendere iuncum velint. Ad quæ Barbari respondent se Acenos esse (sunt hi Ethnici ex insula Somatra Lusitanorum capitalissimi hostes) nec mercaturam exercere, sed pugnam. Ab hoc responso hinc atque hinc bombardarum sclopetorumque explosio, aliorumque telorum missio. Denique capitur iuncus: nec multò post duo insuper nauigiola, quas Lanciaras nominant, in quibus & aliquid commeatus inuentum, in potestatem venere. Continuò Pater Emmanuel ad solandos in litore desertos, nunciandumque missam propè diuinitus omnes auehendi opportunitatem destinatur. Quibus lætissimus accidit nuncius, quòd & periculis maximis, & Barbarorum incursu, & fame ac multò magis desperatione se planè proditos iam existimãtes, afflicti ac semiuiui iacebant. Multò autem fuit gratulatio maior, vbi paulò pòst vniuersi conuenere. Cunctis in nauigia distributis iam meliore cum spe, & nonnulla specie classis nauigia sex numero sinum ingentem, quem Somatra insula efficiebat, secabant; cùm orta iterum tempestate dissipantur magno omnium dolore, ingentique eorum periculo, quos Barbaris erepta nauigia vehebant, cùm ea nec satis firmo textu, nec picata multum aquæ acciperent. Verùm post noctem ac diem superato sinu ac promontorio iterum in vnum coactis indigenæ conspecti in litore sem bonam restituêre. Interrogati enim de Monacabio Rege Lusitanorum amico, responderunt haud procul inde fluuium esse: in quo non Regem, sed eius filium inuenire possent nihilo parente minùs beneuolum Lusitanis. Eo nuncio vehementer ex-
262 hilarati, demonstratum ad locum procedunt: verùm cùm mare ferueret, dum amnis ostium paulo angustius subeunt, nauigia quædam inter se ita implicantur, vt iuncus vadis inhæserit, nec sine rerum iactura, ægrè saluis hominibus extemplò perierit. Cæteris nauigijs ad fluminis ripam applicitis continuò Barbari magno cum cibariorum numero adfuerunt. Idibus Aprilis ipse, quem Regis aiebãt filium, secundo flumine cum festo tintinnabulorum ac fistularum cantu descendit. Dona primùm Mellus ad eum misit, dein in colloquiũ venit. Ac Regulus inde exorsus, se nequaquã dona à naufragis expectare, verùm omnia, quæ opus forent ad seruandam multitudinem abunde prouisurum, Xarauandario (quod est genus magistratus, & dicitur quasi maris custos) mandat, vti benignè, quæ vsui sint, vel vendat, vel permutet. Lusitani comitate Reguli, tum Xarauandarij, & gentis vniuersæ, quæ cum rerum venalium magna copia quotidie commeabat, vtendum rati, ad respirandum, & colligendas tantisper vires, & instruenda nauigia aliquot dies subsistunt: multique in litus egressi tuguriola sparsim extruunt, in quibus & pernoctabant. Pater Emmanuel tametsi tantam securitatem ac negligentiam minimè probabat, tamen ausus est & ipse se ad capiendam quietem terræ committere. Postremò & Iacobus Pereria Vasconcellus valetudinis causa, vnaque vxor eum curatura descendit. Sed posteriore nocte qua is fuit in litore, cùm vehementissimi imbres ac venti longa vigilia fagitassent, ac demum sub auroram mitiore iam tempestate somnus fermè omnes oppressisset;
263 repentè clamor, vlulatus ac tintinnabulorum strepitus ingens ab superioris amnis parte maior ac maior, prout Barbari appropinquabant, accidit. Inde alij super alios Lusitani vix præanhelitu ac trepidatione sui compotes, decurrunt ad arma, &, Proditi sumus, alternis vocibus clamantes. Proditione comperta paucis in tanta consternatione armorum subit. Qui nauigia habebant in flumine, continuò subducunt à ripa; qui descenderant in litus, vel in manus incidêre Barbarorum, vel desiliere in flumen, vt ad nauigia

Naufragorum iter.

Quædam nauigia capiunt.

Perinfidiæ male necantur.

Digitized by Google

gia adnatarent. Ipse quoque Pater Aluarius defecit se, terque prægrauantibus vestibus in profundum raptus, tandem Deo iuuante ad lembum emersit. Multos tamen nandi imperitos hausere vortices; multi intercepti occisique à Barbaris: in ijsque prænobiles quidam: alij grauiter saucij cùm euasissent, ex vulneribus postea perierunt. Pereria Vasconcellus coniugem inter fugam oblitus, nunquam postea quid illa factum esset, resciuit. Nobilis alius dum coniugem præ se in flumine ad nauigium agit, & contegit, telis proditorum confixus occubuit. Alia miseranda euenere: nec rerum damnum modicum factum est. Decimo quarto Kalendas Maias ab omnibus rebus, vt subito in tumultu imparatis, & plerisque nudis fugiendum fuit, directo cursu ad proiectum quemdam, vbi sperabant insulæ finem. Vbi eò venerunt, vastum alterum inuenere sinum: quem præcidentes per varios casus, iterumq; inuicem seiuncti ac demum consociati ad euripũ valdè periculosum deferuntur, prope quem Sundam esse sperabant. Eo ægrè superato, complures instar piscatoriarum apparent cymbulæ. Dumque missa ad eas scapha de regione sciscitatum, illæ videntur recedere, ecce tibi nauicula in conspectum venit, quæ è regno Calapiæ veniebat. In ea fortè Lusitanus aderat iuuenis, qui Lusitana agnoscens insignia cum infinita vtrimque gratulatione se prodens, docuit, quam è regione cernerent Sundam esse: ibi stare bonam Lusitanorum classem, eique Petrum Barrettum præesse. Eo læti nuncio tertio Kalendas Maias in Sundam venerunt, egressis obuiàm Lusitanis cum omni genere officij, apparatuque rerum ad vestiendos naufragos ac recreandos. Consaluus Vazius Carualius optimæ vir per totam Indiam famæ, beatoque olim Xauerio peramicus vt cognouit inter naufragos è Societate duos esse, conquisitos vt apud se haberet contendit: adeoque hospitaliter habuit, vt Patres iam se domicilium Societatis inuenisse & fraternam Sociorum caritatẽ arbitrarentur. Nec Carualius ijs dumtaxat, sed cæreræ quoque miserorum turbæ omni genere benignitatis leuamento fuit. Ad hæc ipsemet, tametsi iam in Sinas

264 *Malacam veniunt.*

nauigare statuerat, quò negotiorum vocabat ratio, tamen vt tutos ab Acenis deportaret, iter Malacam vertit, non sine aliquo pecuniæ detrimento, sed insigni cum incremento caritatis. Malacæ tum erant Socij duo P. Hieronymus Fernandius, qui successit Balthasari Diazio, & Franciscus Georgius laicus. Ab his Emmanuel ac Roscius consuetis officijs excepti eis vicissim magno adiumento fuere. Interim enim dum idoneã ad nauigandum Goam tempestatem expectant, Emmanuel & ceteris sacerdotum munijs functus

265 *Primus Malacensis Episcopus.*

est, & concionibus operam dedit. Septembri mense Malacam primus eius ciuitatis Episcopus Georgius à sancta Lucia venit; qui continuò Societati ædem Deiparæ haud dum vllam propriam Malacæ habenti attribuit. Cum eo venit, Malacensi domicilio præfuturus, vnà cum duobus socijs Christophorus Acosta, qui Bazaini fuerat. Sub id tempus etiam Marcus Prancudus Malacam appulit cum duobus sacerdotibus ac tribus laicis (quorum duo ibidem sacerdotio initiati sunt) ad Molucas tendens rem Christianam procuraturus valdè laborantem, & Socios pro Francisco Viera vita hoc anno sanctè functo, recturus.

Iaponiam duo tantùm hoc anno sacerdotes habuere Cosmus Turrianus, & Gaspar Villela. Nam Balthasar Gagus tum ad accersenda subsidia, tum alias ob causas, quas proditas haud reperi, sexto Kalend Nouembris, anno priore vnà cum Roderico Pereria, cuius valetudo Iaponium non ferebat cælum, discessit in Indiam, fœdaque tempestate iactatus, anno ampliùs in via consumpto, nec minoribus dein Acenorum defunctus periculis, tandem applicuit Goam. Tantis igitur in angustijs Iapones Socij destituti præter labores maximos, imis angebantur sensibus, quòd nec ad parata conserenda noualia, nec ad maturas demetendas segetes operarum manus suppeterent. Octo iam præcipuis locis seri Euangelium cœperat, Funaij in Bungo, itemq; regni eiusdem in oppido, cui nomen Cutami: tum Firandi, Facatæ, Cangoximæ, Amangucij, Meaci, & Sacaij. Alij præterea populi vt ad se cultores mitterentur, precibus summis instabant. Itaq; nili auxilia deessent agricolarum, spes haud dubia messis amplissimæ affulgebat, eo etiam amplior, quòd Rex Bungensis præclaris ex hoste potitus victorijs, regionem longè lateque pacarat. Bungensem Ecclesiam, quæ florebat maximè, Cosmus Turrianus regebat. Hoc anno primùm litterariæ in Iaponia scholæ haberi cœptæ. Cùm enim Cosmus animaduerteret Christianos pueros, dum ad Bonzios litterarum Iaponicarum causa Magistros adeunt, pessimos vna mores condiscere; iuuenem Iaponem Damianum nomine viginti annorum circiter, cupientem in Societatem adsciscì, ac dudum inter Socios agentem, iussit ludum aperire. Quę res non ad mores solùm, sed ad doctrinam quoque mirum in modum valuit, cùm plus apud Damianum pueri vno discerent mense, quàm olim apud Bonzios quatuor. Quo in munere, quoniam ad euangelizandum Ethnicis dimittendus mox Damianus fuit, qui succederet propè diuinitus Firando venit. Erat Firandi Christianus senex quintum & sexagesimum agens annum, scriba Reguli, ac magno apud eumdem in honore. Is parum sibi vitæ superesse intelligens, componere animæ suæ rationes, & quia nusquam erat vicinior sacerdos, Bungum confessionis causa petere statuit. Non ignorabat eam profectionem ingratam Regulo suo futurum: & reditum, quo familiam sustentabat, ab eo fortassis ereptũ iri. Idcirco rem totam cum vxore antè communicauit: quæ cùm eius consilium Christianæ sinceritate feminæ vehementer probasset, monuisseque vt quàm occultissimè discederet, nauigium ille conscendit. Postero die Regulus Firandensis cognito senis discessu, à vicino Dynasta amico suo, in cuius dicionem peruenerat, postulauit, vt teneretur. Ita datur in custodiam, & malè accipitur. Regulus, qui reuocarent, ipsiusmet senis necessarios misit: quibus ille respondit, certum sibi esse potiùs mori, quàm cœptum iter omittere: & ab vxore accepit litteras, quibus virili animo ad constantiam hortabatur, adnuncians, se quoque breui casuum

266 *Iaponia status.*

267 *Initium scholarum in Iaponia.*

268 *Senis Iaponis constantia.*

Digitized by Google

ſuum omnium conſortem fore. Manſit in ijs ſolicitudinibus ærumniſque ſenex, quoad Pater Coſmus de tota re admonitus, à Bungenſi Rege epiſtolam impetrauit, per quam Rex ipſe Dynaſtam, à quo ſenex tenebatur, rogauit, vt eum ſibi graui ſanè de cauſa neceſſarium traderet. Is, qui Regis epiſtolam tulit, optimum ſenem reperit ſancta plenum humilitate ac fide in Deum, memorantem indignum ſe, qui in Bungum confeſſionis cauſa deduceretur. Quotidie flagellum, aliasque ſponte ſubibat pœnas: & aſſiduè cum Deo verſabatur in precibus. Denique Funaium perductus nullum finem faciebat laudandi Numinis, eique gratias agendi, quòd ad votorum ſe metam ſuorum perduxiſſet, ea vultus alacritate, eoque feruore, vt & ſuauiſſimum ſenſum pietatis tum intuentibus excitaret, & nunc meritò poſſit rubore omnes perfundere, qui cæleſtibus præſidijs per diuinã indulgentiã affluentes per ſuam ignauiam non vtuntur. Hunc igitur, quoniam diuerſari apud Patres voluit, Coſmus quippe optimè ſcientem ſcribentemque Iaponicè, pueris inſtituendis præfecit. Nec paucos manu ſua libellos deſcripſit, ita diligens ac laborioſus, quanquam tantæ ætatis, vt nunquam quiſquã ceſſantem, nunquam parcentem affecto corpori cerneret. Per idẽ tempus nobilis mulier à dæmone agitata inſano cum vlulatu incituq; ferebatur per campos. Hanc, vti ipſa per requietis interualla flagitauerat, Chriſtianis præceptis rite imbutã Coſmus in magna Chriſtianorũ corona Dominico die luſtrare baptiſmo conſtituit. Erat mulier tum ſanè tranquilla, ſed cùm primũ ſalutis aqua tetigit caput, ita ſe repentè concuſſit vehementer, inque clamores ita immanes erupit, vt quotquot aderãt, terrore compleuerit. Tum Coſmus à quatuor viris apprehẽſam teneri ad finem vſque ſolennium baptiſmi cerimoniarum iuſſit. Quibus abſolutis in terram ſemianimis lapſa inter manus referenda in hoſpitale cubiculum, vbi degebat, fuit. Ita intemperiæ omnes, dæmoneſq; abacti. Ex eò enim tempore nullum eiuſmodi poſtea incommodum perpeſſa eſt. Inde & Chriſtianorũ aucta fides; & maritus feminæ, qui erat è Bungenſis Regis familia, vnàcum liberis, cognatis & famulis ad Eccleſiam acceſſit.

269 *Confeſſionis beneficium magnifaciendum.*

270 *Sacri baptiſmatis virtus*

271 *Bungenſiũ Chriſtianorum feruor.*

Iam Bungenſium ardor Chriſtianorum is erat, ea in templo aſsiduitas, tantus ad ſacra concurſus, interque diuinam rem ea modeſtia, ſubmiſſio, attentio, ſuper hæc in ſe diuerberandis conſtantia ac ſeueritas eiuſmodi, vt qui fuſè hæc deſcripta in miſſis inde litteris legat, Ægyptiorum Anachoretarum potiùs, quàm Iaponum neophytorum acta ſe putet legere. Haud minor in cæteris Eccleſijs efflore ſcebat ad pietatem indoles, ſi par obtigiſſet inſtitutor & rector. Ex ipſis neophytis, ac ferè, qui Bonzij fuerant, ſubſtituti erant vicarij Magiſtrorum; ijque certatim ac populus officio ſuo defungebantur. Tamen ad eos ſolandos quempiam interdũ è Socijs mittebat Coſmus. Atque hoc anno cùm Chriſtiani Facatenſes, & præſertim vnus primorum, miſſis nuncijs vehementer inſtitiſſent, vt aliquis ad ſe mitteretur, Ludouicum Almeidam ire iuſſit. Is

272 Funaio initio Iunij profectus ſecum Melchiorem duxit Iaponium iuuenem miræ in dicendo ſuauitatis. Facatam appropinquanti Chriſtiani complures ad multum viæ ingenti cum gaudio obuiàm effuſi. Duodeuiginti dies apud eos moratus ad ſeptuaginta capita fidelium adiecit choro. Duo in his Bonzij fuere Iaponicarum religionum apprime periti; cum quorum altero grauis ætatis, qui Regis Amanguciani concionator fuerat, ſeptem dies diſputando interrogandoque conſumpti optabili euentu. Nam & ipſe cognitæ veritatis ſalutarẽ iugum accepit, & eius exemplum ad vulgus potentiſſimum fuit. Et quoniam Deus mirandis etiam beneficijs ſancire ſancti Euangelij auctoritatem volebat, & animos ad ſe allicere Ethnicorum, multos grauiter ægros Almeida diuina ope ſanauit. Id adeò patuit in elephantiaci curatione. Nam aliquot alijs ſanatis concepta ſpe ingenti Chriſtiani etiam hominem lepra fœdiſſima coopertum adduxere: cumque negaret Almeida ei ſe poſſe facere medicinam, tamen, ne planè mœſtos dimitteret, perfacili medicamento præſcripto, ægrum redire ad ſe poſt diem tertium iuſſit. Redijt ille, ſed ita ſanus ac nitidus, & abſque vllo morbi, qui inſanabilis habetur, veſtigio, vt Almeida ad hominis conſpectum obſtupeſcens, apertè denunciarit Chriſtianis, ne ſanitatem pharmaco, ſed Deo Domino, fideique ſuæ adſcriberent. In exitu Iunij Facata diſcedens, in inſulam Tacuximam ambitu paſſuum ſex millium in ditione Antonij Firandenſis venit. Inſula, inquit Almeida, ſi vlla eſt Angelorum, hæc profectò eſt. Adeò in templo, & in cultu pietatis delicias habet. Præerat eorum inſtitutioni excellenti virtute vir olim Bonzius. Ædem habebat, quę idolorũ antea fuerat, in veri Dei iam domicilium verſam: cuius reditu, itemque eleëmoſynis, quas Sodales, quibus à Miſericordia cognomen, erogabant, non modò ipſe inſtitutor alebatur, ſed etiam inopes peregrini: qui ſatis multi religionis eò cauſa ventitabant. Eadem in cæteris tum Eccleſiis Iaponiæ vigebat pietas. Quo fiebat vt ad peregrinationes in ijs regionibus ſarcinarum nihil neceſſe eſſet, cùm omnia gratis ac ſedulò prompta eſſent non alimenta modò, ſed etiam maritimo itinere cymbæ, terreſtri comites & iumenta. Quæ ſi recuſares, iniuriam ſibi fieri crederent, quaſi inter Chriſtianos minùs officioſis. Almeida è Tacuxima in maiorem inſulam Iquicuquim traiecit: quæ ex incolis circiter bis mille quingentis, octingentos fermè cenſebat Chriſtianos. Ædem ſacram habebant, ſed exiguam: itaque cùm confluentes ad catechiſmum non caperet, aream pro veſtibulo ſtoreis contexere. Erat ædes plano loco, arbuſto vndique denſo, & ad aſpectum iucundo obumbrãte. In imis gradibus modicum erat ſtagnum, in quo pauperes abluere ſolebant pedes, ne ſtoreas, quibus ædis ſolum conſtratum erat, contaminarent. Quod alias etiam inituris domos, præmunditiarum ſtudio, eſt in more Iaponibus. Ab hoc templo diſtabat pagus Chriſtianorum tria propè milia paſſuum aſpera ac difficili via. Qua de cauſa ad laborem minuendum, & augendam pietatem in eo quoque pago templum exædificandum Almeida curauit: pauciſque diebus multorum ſubſidio magna omnium alacritate perfectum eſt. Ex hac inſula ad

273 *Ludouicus Almeida morbos cõplures mirè ſanat.*

274 *Firandenſium Chriſtianorum feruor.*

275 *Sacra ædes noua ædificantur.*

Digitized by Google

alium Christianorũ pagum, quem Xixi vocant, perrexit, vt in æde noua, quæ tum ab ijs ad tectũ perducebatur, sacellum extruendũ curaret: quã in rem Christiani Iquicuquienses fabros lignarios septem, aliaque auxilia volenti animo contulere. Humanissimi illi Christiani non aliter atque si Regem expectarent, purgauerant & ornauerant calles. Inde profectus Iram, ibi quoque templum statuẽdum curauit, quòd incolæ, cùm omnes Christiani essent, omni sacra æde carerẽt. Idem mox Casungæ, tribus circiter ab Ira milliaribus, vbi item incolæ præter Christianos nulli, decreuit. Ad omnia hæc templa necessarius sacrorum apparatus ex India aduectus transmissus ab Lusitanis Firando est. Firandum inde venit Almeida, vbi cùm fidem Christianorum excoluit, tum Ethnicorum circiter quinquaginta sacro fonte respersit, in ijsque Dynastam Antonio nihil inferiorem. Nulla erat sacra ædes Firandi: eam vt extrui liceret nauarcho Lusitano roganti, Regulus super ea re consulturum se responderat. Idcirco Almeida intra parietes Christiani viri sacellum excitare constituit. Quod ille vir pro ingenti beneficio ducens, & ædium duarum, quas possidebat, vltro optionem tulit, & professus est se æduitũ fore. Igitur Antonio præsertim operas, & cætera vtilia benignè præbente ædicula extructa, & omnibus rebus ornata est. In ea singulis deinceps noctibus Cælites salutabant visitato carmine, & conciones habebantur. At vbi Dominicus dies illuxit, è pagis insulisq; circumiectis ingens Christianorum multitudo confluxit tum auditura verbum Dei, tum sacram visura imaginẽ ad Patres ex Europa trãsmissam, quam Almeidæ rogatu nauarchus in naui proposuerat, loco peristromatis vexilliſque, & virentibus arborũ ramis ornato. Referta iam spectatoribus naui loco aptum sermonem Almeida instituit: tum omnes nauarchus, quòd longè ab domibus suis abessent, liberali cibo ac potione recreauit. Post hæc Almeida Iquicuquienses ex itinere reuisens, cùm iam dies appeteret, qua in Bungũ redire Cosmus iusserat, lutulenta via circulo tenus sæpè demersus, assiduo præterea sanguinis profluuio grauiter exercitus iter fecit. Eas omnes difficultates Christianorũ caritas eximia compensabat, cùm hospitij mercedẽ non modò omnem respuerent, sed & abeuntẽ viatico liberaliter instructum largo fletu prosequerentur.

276

277 *Iaponum erga Prædicatores Euangelij pietas.*

Villela interim in vrbe Meaco multa passus, Sacaij quoq; hoc anno cœpit Christi Ecclesiã congregare. Meaci multis ad fidem adiunctis, iamq; sacra æde instituta, felicẽ progressum diaboli ferre inuidia haud diutiùs potuit. Eius igitur acres satellites Bonzij consilio habito, initaq; cõspiratione, modis omnibus eijciendũ Meaco peregrinũ sacerdotẽ statuũt. Id vt efficiãt, Mioxindonũ vrbis Præfectũ, treisque magistratuum præcipuos ingenti pecunia aggrediuntur: eorumq; ita animos emunt, vt non eijcere modò Villelã decreuerint, sed quanta maxima cum ignominia & infamia possent. Quod dum occultè struitur, Cubosama quoque, qui manendi docendiq; fecerat potestatẽ, planè inscio, ad Villelã Dynasta Ethnicus morũ haud malorũ detulit, simul exhortans, vt suam in arcẽ, inde passuum millia duodecim, dum deferueret tẽpestas, subduceret sese. Id vbi audiuit Villela, aliquot Christianis adhibitis in consilium; existimantibus illis vtendum viri benignitate, ne diuinę legis existimatio euilescerer, si palàm ignominioseque deturbaretur, eadem nocte multis Christianorum deducentibus ad eam arcem abijt. Sed quarto pòst die existimans minùs otiosas fore in ipsa vrbe latebras, domum Christiani hominis occultè redijt. Ibi delitescẽs rerum statum, varia Meacensium studia, varioſque de se sermones, alijs iustè, alijs per summam iniuriam iectum dictitãtibus à Christianis cognoscebat; eosque ipse consolans, & confirmans in fide, simul de negotij administrandi ratione ac via consulebat. Quibus cùm visum esset quadrimestres petendas inducias ad causæ cognitionẽ, ijs impetratis in publicum prodit, ingentique non Christianorum modò, sed partim etiam Ethnicorum gratulatione in Ecclesiam restituitur suam. Per hanc dilationem aliquot Ethnicorum fauentibus Cubosama edoctus, quàm malè contra beneficia ac iussa eius Villela & Socij vexati essent, diploma edidit multò seuerius firmiusque, quod in posterum tutos omnino præstaret; ad stabiliendam suis præconibus sedem id consilium Deo vertente, quod diabolus ad iniquè pellendos excogitarat. Restitura Meacensi Ecclesiæ pace, nouæ in vrbe Sacaio condẽdæ oblata occasio est. Sacaium vrbs ingens ac dues est, ac munita in primis, eademq; per id tempus libera erat, suique iuris. Ex ea tum vir è primoribus ad Cosmum litteras cum donis misit, obtestans, vt doctorem ad se mitteret diuinæ legis, suammet domum in scholam ad ciues edocendos promittens. Hanc temporis benignitatem minimè ratus prætermittendam Cosmus, ad Villelam Meaeum scripsit, vt, quoniam sacerdos in Iaponia præter ipsos duos, erat nullus, ipse qui propior & expeditior, Sacaium excurreret. Is ad obediendum æquè ac ferendum Dei verbum paratus Augusto mense Sacaium concessit. Cælestem vulgare aggressus illico sapientiam, complures habuit auditores, etiam eorum ex ordine, ad quos Iaponicæ doctrinæ palma vulgò deferebatur: quos tamen nihil non vehementer probantes à susceptione baptismi inanis quidam absterrebat ignominiæ metus, quasi Christiani (quibus nihil excelsius, nihilque diuinius terrarũ orbis, & humana gens habet) hominũ genus abiectũ esset. At demum gratia Christi Iesu Satanæ artes euertente omnes, vir ille primarius, qui accersierat exceperatque, cum vxore, liberis, quatuordecim militibus, alijsque indigenis, ac multò pluribus aduenis in Sacaianæ Ecclesiæ primarios lapides consignati dedicatique sunt. Patri familias hospiti Sancius, vxori Maria, puero ac puellæ liberis Vincentius ac Monica nomina data. Ac suauissimum sanè Christi odorem cùm cæteri, tum præcipuè manipulus ille nobilis militum cœpit spargere. Quippe ab sacro fonte noui homines nouis digressi cum moribus ad se ciuitatis oculos conuerterunt. At Sancius, qui & Iacobus apud Christianos, Iapònicè autem Rioquey nomen habuit, ad vltimam vsque senectutem annos ampliùs quinque & quadraginta hospitium Patribus & patrocinium constantissima

278 *Villela Meaci vexatur.*

279 *Sacaiana Ecclesia ortus.*

Digitized by Google

caritate præbuit: eius denique domus pro sacta æde Sacaij annos complures fuit. Vix Meaco Villela exierat, cùm graue ibi exortum est bellũ, vt diuino prorsus consilio euocatus extra gladiorum licentiam videretur. Tum vetitus à Cosmo rebus nisi pacatis reuerti, confirmandæ omnem Sacaianæ Ecclesiæ curam impendit.

280 *In Brasilia ingens conuersio Christianorum.*

Hæc in India Iaponiaque dum fiunt, in Brasilia prorsus mira ab superiore tempore facta rerum conuersio est. Quasi post annos infelices ac steriles opimis ac pinguibus aduolutis, ita indomitæ adhuc siluæ, impatientesque culturæ votis operæque colentium affatim respondere runt, vt iam quo minùs omnino Domini complerentur horrea, non tam soli obstaret malignitas, quàm paucitas operarum. Nouæ huius felicitatis causa post genitabilem auræ cælestis afflatum multiplex fuit: in primis magna inter indigenas pax: deinde Episcopi ac Prætoris incensa, & coniuncta ad religionis propagationẽ studia: postremò cùm aliorum Patrum & hoc anno

281 *Prouincialis Grana industria.*

& superioribus constans labor, tum Ludouici Granæ Prouincialis ante omnes sedula & patientissima caritas. Is, Episcopo ac Prætore omni officij genere fauentibus iuuantibusque, ad congregandam in pagos gentem, ac peragendos magna celebritate baptismos (quam rem Indi Patres adeò efficacem experti modò erant) animum vertit. Inde fiebat, vt pago constituto, primoque ibi mira Barbaris specie ac pompa peractolustrico, ad proximos quosq; progressa fama passim & vitę communis & diuinorũ mysteriorũ cupidinẽ excitaret. Igitur anni principio post lustratam prouinciam reuersus in vrbem S. Saluatoris Ludouicus ex ærumnis in peregrinatione exhaustis in quartanam incidit: qua vsque ad Paschales ferias exercitus nihilo interim minùs & vrbanæ concioni, & rei diuinæ per prouinciã curandæ sufficit. Ita cum Apostolo ex infirmitate (quæ caritatis potentia est) fortior fiebat. Socijs per Ecclesias distributis mandauit, vt instituendę multitudini, & ad suum aduentum quàm maximo catechumenorũ numero præparando intenti, à baptismis, præterquam eorum, quibus periculosè differrentur, interim abstinerent: & Patrẽ Gasparem Laurentium ac Simonem Consaluiũ ad pagum mittit instituendum, cui nomen deinde à sancto Ioanne fuit. Nomina enim fermè à patronis cælitibus vbique nouum per orbem oppidis & pagis indunt. Binos item sacerdotes, ac laicos Antonium Petrum, & Ludouicum Rodericium cum Emmanuele Andradio, & Paulo Rodericio in insulam Taparicam non procul ab vrbe misit; vt ibi quoque pagum Ecclesiamque colligerent. Ipso die festo Paschæ nondum viribus confirmatis ipse ad inuisendas Ecclesias viam carpit. Vicinior vetustiorque, & in

282 qua propè Christiani omnes, Ecclesia erat sancti Pauli: proxima huic sancti Iacobi. Rebus in his ordinatis, solennique cerimonia multis sacro fonti admotis ad nouum sancti Ioannis cœtum perrexit. Appropinquanti viam trium propè millium passuum strauerant catechumeni; & obuiàm processere coronati, faustisque cum acclamationibus ac sonis. Centum sexagintatres prima lustratione ad Ecclesiam ibi adiuncti; & nonnulla coniugum è Christiano Sacramẽto copulata paria. Iter inde persecutus asperrima via ad sancti Antonij, tum inde quatuor circiter leucas ad sancti Spiritus processit; ac solatus vtrobique Christianos, quique parati erant latice vitæ perfusis, ad Baiam reuertit, in Taparicam transiturus. In ea insula non sine ingenti labore præmissi Socij congregauerant sparsim per agros & saltus gentem. Vbi Prouincialis aduenit, sexto

283 *Ecclesia sancta crucis in Taparica insula condita.*

Nonas Maias ingens crux succollantibus certatim neophytis, cæterisque inter cantus & plausus identidem procumbentibus, & adorantibus cum pia, neque ineleganti supplicatione perlata, & in edito monte statuta est. Postero die, quem inuentio consecrauit patibuli Saluatoris, centum septuaginta tria capita per salutare lauacrum in militiam crucis adscripta; & ab sancta ipsa cruce Ecclesiæ pagoq; traditum nomen. Ibidem pueri initia cùm religionis, tum litterarum ad trecentos iam docebantur. Prouincialis nouæ huius

284 *Pagus sancti Spiritus aliò traducitur.*

statum Ecclesiæ dum componit, properè ad pagum S. Spiritus aduocatur. Situs erat is pagus loco parum salubri: eamque ob rem ita multi quotidie moriebantur, tantaque erat ægrorum strages, vt afflicti attonitique incolæ nullum admitterent animo solatium. Grana igitur eò raptim profecto, populoque in regionem innocentem traducto confestim morbi & funera quieuere. Inde magnas inter pluuias, quòd eo tempore hiems in Brasilia est, rursus nouum sancti Ioannis cœtum inuisit. Cui obuiàm progressi pagani, factis in morem gentis carminibus eas ipsas molestias & pluuias, quas ipsorum ferebat causa, celebrabant. Tredecim supra centum ad Ecclesiam tum adiuncti. Haud multò pòst ad nouum instituendum pagum animum adiecit: perq; summa incommoda & pericula sexdecim à Baia leucas progressus ipsemet supra amnem locum cepit, amœno situ & periucũdo, vnde liber in mare prospectus. Patrem Antonium Rodericium congregandis reliquit incolis; qui per valles, siluas mõteq; discurrens multas quoquouersum leucas, Deo sanè operi aspirante, multitudinẽ frequentẽ coëgit, cui à bono Iesu nomen factum. Concordi adeò volũtate duci se permisere, vt longo interuallo nullum sit relictum mapale. Ille etiam, qui genti præerat, & vocabatur Magnus Caquiriacus, humanarũ vorator carnium, volens libensque in societatẽ vitæ concessit. Iam & pueri catechismũ frequentabant facilè quadringenti. Dum in hac peregrinatione Prouincialis strenuè euãgelizat, ex Illęorũ ditione Henricus Ludouicus indigena

285 *Pagus boni Iesu conditur.*

neophytus, quem priore anno Episcopus ibi baptizarat, cum Ethnico è Summatibus loci ad

286 *& Assumptionis.*

Baiæ vrbem rogatum venerat, vt apud se quoq; statuere Ecclesiam Patres, & suum domicilium vellent. Huic pariter occasioni manum injcit Prouincialis: & quamuis viginti & octo leucarum esset iter, & in fluminibus transmittendis, quæ multa lateq; stagnantia intercurrunt, summa essent obeunda discrimina, nihil pensi habet, modò euangelizet. Vbi peruenit, opportunum, in quem commigrarent, locum ostendit; eumq; Assumptioni Deiparæ destinauit: bonaq; ostentata baptismi spe, cùm iam S. cruci deuota in Septembri dies appeteret, & lustrale in Taparica solenne

Digitized by Google

lenne ingens adornaretur, ad eam redit. Simul ab vrbe Episcopus adfuit. Quingenti triginta eo die lustrati, & ad cœtum aggregati Sanctorum: postridieque octoginta paria matrimonij Sacramento rite coniuncta. Episcopus alijque non parum eo die Prouincialis laborē atque patientiam suspexere: qui ad multam vsque noctem ieiunus, stansque assiduè, & magna molestia nunc hos, nunc illos aduocans, edocens, initians, nihil interquiescens perseuerauit. Vix diebus sex interiectis, iterum ad S. Spiritus Ecclesiā abijt, vbi P. Antonius Pinna primum sacrificium erat facturus. Sacras eas primitias loco solennium alibi donorum, centum septuaginta capitum baptismus honestauit. Inde Prouincialis ad S. Antonij progressus, ibique ducentis quinquaginta sacro fonte ablutis, ad paulò antè cœptū boni Iesu pagum contendit. Primus hîc baptismus, & ad eam diem in Brasilia maximus quarto Nonas Octobris conspectus est. Nongenti minùs octo S. Trinitatis signo impressi sunt: & postridie septuaginta facta coniugia. Sed cōstantia patientiaq; opus egregia fuit. Pridie quàm institueretur baptismus, homo inter catechumenos atro præter morem fœdus apparuit: qui circumiens leuem & instabilē populum, in eam suspicionē induxit, vt crederent, ideò se in vnum coactos à Patribus, vt simul omnes necarent. Qua suspicione excitati territique captabant fugam, cùm Patres ex insolito motu susurroque argumentati aliquid noui eos moliri, expiscatique trepidationis causam, continuò suspicionē abstergere inanē conati sunt. Illud maximè fidem fecit, quòd cùm iussissent conquiri, ad seque perduci rumoris illius auctorem; neque ille apparuit vsquam, nec qui eum aut nosset, aut posset dicere, quò fugisset, quisquā inuentus est. Postero die dum cōgregati baptismū præstolantur in templo, nescio vnde aura rumusculi afflat, subditū pago ignem: mapalia omnia cōflagrare. Nec mora: tumultu ingenti foras proripiunt sese. Vbi videt salua omnia, inanibusq; se delusos terriculis, haud sine aliquo pudore sacram repetunt ædem, & peragitur tandem baptismus. Die insequēti Sacrum quàm maxima cerimonia exordiritur Prouincialis, vt dilata in eum diem coniugia rite perficeret. Vbi ad solennē oblationem ventum est, ad populū in sacra veste conuersus sacros matrimoniorum ritus auspicatur; iamque vnius è sponsis apprehenderat dexteram, vt cum dextera sponsæ consereret; cùm repentè siluestris ac voluc ris turba quasi momento eodē insusurratum quippiam singulis in aurem foret, non aliter ac grex auium strepitu excitus diffugit. Nec verò templi fores inquirunt: qua cuique proximū, perforatis impulsu capitum corporumq; parietibus, qui palmis erāt intexti, celeritate mirabili euanescunt. Patres, qui rei diuinæ intererāt administri, sic vt erant linteati, reprehensuri sequuntur. Ita momento templum omnino vacuum est factum: solusque relictus P. Prouincialis ad aram, ægrè eum, cuius antea apprehēderat manum, tenens: reducti tamen, & perfecta coniugia. Sed qui iam se vtcunque ornarant ad nuptias, laceris rediere tegminibus, anhelanteq; & saucij, nescires ridiculum magis, an miserandum in modum: duoq; paucis diebus accepta per eum tumultu noxa in-

287 *Grana patiens caritas.*

288 *Primus baptismus in bonis Iesu.*

289

teriere. Vltra hunc pagum leucas decem sponte multi concurrerāt, sperantes sequoque à Prouinciali magistrum impetraturos. Ita valebant prægressorū exemplā, & ardor ille, per quem res gerebatur. Prouincialis tēpori instans, P. Vincentio Fernandio curæ populi boni Iesu relicto, ad eum locum contēdit. Adfuere obuiàm viginti valentes præmissi iuuenes, qui Patrem in rete, vt ipsis mos est, deferrent. Mox ad tria passuum millia multitudo omnis occurrit, præeuntibus cum sertis in fronte puerīs, medio in agmine viris, tum feminis in postremo. Lapillis ora quibusdam distincti, ad hæc plumis versicoloribus sparti magnificè sese circumspectātes, rympanorū strepitu, & inconditis vocibus Patrem salutabāt. Qui vbi eos concione ad catechismū, frequentandumq; pagum adhortatus est, loco ædi S. Petro Apostolo extruendæ lecto, vlteriùs octo leucas ad templum S. Andreæ, pagumq; metandum processit. Non minore ibi gratulatione acceptus. Quin etiam primores inter eos gloriabātur, quòd ipsi inter vicinos primi Dei legem susciperent. Progrediēdum adhuc ratus, ad populū huic inimicum, totoq; in eo tractu principē leucas decem perrexit. Præcipuus in eo populo erat senex annorum (vt ferebant) centū & viginti: cuius loco iam præsenio minùs idonei, res administrabat nepos sexagenarius nomine Capinus. Hic quoniā magnæ erat inter suos auctoritatis, optimum factu ratus Prouincialis, si vrbanā frequētiam, Lusitanamq; humanitatē videret, quamuis non omnino volēntem, sibiq; ab inimicis, per quos erat transeundū timentē, ad vrbem S. Saluatoris perduxit euentu multis modis bono. Nam in transitu cum incolis pagi S. Andreæ reconciliatus est, atque in vrbe perhonorificè à Prætore exceptus, vestitus, vinoque (quod inter memoranda posteris credebatur traditurus) Lusitano gustato iussus est insuper omnibus suum circa pagum ius dicere. Hæc circa vrbem S. Saluatoris dum tam læto successu procurantur, ipsa in vrbe pro suo erga Societatē, resq; diuinas studio, Prætor templū septimo antè anno formatis è luto parietibus aggeratum ac fictum, calce ac cæmentis ædificare cœpit. In Præfectura S. Vincentij præcipuus fuit Sociorum labor in ægris iuuādis. Quippe pestifer inter Brasilos maximè fusus morbus tam multos corripuit extinxitq;, vt haudquaquam omnibus, quamuis nihil quietis pauci illi sacerdotes caperent, satis approperari Sacramēta potuerint. Nec solùm animis, verùm etiā corporibus ægrorū subueniēdum fuit; cùm gens nulla valens industria, & ab alijs rebus, & ab medicamētis omnino inops, nisi externa ope curaq; iuuaretur, iaceret miserabilis præda mortis. Piratiningani neophyti cùm à vicinis Ethnicis pessimè vexarentur, ausi ad eorum terras bellum deferre. Vnus Patrū in aciem pendentis è cruce Domini effigiem præferēs cum laico auxiliari processit; ac Deo iuuante victoria ab melioribus stetit. At in S. Spiritus portu, in quem hæretici, eorum receptaculo ad Ianuarij flumen anno priore euerso, cum duabus inuecti nauibus omnia terrore impleuerant; Blasius Laurentius è Societate non solū comitari pugnatores voluit, sed etiam S. Iacobi vexillum magno animo prætulit: & inde quoque eiecti piratæ sunt.

290 *Pagus S. Petri instituitur.*

291 *& S. Andreæ.*

292 *Pestifera morbo insestè cursum.*

Digitized by Google

HISTORIÆ SOCIETATIS IESV

LIBER SEXTVS.

1562. ANnus iam alter ac sexagesimus supra sesquimillesimum sequitur, rebus maximè ab Lainio, alijsque Societatis hominibus tum in Gallia, tum in Tridentino Concilio gestis; obitu etiam virorum insignium nobilis. In Ægypto Rodericius maiore labore curaque, quàm successu pro re Catholica desudauit. Magnis inter hęc Societas incrementis aucta est, non paucis Collegijs, & prouincia vna. Pro Salmerone ad Concilium Tridentinũ à Pontifice misso, Franciscus Borgia regendæ in Italia Siciliaque familiæ Vicarius Lainio Romæ successit, tanto præstantiore obsequio, quanto magis contra sua vota. Quippe eo maximè Romam studio venerat, vt ad Lauretanam Deiparæ cellam impetrato secessu, priuatus ibi & obscurus animo vacaret suo, alienis pro viribus inseruiret. Hoc primùm anno in Romano Collegio Sociorum numerus summam ducentorũ expleuit. Kal. Ianuarij cùm vota de more instaurassent, Borgia eos secundùm epulas grato exhilarauit nuncio, exponens id, quod Alexander Cardinalis Farnesius demonstrarat, magna impensa templum Professis ædificaturum (id, quod iam regali magnificẽtia conditum Farnesiæ pietatis monumentum lęta Vrbs videt colitque:) cumque hortatus esset ad significationem grati animi, vt aliquid religiosi muneris conferrent; pro se quisque certatim sacrificia, preces, peregrinationes, flagellorum susceptionẽ, ieiunia, idque genus alij alia ingenuitate ac feruore summo professi sunt: atque id, quod quisque receperat, in paratum ad hanc rem libellum relatum est. Templum Collegij hoc anno ædificari est cœptum. Primarium in fundamenta lapidem solenni ritu Otho Cardinalis Augustanus vltrò sibi mittendum sumpsit. Ædificatio, quanquam per inopiam lentiùs aliquanto processit, id tamen habuit præcipuæ dignitatis, quòd nullam in eo profanus siue faber, siue famulus operarius partem habuere. Tota religioso Fratrum nostrorum labore stetit. Et decuit profectò nobilem adeò sanctimoniæ palæstram, cunctarumque ferè gentium religionis altricem domum (quod iam in tanta iuuentutis sacræ laicæque celebritate pariter ac pietate gestientes videmus) non nisi deuotis ædificari manibus. Propitium adesse operi Deum vel inde captum est pignus. Promotis iam prope culmen parietibus fabrũm vnus, cui nomen Simon, ab summo prouolutus in præceps, soloque allisus, cùm plane obteri præ altitudine debuisset, grauiore nullo affectus est detrimento. Sæculi euntis anno sexagesimo septimo dedicatum templum est, concinnius, quàm satis pro vsu capax. Inter paucas tum visebatur Sanctissimæ Eucharistiæ magnifica cella. Eam Bartholomæus Truncus elaborarat ex auxiliaribus nostris, exiguo vir corpusculo, sed maxima pietate; quique postea pleraque Italiæ ac Siciliæ templa nostra sacris statuis, & huiusmodi sanctuarijs exornauit. Cæterùm apsidis picturam hodieq; commendant intelligentes, inchoatum ab Thaddæo Zuccaro, perfectum, post eius immaturum excessum, ab germano Frederico opus, pictoribus inclytis. Argumentum est nunciatum Mariæ Virgini ab Gabriele Angelo sacramentum inenarrabile nasciturі ex ea hominis Dei ad gentis humanæ reparationem. Supernè diuina Trinitas ex immensa luce ardentes aureo fulgore in Virginem, & Angelum radios iacit. Circà sacri Vates, qui saerosanctum mysterium cecinere, cum suis quisque adstant oraculis. Hunc templo titulum optauit Victoria Tolfia Marchio Vallensis, quæ Collegio donarat ædes: factumque eo libentiùs, quòd nullum intra Vrbis mœnia per id tempus extabat eo nomine; & aperientes fundamenta cælatam eodem argumento æream fortè lamellam inuenerant. Marchio eadem ad sanctuarij inaurandi, & picturæ apsidis impensas suppeditauit. Dum templum ædificaretur, addidit pretiosius donum Borgia sacello domestico. Nam ante eam diem cùm diuinissimum in eo Christi corpus minimè asseruaretur, Borgiæ, simul vt Salmeronis discessu administrationem suscepit, hoc primùm curæ fuit, vt sancto illi fidelium seruorum populo præsentia amantissimi Domini, & ad solatium & ad tutelam, & ad fomitẽ caritatis præstò esset. Nec sanè postea videbantur illi absistere ab sacello posse, eo studiosiùs id frequentantes, quo diutiùs tanto bono caruerant; vt qui optimè intelligebant, nusquam melius esse posse mortalibus: nec profectò, nisi auocarent humanæ necessitates, cùm Dominus omnium potens rerum, spesque vnica & decus nostrum adeò inenarrabili indulgentia inter nos sub sacro illo tegumento præsens adesse non dedignetur, vllo vnquam momẽto, siue dies, siue noctes ab eius conspectu recedendum. Multi, vt sæpè aliàs, Procerum benignè Collegium inuisere: præque cæteris eximium par Franciscus Varga Philippi Regis orator vtraque parte sapientiæ, & intelligendi & agendi clarus; & Carolus Cardinalis Borromęus ille vir singularis, iam & Apostolico iudicio sanctus, & communi Christianarum gentium quasi suffragio publicus terrarum patronus, vltrò in clientelam vniuersis & singulis, cùm pietatis tam mirabili incremento currentibus. Pariter ambos sua primùm in classe Petrus Perpinianus oratione, quæ extat, excepit: tum intra Collegij septa ipsi multa carminum vi constructi parietes vario & numerorum & idiomatum genere salutarunt.

1 *Borgia Vicarius Generalis per abjectiam Lainij.*

2

3 *Templum Collegij ædificari cœptum.*

4

5

6 *Sanctus Carolus Borromæus Collegium visit.*

Nulla

Digitized by Google

Nulla res tamen perinde quàm nationum varietas humanissimos Principes delectauit. Cùm enim Socios sibi omnes turmatim in suas quosq; nationes discretos sisti iussissent; septemdecim linguarum diuersarum gentibus in conspectum datis, intra pusillam domum mundi quasi compendium (cùm quidē vicissim natalium discordia, & concordia animorum gratiam augerent) pari cum voluptate & admiratione viderunt.

7 *Benedicti Pererij existimatio.*

Benedictus Pererius iterum Philosophiam docens, ita cupidè audiebatur, vt publicus in Vrbis Academia legum interpres haud infimi nominis auditorem se ei assiduum, quamuis sectatores ipsius & collegæ reclamarent, præberet. At nobilis adolescens accepto colapho, ea tantùm re ab vlciscenda iniuria prohiberi se dixit, ne Vrbe deinde excedendum, & intermittendæ scholæ essent. Solennem studiorum repetitionem præ cætera nobilitate Cardinales decem, duoque Principum oratores primo die, quo Perpinianus de Christiani officio doctoris elegantem orationem habuit (quæ item est edita) honestarunt.

8 *Iosephi Cortesoni virtus.*

Nec minor virtutum, quàm doctrinarum præsidia conquirendi collegas habebat ardor. Iosephi Cortesoni perspecta constantia optimo fratribus exemplo fuit. In quē cùm Petrus Ioan. Aleottus eius auunculus Foroliuiensem Episcopatum transferre cuperet, idque se pro maiore Dei laude, & Ecclesiæ Foroliuiēsis bono affirmaret velle; non modò ab se moderatione sagacissima, quod alij tantopere ambire solent, propulsauit, verùm etiam auunculo enixè persuasit, vt sacrum illum honorē, vnde salus tam multorum æterna pendet, ne fratri quidem suo, aut omnino necessariorū cuipiam, sed viro idoneo, quicunq; is esset, tradendum curaret. Benignā sanè talium exemplorū siluam Romanum Collegium, magnarum virtutum ferax scribenti suggerit: sed nimis multùm, quamuis contrà nitar, opus excrescit: vereriq; subit interdum, ne rerum, quæ, si verè æstimentur, præstantissimæ sunt, ipsa copia pretium euilescat. Experti collegæ vt aliàs, ita sæpè hoc anno suarum vim precationum.

9 *Precationū vis.*

Adolescens annū ipsum scelera sceleribus cumulans per summam rerum diuinarum iniuriam flagitia occultans, abusus confessionis & Eucharistiæ mysterijs, relicto etiam, quo priùs vtebatur confessario, quo licentiùs volutaretur in sordibus; eò demum progressus insaniæ miser est, vt corpus animamq; suam diabolo deuoueret: eique fraudulentum illud monstrum, quo catenas tenaciores adijceret, indignissimè illudebat, spectandū se specie venusta prębens. Sacerdotē, apud quem priùs confitebatur, nec latuit tanta vitæ mutatio, nec pristinæ caritatis zelus destituit. Quare omnino statuit conuenire vltrò hominē, vt qua posset re opportunè, importunè iuuaret: sed Deum inprimis, vt certum quoddam negotium secundet, ab omnibus Collegij Socijs enixè rogandū curat. Illi cùm paruissent, adolescenti iam in barathrum propè demerso, cùm horariarū ad Beatam Virginem precum (ex vsu veteri scintilla hęc pietatis residua erat) in manus libellum sumeret, is corpus omne languor ac stupor inuasit, vt nec linguam ad preces pronunciandas expedire, nec sustinere libellum posset manibus. Quam rem admiratus, & ad vitæ suæ horrendum statum retortis oculis, primo quidem cōspectu attonitus, seque ipsum execrans, tum de misericordia diuina desperans, fœdam animā sponte præcipitare in tartarum, accersita morte constituit. Sed misericordiarum Pater seruorū suorum precibus exoratus haud distulit bonitatis suæ opes proferre. Inijcit adolescenti mentem, vt ad priorem confessariū reuersus, auxilium ab eo fidenter pętat. Ita ipsemet adolescens, antequam aduocaretur, vltrò eum sacerdotē adit cum lacrymis: totiusq; rei seriem pandens, id vitæ nouæ exorditur genus, quo & diuini beneficij gratus, & scelerum suorum vindex seuerus esset. Eodem precum auxilio subuentum homini est, qui amissa re omni familiari, insuper datus in carcerem mœrore intolerando oppressus, sæpè mortem sibi tentarat consciscere; &, nisi esset prohibitus, consciuisset. Qui de collegis ad eum carcerē itabat, hunc frustra consolari, & erigere ad bonam spem conabatur semper in ore habentē, vnde, quò cecidisset. Excidit tandem imprudenti nescio quo pacto se peccata confessurū: at proxima nocte tantum in confessionē, & Iesuitam talis auctorem consilij odium in eius animo diabolus excitauit, vt apud se planè statueret, cùm primùm importunus ille suasor rediret, malè cùm dictis, tū factis mulctare. Postridie redit frater, & sacerdotē excepturū vincti confessionē adducit. Quem is vt aspexit, cùm exerere ad vim manus, & linguam ad contumelias vellet; vi brachiorū mirum in modum infracta, vinctaq; lingua, nec commouere se, nec vocem mittere vllam potuit, nisi, non dum se ad confessionē paratum. vixque frater abierat, cùm rursus cœpit furere, seque ipse propè discerpere, quòd euadere è manibus hominem passus esset, nec laceraſſet. Tres dies totidēq; noctes luctatio tenuit, nullam interim misero quietis partem capiente. At Patres intelligētes rem esse, quæ valdè diuino auxilio indigeret, domesticorū omnium precibus ac sacrificijs id sedulò expoſcendū curant. Hac demū via mitigatus, sanitatiq; restitutus homo, cōfessione totius vitæ crimina expiat, miraculo maximè adscribens linguam manusq; inhibitas à Deo sibi fuisse, ne sacrilegè in sanctū monitorem, vt ardebat, sæuiret. Nec multò pòst Christi Domini, qui regnum Dei, iustitiamque eius quærentibus humana bona pro appendice adijcit, factum benignitate est, vt qui animum peccatorum nexu exsoluerat, is ære alieno à creditoribus, vinclis à iudice solueretur.

11 *Vis confessionis, & disciplinæ Religiosæ.*

Præclarè quoque vnus è Collegij sacerdotibus in virginum cœnobio & à vitijs, & à dæmonibus, quibus multæ torquebantur, purgando operam posuit. Plurimùm iuuit expiatio cōscientiæ, & quadragenarum horarum precatio. Denique non sine magna admiratione eorum, qui rem cognouerūt, fugatis vitijs, vitaq; ad normam Religiosæ vitæ redacta, dæmones quoque, quamuis rabidè frementes sacerdotē probris & conuicijs onerarent, in fugam compulsi. Inter morte mulctādos Episcopi cuiusdam Græci in multas sæpè relapsi hæreses, celebris vulgò pœnitentia fuit. Hunc diebus compluribus Doctor è nostris cùm disputando frustra redarguisset, reluctantē ferociter, erroreq; tenentem mordicus alia via aggressus, comi-

12 *Benignitatis efficacia.*

Digitized by Google

comitate, sinceræque significatione caritatis, eò tandem adduxit, vt scripto errores detestatus, & animo generali confessione purgato, supplicium extremum fortiter pieque pertulerit. Potuit recognosci quanto ad humanos expugnandos animos potentior sit humanitas lenitasque, quàm seueritas & dominatus. Cæterùm nequaquam hæc mortalis industriæ, sed clementiæ diuinæ facta sunt, cuius & illud. Inter excursiones in vicina Vrbi castella vnus collegarum industria tali vtebatur. Vbi habita concione auditores sub primam lucem confessionis amore incenderat, producto pugillari iubebat nomen edere, qui confiteri vellet: ac vesperi, cùm rustico ex opere in castellum redierant, ipsemet domum eos blandè conueniebat, rogabatque vti starent promissis, & ad confessarium adducebat. Nec rarò fiebat, vt, dum vnius alicuius domum ex ijs, quos habebat in libello descriptos, quæritaret, multos alios lucraretur. Sed quodam inuestigando diu fatigatus, nusquam cùm reperisset tandem ad pauperem senem mittitur, qui id habebat nomen, de quo ipse percunctabatur. Vbi hominem vidit, continuò sensit non esse eum, quo cum pactus erat. Hæsit paulisper: tum breui diuinitus factum intellexit, vt alterum quærens hunc inueniret. Comiter enim instituto sermone deprehendit senem capularem toto vitæ suæ tempore nunquam ad Sacramentum confessionis accessisse; amiceque admonitum ac diligenter edoctum, tandem ad sacerdotis pedes adduxit. Qui peregrè missi sunt, Dei atque hominum multis modis sunt caritatem experti. Pontifex in satis magnam manum partim Lauretũ, partim in Septemtrionem euntium prope Vrbem incidit; fixoque gradu singulis benignè compellatis, ac sæpè benedicens, & num viatico egerent rogitans, pedes ibidem in via osculandos præbuit; cùm interim Cardinales, alijque Procerum circumstantes pauperum viatorum baculos sustinerent.

13 *Benignitatis diuinæ exemplum.*

14 *Capuccinorum insignis hospitalitas.*

Capuccinorũ Patrum religiosa hospitalitas peregrinantibus nostris patuit semper, hodieque patet. Sed singulare pietatis documentum erga duos alterum sacerdotem, alterum laicum, qui ad eos fortè diuerterant, haud queat sine piaculo reticeri. Cùm propè incredibili excepissent gaudio, ac cibo ita recreassent, vt hospites tantã caritatẽ plurimũ mirarentur, illi haud dum contenti, ad lauandos eorum pedes accingunt se, & vsque eò certant, vt peregrinis Dominicum præceptum (quo nomine id officij ab S. Laurentio beatus presbyter Iustinus excepit) impedire religio fuerit. Itaque sacerdoti duo, qui Cõuentui præerant, laico alij duo Patres in genua prouoluti aperto capite, magna non solùm caritate, sed præcipua obseruãtia pedes lauant: & interim alteri Canticũ B. Virginis, alteri Zachariæ pia gratulatione decantant. Hospites ad illud obsequiũ quanquam confusi, tamen animo immensa quadam pietatis dulcedine fruebantur, Christi Domini humilitatẽ caritatemq; sibi repræsentantes, qua pedes abluit Apostolorũ: eumque suis in famulis tanquam ad suos abiectum pedes humillimè venerantes. Vbi verò lauandi finis est factus, tum Custos pedes vtriusq; exosculatus, cæteros subsequi ordine voluit. Rependat bonis famulis bonus Dominus tam benigni animi gratiam, augeatque mutuum in Religiosis omnibus sanctæ caritatis certamen.

Fuit cùm in Collegio ampliùs quadraginta eodem tempore decubuere. Annus enim multis locis pestifer rheumatibus in Vrbe stragẽ haud leuem fecit: sed duos tantũ videtur Deus maturos cælo inuenisse, quos anno superiore Ægidius indicasset, Hieronymũ Bassum, & Leonem Lilium, vtrumq; sacerdotẽ præstantisque virtutis. Hieronymus nation Belga anno M. D. LIII. cùm Parisijs inter exercitationes spiritus, quas dictabat P. Paschasius, adiungendi se Societati consilium suscepisset, idemq; mox maleuolorũ obtrectationibus abiecisset; demũ luce diuina confirmatus ad constantiã redijt, secum reputãs iniquum esse vocationẽ diuinam humano consilio frustrari: & ex nosocomio, vbi ægris, quanquam pestilentiæ periculũ non aberat, caritatis studio ministrabat; domũ receptus iam tum sacerdos, omnibus obedientię, modestię & cęteris Religiosorum laudibus admirationi erat. Inde multis Claromonte alibique inter Aruernos præclarè gestis rebus parum abfuit, quin bono viro Satan illuderet, vaticinia quædam de regno Galliæ, deque Ecclesiæ Romanæ progressu fraudulenter immittens; sed vocatus Romam cùm se Moderatorum arbitrio permisisset, obediẽtiæ suæ fructum egregiũ tulit, ex ijs in perpetuum præstigijs liberatus. Remissus in Galliam multa iterum in Aruernis præclarè ad pietatis culturã effecit, & Billomæum Collegiũ multos annos bene administrauit. Cæterũ quia Theologicas disciplinas vix, vt dicitur, à limine salutarat, vt ijs quoque perpolitus eo instructior ad maxima quæq; esset, reuocatus in Vrbem est. Iamque magno progressu facto, haud leue destinabatur afflictis rebus Galliæ adiumentum, cùm pestifera febris, & acutus lateris dolor septimo die mortalitate exemit. Quoad superfuit spiritus, nulla dolorũ immanitate est victus, quo minùs longos clara voce de rebus diuinis haberet sermones. De contẽnẽda morte, de submissione animi, de perfecta vitę ratione instituenda expeditè, & cõtentione magna disserens admirationẽ audientibus excitabat. Adeò non moribũdus loqui, sed homo valens cõcionari seriò videbatur: cumque admoneretur ne tam intenta rerum cælestium meditatione malũ fortè irritaret, Quis, inquit, imperare sibi nunc queat, quin illud propheticum perpetua animi cogitatione meditetur, *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus*? Leo Lilius sexdecim annos excellenti cum opinione virtutis in Societate vixerat, vt zelo & studio animas ad Deum vocandi eximio, ita solertia magna & felicitate; eaque manſuetudine ac morũ facilitate, qua sibi atque virtuti mirè omniũ animos deuinciret. Eas ob res pietati quoque promouendæ inter collegas præfectus fuerat. Ei valetudine attrita, cùm potestatẽ vniuersè Patres fecissent ad exercendũ, auramue captandam, quandocunq; libitum esset, prodeundi, & alijs soluissent disciplinæ muneribus, siquid fortè dulcedo libertatis, & proprio arbitrio disposita vita valetudini cõmodaret; vir obediẽs indulgentiã illam & immunitatẽ modestia summa remisit, enixeq; rogauit ne eò se adigi vellẽt.

15 *Mors & virtus Hieronymi Bassi,*

16 *& Leonis Lilij Bassanensis.*

Nul-

Digitized by Google

Nullam enim duriorem sibi fore seruitutem, nec valetudinis leuationem, sed certam perniciem. Vnicum verò solatium, & perinde dulcissimam ac saluberrimam libertatem in obedientia se, & disciplinæ legibus inuenire. Geminum sanè factum ei, quod de S. Francisci socio Ægidio produnt annales; nisi quòd Lilius ne experiri quidem libertatem sustinuit: quantoque vehementiùs atque probabiliùs incitare ad experiundum poterat languoris necessitas, tanto clariùs ostendit perfectionem obsequij vel ipsa vita sibi esse cariorem. Nolebat scilicet causæ quidquam præbere, vnde perturbaretur securitas illa, quæ morientem postea recreauit. Diuinissimo enim Viatico, sanctoque oleo instructus, vt, sicut in obedientiæ exercitatione vixerat, ita in eius commẽdatione moreretur, omnes aduocari fratres expetijt: consuetaque sua lenitate singulos & vniuersos ad constantiam in susceptoReligionis instituto adhortatus, hac re fore dicebat, vt extremus vitæ dies, qui multis timori esse solet, consolationem ipsis ac voluptatẽ, spemque certam de Christi Domini promissis afferret. Tum adiecit inde sibi in illo rerum cardine summam voluptatem adesse, quòd omnibus in rebus semper Moderatoribus paruisset, neque ab eorum vnquam sententia dissensisset. Dein cùm vellet quietiùs rerum diuinarum contemplationi vacare, omnes non sine dulci sensu & lacrymis dimisit. Dimidia ferè ante vltimum spiritum hora pedem alterum in se collectũ impetu magno excutiens, Facesse, inquit, bellua istinc: & quærenti quid abigeret, adfuisse illic dæmonem respondit. Rursus interrogatus num timeret, negauit, quòd Christus cor suum inhabitaret: cui paulò pòst animam reddidit, in multis, quos ad Societatem per eum Deus vocauerat, expressum vitæ suæ simulacrum relinquens. His duobus ereptis sacerdotibus, vnum Laicum præcipuè fratrum votis reseruauit concessitq; clementissimus Pater cælestis. Is erat cùm virtutum exemplis, tum ædificandi, qua excellebat, arte inprimis Collegio opportunus, Laurentius Tristanus: qui cùm grauissimo æstu febriq; summũ in discrimen venisset, precibus & sacrificiis pro salute eius Moderatorum iussu oblatis, & diuinissimo Eucharistiæ Sacramento ad ægrum allato, statim vt salutis ac vitæ suscepit auctorem, nono morbi die præter omnium opinionem omnino febri solutus est.

17 *Perusini Collegij incrementa.*

Perusiæ quarto Nonas Aprilis magna celebritate primarius lapis in templi fundamentũ iactus est, grato vrbi spectaculo, quæ diu cerimoniarũ id genus non viderat. Lainius tanquam pro fundatore consuetas preces pro Cardinali Fuluio Corneo per Societatem omnem edixit. Collegij labores valdè in publicum & probabãtur, & proderant: quippe quos auctoritas & studia tum Cornei Cardinalis, tum Hippolyti Cornei Episcopi commendabant. Atque is quidem cùm Rectoris (Ioannes Nicolaus Notarius Rector erat) antea semper consilijs & opera plurimùm esset vsus, vbi grauem in morbum, ex quo decessit, se implicitũ sensit, quindecim diebus ac noctibus vsque ad extremũ spiritũ adesse eum sibi voluit; illum iudicem peccatorum, quæ generali confessione retractauit, illum diuini Viatici, & summæ vnctionis administrum optauit. Nec oblitus est mortuum Rector, sed & prosequẽdum ad superos communibus precibus Societatis curauit, & ad memoriam inter superstites celebrandã egregium laudatorem è Collegio; quem ciuitas summè probauit, in exequiarũ iustis apposuit. Adolescentium, qui Collegij gymnasium frequentabant, numerus affatim bonus, sed virtus erat insignis, nonnullorum præsertim, qui in Sodalitatem ad studia pietatis institutam nomina dederant. Parentes, & quicumq; eos antea norant, morum mutationem stupebant, & gratias agebant Deo. Nihil adolescentes expetebant auidiùs, quàm sacros festosque dies, non, vti plerique eius ætatis mortales, laborum tædio ad vacandum ab serijs; sed vt animum & diuinis mysterijs reficerent, & totum vndique collectum traderẽt pietati. Diebus ante Quadragesimã, quibus prauo more licentiùs alij bacchabantur, in gymnasio se libentissimè vsque ad diei continebant ferum, ne eas viderent ineptias. Non rarò ab veteribus sodalibus ludibria ac probra perpessi, libenter hæc quoque in Dei gratiam tolerantes è Christi Domini consilio pro ijs ipsis fundebant preces. Iam ea pietate atque attentione conciones sacras, & Christianam institutionem audiebant, & sacrosancto intererant sacrificio; vt qui eos aspicerent, ad laudandum sanctitatis omnis auctorem sensim incalescerent, & quamdam Angelorum intueri sibi speciem viderentur.

Maceratæ peruicit tandem Sodalitatis sanctæ Mariæ virginum caritas, vt templum, quod extruebat, planè liberũ Societati daret, id tantùm perens, vt quatuor ibidem sacerdotes assidui essent. At ciues per absentiam eius, qui publicè Philosophiam profitebatur, eam quoq; Cathedram Patribus tradere communi consilio decreuere: nec minore benignitate quàm obtulerant, causas, quare non susciperetur, probarunt. Quippe planè videbant, quæ de cætero præstari siue in commune, siue in priuatum animorum bonum possent, ea strenuè geri omnia, nec loco vllo modoue declinari laborem. Seruos Dei velut sacros quosdam mediastinos die ac nocte, quotiescunque & quocunque vocarentur, ad ægros accurrere; totas solandis præparandisque ad bonum exitum supplicio afficiendis peruigilare noctes; assiduos ad subsellia, & ad sanctum altare in templis. Iam nosocomium, quod neglectum iacuerat, componi; & ad conuocandos agricolas & erudiendos circumire agrum & vrbem. In templis, in vicis ac foris omnia pijs exhortationibus personare. In id curam intendi vt pellicatus & scandala omnia tollerentur. Venerant Maceratã anni principio histriones, mimiq; eorum de genere, qui vagi oculorũ ludibria ac fermè animarum exitia per oppida & pagos venalia circumferũt. Eam pestem vt protinus abigerent, Angelus Douitius Rector Magistratum rogauit: qui polliciti, dum procrastinant, Pater Amaronus Amaronius media in fabula aditu in aulam inuento, in scenam ipsam euasit; &, vbi de morte quædam intonuit, repentè mortui hominis prolato capite ita omnes cõterruit, vt statim quibusdam egressis, aliisque deinde super alios ingruentibus, scalæ (ligneæ erant) frangerentur, & histrio-

18 *& Macerat. ensis.*

histriones subita fuga ciuitatē liberarent. Quorum etiam è numero fuit, qui vehementer commotus (rem sanè raram) ad Collegium abiret, noxaſque confessus, ludicram ac fœdam artem relicturum sponderet. Haud multis posteà diebus cùm ab ipsis ciuibus è prima iuuentute comœdia adornaretur in ædibus Quatuorvirûm agenda, Patres satis gnari quæ sancti doctique viri de ea poēticæ parte doceant, quam praua scriptorum ingenia corruperunt & infamarunt; deprauatumq; adulatione eorum vulgus nisi condimento sit turpitudo, insulsam ducit; simulque cogitantes quàm multas peccatorum occasiones offerant tales cœtus; putabant id ab se mutuæ caritatis beneuolentiæ erga se ciuitatis deberi, præsertim eo primo anno, quo Maceratam incoluerant, vt id quoque periculosum animis disturbare ludicrum conarentur. Itaque Douitius Rector Quatuorviros alloquens cùm damna & pericula demonstrasset, reuocat ijs in mentem decretum paulò antè ab ipsismet editum, ne ædes publicæ ad id rerum genus cōmodarentur. Cùm gratiarum actione optimè monentem illi Rectorem laudant, & obstituros, quanquam subtimidè pollicentur. Verùm præualuit iuuenum gratia. Cœpta agi comœdia, cùm vniuersa propè ciuitas conuenisset, Ioannes Catalanus veniam propè extorquet à Rectore, vt liceat aliquid saltem interponere, quod datæ Christo fidei spectatores admoneat. Indulsit Rector antiquæ homo simplicitatis, ratus, quòd nemo post inchoatam fabulam admitti soleret, ne Ioannem quidem admissum iri. Verùm docuit res ipsa, quàm temere quisquam speret aliunde prohibendum, quod ipse, qui fieri nolit, non prohibeat. Ioannes aditu inuento, vbi in confertissimam spectantibus aulam venit, prolata, quam sub pallio gestabat Crucifixi effigie, vocem ex improuiso ingentem tollit, Huc Christiani, huc oculos, ad hoc spectaculum vertite, quod ego propono nobis. Aduertit nimirum repentina vox oculos animosque omnium: & proximi quique conspecta Domini imagine venerabundi aperto capite adorauere: vt probæ ciuitatis mores agnoscerēs. Ille ipse, qui tum suas agebat in scena partes cōtinuò verticem nudauit, & in genua procidit. Verùm inter remotiores rei ignaros cùm tumultus exoriretur, ac periculum esset, nequis è turba, quæ gradus vndique circa aulam extructos repleuerat, prolaberetur, & perturbatio, vt in eiusmodi celebritatibus vsu venit, aliquam cladem afferret; qui intererat, Prolegati locum tenens importunum declamatorem iussit rogari, vt tantisper faceſſeret. nec Ioannes cunctatus est. Fuit haud dubiè factum animo pio, sed parum consideratè. Periculum enim præter alia erat, ne eo rerum in æstu, eaque promiscua turba, & concionator ipse, & Christus Dominus iniuria grauiore violaretur. Itaque quòd id permisisset, iussere Præsides sui Rectorem ex Prolegati vicario, & Quatuorviris imprudentiæ suæ veniam postularē. cui tam benignè illi responderunt, vt dicerent sibi potiùs veniam petendam esse, quòd non curassent, vt honores Christo Domino maiores haberentur, & protinus fabulam non abrupissent. Ciuium rei quorū alij aliter rem interpretati sunt. Euentus magis, quàm consilium mihi probatur. Haud enim dubium, quin illa subita vox, & improuisa species acriter hominum mentes percusserit: vt quemadmodum iniecta feruenti aquę gelida, eam ne efferueat atque effluat temperat comprimitque, ita ea res multarum prauarum sedarit feruorem illecebrarum, & animos aduersus multa crimina præmunierit. Denique vt fugatos ab Amarono peregrinos histriones, genus nebulonum infame vulgò commendarunt, ita ciuium interpellata oblectamenta non pauci doluere. Adeò eadem nequaquā vbique quadrant.

19 *Ioannis Catalani feruor.*

Collegium Foroliuiense in primis florebat, & celebritate & profectu siue gymnasiū, siue templum frequentantium; dum Michaēl Lauretanus summæ classis Magister orationibus, dramatisque longè lateque gymnasij propagabat famam, rem diuinam antè omnes Rector promouebat Leonettus Clauonius. Acciditque, vt in templum ingressus homo, qui quòd nollet cum inimico redire in gratiam, sacris mysterijs iam quadriennium abstinuerat; numerò & ad sacra subsellia, & ad diuinam mensam circumfusorum conspecto, ad suam miseriam, qui tantis vltrò se fraudabat bonis, cogitatione conuersa, ibidem inimicitiam & peccata apud sacerdotem poneret. Adeò potens est & rectè facientium conspectus, & rectè faciendi oblata commoditas. Ingens autem templo ornamentum ex pulcherrimo asseruandæ diuinæ hostiæ tabernaculo accessit: quod multi cum celeberrimis quibusque temporis eius maiestate operis comparabāt. Nec sanè mirum. Magnificentia enim, & elegantia, quam hodie læti in sacrarijs hisce conspicimus, & quidem Sodalitatis huius tum industria, tum exemplis ex parte non exigua inductam, vix vspiam apparebat: pudenda enimverò incogitantia, atque ingrata rusticitate mortalium. Materiam Episcopus, manus & ingenium faber lignarius è Societate contulit, cui antea in opificij eo genere admodum imperito, facultatem ad id raram Deus indidisse visus est. Cumque Episcopus paternè fouere Collegiū pergeret, nec pauca iam ad stabilitatem eius donasset; Lainius pro eo quoque tanquam pro fundatore consuetā Societati precum & sacrificiorum suffragia imperauit.

20 *Progressus Foroliuiensis Collegij.*

21 *Exempli, & opportunitatis efficacia.*

Prosperè adolescebat Bononiense Collegiū. Superiore anno quædam extra vrbem S. Reparatæ ædes tradita fuerat ab Episcopo Ioanne Campegio læta euentu ciuitate. Namque magna vis mortalium ad Diuæ solennia cùm esset consueta singulis annis prodire, non modò cultum ornatumque probauit ædis & sacrorum, sed etiam melior donum remissa est. Quippe cùm cateruatim sparsi die abuterentur in ludis, saltationibus ac tripudijs, in eos globos immissi Collegæ opportunis concionibus adhortantes ad fugam peccatorum, & ad cultum pietatis, veram sanctamque feriarum rationem edocuerūt. Hoc verò anno ipsa in vrbe templum S. Luciæ auctoritate Pontificis, quo commodato ad id loci Collegium vtebatur, attributum est ei, certo rectoribus parœciæ vsu relicto. Et quanquam de cætero summa egestate Collegium premebatur, cùm

22 *Bononiensis Collegij insignia incrementa.*

Digitized by Google

cùm certi ęris nihil haberet, & iam multos annos annonæ ſęuiret caritas; tamen Rector Franciſcus Palmius ædes Guzadinorum S. Luciæ templo peropportunas, Chriſti arca fretus coëmit. Maximè vt id auderet, confirmauit tum ſpes incrementorum in ea vrbe Societatis, tum memoria verborum honeſtiſſimæ feminæ Violantis Caſaliæ Camillo Guzadino olim nuptæ: cuius fuerant illæ ædes. Hæc enim ſpectata pietate matrona indeuſque ab eo tẽpore, quo Beatus Franciſcus Xauerius Bononiæ fuit, Societatem amore ſtudioque complexa, perpetuoque tenore proſecuta, ſemper habebat in ore Deum velle, vt templũ S. Luciæ, in quo primùm Xauerius, & alij primorum Patrum, munia Societatis auſpicati eſſent, Societati addiceretur: ad eamque pariter Guzadinorum venturam domum. Quippe ſibi neſcio quo interiore inſtinctu prædici, non eſſe Deo cordi, vt ſuis filiis huius vitæ res proſperè euenirent. Quæ tanta aſſeueratione dicebat, vt Iulius Cęſar, qui primus erat ſtirpis, cùm in Clerum dediſſet nomen, & ſacra vectigalia poſſideret, veritus ne fratres non relicta ſobole tollerentur, noluerit antequam vnum eorum alligatum nuptiis vidiſſet, matrimonij ius præcidere ſibi per Ordines ſanctiores. Cæterùm præſagitio matris immutari non potuit. Robuſti tres ac bene conſtituti iuuenes nulla ſuſcepta prole omnes, in ſupremo ſpiritu Patribus noſtris iuuantibus, vnus Auguſtæ Vindelicorum, alter Placentiæ, tertius Florentiæ exiguo interuallo tolluntur. Quos vbi mater alium ſuper alium audiebat mortuos, mira animi conſtantia ſubiiciebat, Nónne ego vera ſum? nónne prædixi? En Deus alios in domum meam incolas, alios introducere meos filios parat. Quin etiam cùm iam tantùm maximus, iſque iam ſacerdos ſupereſſet, optima femina, quod mox præuidebat futurum, ſtatim repræſentatura, id agitabat, vt domo egreſſa, eam & ſua omnia Societati concederet. Quod tamen P. Franciſcus Palmius, apud quem noxas illa expiabat, ne vulgo ſermonum, ſuperſtitique filio querelarum materia præberetur, non modò tum prohibuit, ſed etiam cùm moritura teſtamentum conderet. Denique templum S. Luciæ Societati addicitur. Iulius Cæſar moritur: ædes ab heredibus venum proponuntur. Quæ videns admiranſque Palmius, & cum prædictione religioſiſſimæ eius matronæ totam rerum ſeriem conferens, nihil dubitans affuturam opem diuinam, vbi tam manifeſta voluntatis argumenta eſſent, difficultates per eam omnes expugnatum iri confidit. Nec fruſtra confidit. Proſperrimè initio tranſacta re, cùm ſuperueniſſent difficultates grauiſſimæ, & populi etiam ingens obtrectatio, tanquam Religioſos parum decerent ea tecta, & ſpoliaretur nobilitas & vrbs magnifico ædificio; tamen Palmio & coràm, & edito commentario rationem reddente, & oſtendente quàm ille neceſſarius Societati eſſet locus, quàm nihil magnificentiæ vrbis decederet, ſed potiùs Collegio olim condito Bononienſi ſplendore digno acceſſurum eſſet, omnis cõſedit procella: & poſtea, quanquam ægrè, tamen pretium quoque piorum benignitate eſt perſolutũ, & læta ciuitate Religioſo vrbs ædificio non modicè honeſtata: quæ præcipua Chriſtianarum vrbium ornamenta cenſeri conuenit.

23 *Prædictio Violantis Guzadinæ.*

In Sardinia domicilium tribus antè annis Saſſari cœptum, hoc anno ad iuſtam Collegij formam perductum eſt. Cùm enim primo anno quatuor, altero ſeptem fuiſſent, hoc tertio quatuordecim in eo Socij egerunt: & præter Abecedarios, tres inſtitutæ ſunt diſcentium latinitatem claſſes, præceptoribus ex Hiſpania miſſis. Vix vſpiam gentium fœdiùs lapſos à pietate Chriſtiana homines antea reperiſſes. Archiepiſcopus Calaritanus ad Lainium eo conſilio, vt Pontificem edoceret, præter cætera ſcripſit: Tota ſua diœceſi non eſſe vel vnum preſbyterum, qui quę legeret, intelligeret. E quatuor & viginti Canonicis Calari tres tantùm vetulos pſalmodiam frequentare; cæteros vel in alienis terris agere, vel mercaturæ intentos, contra Antiſtitem immunitatibus mendaciiſque armatos. Religioſos haud Clero diſſimiles. In pagis nullus propè Curio abſq; pellice erat: quin id primùm vẽturo Curione, pagani curabant, vt is præparatam mulierculam inueniret, quam ex honoratioribus ambitioſè & auarè ſe offerentibus lectam certo ei iungebant ritu: interque preſbyterum & eam conueniebat, vt quod facerent rei, ex æquo inter ſeſe diuiderent: habebaturque etiam publicè in templis nequiſſimæ meretriculæ honos: vt in ſolennibus oblationibus ipſa prima è populo ad offerendum accederet. Cæterùm non veſtitu, non tonſura, non moribus, ac ne operibus quidem preſbyter ab ruſticanis foſſoribus diſcrepabat. Vnde facile eſt intelligere quanta eſſet in populo nox, cùm, qui eſſe lux debuerant, vſque eò tenebræ eſſent. Ipſis in vrbibus, qui vel formulam cruce ſe ſignandi neſcirent, qui ſacerdotibus noxas quindecim aut viginti annos nunquam aperuiſſent, miſerum quàm multi erant. Diuinationes, cantiones magicæ, diabolicæ ſuperſtitiones ita vulgatæ, vt vix quiſquam eas res in vetitis numeraret, religionique ſibi duceret. In montanis multi liberos ante octauum decimumúe annum non baptizabant. Inter mercatores nihil tam vulgare, quàm fœnus exercere: quàm cõtrahendarum rerũ rationes ſine æqui & iniqui reſpectu inire quàm quæſtuoſiſſimas. Hanc igitur immanem ſiluam excidere, hæc aggreſſi monſtra tollere pauci illi cultores, ita ſolum facile cultu, cunctaque prona inuenere, nihil vt obſtaret, quo minùs omnia ſupra vota reſponderent, præter operarum paucitatem. Subſidia itaque poſtulantes ſcribebant nuſquam ſe ita perditam gentem, ita ad emẽdationem paratam vidiſſe: obrui propè multitudine ad diuina myſteria conuolantium; conſilium in dubiis rebus, auxilium ad vitæ nouæ inſtitutionem petentium: omnes extollere ad cælum manus: & homines Societatis vulgò ſanctos appellare, ad ſalutem ſuarum animarum quæ funditus perierant, à Deo velut è cælo miſſos. Balthaſar Pinna Rector ingentes concionando ciebat motus. Erat enim vir ipſe optimus & ardens, & gloriæ diuinæ ſummè amans. Saſſari tribus deinceps annis in templo maximo per Quadrageſimam concionatus eſt multitudine ſemper audientium nunquam antea conſpecta. Quibus concionibus tantus iniectus eſt

24 *Collegium Saſſaritanum abſolutum.*

25 *Docciles ad pietatem Sardi.*

26 *Renouata pietas in Sardinia.*

Digitized by Google

iniquorum contractuum timor negotiatoribus, vt non pauci ad innocentem se agriculturam ab periculosa mercatura transferrent: alij nihil cum quoquam contrahere priùs auderent, quàm qualis formula esset, de Patribus cognouissent: alij libros rationum ad eosdem ferrent, vt quæ inuenirent iniqua, liberè indicarēt, parati (quod cum fide exequebantur) malè parta ad assem iustis dominis reddere. Cùm autem interrumpere aliquando concionesPinnam coëgisset morbus, præter publicè fusas preces, multasque à plerisque susceptas priuatim pro eius salute pœnas, fuit vir bonus, dignus cuius & nomen proditum esset, qui enixè à Deo petiit, vt Pinnæ morbum ad se transferret, quò publicis vtilitatibus seruire ille posset: auditasque preces euentus docuit. Afflictus enim ille febri lecto est: Pinna continuò ad suggestum reuersus. Superstitiones quo faciliùs euellerentur ex animis, curatum est, vt Vicarius anathemate ter denunciato eas interdiceret. Inoleuerat quoque mos prauus, vt feminæ, siue earum parentes, siue fratres aut sorores, siue vir aut liberi morerētur, annum totum continuarent luctum in tenebris, nunquam adapertis fenestris, nunquam extra domesticum limen elato pede: vsúque veniebat, multos vt annos nonnullæ, aliis suorum nondum finito priore luctu supermorientibus, nunquam templum aspicerent: neque interessent Sacro: nec diuina mysteria vsurparent; sed omnibus animæ præsidiis destitutæ in fœdiore animum haberent no-
27 cte, quàm corpus. Hæc quoque consuetudo superstitiosa cum animorum & corporum bono sublata est. Calarim, Alguerium, Oristanum, ad Castellum Aragonium, multosque præterea in pagos excursum est: & vbique Euangelicæ formæ pietatis ante oculos posita miros hominum amores accendit. Diuinissimum Christi Corpus, vt cum aliqua dignitate asseruaretur, passim curatum: etiam mortuorum cadaueribus prospectum: data opera, vt cœmeteria valido vndique munimento sepirentur, cùm alicubi in campo haud septo exiguæ iniectu terræ condita canes atque etiam porci effossa vorarent corpora. Quibus rebus per insulam latè vulgatis plurimi vnius & duorum dierum itinere, familiæque totæ, vir vnà cum vxore ac liberis ad expianda apud Patres peccata, & remedia animis suis accipienda properabant. Cumque populus valdè inops sit, vbi videbant pecuniam confessionis causa non accipi, aiebant enimuerò se posthac multò frequentiùs confessuros, cùm ante id retardaret vel maximè, quòd si præter peccata nihil ad confes-
28 sarium afferrent, nullus ferè acciperet. Adiuuabat pietate atque auctoritate sua rem Antiochus Bellitus Prætor, latum Sociis sua faciendi opera præbens campum. Tanti eorum consilia faciebat, nihil vt paulò grauius moliretur, quod cum illis non antè deliberaret: idque ea modestia atque benignitate, vt nunquam ad se accerseret eos, verùm si quid vellet, ad Collegium itaret ipse. In nosocomio ordinando, in iuuandis carcere clausis, in familia sua regenda, in rebus denique diuini cultus vniuersis Patrum vtebatur solertia operaque. Etiam in noxij hominis supplicio nouum ciuitati gratumque spectaculum editum. Ante Societatem si de quopiam in Sardinia supplicium publicè sumeretur, puerorum modò accurrebant spectatum greges: at vbi hoc primùm anno conspecti sunt duo Patres hinc atque hinc medium deducētes reum, & quæ apta ei erant tempori memorantes, conuenere quamplurimi. alij accedebant proximè, vt quæ dicerentur exaudirent: alij eo commoti exemplo Litanias, alij preces alias tenui murmure depromebant: alij inter se pios habebant sermones, & inuicem ad vitiorum fugam adhortabantur. Demum Sassaritanorū explendis votis, quod vnum deerat, institutio addita iuuentutis. Kalendis Septembris in Archiepiscopi ædibus, cùm haud dum suas Collegium haberet, quatuor in classibus cœptum doceri, elementarius ab classe infima non exclusis. Ad exhilarandam ciuitatem variorum generum carminibus locis celebrioribus valuisque templorum affixis, postquam Pinna Societatis ratione in gymnasiis instituendis pro concione explicarat; vnus Magistrorum Ioannes Naualis nomine, in templo principe Latinam orationem habuit, deque Philosophia positiones defendit. Cui celebritati omnes pariter, summi, medij, infimi adfuere: ac Doctores, quotquot fuere Sassari, contrà disputarunt. Lætitia, gratulatione, plausu propè incredibili tota res gesta est: & suam populus probationem perenni benignitate contestabatur: qui, cùm nihil dum è Fontanæ attingeretur hereditate, tam multa tamen è sua tenuitate suggerebat, vt non modò Collegium adeò amplificatum nihil desideraret, sed superesset etiam, vnde aliquot valdè pauperum familiarum necessitas leuaretur. Sed iam diu orationem ad se Gallia vocat, vbi summa rerum agebatur.

29 *Schola Sassari aperta.*

Dum Lainius Parisiis omnia ad sustentandam religionem mouet, Polancus, vt antè semper adiuuerat, ita maximè initio anni huius in regia laborauit. Allocutus est Bezam, & alios eiusdem farinæ adhortans vt irent ad Cōcilium, & vrgens scriptas edere, quas vellent conditiones: cumque obiicerent multas difficultates, omnes sustulit: adeò vt Beza reciperet, acturum se cum suis, vt communi consilio conditiones statuerēt: dein vt id ipsum vrgerent, Cancellariū & Bottellerium (is erat concionator Reginæ) Episcopum Valentiæ, & Castillonium nouorum dogmatum sectatores allocutus, eò redegit rem, vt, si hæretici abnuerent ad Concilium se ferre, appareret nonnisi per eos stare, qui malè conscij odissent fugerentque lucem, vti euenit. Cum Cancellario præterea egit, vt quæ essent in iurisdictione, & publica administratione corrigenda colligeret, vt possent in Cōcilio, & conuentu illo sanctissimo remedia adhiberi: & quamplurimos Episcopos, Abbates Doctoresque ad Concilium mittendos curaret: seipsum probatorum idoneorumq; virorum indicem editurum. Multa cum Legato, & illud inter cætera egit, vt Frater Angelus Iustinianus, qui vtiles in eius familia per sacrum Domini Aduentum conciones habuerat, eas porro vltrà prosequeretur. Erāt enim necessariæ piorum assiduæ voces, non ad infectos modò sanandos, verùm etiam ne ex promiscua consuetudine, ad integros sensim contagio

30 *Res à Polanco in Gallia gesta.*

31

(vt

Digitized by Google

(vt est hæresis quasi cancer) serperet. Ad hæc exempla Principum, quorum miserrimi exitus fuere, quòd hæreticis fauissent, vel Apostolicam Sedem oppugnassent, è veterum monumentis collegit, atque Legato inter Proceres spargenda dedit, si quem diuinus per ea admotus propiùs terror ad respectum rerum suarum & religionis conuerteret. Egit cum Perosellio nobili hæretico, vt & ipse consilia pacata susciperet; & Principem Condæum, apud quem auctoritate valebat, ad consensionem cum Catholicis & pacem impelleret. Episcopos quoque verecundis hortatibus, & fidelibus imbuit monitis; iuuitque ad muneris sui officiique partes explendas. Et quoniam rerum valdè anceps, & proximè discrimen vltimum erat status, Lainius quoque in regiam retulit se pacis nomine. contendebant hæretici, vt templa sibi concederentur, quò conuenire suæ sectæ gregi; vbi docere, suaque tractare impunè liceret sacra. Lainius & Polancus quanti momenti res impudenti eo conatu verteretur, optimè peruidentes, cùm indignitatem haud quaquam ferre taciti possent, commentarium Reginæ in hæc verba edidere: Cùm ab multis sæculis Christi fidem complexa Gallia Catholicæ Romanæ Ecclesiæ perpetuò adhæserit, & noua nunc ei obtrudatur religio, quæ ab Romana segregat, videndum etiam atque etiam est recipienda sit nec ne. Nam, quoniam nonnisi vna est fides, vna religio sancta, vna Ecclesia, profectò altera harum religionum falsa est, vel noua, vel vetus. Si noua falsa est, nulla relinquitur eam sequentibus via salutis: si vetus, populi igitur Regesque priores aberrarunt omnes, ac periere exitio sempiterno. Quis autem non videt, quanti negotij sit maiores omnes non solùm è populo, sed Antistites Regesque, quorum multi colunturin Sanctis, de cælo quodammodo detrahere & damnare. Erit ergo prudentissimæ Reginæ tantam in regno conuersionem Rege pupillo nequaquam pati. Nec verò è concilio regio suadere id quisquam debet, ne scilicet cùm necessitas nulla sit, quæ moram non ferat, Regis pueritiæ videatur illusum: cui non paternum auitumque, sed nouitium quoddam, præcipiti fictum prolatumq; consilio traderetur regnum. Quippe eorum, qui templa petunt, doctrina non modò ea non est, quam adhuc secuta est Gallia, sed illi planè contraria: multisque damnata Conciliis est, in Romano ac Vercellensi sub Leone IX. Pontifice, in Turonensi sub Victore Secundo & Innocentio Tertio: itemque in eo, quod Basileæ, quodque Constantiæ habitum est. Quibus Cõciliis cùm explicata & tradita sit Ecclesiæ Catholicæ doctrina, qui sectantur hanc nouam illi contrariam, luce clarius est in Catholica Ecclesia eos non esse. Quare nec rectam habent fidem, sine qua, vt ait Apostolus, impossibile est placere Deo. At fidei subruto fundamento, omnes istius nouæ sectæ ritus ac cerimoniæ inuisæ sunt Deo. Atque adeò nullo modo concedenda sunt templa, quæ talibus ritibus polluantur: quæ sint superstitiosæ impietatis receptacula, & sacrilegiorum officinæ: sed potiùs subtrahenda illis materia est, per quam maiestatem diuinam violent, iramque eius in totum regnum concitent: & quàm possit celerrimè excidenda radicitus tantæ prauitatis semina sunt. Atqui templa permittere, quid est nisi publicè ac palàm hæc scelera fouere atque alere? Aliæ hæreses conciderunt per sese, cùm populus publicè nonnisi Catholicos audiret exhortatores, nonnisi Catholicos spectaret ritus. Compertumque vsu est diutiùs viguisse eas, quæ loca publica & conciliabula habuerunt: iisque ademptis paulatim resipuisse etiam deceptos. Itaque si certa sedes, & quasi arx hisce nunc hominibus, quorum haud pauci errore abducti sunt, detur, in eorum quoque perniciem cedet, quibus hic ad sanitatem recessus adimetur: & pertinaciæ propugnacula, & alimenta errorum tribuentur. Nec verò quisquam pacis nomine, perque minoris incommodi speciem indulgendum hoc dixerit: contrà enim prorsus eueniret. Quippe quanquam haud pauci factionis huiusce sunt, multò tamen sunt Catholici & numero & genere superiores. Neque tam indulgentia hæc grata illis, quàm inuisa his foret. Nec prudentia fert, vt placeas deterioribus, irritare meliores potentioresque: qui, si qua demum desperatio ad nouas res consternarit, periculosiùs tumultuentur. At enim etiam Nouatores hi turbas tempestatesque maximas excitarunt. Excitauere enim verò plus satis. Inuasere vrbes totas: exturbauere Catholicos viros: feminas Deo sacras Religiosis eiecere adytis: incendêre ac diripuere templa: etiam lacerare sacras imagines, cruces infringere, conculcare diuinissimum Christi Domini Corpus ausi sunt, præter latrocinia, & cædes, & genera omnia barbaræ immanitatis. At hæc, impunitatem inter initia nacti, furtim aggregatis ad sua consilia multis insaniæ sociis auti sunt. Quid ergo fiet, si publica auctoritate vires nanciscantur: &, copia templorum facta, gratiam ab se stare Principum credant? Quid contra hæc Catholici? Sine dubio haud ferentes indignitatem, ad hæc iure veriti solicitique, ne, si istorum opes corroborentur, eas contra se expromant; & facultates ac templa (quæ sunt consueta hæreticis facta) per vim eripiant, ad arma ac manus venient. Atque ita, quod pacis credebatur fore tessera, id erit classicum belli: meritoque formidari seditiones poterunt ac bella ciuilia. Ac proinde templorum his condonatio, fraus & crimen sit violatæ maiestatis, non Dei modò, sed Christianissimi etiam Regis. Quippe ad hanc diem id regnum popularium amore aduersus Regem suum, fide, obsequio potentissimum & inexpugnabile semper fuit. Sed post hæc discordiæ ciuiles attererent eneruarentque eius opes. Religionis dissidium dissidia parit animorum. Istine vt Regem vnquam religionis alienæ bona fide ament? illud potiùs, vt suæ factionis habeant Principem adnitentur. Igitur hac ratione fides, qua regna, vt neruis corpora, continentur ac vigent, tollitur. Quid tum si fortè externus hostis ingruat? Nónne multis modis regnum patebit iniuriæ? Nec opinandum est, posse parti vtrique fieri satis. Verat id ea causa, ob quam Christus dixit, Neminem duobus seruire dominis posse. Illud magis timendum est, ne regnum in se diuisum desoletur:

32 *Lainij commentarius ne templa hæreticis concederentur.*

Hebr. 11.

„ letur: idque eò metuendum est etiam, quòd si
„ adhuc, quamdiu in religione auita perstitit, pro-
„ texit illud semper & fouit Deus; posthac, si dese-
„ ratur, deseret. quod Orientis imperio miserum
„ magis, quàm miserandum in modum videmus
„ factum: nimiumque multis prouinciis. Vt iam
„ minùs mirum sit, quod sacræ Litteræ narrant de
„ Israëlitica gente, quam Deus ob religionem de-
35 „ sertam Assyriis Chaldæisque prædam dedit. Ve-
„ terum Imperatorũ ac Principum maximè com-
„ mendati clarique templa hæreticis non dedêre,
„ sed abstulere: ita Constantinus primus, ita Theo-
„ dosius, ita Marcianus. Ab horum exemplis Chri-
„ stianissimæ Reginæ degenerandum non est: nec
„ committendum, vt quanta cum laude facta eo-
„ rum memorantur, tanta cum infamia postero-
„ rum historiæ ac litteræ æternis temporibus, si
„ quid indignum nunc committatur, canant. Ipsi
„ (Deus immortalis) hæretici in iis, quæ per iniu-
„ riam inuasere locis, si quis Catholicum vsurpet
„ cultum, in eum seuerè animaduertunt: & nos
„ non antiquis modò Imperatoribus, sed etiam
„ nequissimis hisce turbatoribus nequiores eri-
„ mus? facileque domicilium dabimus impietati,
„ cùm ipsi nullum pietati velint esse, sed obstinatè
„ eam ex regionibus, quas inuadunt, expellant?
„ Sinemusque eos ad superstitionem hodie ena-
„ tam tuendam audaciores esse, quàm simus nos
„ ad obtinendam auitam pietatem ac veram con-
„ stantes? Nequidquam dein Principes excidere
„ malum, incendiumque conentur extinguere, si
„ per indulgentiam templorum corroborari nunc
„ sinant ac spargi. Licentia quæ prædicatur, cater-
„ uas ad se magnas pelliciet: nec agitare isti ac ven-
„ tilare cessabunt flammam; donec, si quo modo
„ queant, redigant omnia in cineres, & Angliæ
„ Saxoniæque, & aliis Septemtrionis prouinciis
„ Galliam similem faciant. Denique, si templo-
„ rum potestas fiat, innumerabiles animas ea res à
„ via salutis abducet; & tamen grauissimè commi-
„ natur Christus ei, qui vel vni è minimis, qui in se
„ credunt, ruinæ causam obiecerit. Iniuria fiet Epi-
„ scopis, quorum è ditione ereptis quamplurimis
„ tum res & auctoritas concidet, tum potestas ac
„ minæ contumacibus ludibrio erunt. Permana-
„ bit ad externa regna è pernicioso exemplo velut
„ contagione calamitas: quantoque huius regni
„ amplior auctoritas, vis ac dignitas est, tanto erit
„ pernicies maior latiusque fundetur. Iniuria fiet
„ Oecumenicæ Synodo, quæ maximè huius roga-
„ tu regni conuocata Tridentum est. Id enim re
„ factoque comprobaretur; de quo vt cognoscant
„ ac statuant, ex omni Christiano orbe Antistites,
36 „ ac viri sapientissimi conuenere. Ad extremum
„ graue vulnus vniuersæ Catholicæ infligeretur
„ Ecclesiæ, ab qua tam præcipuum ac nobile ab-
„ scindi membrum inciperet. Grauis imponeretur
„ plaga Apostolicæ Sedi, si contra eam conuerte-
„ ret se Christianissimum hoc regnum, cuius Prin-
„ cipes turbulentis temporibus semper ei perfu-
„ gio, auxilio, propugnaculo fuerunt: cuiusque
„ maiestatem & auctoritatem armis ac virtute
„ Gallica immortali cum sua gloria tutati sunt. Eo-
„ que videretur absurdius in regni viscera Sedis
„ Apostolicæ hostes inducere, recordantibus ius-
„ iurandum, quo ex vna parte suo regnique nomi-
ne Carolus Magnus, & Galli; ex altera Adrianus „
Pontifex hoc nomine primus, & Romani super „
diui Petri sanctum altare æternum fœdus & „
amicitiam pacti sunt, adiecta conditione, vt al- „
terius partis hostes, & alterius essent. Quid? „
quòd qui in Christianis Principibus sectis fauere „
re, grauissima etiam inter mortales luere supplicia? Alij ab inimicis trucidati sunt: alios iugularunt sui: alios repentina mors oppressit in flore „
ætatis: ac plurimùm Deus etiam ab stirpe imperia eorum ad alios transtulit: vt satis testimonio „
sunt Valens Imperator, Anastasius, Constantius, Leo, Theodoricus, aliiq; permulti. Quamobrem omnibus circumspectis, nec ad Dei gloriam, nec ad dignitatem amplitudinemq; Christianissimi Regis, nec ad commune regni bonum, nec ad totius Catholicæ Ecclesiæ rationes „
expedit, vt Regina templis concessis tantam rerum commutationem permittat; sed, vt ad „
tollenda doctrinæ dissidia, & morum corruptelam, vel ad Apostolicam Sedem istos reiiciat Ludouici Imperatoris & Galliarum Regis exemplo, qui per legatos à Michaële Constantinopolitano Imperatore de habendis nec ne in „
templis imaginibus sacris consultus, ad Romanum Pontificem, ad quem norat talia pertinere „
negotia, rem detulit: vel certè Tridentino Concilio hanc ob causam præcipuè repetito, causam permitti integram curet. Hæc aliaque multa „
cùm Principes animaduerterent, ita communi consensu negata templa hæreticis sunt, vt Castillonius, & quidam alij cætera nouorum cupidi dogmatum, hac in re à Catholicis minimè discreparint. Non tamen hæretici quieuere; sed, vt coram Regina apud sanctum Germanum nouus fieret conuentus, instituere, quem Lainius & Polancus frustra disturbare conati sunt. Multa in disquisitionem vocari volebant. Primùm de sacrarum cultu imaginum agi est cœptum. Quatuor hæreticorum Ministri aderant, Beza, Marloratus, Perosellius, & alius quidam. Primo conuĕtus die multa Beza contrà disseruit, quem bene è Catholicis Pelletarius Doctor confutauit: aliisque diebus alij Ministri, & Catholicorum Doctores, interque eos Polancus semel, Lainius bis disputauit: resque ita malè cessit hæreticis, vt cuperent ad alia capita non procedi. Quare ipso Cineralium die mutis, qui in conuentu aderant, scriptas edere sententias suas; quæ, quandoquidem non conuenirent, ad Pontificem Summum, vel ad Concilium mitterentur, solutus omnino conuentus est. Eo die, qui fuit quintus ante Idus Februarias, Lainius diligenti imaginum tractatione confecta, Reginamque & Principum multos de religione sedulò allocutus Lutetiam se recepit, ac deinceps quater in hebdomadâ ad concionem Italicè dicens in templo sancti Augustini, Latinè etiam in Collegio S. Barbaræ aliquoties verba fecit. Quorum laborum felicem exitum Senatus Parisiensis videns, Societatem tandem in Poissiaco antè conuentu receptam ipse pariter ad Collegia habenda admisit. Polancus quoque assiduè concionibus Latinè habendis ad varia discentium Collegia salutarem nauabat operam, cùm à Cardinali Turnonio ad S. Germani grauiter ægrotante raptim

37 *Hæreticorũ pertinaces conatus infringuntur.*

Digitized by Google

38 raptim accitur. Eum bonus ſenex generalem totius vitæ ſuæ confeſſionem excipere, & ſupremo tempore ſibi adeſſe voluit. Non deſtitit reuocare in mentem illi Polancus Chriſtianum officium: atque inprimis vt famulis, quorum plerique annorum flore apud illum conſumpto valdè ab re imparati relinquebantur, prouideret: reditus autem Eccleſiaſticos, ſic, vti ſacra poſtularent iura, diſtribuendos curaret. Quæ diligenter Cardinalis executus eſt. Et quoniam ad Turnonium gymnaſiũ quidã accedebant in amictu ouium lupi rapaces, ſummã Catholicæ doctrinæ inuiſa hæreticis capita diſertè complexam, quam omnes, qui Turnone eſſe vellẽt, profiterentur, eidẽ Pater auctoritate ſua confirmandã, vnaque decreta quædã ſpectantia ad honeſtatẽ morum propoſuit: quod itẽ libenter fecit pius Princeps, & Iuſto Turnonẽſi Domino, vt obſeruãda curaret, plurimùm cõmendauit. Mirũ ſanè eſt, quantum alterius amore vitæ arderet, cùm iam ſe præ ſenio, & infirmitate corporis reipublicæ ſuperuacaneũ diceret. Rogauit Polancũ, vt Pariſienſibus Sociis preces ad Deum indiceret, ſibi vt vitæ diem cõtraheret. Miſerebatur laborũ, quos in ſe curãdo domeſticos videbat ſubire. Medicamẽta, & quæ alia vitæ adminicula præbebãtur, eò tantùm ſumebat, quòd id velle Deũ ſciret, iubentẽ, quoad ipſe euocet, in cuſtodia corporis permanere: quanquam interim videre ſe diceret migrationẽ ad cæleſtẽ patriam ea re inuito ſibi differri. Ita exuerat immodicũ erga cognatos amorem, vt neptẽ, quę Pariſiis ad eum viſendũ venerat, haud læto animo viderit, & abire cõfeſtim iuſſerit. Deniq; multis pro ſancta Eccleſia perfunctus laboribus, & tũ maximè perfidiãti patrię ſolicitudine & angore animi ingenti priſtinũ Catholicæ fidei tueri decus contendẽs, annis cumulatus ac bene factis mortuus eſt x. Kalend. Maij, annũ agẽs (vt Vincẽtius Laureus, qui valetudinẽ eius regebat) prodidit, tertium & ſeptuageſimum. In templo Collegij ſui Turnonẽſis, quod Societati tradiderat, humari voluit, & grato animo Societas non tanquã fundatori modò Collegij, ſed etiã veluti Ordinis totius parenti ob ſingularẽ erga ſe pietatẽ meritos ſuffragiorũ honores liberaliter ſoluit.

Cardinalis Turnonius religioſiſſimè moritur.

39

40 Sub id tempus reſpirare Catholica res Pariſiis cœpit. Cùm enim, poſtquam fruſtra conati erant ſpecie conuentus, perq; nomen concordiæ quærendę ſancta omnia protuere, diaboli Miniſtri in apertũ furorẽ erumperent, viq rerum ſummam tentare molirentur; electi ex aula regia ſunt, qui per religionis obtentũ priuatarũ opum reſpectu firmamentũ mali ac robur erant; Princeps Condæus, Admiralius, & eius fratres, Odettus Cardinalis Caſtilloniꝰus, Andalottus, Nauarræa Regina, & alij: contraq; Guiſij, Comeſtabilis, Rex Nauarræ, qui primò cùm Sectariis faueret, ſeriò deinde Catholicæ fidei propugnationẽ ſuſcepit, in aulam rediere. Pariſiis Gubernator præpoſitus Catholicus: omnes Miniſtri diaboli electi, ſynagoga eorũ exuſta: exiliũ ſectatoribus, niſi ad ſanitatem redirent, propoſitũ. Quas res magno cum gaudio Lainius, omneſque boni videbant: cùm intelligèrent exoneratam ſentinam, & ſecretos peſtilentes, ne, indiſcreti ſi agitarent, nihil ſalubre ac ſincerum reliquum fieret.

Hæreticorũ duces ex aula electi.

41

Hoc eodẽ tempore in aliis Galliæ partibus homines Societatis, in Delphinatu Turnonij collegæ, in Aruernia Billomẽſes, in Aquitania Apamiẽſes ſtrenuè dimicabant. Turnone Annibal Codrettus intermiſſo tantiſper gymnaſio per inediũ quadragintadialẽ egregio cũ fructu ad ſuggeſtũ tranſiit. Vicinos quidam in pagos dimiſſi multos mortaliũ, quibus facilè hęreticæ fraudes præ ſimplicitate imponebãt, edocuere. Verùm in Edmũdi Augerij labore Deus ſibi præter cæteros placuit. Is cõcionatus Valẽtiæ eſt cum approbatione ſumma, etiam hæreticorũ. Mira cum dexteritate & comitate agebat, & aptè ad ingenia Gallorum, ſingulari præditus facultate ad omnium ſibi animos conciliandos. Aiebant hæretici, niſi quadrato pileo, & ſuperpellicco inter concionandũ vteretur, parem illi oratorẽ nuſquam fore: aſſidueq; ad Deum fundebant preces (quæ ſcilicet fiebant eis in peccatum) vt ad ipſorum Euangelium eum conuerteret. Profitebantur exiguo ſpatio circiter centũ ex albo, in quo deſcripta habebãt ſuorum nomina, poſtquã cõcionari Edmundus inſtituerat, delendos ſibi fuiſſe, quòd ad Papã (ficenim loquebantur) rediiſſent. At numerus eorum, qui quanquã non dederant nomẽ, tamen clàm prolapſi iacebant; atq; eorũ, qui iamiam caſuri nutabãt, at cõfirmati & erecti ſunt, maior multis partibus fuit. Ab circũiectis oppidis alij ſex, alij nouem, alij quatuordecim leucis Edmũdi excíti fama, Valentiã ea tantùm cauſa permulti viri feminæq; migrarunt nobiles, vt purã ſinceramq; doctrinã ex eo audirent: qui mox cùm ad ſuos remigraſſent (adeò incenſi redierant ipſi) domeſticos quiq; ſuos, & populares inflãmare cœperunt. Ad Edmundũ verò legationes multarũ circà vrbiũ, aliæ ſuper alias aq ſe certatim aduocãtium veniebant: & Valẽtini Collegiũ Societati moliebãtur. Aderat apertè famulo ſuo diuina vis, vt inter aſſiduos dicẽdi labores, cùm ſenas diebus ſingulis horas audiendis cõfeſſionibus, colloquiiſq; aliàs priuatis ac diſputationibus daret, modicę vir valetudinis pondus tamẽ diei & æſtus non incommodè ferret. Notauit etiam capita quædã, & in meditationũ diſtinxit formam, quibus poſſent, quæ bono ſemini ſuperſeminabat inimicus homo, zizania internoſci. Quæ capita cũ inter eos, qui plus ingenio valebant, diſtribuiſſet, ſanè apprimè efficacia ad confirmandos animos reperit.

Edmundi Augerij præſtans zelus & eloquentia.

42

43

Lugduni eodẽ tempore haud labore effectuq; diſſimili verſatus eſt Poſſeuinus. Is nondũ domeſticis expediti tricis ita potuerat, vt præceptoria illa Foſſanẽſi relicta palàm ſe amictu de Societate ferret; tamẽ magna in exiſtimatione apud Sabaudiæ Ducem ſedulã eius ditioni purgandæ cõfirmandæq; operã nauans, momentũ, vt verè ineſt, magnũ in Catholicis ſpargẽdis libellis ponebat. Quorũ ingenti numero diſtributo, cùm Lugdunum ſe, vt nouam copiam ſufficiendam typis curaret, quemadmodum ſuprà demonſtratum eſt, contuliſſet; latum ibi & ad caritatem interim, & ad conſtantiam ſuam probãdam nactus eſt campum. Comes à Saltu pro Rege Lugduno præfectus ſe Catholicum ſimulans, per ſpeciem conciliandarum partium, & hęreticos declamare ſinebat publicè, & vrbis cuſtodiam ita diſtribuebat, vt dimidium eius ex Catholicis, dimidium ex

44 *Poſſeuinus præclarè Lugduno auxiliatur.*

Digitized by Google

hæreticis esset, eo consilio (quod euentus ostendit) vt vrbs tota in hæreticorum veniret manus. Ad hæc comportarant Geneua sectarij vim infinitam librorum pestiferorum, quos non per Galliam modò sererent, verùm etiam Constantinopolim, & ad Orientem versus mitterent, vt qui residui iis in terris Christiani sunt, vel seruiunt apud Turcas, vnáque Græci inficerentur; rati hos haud cunctanter quæ contra Pontificem afferebantur amplexuros, eáque re vndique se obsessuros, & in angustias redacturos pietatem existimantes. Hoc in statu vrbs erat, cùm Posseuinus Lugdunum venit: qui primùm omnium egit effecitque, vt pestilentium illa farrago voluminum flammis aboleretur. Deinde propter quos venerat, curanti libros, cùm fortè bibliopolæ puer idololatriam, quòd Sanctos venerareturr, exprobrasset, ea res cogitationem ac mentem, à qua prorsus antè aberat, alloquendæ concionis, illudque ipsum de Cælitum cultu argumentum tractandi subiecit. Vbi auditus est, quia Quadragenarium solenne instabat; propterque perturbationem rerum, qui Italæ nationi de more concionaretur, haud quisquam aderat; Italici homines, vt ipsum sibi tantisper Posseuinum concederet, ab Sabaudo Duce impetrauerunt. Magno ille animo cùm è suggestu populum alloqui Italicè, tum Gallicè pueros catechismum (quanquam nondum expeditè ea vtebatur lingua) docere apud Dominicanos aggreditur. Vtraque res malè habebat hæreticos. Catholici explicatio catechismi nunquam ad eam diem Lugduni visitata, mentes fidelium, quæ antè veluti inermes ictibus patebant hostium, salubri tegumento
46 præmuniebat. At in concionibus summè efficacem ad planè expugnandas Caluini arces, & quam postea secuti multi sunt, rationem iniuit. Priore concionis parte in Euangelij explicatione & castigatione morum consumpta; initio posterioris (quoniam hæretici duo maximè concrepabant, verbum Dei, prout ipsi deprauabant, & auctoritatem Caluini) Institutione ipsa Caluini sumpta in manus: Videamus, aiebat, de Euangelij loco, qui hodierno die tractatur, quid aduersarij doceant. Tum recitata Caluini sententia, quam idem confirmare modò Patrum solebat, modò Cõciliorum testimoniis vafrè seu vitiosè prolatis; continuò à sacerdote, quem ad id sedulò instructum subsidere in suggesto iubebat, volumina vel Conciliorum, vel Patrum accipiens, ea ipsa testimonia, quæ attulerat pro se Caluinus, clarè distinctéque pronunciabat. Hac via cùm palàm omnes deprehenderent quàm vel deprauatas, vel detortas Caluinus afferret sententias, qui auditorum Catholici erant, impudentissimi nebulonis os admirati, execratique fallacias, summè in Catholicis institutis animos obfirmabant: hæretici verò cùm quid contrà hiscerent, non haberent, disrumpebantur dolore scilicet.
47 Quos tamen humaniter sæpè inuitabat Posseuinus, vt eos ipsi per otium recognoscerent conferrentque locos; vel, si copia librorum non esset, ad se domum adirent, nec sinerent sibi tanta in re, quanta est animæ æterna salus, fucum fieri. se libros oculis subiecturum Basileæ impressos: his enim dedità operà vtebatur, ne cui posset adulteratæ à Catholicis sententiæ suspicio suboriri. Hæc ita cùm disserentur, nobiles duo Galli sancti Ioannis Hierosolymitani Equites, ne quam hæretici machinarum suarum euersori iniuriam facerent, suapte sponte excubãdi sibi pro eo, huius rei prorsus ignaro, protegẽdiq; negotio sumpto, intenti ponè suggestũ quotidie cõsistebant. Valdè etiã pupugit Hugonottos libellus; quem idem scripsit ediditq; de Diuinissimo Eucharistiæ Sacramẽto, adeò vt multi biennio proximo cõtra eum obgãniendi nullũ finẽ fecerint: atque è contrario Angli Catholici Anglicè versum disseminatumq; experti saluberrimum sunt.

Ebredunensibus eodem tempore Ludouicus 48
Codrettus præsidio fuit. Quò dum Guilielmi *Ludouici Codretti foris industria.*
Auansonij Archiepiscopi accersitu se confert; quo faciliùs Caluinianorum manus effugeret, amicorum multi suaserant, vt in Delphinatus quibusdam oppidis ne proderet se Catholicum sacerdotem. Verùm is perspecto supremo discrimine, in quo populorum animi versabantur, vitæ suæ pericula posteriora duxit. Quacunque pedem ferebat, clamans & quasi tuba exaltans vocem suam ad Catholica vbique signa aggregare omnes nitebatur. Quamuis serum diei iam esset, cùm ad populorum quempiam perueniebat, tamen concionis edi iubebat signum: & longos faciebat sermones. Obstrepebant dicenti verbi hostes diuini: manibus, oculis vultúque intentabant minas. Fuit etiam cùm pueros concitarunt, vt digredientem è templo sibilis infestisque clamoribus insectarentur. At ille libenter hauriebat omnia, dum confirmarentur animi Catholicorum: quibus mirum ex iis sermonibus accidebat solatium: ægerrimeque sinebant ab se diuelli. Ebredunum vehementer expe- 49
ctatus ipso die Cinerum venit, populumque ita ad se omnem illexit audiendum, vt Minister hæreticus iam diu aditum in vrbem opperiens, nunquam accedere eò sit ausus. Perfunctum deinde munere Antistes non sine lacrymis ab se dimisit: ciuiumque multi prosecuti sunt flentes. Ille verò quo in aduentu, eodem in reditu tenore per prouinciæ castella & oppida sanctam prædicans audacter fidẽ (Deo protegente) ad Montis Regalis Collegium sospes, & præclarè gestorum dies reuertit. Temporis eodem tractu Pelletarius iam penitus custodia liber, Tolosæ pristino suo ardore animi solennes cõciones habuit.

Hic fuit vsque ad extremum ver Galliæ status: reliquo anni tẽpore & armis & pestilentia vexata est: & mali vtriusque ad homines Societatis pars bona pertinuit. Pridie Kalendas Maias hæretici introductis paulatim ementito habitu militibus, quos Geneua, aliisq; circà locis acciuerant, & in priuatorũ domibus occultè dispositis, Lugdunũ noctu occupant. Posseuinus strepitu excitus dum Cælestinis, apud quos diuersabatur, animũ facit
50 in Dominicanos perterritos incidit, qui occupato ab hæreticis suo templo, in contiguos Cęlestinorũ hortos transgressi erant. Cum vtrisque Religiosis in Cælestinorũ templũ recipit se, & omnes quanquã satis per se cõstantes ad propugnãdam vel sanguine, si sit opus, sacrorũ integritatẽ ante diuinissimũ Christi Corpus hortatur. Sub ea cùm speculatũ misisset, num quà trãsitus in vrbis *Lugduno ab hæreticis eapto Posseuinus periclitatur.*

partem,

Digitized by Google

partem, quam Itali trans Ararim incolebant, pateret, pontem ab armatis hæreticis insessum, cymbas ferè omnes interceptas renunciatur. Ipse tamen aurora iam albescēte, totum se Dēo committens, viam, quæ ad læuam oblata est, sibi antea ignotam iniit; bonoque nimirum Angelo regente vestigia, ad fluminis ripam ducitur, vbi inter circumfurentium sclopetorum ictus nauta cum cymbula quasi attonitus stabat: ab eoque sine mora, velut diuinitus ad id præparato traiicitur. Vix ad Archiepiscopi ædes venerat, cùm 51
regius Præfectus Comes à Saltu, qui ædes eas occupauerat, obuiàm fit, simulansque mirari se, quòd Posseuinus & solus & id veniret temporis, specie honoris, & tanquam ipse quoque obsideretur, consiliarium super tumultu habiturus ad se ducit: ac principio etiam mensæ adhibet, cùm interim & eius frater Dominus à S. Andrea apertè hæreticus in vrbe penitus sub iugū redigenda vim omnē intēderet: & ipse per simulationē conseruandi à militū iniuriis multa strenuè raperet; inter quæ cùm templi S. Ioannis, quod in ea vrbe princeps est, argēteam omnē supellectilē adferri ad se iussisset, ea postea nunquā cōparuit. Deniq; ducētis præterea militibus domū introductis, & foribus bombarda munitis Posseuinum affatur: Vides nos vndiq; tanquā custodia & carcere obseptos: optimum mihi quidē factu videtur, vt in vnum è superioribus conclauibus tu te recipias: mihi incolumitas tua curę erit. Ita traditur custodiendus hæretico. Nec ita multò pòst Caluinianus Minister Ruffinus nomine illud in conclaue irrumpit tectus lorica & sclopeto armatus, manu satellitū facinorosorū hinc atq; hinc cingente latera. Post multas cōtumelias, & supremi supplicij minas ait se ad disputandū venisse. Id esse tēpus, quo, quæ Posseuinus pro defensione euomuerat Missæ, cogeret eum resorbere, vel eluere sanguine. Posseuinus, tametsi videbat loricam, sclopetū, armatos satellites nō esse tela decertātium verbis, cōstanter tamē respōdit, Quod pro Catholicæ fidei defensione prædicasset, id cùm nitorē purissimū veritatis cōtineret, se nō eluere, sed & cōsignare & testificari sanguine suo paratum, si Deus tāto beneficio dignaretur: animūq; cōponit ad necē fortiter subeundā. Sed Minister cùm quæsiuisset quædā de sacrosancto sacrificio Missæ, & obrutus esset testimoniis sacrorū librorum, SS. Patrū, memoriaq; omniū post Christū sæculorum, cùm vix Latinè ipse nosset, nihil nisi iterū superbè & ferociter extrema omnia minitari ausus recessit. Tantū aderat animi inter præsentem mortē Posseuino, vt de se propè securus omnē curā ad solandos Catholicos & Religiosos viros conuerteret: qui consternati animo ad indignitatē rerū, quas videbāt ferebantq; vix mente constabāt. Etenim nocte vna cuncta virorum 52
sacrarumq; virginū monasteria, omnia templorū sacraria direpta & spoliata sunt: tabularia omnia incensa: multa templa euersa: venerāda S. Irenæi ossa cremata, S. Bonauenturæ in profluentē abiecta: præterea sacris calicibus ad ingurgitandos se mero abusi: nec sancto oleo per summū contemptum ocreas inungere puduit. deniq; viua etiam sancti Spiritus templa vt violarēt, iuuenes petulantes atq; flagitiosos ad sacra virginū penetralia

Hugonottorum impietas & furor.

solicitatores ausi adducere. Adeò robusta impudentia erat, & frontem ita cum fide perdiderant. Quas tamen Dei ancillas diuina omnes gratia, & in proposito constantes, & liberas ab ignominia conseruauit. Inter hæc natio Florētina, quæ sem- 53
per egregiè se Catholicā præbuit, Consuleséq; ciuitatis vias omnes, quibus Posseuinū eriperent, inuestigabāt, cùm Mōtis Luelli (quod oppidum tribus ab Lugduno leucis in potestate tū Sabaudi Ducis erat) Prę́ses (Capitaneū vocabāt) apparuit, sua sponte cognito hominis periculo ad eum liberandū profectus. Is, cùm Proregi significasset, quo loco apud Ducem Emmanuelē Posseuinus esset: siq; ei iniuria fieret, Ducē permoleste laturum, vt dimitteretur, expressit. Ergo populari vestitu Centurioni hæretico traditur abducendus. Aderant compacto & Florentini, qui exceptū ab Centurione longo flexu per mōtis accliue, dum infrequentiā captant, circumduxerunt. Domum tandē mercatoris ductus, ibidemq; ea die haud frustra exacto (nam Florētini hominis, qui sedulam operā liberationi suæ nauarat, totius vitę cōfessionē excepit) postridie per mediam vrbē, pluuia ad hæreticos fallendos iuuāte, transito Arari, qui leniter vrbē circumfluens, sub ipsa mœnia in Rhodanū influit, ad alium mercatorē in domum Rhodani impositā ripæ traducitur. Hinc cōducta à Montis Luelli Præside cymba piscatoris habitu aduerso Rhodano auehitur insigni Dei tutela seruatus. Nam hæretici ob conciones, & catechesim infesti ad omnes portas dicebantur homines, qui eum probè nossent, ne qua effugeret, collocasse. Quòd si priore die, vt hæretici præceperant animis, in priore illo domicilio mansisset, prorsus in eorum incidisset manus. Quippe Dux Vasconettus cum quinquaginta sclopetariis eò nocte insequenti venit, vt vinctum pro arbitratu perderet, eo infensior, quòd idē Vasconettus pro hæreticis Angroniæ Vallis arma tulerat, dum copiis Sabaudi Ducis Posseuinus pietatis armatura muniendis & incitādis præesset. Vbi primùm in 55
Sabaudia pedē posuit, & ab equitibus obuiàm ad præsidiū factis exceptus Posseuinus est; dū piscatorium exuit cultū, pariter ex animo quamdam constātiæ quasi loricam, quæ adhuc mirè fortem inter tot pericula & securum præstiterat, detrahi sibi propè videnti sensit, tum pauore, cùm causa defierat, subeunte. Nēpe vt animaduerteret non sua nuper virtute tam fuisse cōstantē, sed ope diuina, quæ summis tēporibus maximè adest. Inde 56
sospes in subalpina reuersus Cherium ab Tauri- *Res à Posseuino Christ. gesta.*
norum Augusta tribus millibus procul, quam (vt diximus) arcē sibi errorū hæretici destinarant, sedem industriæ suæ delegit, vt faceret propugnaculū veritatis. Decē mensium concionibus & catechesi cùm multa alia perfecit, tum florentē Sodalitatē instituit in Sanctissimi Sacramēti nomine legibus iis deuinctā, vt præter hebdomadariā cælestis epuli instaurationē, publica supplicatione diuina hostia deferretur singulis mensibus ad vnum è quatuor præcipuis tēplis: & vbi in eo per mensem augustioribus feriis expositā publicæ venerationi fuisset, ad alia deinceps in orbē deferretur. Quod cū animorū insigni ardore fieret, non modò id procul arcēdæ impietati munimē- tum erat, sed aliqua ex parte, quos in occupatis à

Digitized by Google

se terris hæretici fraudabant, debitos incõparabili Christi charitati honores resarciebat. Semper enim per hæreses Catholica Ecclesia, & sapientia profecit & sanctitate: idq; maximè quod Satan oppressum voluit, extulit caput & floruit.

57 *Augerius ab hæreticis capitur.*

Edmundus Augerius Quadragenario perfunctus curriculo, ad Turnonensis Collegij, cui præerat, inspiciendas res, Valentia redit. Sed breuis concessa mora est. Valentinis enim Catholicis opem summis precibus, quòd hæretici insolentiores in dies euaderent, flagitantibus denegandum quod in se esset, auxilij non putauit. Ergo celeriter reuersus more suo imperterritum se atque prudentem Ecclesiæ custodem præbebat, cùm dolo ab hæreticis Valentia quoque occupatur. Prætor, qui Catholicus erat, Ordinis S. Michaëlis, ex vnâ ædiũ suarum fenestra, ceruicibus fractis suspenditur. Non dissimili supplicio damnatur Edmundus. Statuitur in foro patibulum, ad idque rapitur, illico, nisi quæ pro Catholica prædicauerat fide, recantaret, inserto in laqueum collo suspendendus. Hîc verò Euãgelicus præco nõ modò non reuocat dicta; sed clara & constanti voce gratias Deo agit infinitas, qui eò se loci vocaret, vt sanctissimæ religionis castitatem non tantùm voce, sed vita & sanguine contestari posset. Quæ cùm eo diceret spiritu ac sensu, vt passim Catholicis, atque hæreticorum haud paucis exciret lacrymas, vnde speranda minimè videbatur, inde salus affulsit. Pro comitate sua, excellentique ingenio & doctrina (vti suprà indicatum est) hæreticorum multis carus erat Edmundus: ac veluti se ipse libenter, vt eos ad pietatem conuerteret, dabat in amicitiam eorum, ita illi vicissim ambitiosè eius gratiam, vt ipsum peruerterent, venabãtur. Ergo

58 *Ab summo discrimine liberatur.*

Ministrorum quidam hæreticũ Ducem adeunt, docentq; quanti ingenij, quantæ facultatis ille vir sit: quàm se non inhumanũ præbeat: quantũ accedere rebus Hugonottorũ momentũ queat, si is accedat. Differat paulisper necem corporis, dũ tentent ipsi, si possint, animũ expugnare. Hoc consilio dilatũ suspendium. Edmundus in custodiam ducitur, & Ministrorũ caterua hinc minis, inde fallacibus officiis, adhæc captionibus & præstigijs armata comolat: quorũ ille & illecebrosa omnia & formidolosa, denique & captiosa tormẽta nõ modò Catholici doctoris virili constantia repulit, sed ipsos præterea ita vanis exuit armis, implicuitq; veris, vt qui capturi venerant, capti hærerent: nec iam tanta in luce propositæ veritatis nisi improbæ vitæ, ac vitiatæ mentis pertinaciam obtinerent. Itaque Duci renunciant perstare eum quidem in sententia, sed tamen non videri occidendum, quòd spes sit fore, vt veluti S. Paulus, ita Edmundus nullo suadente hominum per se resipiscat. Ille interim pia Catholici hominis industria opportunum equum, & euadendi viam nactus, spes & manus impiorum eluit: seque & Christi præcepto, & Apostolico exemplo ad noua certamina reseruauit. Dum ita elabitur Edmundus, Turnonenses quoque Socios sub alarum suarum vmbra indulgens cura Dei protexit. Lugduno Valentiaque capta,

59 *Turnonense Collegium hæretici exturbant.*

Rhodanum sequẽtes Hugonotti furorem suum ad Turnonem quoque admouent. Principi denunciant, aboleat Missam: Iesuitas eiiciat: vrbem arcemque pro Hugonottis habeat. si cunctetur, ignem, ferrum, vastitatem omnium rerum expectet. Iustus Turnonius Princeps, & veteris religionis tenax, & Societati optimè cupiens, confestim, quia Edmundus Rector Valentiæ ab hæreticis tenebatur, Prorectorem Collegij accersit: quidque ad eam denunciationem respondendum, quid agendum sit rogitat. Annibal Codrettus, qui locum Rectoris obtinebat, respondet, ea de re, quoniam adeò grauis sit, si Principi videatur, cum reliquis collegis libenter cõsultaturum. Id cùm Principi placuisset, Patres responderũt paratos se pro fide Catholica mori: nec relicturos in supremo belli periculo Catholicos, quos excolendos tuendosq; pacis tempore suscepissent. Laudauit Princeps eorũ cõstantiam fideque: verùm per Dei amorẽ videre etiam atq; etiã iussit, num expediret parcere in præsens vitę, quam reipubl. deuouissent, & qua tantum tempora indigerent; nec hæreticorũ furorẽ pertinaci mora extimulare, vt sanguinarij auariq; homines, siue per odium, siue per simulationem odij Iesuitarum omnia cædibus & rapinis fœdarent, dum ipsi Patres nec sibi, nec aliis manendo possent opem vllam afferre. Hæc famulis Christi rectè cùm dici viderentur, respondent, mortem sibi pro asserenda religione, tutandoque populo optatissimam: consilium nequaquam esse Turnoni vllam in partem incommodare, sed solùm qua re cunque possent prodesse, & calamitatem auertere. Si ipse ad id pertinere arbitretur eorum secessum, itaque iubeat, testatos se ea dumtaxat proficisci gratia, continuò capturos iter. Denique eadem hora quaterni viis diuersis proficiscuntur. Billomum eo ipso die Hieronymus Natalis Visitator, ex Hispania cum eadem summa potestate trãsgressus ad visenda Collegia Galliæ, ex periculis plurimis mirabiliter sospes aduenit.

60

61 *Natalis in Galliam aduentus.*

Res in Hispania ad hunc modũ trãsegerat. Initio anni cùm Senatus regius quiesceret, & Rodericus Gomius confirmaret Natalẽ, vti regni Toletani spectarat Collegia, ita Veteris Castellę posse raptim visere: iusso Araozio Burgis præstò esse, vt Collegiorum inspectis rebus, de statu prouinciarum ordinando ibi ageretur; isq; ordinatis in Galliam inde ipse contenderet, Segouiam venit Nonis Ianuarij. Archipresbyter Solierius nulla apposita cõditione sex aureorum millibus dono promissis, Segouiam Socios aduocarat: dein cogitarat instruere suis omnibus partibus, & omnino explere Collegiũ: palamq; pro fundatore ab omnibus habebatur, cùm tamen nihil effecisset, nec promissam dono pecuniã dedisset. Cum eo Natalis, vt rem conficeret, sermone instituto, vbi vidit iam multas, quę difficulter prẽstari possent, conditiones exigi, re cum Deo, cumq; Patribus multùm expensa, bene speraredomesticos iubet, & cœpta continuare Segouiæ, vitam eleemosynis, vti adhuc fecerant, tolerantes: nihil defuturum si suo ipsi muneri non deessent: commodum quoque fundatorem in tempore à Deo prouisum iri. Ita Socios consolatus, donationem Archipresbytero omnem remisit. Quod in negotiis, quæ recta mente, Deique inuocato ductu geruntur, vsu venit, vt semper quidem opti-

62 *Res in Hispania quomodo ordinarit.*

63 *Segouiense Collegij status.*

mè cadant, ac sæpè etiam felix euentus in aperto sit; id in præsentia videre licuit. Occasione reditu um xenodochij, de quibus Collegio addicendis suprà actum demonstraui, quanquam res effectu caruit; tamen vehemens non Segouiæ modò, sed in regia quoque multorum animos occuparat opinio, non planè expertem cupiditatis Societatem esse. Nunc verò vulgata fama sexcenorum (tot enim Solierius destinabat) aureorum nummûm vectigal annuum repudiatum, ita Segouiæ circaque propinquas per vrbes, & in regia ipsa res bonis animis accepta est, vt videretur immissa diuinitus opportunitas grassanti priùs rumori abolendo. At Segouienses, qui paulò antè, quòd vel suppeditare Archipresbyterum quidquid dies postularet, vel certè ad eum pertinere arbitrarentur, quamuis rogati nihil admodum conferebant: iam fundatoris vmbra sublata, sponte sua necessitatibus occurrebant. Itaque ciuitate & communiter & priuatim iuuante, hoc ipso anno emptum est domicilium, vbi Collegium postea mansit: concinnataque sacra æde, in eam octauo Idus Decembris Sanctissimum Christi Corpus illatum. Natalis Segouia Abulam, inde Salmanticam venit: vbi Hieronymum Montis Regij Comitem nactus, egit cum eo quoque, vt suum Collegium quibusdam conditionibus liberaret, ostendens neque Societati, neque iis, qui cum illa rem contrahunt, expedire conditiones apponi ab Ordinis instituto alienas. Nam Societati optimum haud dubiè esse non degenerare ab legibus suis. Qui verò Collegia instituunt, iis sanè curandum, vt permanentia, maximeque diuturna eorum acta sint. Atqui, quæ discrepant ab Societatis moribus, facilè olim Præpositum quempiam Generalem emendaturum, vel dirempturum rem omnem. Cumque obiiceret Comes, se verecundia parentis sui, qui earum conditionum partem addiderat, prohiberi, ne quid mutaret; respondit Natalis gratum fore honestumque parenti, si ab se gesta meliora filius & perpetua faceret. Denique cùm parum proficeret, re ad Prouincialē relecta, Methymnam Campi pergit. Vix eò venerat, cùm à Roderico Gomio litteras accipit, quibus per Deum obtestabatur, vt festinaret; compendio rem expediret: iam commoueri Senatum cognito ipsum adhuc hærere in Hispania, quem dudum excessisse crediderat. Eodem tempore ex Araozio & Antonio Corduba cognoscit Araozium valetudine teneri, quo minus Burgis, vti conuenerat, præstò esset. Quibus rebus Natalis cognitis raptim Vallisoletano quoque Collegio inspecto, pridie Idus Februarias Complutum redit, ad Montem frigidi fontis præ magnitudine niuium periculo ingenti perfunctus. Hîc Castellæ prouinciæ in Toletanam & Castellanam, quam pridem instituerat, diuisionem, & Prouincialem Toletanæ Ioannem Valderauanum, Castellanæ Ioannem Suarium pridie inter Professos adscriptum, & Commissarium loco Francisci Borgię Araozium promulgauit. Sua cuique monita non in vniuersum modò, sed ad singula etiam negotia dedit: explicauit quoque ad tollenda, quoad fieri posset, semina querelarum, quid potestatis Araozio futurum esset, suo Prouincialibus iure in totum relicto. Qua in lubrica & ancipiti re ne ipse quidem Natalis potuit, quod omnibus probaretur, inuenire temperamentum. Lainius enim, qui procurationem eam penitus extinctam cupiebat, tametsi multum detractum erat; tamen plus Commissario potestatis relictum, quàm oporteret, postea iudicauit.

64 *Aliena ab instituto conditiones nec initurgenti, nec suscipienti conueniunt.*

65 *Castella prouincia in duas diuiditur.*

His peractis, & auctoritate Araozio apud Socios omni ope conciliata, Cæsaraugustam Natalis iter intendit: vnde octauo Idus Aprilis rebus Collegij eius compositis transcendit in Galliam. Apamias cogitanti nunciatur omnes, qui ibi de Societate erant, pariterque alios Religiosos ab hæreticis vrbe potitis eiectos: quare Tolosam perrexit. Hîc Apamienses Socios, quos propter Euangelium extorres in monasterio sanctæ Mariæ Deauratæ, vt vocant, inuenit, consolatur, & pro tempore consiliis regit & instruit. Pelletarius à Cardinali Armeniaco euocatus Ruthenis agebat. Eò Natalis iit, vt de Collegio Ruthenis extruendo, quod Cardinalis moliebatur, cognosceret. Ad oppidum Rebastenum in via ab Tolosa Ruthenas ipse, & Ximenius, & Bertrannus, quem cupientem in Societatem excipi Cæsaraugusta duxerat, intercipiuntur ab hæreticis. Periculum fuit summum: vexatio maxima: interrogationibus plurimis, minis, contumeliis, carcere exagitati, sine noxa demum mittûtur. Cum Cardinali ex sententia actum de condendo Collegio. Cæterùm, quoniam Lainius nondum ex Gallia abierat, ei peractio reseruata. Ruthenis cùm abiissent, tres hæretici viatores comites aggregantur. Haud placebat Patribus comitatus: nec aliunde in tanta rerum perturbatione metu vacabant: tamen, quod Catholicorum insigne esset, nihil dissimularunt vnquam, neque intermiserunt. Gestabant palàm rosaria, & iis in tempore ad precandum propalàm vtebantur. Clarè inuocabant Sanctorum opem: quodque hæreticos vrebat maximè, in oculis omnium adorabant cruces. Ad biuium peruectos, vnde seu Turnonem, seu Billomum æquè licebat petere, aliquamdiu incertos consultatio vtram arriperent viam, sustinuit: tandemque haud dubio Angeli boni instinctu, omisso Turnone, Billomæā viam insistunt. Latuit tum eos diuina in ea re clementia, quam, mox vbi attigere Billomum, audientes eo ipso tempore Turnonem captum, vt ipsi, eò si pergerent, in laqueos omnino se inuerent, gratis animis cognouerūt. Erat tum Billomi Patchasius vehementer solicitus, tum quia Billomum ipsum circumstrepebant hæretici, tum quia quid Turnonēsibus factum esset Sociis, ignorabat. Eo Natalis aduentus per se plurimū optatus, in tanta perturbatione rerum iucundior accidit. Natalis vicissim innocentissimi senis plurimū lætatus cōspectu est. Verùm nō sinebat sincero frui gaudio incertus Turnonensium exitus; cùm biduo aliqui palantes veniunt; dein alij atque alij, vt iam nemo desideraretur præter Edmundum: sed & is ad cumulandum gaudium è carcere & patibulo, vti suprà est demonstratum, elapsus repentè incolumis, & præclara fidei confessione honestatus apparet. Post mutuā gratulationem, iucundamque diuinæ prouidentiæ pignorum,

66 *Natalis pericula in Gallia.*

67

68 *Billomai Collegij status.*

quæ

Digitized by Google

quæ quisque expertus, per quæ & seruatus erat, commemorationem, Natalis rebus Collegij Billomæi, & ibidem Turnonensis, quando totum aderat, quantum ferebat tempus, compositis, vnà cum Ximenio, qui Lugdunum tametsi ab hæreticis occupatum, ad certam pecuniam recipiendam missus, tutante sancta obedientia, redierat saluus; cumque Bertranno & Paschasio Lutetiam versus, vbi Lainius expectabat, discedit. Adducebat etiam Turnonensium aliquot Sociorum, quòd cognouerat ex Paschasio Lainium cupere gymnasium primo quoque tempore Parisiis institui, existimantem nonnihil habiturum momenti illo rerum in turbine ad rei Catholicæ firmamentum. Sed tantus circumuolitabat vndique hæreticorum terror, vt ne copiolas illas Christi in periculum daret, Billomum remittendas putarit: ipsi quatuor, quibus cessare minùs integrum erat, non vsitata ac regia via, sed ad dexteram diuertentes per Burgundiam iter fecerunt. Vrbes, castella, pagi, omnia erant in armis, insessæ viæ, sublati pontes, custodiæ ad portas, pericula toto itinere multiplicia & magna. Billomæi Patres, postquam tenere eos nequierant, cùm pleni lacrymarum quasi ad certam calamitatem properantes dimisissent, non supplicibus modò ad Deum votis prosequebantur; sed etiam anxij, quàm prosperè via procederet, submiserunt Stephanum Mirabellum vnum ex Turnonensibus Magistris, qui Lainium saltem certiorem faceret, eos iter ingressos. Is ab hæreticis interceptus, graui ferri pondere ad pedes adiecto, in vincula coniicitur. Ad quindecim dies cùm ita vinctum habuissent, non soluerunt modò, sed ad mensam quoque familiariter adhibere cœperunt. Cumque ille statis diebus, ab Ecclesia Romana vetitis abstineret cibariis, nihil, nisi leuiter irridebant. Nam sunt in omni genere varietates morum & gradus: & inter bonos minùs boni, & inter malos placidiùs mali: neque latronum par omnium immanitas est. Denique fermè post mensem quà victi constantia serui Dei, quà modestia & prudenti consuetudine deliniti, tutum in Catholicorum castra deducendum curarunt. Ita is, qui periculi alieni nuncius mittebatur, periclitatus est. Natalis cum Paschasio & sociis Lutetiam omnis expertes iniuriæ contigere.

69 *Stephanus Mirabellus ab hæreticis capitur.*

Iam dudum Pontifex Maximus Lainio mandarat, vt ad Concilium se Tridentinum conferret: verùm is, cùm propediem Natalem adfuturum cognouisset, vt coràm quæ in rem Societatis essent, conferret, eius opperiebatur aduentum. Ergo vbi primùm adfuit, Ruthenensi & Tolosano Collegiis receptis, nouaque domo ad Collegium Parisiis dignum eius celebritate vrbis instituendum designata, quinto Idus Iunias in Belgium discessit, quòd id minùs ab hæreticis infestum erat iter futurum: præclara suæ sanctitatis vestigia, magnum doctrinæ, magnum prudentiæ nomen, plurima ad rem Christianam tuendam rectè instituta, cum ingenti desiderio sui relinquens in Celtis. Pariter Natalis abiit: quo Tornaci relicto, Bruxellas Lainius Societatis res Cardinali Granuelano Viglioque Præsidi commendaturus perrexit. Ii cùm dicerent tandem se factorum testimonio coactos fateri Societatem Dei planè opus esse, prolixè operam suam despondere. Præerat Belgio pro Philippo Rege fratre suo Margarita Austriaca Dux Parmensis. Ea plurimùm gauisa Lainij conspectu est, quòd olim Romæ frequentare concionantem, & apud eumdem per homologesim noxas ponere, vbi Beatum Ignatium inualetudo distineret, consueuisset. Hîc Cameracensi Episcopo multùm roganti, asseuerantique sine adiutorio Societatis Episcopatum se rectè administrare non posse, promittendum Collegium fuit. Inde Lainius totius negotij tractatione ad Natalem (quod fermè in rebus omnibus faciebat) reiecta, Antuerpiam contendit, quod Lusitani primùm, qui nobili eo in emporio negotiabantur, dein Hispani cæteri magnopere sacerdotum par è suis nationibus postularant, quos animarum rectores suarum, & è suggestu cohortatores haberent: promisitque eos Lainius in Collegij sementem proximo Domini Aduentu missurum. Louanium inde profectus singulari honore & humanitate ab præcipuis Theologorum excipitur: nec prohiberi potuit, quin digredientem vnius diei iter prosequerentur. Hos alioque ad vrgendam Societatis in prouinciarum iura susceptionem vbi Natalis aduenisset, valdè animatos reliquit. Porrò quæ obuiis in vrbibus expertus sit Procerum ac populi studia, ne longum fiat, prætermissis, id modò semel dixerim, quod Ioannes Polancus scriptum reliquit: Quemadmodum quosdam inhumanitas interdum hospitum fugat, ita inter causas maturandi discessus Lainio nimis effusam hospitum benignitatem fuisse. Quòd cùm officiis erga eum permulti vbique inuitando, domum vocando, aliterque certarent, mosque geri omnibus nequaquam posset; ne quis quem prælatum sibi doleret, ab omnibus se properato abitu liberabat. Collegia item passim, vbi non adessent, postulabantur: de qua re, vti sæpè antè per litteras, coràm multa egit Leodiensis Episcopus. Coloniæ Agrippinæ, quò tertio Kalendas Iulias ventum est, tum Socios Collegij communiter ac viritim sanctis colloquiis, tum Carthusianos Patres id summè rogantes Latina concione mirificè recreauit. Sed arduum cogitatu, ne dum dictu est, quantum mox Treuiris in eum humanitatis Antistes exprompserit. Ita agebat nobilissimus Princeps, ea caritate atque obseruantia, vt veluti oblitus amplitudinem suam, perinde vt vnus de grege nostro aduersus Præpositum Patremque se ferret: palàm etiam confirmans hanc disciplinæ formam vsque eò sibi probari, vt, si alligatus vocatione sua non esset, ab hac minimè alienum fore se crederet. Haud absimilem præ se benignitatem tulit Antistes Moguntinus. Vtrumque Lainius, quod apud omnes, in quos incidisset, sacros Præsules magnopere curæ habebat, vt ad Concilium irent, vehementer hortatus est. Sed illi (id quod erat) pericula ditionum suarum propter confines hæreticos, causati; aiebant tamen, si Pontifex mandaret, omnia obsequio postlaturos. Augustæ vbi venit, tantù Canisij, qui Oenipòtani res Collegij componebat, desiderium inuenit apud Catholicos

70 *Lainij Tridentum Lutetiæ iter.*

71 *Cameracensi Collegium promittitur.*

72 *& Antuerpiense.*

73 *Benignitas obuiarum ciuitatem erga Lainium.*

74

Digitized by Google

vt precibus eorum victus, continuò Augustam reuerti iusserit. Cum Fuggeris de Collegio ibidem ædificando, quod postea singulari benignitate fecerunt, locutus est. Vrsula Marci Fuggeri vxor, ea, quam suprà memoraui ad sanctæ Ecclesiæ gremium Canisij concionibus reuocatam, iamque Christianæ sanctitatis forma habebatur; dolo haud malo vsa est, quò benignitatis suæ participē faceret. Cùm multa offerret, eaque Pater repudiaret omnia, quòd Pontifex Maximus quidquid vsui foret, præberet, saltem rogauit sacra quædam linteola (corporalia vocamus) ne aspernaretur. Hæc tandem, vt pietati eius aliquid indulgeret, accepturum se cùm respondisset, Vrsula protinus mittit inclusa in arculam: qua aperta inuenitur corporalium tegmen phrygio pictum opere aureis argenteisq; distinctum laminis, cum Deiparæ eleganti effigie in vmbilico vnionibus ac gemmis illuminata. Id vbi vidit Pater, negat se accepturum. At pia femina vnà cum sacris sudariolis, & tegmen acceptum esse contendens, vetuit ad se referri. Itaque missum est Romam piæ eius liberalitatis monumentum: & Lainium Augusta digressum postero die Ingolstadium excepit. Vbi præter cætera summouendum ab Academia publica Doctorem, qui hæresim proseminabat, curauit. Ingolstadio Monachium vnius & dimidij diei itinere perlatus ingentem voluptatem ex Theodorici Canisij virtute, ac totius Collegij disciplina, religiosaque compositione (vt ad Rectorum mores facilè parentium vita formatur) percepit. Inde Oeniponto transiens, Tridentum tandem iam diu expectatus, & obuiàm etiam misso nuncio festinare iussus, Idibus Sextilibus insigni omnium gratulatione ingreditur: duobusque è Societate Theologis Ioanni Couillonio, & Alfonso Salmeroni, quorum ille Bauari Ducis, hic Summi Pontificis missu aderat, conducta in domo coniungitur. Fuerat ibidem duos circiter menses Canisius quoque, ac sententiâ suam inter Theologos aliquoties magna cum approbatione dixerat, & alia multa curarat. Quippe cùm haud facilè alius crederetur de Germaniæ rebus Concilij Patres, quàm Canisius, propter diutinum earum vsum posse meliùs edocere, quemadmodum Cardinalis Varmiensis Romam ad Augustanum scripsit: atque ex altera parte nullo modo Germania eo spolianda præsidio id temporis videretur; ea mediocritas probata erat, vt is tantisper dumtaxat, dum res Germaniæ postularent, Tridenti subsisteret. Itaque cùm Maio fermè ac Iunio ibi fuisset, properè ad custodiam suam receſſerat, cùm Tridenti non modò ad rem communem, sed etiam ad priuatam Cardinalis Hosij salutem eius aduentus contulisset. Qui cùm æger ita decumberet, vt iam se ad obitum seriò compararet, statim vt Canisius adfuit, morbus abscessit. Id quod & mirabatur, & precibus sanctitatique Canisij Cardinalis acceptum palàm prædicans referebat. Iam Lainio ad publicum conuentum vocato, quòd Præpositus Religiosi Ordinis esset ritè ab Sede Apostolica confirmati, & Societas religio Clericorum esset; rituum Magister in Generalium subselliis proximum ei post Canonicorum Regularium Generalem sedendi locum assignat. Cumque reluctaretur, libenterque cessurum iuri suo, ac postremũ Generalium, ne quem fortè offenderet, sessurum diceret; Legati dixerunt, nequaquam ad ipsum pertinere, quem locum mallet deligere, sed ad se, qui tueri dignitatem Ordinum, vetustosque Ecclesiæ mores deberent: planumq; esse Presbyterorum Ordinem Monachorum Ordinibus præferri solitum. Itaque modestè obtemperaret. Id vbi viderunt Fratrum ac Monachorum Præpositi, quòd Societas eo tempore Religiosarum familiarum nouissima esset, suarum quisque partium existimarunt familiæ sibi commissæ tueri locum: diserteque passuros negant, rem maioris, quàm in speciem videatur, ponderis ita repentè decidi, & in Oecumenico Concilio prærogatiuæ eius possessionem occupari. Cardinales Legati ob eam difficultatem iubent Lainium vnum aut alterum diem abstinere à conuentu, quoad cum Religiosorum Antistitibus quid ferret decori ratio, conueniret. Apparebat non mediocrem imminere perturbationem si pergerent Legati destinatam Lainio sedem tribuere: & iam interminantium voces audiebantur, se domum protinus abituros. Quippe vt Religiosis priuatim de loco potiùs inferiore Christi monitu, quàm de superiore certandum est; ita Magistratus, quibus non modò disciplinę cuiusque cœtus, sed & proprij iuris, & ornamentorum omnium demandata custodia est, pro eorum tutela non segniter excubare decet: cùm præsertim, vt sunt humani casus incerti, incidere possint tempora, in quibus ex re alioqui perleui pendeat summa grauissimarum. At Lainius ea videns certamina, re domi consultata, de communi Sociorum sententia Legatos per Deum immortalem orat, modò testatum sit Societatem esse Clericorum è genere, imum sibi locum, ne qua rerum communium tractationi afferatur mora, concedant. Nullam fieri Religiosæ familiæ, nullam sacerdotali dignitati iniuriam, si pro pacis & caritatis bono volens ac prudens iure decedat suo. Laudauerunt omnes hanc animi æquitatem: dixeruntque facere eum pro cognita sua modestia, bonique publici perpetua cura: tum ad litem dirimendam ita rem temperarunt, vt ipse extraordinario loco in subselliis Episcoporum sederet, verùm sententiâ postremus Generalium diceret. Visus est vniuersus ille venerabiliũ Patrum senatus id temperamenti probare: nihilo tamẽ seciùs, dissipantibus iis, qui postea Lainij auctoritatem ac sententiarum pondus obstare suis conatibus doluere, in multas prouincias, & nominatim ad Cæsarem & Ducem Bauarum infestus manauit rumor, tanquam se ille Præsulibus inuitis in locum sibi non debitum intrusisset. Quam falsam & verò etiam pernicioſam fabulam Cõcilij Præsides extinguendam rati, diploma, quod infrà scriptum est, ediderunt: Nos Hercules Gonzaga titulo S. Mariæ Nouæ, de Mantua; Hieronymus titulo S. Susannæ, Seripandus; Stanislaus titulo S. Pancratij, Varmiensis; & Ludouicus titulo S. Cyriaci in Thermis, Simonetta vulgariter nuncupati, sanctæ Romanæ Ecclesię Presbyteri Cardinales, sacri Oecumenici & generalis Concilij Tridentini Præsidentes, & Apostolici de latere Legati

75 *Canisius ad Concilium vocatus.*

76 *Cardinali Hosio valetudinem restituit.*

77 *Qui locus sedendi Lainio datus in Concilio.*

78

„ 79 „ *Cardinalium Cõcilij Præsidum de Lainij modestia testimonium.*

Digitized by Google

„ Legati intelleximus non sine animi nostri mole-
„ stia variis in locis & prouinciis vano sanè & in-
„ iusto rumore iactari, quòd Reuerendus Pater
„ Magister Iacobus Lainez Præpositus Generalis
„ Societatis Iesu renitentibus & inuitis Prælatis
„ ad sententiam inter eos dicendam se ingesserit:
„ ac aliarum Religionum Monasticarum Genera-
„ les præcedere sit conatus. Cùm autem nostra-
„ rum sit partium, qui huic sacrosancto Oecume-
„ nico Concilio nomine Sedis Apostolicæ præsu-
„ mus, & moderari ea, quæ in illo geruntur; & de
„ personis in eo sententiam dicturis, deque ordine
„ ipsarum legitimo cognoscere; &, cùm opus est,
„ attestari, omnibus & singulis Christi fidelibus fi-
„ dem faciendam censuimus, prout per præsentes
„ facimus, quòd prædictus Pater Præpositus Ge-
„ neralis Societatis Iesu nullis Prælatis contradi-
„ centibus, sed potiùs cooptantibus, & Sanctissi-
„ mo Domino nostro id ipsum iubente, iuxta con-
„ suetudinem iam pridem in Ecclesia Dei rece-
„ ptam (qua Generales Religionum cum suffragio
„ definitiuo ad Concilia admitti solent) & ipse vt
„ Præpositus Generalis approbatæ Religionis à
„ nobis est admissus. Cùm autem huius Societatis
„ Religiosum institutum Presbyterorum, & non
„ Monachorum sit, & de iure Presbyteris & Mo-
„ nachis sua in Conciliis loca assignari soleant à
„ nostro cerimoniarum Magistro, dubitatio ex-
„ orta est, quo in loco Pater Præpositus præfatus
„ esset constituendus, num vt Presbyter ante Mo-
„ nachos, an vt posteriùs instituræ & approbatæ
„ Religionis caput post antiquarum Religionum
„ capita sedere, & dicere suam sententiam debe-
„ ret. Licet autem Præpositus dictæ Societatis
„ Presbyterorum & non Monachorum esse suum
„ institutum affirmaret, & constare vellet: quod ad
„ dicendi ac sedendi locum attinet, modestiæ &
„ pacis studio postremum inter Generales se velle
„ declarauit: & reipsa postremum postulauit. Nos
„ verò cùm ex aliis Conciliis exemplum non ha-
„ beremus, quippe cùm post vltimum Lateranen-
„ se hæc Religio Presbyterorum, quæ iam latissi-
„ mè per Christianorum & Gentium etiam pro-
„ uincias (Deo quod cœpit opus promouente)
„ cum maximo animarum fructu patet, instituta
„ in Ecclesia Dei, & approbata per Sedem Apo-
„ stolicam fuerit; nihil de loco legitimo statuen-
„ tes, extraordinarium locũ eidem Præposito, & à
„ Monasticarum Religionum Generalibus seiun-
„ ctum, vt sine Presbyterorum præiudicio suam
„ sententiam post alios Generales diceret, assigna-
„ ri iussimus. Quo in loco ipse Reuerendus Præ-
„ positus ab eo die, quo in generali congregatio-
„ ne primùm admissus est, scilicet die vigesimapri-
„ ma mensis Augusti præteriti semper omni animi
„ modestia ac quiete sedit, ac sententiam dixit. In
„ quorum omnium fidem præsentes manu nostra
„ propria subscripsimus, & antiquioris nostri si-
„ gilli impressione communiri fecimus. Datum
„ Tridenti, die prima Nouembris, M.D.LXII.

80 *Quàm extraordinarius honos Lainio habitus in dicenda sententia.*

Iam verò vbi Tridentum Lainius attigit, ante omnia placuit de sacrificio Missæ, de quo diu multumque disputatum fuerat, differentem audire. In pomeridiano conuentu diei septimi ante Kalendas Septembris iussus est dicere: verùm eo die, cùm alij quidam verba fecissent, quo commodiùs ille, perque otium audiretur, in diem posterum dictione dilata, totum matutini conuentus ad dicendum ei vni tempus attribuunt. Nemo erat, quem non audiendi hominis mira cupido teneret: hos, qui vel Romę alibique concionantem, vel in eodem Concilio Pauli Iuliiq; temporibus disputantem audierant, quòd norant, quid dicendo posset; illos vt experimento suo sententiam ferrent, verène tandem in angusto illo pectore tantum litterarum esset reconditum, tantum eloquentiæ, quantum adeò magnificè fama celebraret. Memorabantur quæ modò egisset in Gallia, quàm constanter ac sapienter hæreticorum retudisset audaciam: postremò destinatum illi præter consuetudinem ad dicendum spatium expectationem omnium erexit. Itaque postero die, quanta ratò frequentia Concilium sit, nullus è Cardinalibus. Legatis, nullus è Principum oratoribus, nullus omnino ex Episcopis aliisque Præsulibus desideratus est. Lainius è loco sibi constituto dicere exorditur; 81
sed cùm paulò remotior ab Legatis esset, hi, quo clarius exaudirent, ad se accersitum, apud se locant. Verùm inde quàm ab Legatis commodè, tam difficilè ab imis Episcoporum audiebatur: qui, cùm aures ipsi quoque sitientes haberent, nec viam promptiorem vllam, qua desiderium earum explerent, dispicerent, suis relictis sedibus accedere propiùs cœperunt. Iamque alij super alios, plurimi commouebant se, & magna subselliorum remotiorum pars vacua relinquebatur. Tum demum Legati afferri suggestum iubent; interque se & Episcopos collocari, ex coque fari Lainium. Dum hæc fiunt: dum ita interrumpitur dictio, tanto que motu ad audiendum certatur: dum à viatoribus fertur statuiturque suggestum; noti Lainij amicique animo trepidabant, verentes, vt parem expectationi exitum res sortiretur. Ex aliis hæ voces passim audiebantur, fieri non posse, vt hic fauori, quem habet, expectationique, quæ de eo est, respondeat. At ille consenso suggesto, diuinoque afflante spiritu ita sensim ingressus in causam est: tam clarè facileque res abditissimas enucleare; nubes ex opinionum varietate auditarum obortas dissicere; reliquas, quas ingenij humani acies vix consequitur, quasi ante oculos ponere cœpit; vt, cùm duas ipsas horas, ac dimidiam perpetua oratione dixisset, honestissimus ille ex flore & apice gentis humanæ consessus propè attonitus hæserit: omnes profiterentur & fauorem auditorum, & expectationem longo interuallo superatam. Quem adeò felicem successum Polancus ac cæteri Patres, non Lainij modò facultati, sed communibus Societatis precibus tribuebant. Hominis fortasse magnam partem modestiæ submissionique debetur; cùm adeò solenne Numini sit, vt se quisque maximè effert, demittere; vt demittit, efferre. Haud dissimili frequentia & approbatione deinceps sæpius in conuentu Præsulum sententiam dixit, & concionatus in templo est. Verùm in dicenda sententia cùm aliàs semper constantiam, rectamque suam mentem, tum bis potissimùm palàm fecit. Cæsar & Bauarus Princeps vsum calicis postulabant popularibus suis 83
permitti. Lainius id sentiens rei Christianæ omnino

Verba Lainij praclara. Cum dissidio sententiarũ posse obtineri concordiam voluntatum.

nino pernicioſum, acerrimè contrà diſſeruit, hoc prudentiſſimo vſus exordio: Libenter planè Illuſtriſſimi ac Reuerendiſſimi Domini, & Patres ſanctiſſimi, ego poſtremus dico, tum quia ſic mihi plus eſt ſpatij ad meditandũ, quod ſuper tam arduis rebus afferre debeam; tum quia etiam audiens tot optimos & ſapientiſſimos Patres, qui ante me dicunt, multa ab eis diſco, quibus mens mea, & controuerſia illuſtratur. Atque in præſenti quæſtione ex ijs, quæ quiſque ſapientiſſimè cõtulit, duo præcipuè collegi: ex vna parte ſummam tot doctiſſimorum Patrum inter ſe conſenſionem, ex altera diſſenſionem pariter ſummam. Conſenſio fuit in voluntate; quòd propoſitum in hac deliberatione ac deſtinatũ omnibus idem eſt; Deo ſcilicet optimo maximo placere; populis, quorũ cauſa tractatur, conſulere: pijs votis Inuictiſſimi ac religioſiſſimi Imperatoris, & Illuſtriſſimi Ducis Bauariæ ſuffragari: cùm præſertim id vt fiat, optet Summus Paſtor, petant Illuſtriſſimi Legati; Principum, quos nominaui, oratores enixè contendant. In hac ergo voluntate
84 pro caritate, qua diuinæ gloriæ, ſalutiq́ue proximorum ſtudent, conſentiunt vtique vniuerſi Patres. Nec dubium, quin, ſi ad eam rem vſum calicis conferre cenſerent, perlibenter concederent, eo magis, quòd non modò nihil neque commodi, neque honoris conſequuntur, ſi negent, neque labore vllo ſe liberant: cùm eodem negotio, eademq́ue impenſa, qua tum ſacratus calix præberetur, nunc communis ad ablutionem porrigatur: ſed etiam è contrario periculum adeant, ne tot populorum ac Principum animos irritent, ſibiq́ue reddant infenſos: quorum gratiam, ſi poſtulatis eorum indulgere vellent, poſſent facillimè demereri. Non igitur hac in re voluntate quiſquam diſſentit: neque veriſimile eſt, vt vel ex inuidia fraternæ gratiæ id, quod ſalutare iudicat, neget; vel odium tantum, totq́ue damna & pericula velit ſibi gratis accerſere. Nec profectò ſine temeritate, Deiq́ue & proximorũ offenſione ſentire aliter licet, quàm omniũ voluntates hac in re ſummè eſſe concordes. Verumtamen haud fuit diſſenſio minor in ratione atque ſententia. Alij cenſuere negotium hoc nequaquam à Concilio tractandum, ſed reijciendum ad Pontificem: alij ne id quidem fieri à Concilio debere: alij tractandum quidem in Synodo, ſed non in
12 præſentia: alij contrà & tractandum, & ſtatim. Horumq́; pars calicem omnibus vniuersè concedit, pars nulli, pars tantùm quibuſdam. Neque hîc conuentũ, quinam eſſent hi, quibus concedi oporteret, Bohemíne ſolùm, an etiam Hungari, an etiam Germani. Poſtremò in conditionibus, ſub quibus concedebãt, maximè variatum. Quæ tanta diſſenſio nata eſt tum ex rei natura, quæ cùm varia ſit, diuerſas probabiles rationes admittit; tum ex infirmitate noſtra, qui cùm in hac peregrinatione ad intelligendum adminiculis vtamur corporis, vti variæ ſunt conſtitutiones & affectiones corporum; ita variæ ſunt diſcrepanteſq́ue ſententiæ. In cælo ſumma erit voluntatum ſententiarumq́; concordia. In hac peregrinatione mali quidem inter ſe ſæpenumerò tum voluntate, tum ſententia diſſident: boni verò voluntate conſentiunt, quia quod bonum verè eſt, vo-

lunt, ſi boni ſunt; ſententia differunt, quia alia alios boni ſpecies trahit; cùm ita quidque excipiatur, vt eſt affectus qui excipit. Hinc inter Paulum & Barnabam diſcrepantia orta: hinc inter omnes veteres ac recentes Doctores multiplex opinionum varietas; qui cùm omnes veri ſectarentur veſtigia, quod non eſt niſi vnum, in diuerſa tamen abiere: hinc denique in hac noſtra voluntatum concordia diſcordia ſententiarum. Hoc ſapienti vſus exordio, vt ab ſe, & ab idem ſentientibus remoueret inuidiam, quamuis tantum Societas Ferdinando Cæſari, & Duci Bauaro deberet; tamen poſt publicas rationes priuatas habens, rem ita, vt nemo fortiùs ac vehementiùs, diſſuaſit. Sub ea cùm diu multumq́ue ac ſummis ſtudijs agitarentur duæ controuerſiæ, eſſet ne Epiſcoporum poteſtas abſque medio vllo protinus ab Deo, & num diuino iure præceptum, vt in ſuis diœceſibus Epiſcopi reſiderent: permultiq́ue, & Hiſpani maximè, priorem affirmarent, idq́ue gratum eſſe Philippo Regi putaretur: alij verò, qui videbantur ſtudere Pontifici, negarent; Lainius inde exorſus, nec à Pontifice ſe rubeum, nec viridem à Philippo galerum expectare, atque adeò exiſtimarent omnes de animi ſui ſententia nullo niſi ad conſcientiã ſuam reſpectu pronunciaturum; tamdiu pro ea parte, quæ ad Eccleſiaſticam hierarchiam continendam, ſuoq́ue membra cum capite arctiùs iungenda ſpectabat, diſſeruit; tam felici exitu perorauit, vt tum maximè adeſſe illi Numen diuinum viſum ſit. Fuit ex Epiſcopis vnus, qui quanquam appellatus eſt nunquam, tamen quòd quàm parum eius rationes firmamẽti haberẽt, euidenter apparuit, eſt nonnihil commotus: cæteri fermè omnes vtraque in controuerſia ſummopere laudarunt cõſtantiam ſapientiamq́ue Lainij: multiq́ue poſtea conati ſunt quæ dixerant explicare, & ad ſenſum commodiorem trahere: multi aiebant, ſi quę tum audierant, audijſſent priùs, fuiſſe aliter ſenſuros: nec pauci ingenuè & candidè ſententiam retractarunt. Legati Pontificij teſtati ſunt non vulgare eo die vnius hominis meritum in Sedem Apoſtolicam extitiſſe. Hac tanta exiſtimatione, quod conſequens eſt, vſu veniebat, vt plurimi vel ad ſe ſacrum Doctorem accerſerent, vel ad eum ſe ipſi conferrent, conſilium ac lumen ad ſuas res priuatas & publicas petituri. Officij verò gratia ab ita multis expetebatur, vt vno eodemq́; die quatuor ac plures ſæpiſſimè inuitarent. Cum de Sa- 86
cramento Ordinis concipiendi Canones, ac pro more breuis doctrinæ explicatio componenda eſſet; & in paucis, qui ad hanc rem ſunt nominati, delectus ipſe quoque eſſet, collegæ totum ei negotium permiſerunt. Quod tam prudenter eſt executus, vt Legati, qui ſolebant in alijs eiuſmodi ſcriptis demere, mutare, addere multa, ne vnũ quidem apicem in ſcripto Lainij, quem minùs probarent, inuenerint. Magna de Salmeronis quoque ſcientia erat opinio. & Polancus, qui item inter Theologos ſententiam peragebat, non ſolùm docta, verùm & grauiter culta oratione vtens approbationem ex merito ferebat: cùm dicerent vulgò, ea demum dignitate ac maieſtate ſummas ac diuiniſſimas res tractari æquũ eſſe. Illud p.erique interpretati ſunt haud ſine Dei

85 *Lainius pro Pontificis auctoritate contendit.*

Doctrinam de Sacramento Ordinis componit.

Digitized by Google

Societati suæ fauentis quadam indulgentia factum, vt sententiæ prima ac nouissima ab ea essent, & ortus ab ea orbis, ab eadem clauderetur: cùm Salmeron inter Theologos disserens primus veluti præfaretur, & vltimus Generalium Lainius peroraret: ille semina iaceret, hic fruges demeteret. Censebant etiam multi, cùm tanta esset Lainij auctoritas, itemque, cùm vsus poscceret, tanta simul vis & doctrina, simul libertas ad arguendum; non paucos fieri magis in explicandis sententijs consideratos, cùm dicturum post se eum scirent, & diligenter attendere: & verò, siquid ad aures accideret, quod refellendum putaret, nequaquam parsurum.

87 *Augerij præclara res in Gallia.*

Hæc Tridenti dum fiunt, interim Edmundus Augerius in Gallia, qui non vitæ suæ, sed proximorum salutis gratia iterum pugnaturus aufugerat, continuò inter Aruernos diuinam rem tractare aggressus, multa eaque præclara effecit: quæ magna cum animi sui voluptate Lainius ex Annibalis Codretti litteris cognouit. Quarum litterarũ sententia, atque adeò verba hæc erant:

„ De Patre, inquit, Edmundo Rectore nostro
„ multa haberem, quæ dicerem, si vellem singu-
„ la persequi. In vniuersum plerique illud iure di-
„ xerunt, diuina erga Aruernates benignitate fa-
„ ctum, vt ereptus hæreticis, nec vltrà inter Del-
„ phinates locum habens, in has se regiones transtulerit, quarum salutem & tranquillitatem de-
„ fenderet. Nam præter spirituales fructus ex con-
„ fessionibus, concionibus, familiariqué consue-
„ tudine collectos, quos recensere nemo possit;
„ in ipsis etiam hostibus repellendis, qui Aruer-
„ niam circumstabant, & iam propè in eam sese
„ infuderant, vix dici queat quantum laborauerit ac profecerit, tum principibus viris Magistra-
„ tibusque monendis & cohortandis, tum pre-
„ cationibus publicè priuatimque ac supplicatio-
88 „ nibus instituendis. Vbi primùm huc venimus
„ (Billomum intelligit) post transactos hîc ali-
„ quot dies, Claromontem Aruerniæ metropo-
„ lim concionandi gratia petijt: magnaque illic
„ frequentia & applausu dies multos conciones
„ habuit. Deinde furentibus circùm hostibus, cùm
„ in metu ac trepidatione esset omnis hæc regio,
„ huc reuersus populum Billomæum ad quadra-
„ ginta horarum precationem inuitat: qui etsi eum
„ precandi modum nondum erat expertus, mirum
„ tamen quanto consensu accepit, quanta pieta-
„ te frequentiaque transegit. His absolutis, pu-
„ blica supplicatio decreta est: & incredibile di-
„ ctu est quantis suspirijs ac lacrymis deuota plebs,
„ (quod equidem minimè credidissem, nisi vidis-
„ sem) Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum,
„ cùm in locum suum reponeretur, comitata sit.
„ In Claromontem Edmundus redijt, & post non
„ multos dies, quibus conciones habuit, eamdem
„ ibi & orandi & supplicandi rationem instituit.
„ Pòst Riomi (quæ vrbs est nobilium virorum fre-
„ quentia & Senatu insignis) idem effecit. atque
„ vt hæ sunt vrbes multò ampliores Billomo, non
„ dubium, quin ad conciones ac preces & sup-
„ plicationes frequentia populi maior conuene-
„ rit, & vberior fructus extiterit. Ille præcipuus
„ fuit, quòd plerique ab hæresi ad fidem Catho-
„ licam sunt conuersi, & magna habendi Col-
„ legia Societatis incensi cupiditate. Diu Riomi 89
„ commoratus est, quotidianis concionibus &
„ confessionibus intentus: vixque se inde ex-
„ tricare poterat; ita eum tum ciuitas omnis, tum
„ summus Præses amabant pariter, & magnifa-
„ ciebant. Interim Isidorum (quæ ciuitas iam in-
„ de à viginti quinque, & ampliùs annis rece-
„ ptaculum fuerat hæreticorum, & tanquam al-
„ tera Geneua; nec longiùs quàm leucis qua-
„ tuor Billomo distat) à Catholicis obsessum, &
„ in deditionem acceptum est. Eò tum ab vices
„ Regis agente euocatus Pater Edmundus tan-
„ tum intra quinque propè hebdomadas concio-
„ nibus, alijsque, quibus potuit, rationibus effe-
„ cit, vt mille circiter & quingenti abiurata hæ-
„ resi Catholicam fidem professi sint; cumque
„ nonnulli morti essent adiudicati, tantum, hor-
„ tando monendoque apud ipsos valuit, vsque
„ ad extremum spiritum eos comitatus, vt palàm
„ dari se sepulturæ, pro seque orari iam iam mo-
„ rituri obnixè precarentur. Oratio quoque publi-
„ ca, & supplicatio illic instituta; ac tota propè
„ ciuitas sacra communione Sanctissimæ Eucha-
„ ristiæ donata est. Dum supplicatio duceretur,
„ in platea ciuitatis libri hæreticorum quàm plu-
„ rimi combusti sunt. Quæ ea deuotione fiebant,
„ vt mirarentur omnes, vnde tanta tam repentè
„ mutatio contigisset. At Edmundo occupatio- 90
„ nibus presso ne reficiendo quidem corpori o-
„ tium suppetebat. Nec facilè dixerim quanto
„ populi dolore, quàm propè inuitis Ducibus
„ ac Magistratibus inde discesserit, orantibus vt
„ se reuiseret; maximè verò, vt Aduentus &
„ Quadragesimæ tempore illis concionaretur.
„ Quod idem & cæteræ, quarum antè mentio-
„ nem feci, vrbes summopere contenderunt.
„ Inuisit præterea, præbitaque sibi à Deo dicen-
„ di facultate iuuit alias aliquot vrbes, Montem
„ Ferratum, Curtam Petram, & Marengas, vn-
„ de & Ministrum quemdam verbi Satanæ solo
„ suo aduentu fugauit. Ex his rebus magnum &
„ huic Collegio, & cunctæ Societati nomen ac-
„ creuit, non his modò regionibus, sed in au-
„ la etiam Regia. Sunt enim hæc ad Mareschalum sancti Andreæ, qui toti Aruerniæ præ-
„ est, à Ducibus perscripta diligenter. Hîc verò
„ nullus est eorum, qui rebus præsunt vel sacris,
„ vel profanis, apud quem non plurimùm valeat
„ Pater Edmundus. Illud quoque constitutum 91
„ est, & recèns introductum eodem auctore tum
„ hîc, tum alijs in vrbibus præcipuis, vt post Ve-
„ speras diei Dominicæ Sanctissimum Christi cor-
„ pus ad altare maximum maximi templi solen-
„ ni cerimonia populo ostendatur, ac per tem-
„ plum supplicationis in modum circumlatum
„ in sedem referatur suam. Quod quidem ma-
„ gna celebritate fit, canente interim Clero, pro-
„ que Rege, pro Gallia, pro Ecclesia tota com-
„ precante; campanis festo tinnitu sonantibus:
„ populo verò quamplurimo, quantaque dici pos-
„ sit maxima pietate adstante. Denique vt semel
„ dicam, vix quidquam vel inter Catholicos,
„ vel apud hæreticos tentauit, quod non facilli-
„ mè perfecerit. Nunc demum cùm Catholico-
„ rum copias Delphinatium fines esse ingressas,
„ iamque Viennam ac Valentiam receptas à Ca-

tholicis

» tholicis esse (inter quas sita est Turno) frequens
» fama attulisset; Edmundus ad sextum Nonas
» Octobris Turnonem versus abijt, simul vt Va-
» lentinos consoletur, simul etiam vt ea prospi-
» ciat, quæ ad reditum Collegij Turnonem spe-
» ctant. Hæc de Edmundo Annibal Lainio nun-
ciauit.

92 *Pestilentia Parisius sauit.*

Interim Parisios grauissima post cæteras calamitates pestilentia inuasit, qua amplius octoginta hominum millia traduntur absumpta; & quatuor de Societate, in ijsque Paschasius, ea sublati sunt. Post Idus Augusti vbi ingrauescere malum cœpit, Pontius ad villam sancti Clodouæi secessit; Paschasius, quanquam multùm rogatus, cùm diceret nusquam se tutiorem fore, domi voluit ad eius quasi custodiam subsidere. Manserunt cum eo Socij duo Ioannes Allobrox, & Ioannes Borghesius coquus, vir rectus & simplex: in quo planè non erat dolus. Ioannes Allobrox paulò pòst ad Pontium, vt apud eum tutior esset, missus, lue inter eundum contactus vix triginta sex horis superstes octauo Kalendas Septembris diuinis præmunitus mysterijs obijt. eaque nocte, qua decessit, ter cubiculi sui fores pulsari Pontius audiuit: cumque nemo appareret, horrore magno perfusus, id, quod erat, expirasse Ioannem coniecit. Iam non vrbem modò, sed latè suburbana quoque pestilentia deuastabat. Quam ob rem Pontius Othonem Briamontium, quem paulò ante Parisios Natalis è Belgio miserat, retro in eam prouinciam vnà cum Guilielmo Flandro, tantisper dum Galliæ salubrior tempestas succederet, consultum putauit remittere. Hi, dum Parisios adeunt, vti Paschasius placere sibi ostenderat, mandata eis & viaticum traditurus, Otho ex itinere pestifero saucius carbone peruenit: alteroque die, cùm ei paterno studio posthabita sui cura Paschasius inseruisset, quarto Kalendas Septembris est mortuus. Hac re cognita Pontius, vt omnino Paschasium ad consequendam pro Dei gloria salutem adduceret, cum eo in colloquium in nemore, quod Bolonię dicitur, venit. Et ille quidem in permanendi sententia perstitit: verùm Pontium ac Socios longiùs ab Parisijs cedere in loca integra iussit. Nouiodunum itaque vrbem pestilentia atque hæresi intactam petiere: Paschasius, & Ioannes coquus mansere Parisijs, & ille decimo octauo Kalend. Octobris, is octauo pòst die sublatus est. Erat Paschasius vnus è decem primis, & superstitum antiquissimus Professorum, vir innocens ac placidus: quem B. Ignatius præ morum innocentia (vt suprà memorauì) Angelum consueuerat appellare: ita Societatis amplificandę, iuuandæque Galliæ cupidus, vt ea fuerit eius causa mortis. Cùm enim bonus Pater Collegij initia sustinere cuperet, cæteris ad salubriora loca dimissis, adduci non potuit, vt ipse quoque fuga sibi consuleret. Pater Nicolaus Belfilius narrat se ex eo audiuisse, cùm diceret viginti annis perstitisse in petenda à Deo humilitate, nec tamen videri sibi eam consecutum: quod posterius ex

93 *Paschasij mors.*

94 *Paschasij virtutes.*

95 humilitate ingenti haud dubiè sentiebat. Quàm enim suimet contemptu gauderet, cùm assiduè perspectum est, tum aliquando cùm rediret Billomo Lutetiam. Iter habebat pedes Beltrando Roserio comite (qui id scriptum reliquit) per agrum, in quo demetendis frugibus ad triginta homines opus faciebant. Hi continuò pannosum conspicati senem ludibrio habere cœperunt, & onerare conuiciis, simulatorem inter cætera deceptoremque magnis vocibus appellantes. Quem ad verborum sonitum, quasi ad iucundam symphoniam baculo suo innixus, vt auidis auribus omnem exciperet, constitit Pater; nec gressum mouit, quoad illi satietate, partimque pudore finem fecere. Tum verò Paschasius erigens se, placidissimoque vultu messores quasi de beneficio grates acturus intuens, Deus, inquit, vobis benignè faciat, filij, ac benedicat: eaque dicens manu simul crucis salutare signum ad benedicendum expressit. Non tulere tam insolitam mansuetudinem quamuis rusticana pectora. Diceres vim continuò bonæ famuli Dei precationis sensisse. Extemplò velut attoniti ad eius circumfusi pedes veniam precantes, se iniquos conuiciatores, illum virum reuera sanctum deprædicant. Apparebat etiam Paschasij humilitas ex itineribus, quæ semper agebat pedes: cumque ab Antistite Claromontano adactus quondam esset equum accipere, statim vt egressus vrbe est, ad Franciscanorum cœnobium eo relicto, Christi Domini more perrexit. Quibus in itineribus, cùm ad diuersoria peruenerat, in secretum aliquem abdere se locum solebat, ac flexis genibus, aperto capite sacerdotale officium ante omnia exequi tanta contentione & caritate, vt vultus ipse ardere videretur. Nec minor erat eius ardor iuuandi proximos. Nunquam nec audiendis confessionibus, nec habendis pijs sermonibus, nec visendis ægris siue interdiu, siue noctu defatigabatur. Sæpè ita accidit, vt ad ægros, cùm vix ad mensam consedisset, vocaretur; illicoque exurgens, quò vocabatur, properaret; nec quidquam dein totò die gustaret, tanquam abunde caritatis pabulo recreatus. Nec semel eodem die reuocatus initio cœnæ alacritate magna propè ieiunus accurrit, non solùm cibatu, sed etiam quiete nocturna libenter, vt proximorum saluti consuleret, sese defraudans. In priuatis colloquijs ad Christi amorem in hominum animis ingenerandum multùm valebat. Ad longas pro suggestu conciones defici se memoria ingenuè fatebatur: cæterùm perlibenter alijs, qui verba facerent, præbebat aures. Nuper verò Billomi Patres animaduerterant, cùm de Societatis initijs & progressionibus verba Natalis faceret, Paschasium perattentum absque vllo singultu ac strepitu labentibus perpetuo riuo per genas lacrymis ab exordio sermonis ad finem perfleuisse. In secundis iuxtà rebus & aduersis vultu semper eodem cernebatur: quippe cùm status mentis, vnde vultus fingitur, semper æquabilis & idem permaneret. Propria tamen eius laus dicebatur simplicitas mixta prudentiâ. Hanc principio complexus toto vitæ cursu tenuit. Hanc prædicabat ipse frequenter, & commendari ab omnibus cupiebat.

96

97 *Simplicitas in Paschasio eminebat.*

Olim Andream Frusium rogauit, vt in illius laudem poëma conscriberet. Quæ vna virtus facilem totius viri æstimationem offert. Quippe anima benedicta omnis simplex. Materia enim maximè capax cælestium donorum simplicitas est: perennis fons beatæ cordis tranquillitatis, impenetrabile diabolo munimentum: virtutum cæterarum conciliatrix, altrix & decus. Nam quod in ore formoso hilaritas, hoc est in virtutis quasi vultu simplicitas. Cui reseruatur quidem copiosa merces in cælo, sed & præsentem secum affert, optabilem maximè procuratoribus animarum, alienæ beneuolentiæ rapax illicium. Nihil enim ita blandum & amabile, vt candidum & apertum, & cui te securus credas, ingenium; vt nescius cuiquam nocere, ac cuiuis prodesse paratus animus. Itaque simplicium congressu & Deus & homines mirificè delectantur. Denique simplicitas in eum maximè statum reponit humanam sobolem, vnde serpentis fraus parentem primum deiecit. Libet ad extremum quid de Paschasio Beatus Ignatius sentiret, ex eius codicillo, qui etiamnum exstat, subiungere. Quærebatur inter Socios idoneus Æthiopiæ Patriarcha; & ad id munus tria præcipuè requiri Ignatius dicebat, sanctimoniam vitæ, litterarum scientiam, & quædam bona corporis. Inde primis Patribus ferè singillatim omnibus, quòd alij alia re carerent, exclusis, Paschasius, inquit, ante omnia ita est vir bonus, vt à nobis quasi Angelus in Societate habeatur: deinde præter scientiam qua pollet, plurimum in visendis reformandisque Episcopatibus, & monasterijs habet vsus; quippe qui præter alia, etiam Nuncius Pontificius in Hibernia versatus est: adeò vt eiusmodi negotia nemo vsus è Societate æquè tractarit. Ille autem sic tractauit, vt ad quamcumque rem manus admoueret, operam suam mirabiliter (miranda laus in parsimonia Beati Patris) probarit. Nam & valdè natura sedulus est: &, quoniam adeò se obsessum Episcopalibus & conscientiæ causis videbat, magnam in studijs diligentiam & curam semper adhibuit: quæ res maximè in Æthiopia necessaria est. Postremò satis ei honesta est totius conformatio corporis; satis firmæ vires, & prospera valetudo, ætasque media annorum circiter quadraginta. Hæc Beatus Ignatius sub annum euntis sæculi quadragesimum sextum, mortuo (vt opinor) iam Fabro de Paschasio scripsit: qui tamen in Æthiopiam missus non est, quòd dilata res est in id tempus, cùm iam & copia maior Societati hominum erat, & Paschasium ab Gallia remoueri non oportebat. Eo Parisijs mortuo Pontium Nouioduni timores multi curæque angebant de Paschasio in primis solicitum: quem siue ex ea cura, siue præstabiliore causa, qua nocte mortuus est, mortuum secundùm quietem cognouit. Quod cùm certis nuncijs paulò pòst comperisset, raptim Parisios repetijt, vt rem domesticam in tuto collocaret. Propiùs domum accedens dum solam & clausam contemplatur, vicinorum vocibus absterretur, ita exitiali infectam lue denunciantium, vt Ioanne, qui vnus reliquus erat de Societate, pridie elato, ne bestiolæ quidem vllæ viuæ superessent. Aliquot igitur intermissis diebus, vbi primùm se mortis furor infregit, homo acer atque industrius magno animo in vacua & horrifica tecta ingressus, omnia vbique excitatis ignibus perpurgauit, Paschasij curam admirans, cuius in cubiculo super mensam schedulam reperit; in qua bonus Pater incolumitati aliorum diligentiùs, quàm suę prospiciens cum cura adnotarat quid à se contrectatum iam ægro, quid non esset.

98 B. Ignatij de Paschasio iudicium

99 Pontij sedulitas.

100 Tolosani Collegij, & Ruthenensis exordia.

Dum ita Parisiensis domus vastatur, Socijs Roma missis Tolosanum ac Ruthenense Collegia incipiunt frequentari. Etenim Tolosates cùm acriter in hæreticos vel exilio, vel supremo supplicio animaduertissent, religionem in bonum locum, & veterem propè statum reposuerant: ij pariter, qui Pelletarium comprehendi anno priore iusserant, deque medio tollere nitebantur, vel maiestatis, vel alijs atrocibus criminibus damnati meritas dederant pœnas. Ergo ad cœpta perficiẽda nouum de Societate præsidium, quod illi aduocarant eò, & Ruthenas, quanquam inter strepentia arma penetrauit. Auctor præcipuus vtriusque Collegij fuit Georgius Cardinalis Armeniacus Tolosæ Archiepiscopus, idemque Episcopus Ruthenarum. Tenuia vtrobique initia fuere. Tolosæ traditum cœnobium est Augustinianarum cum modico, quem habebat prouentu; vna, quæ reliqua erat, monacha in cœnobium sancti Pantaleonis traducta. Verùm cùm perincommodè & angustè habitaretur, collatitia ciues pecunia domum latiorem cœperunt extruere: paulatimque miro semper & Cleri & populi & Senatus studio facta sunt omnia laxiora. Neque alia fuere Ruthenis ordinum omnium studia: quæ egregiè fouit initio, qui mox Cardinali abdicanti successit Antistes Iacobus de Corneilhan. Ædes ad habitandum, quæ antiqui vrbis Collegij erant, & aliæ proximæ attributæ. Bipartita ciuitas est. Sed quæ pars intra mœnia degit, ea propriè ciuitas; quæ suburbium incolit, ea Burgus vocatur. Vtraque suos, quibus regatur, Consules habet, vtraque ad Collegium ornandũ propria beneficia contulit. Conuentum principio vt Socij sex Collegium inchoarent, & pro suo instituto iuuentutem litteris ac pietate Christiana imbuerent: tum verò, prout res familiaris augesceret, Collegium quoque amplius fieret. Et planè ita euenit, vt deinceps semper pulchro certamine Collegium industria, Ruthenenses benignitate inter se superare contenderint. Itaque inter cæteras vtilitates mirè conseruata religio est: Cleruſque tota Diœcesi succreuit instructus adeò pietate ac litteris, vt iam nullus tota Gallia ijs superior ornamentis Cletus habeatur, proximæque prouinciæ perlibenter Ecclesijs suis inde sacerdotes præficiant. E Billomæo Collegio migrauit ad Beatorum sedes Petrus Canalis, tanta opinione sui relicta, vt pari sanctitate nemo Billomi decessisse ad eam diem memoraretur. Nondum templo Collegij dedicato, in Canonicorum templo sepultus est. Inter exequias is certantium piè deosculari, coronisque contingere fuit concursus, vt sex è Societate appositi custodes ægrè ne corpus opprimeretur, defenderint.

101

102 Petri Canalis vita religiosè peracta.

Præ-

Digitized by Google

Præclara inter eius virtutes mansuetudo & modestia elucebant, mentes humanas mirè, vt assolent, rapientes, præmollitas eas ad virtutum satum excipiendum præbebant. Moriens, cùm Deo precibus res Gallicas, Concilium Tridentinum, reliquasque eorum temporum necessitates commendasset, circumfusos fratres, vt corde vno & animo essent, præcipuè adhortatus felicissimè expirauit. Olim receptus Lutetiæ à Paulo Achille in variis Italiæ, & Hispaniæ, & Galliæ Collegijs multiplices inter labores cum recto semper exemplo, & incolarum profectu annos duodeuiginti vixerat, agens iam sextum Billomi, vbi aliquamdiu etiam Collegio Rector præfuerat.

103 *Natalis monita pestilentia tempore.*

Quo tempore grassabatur lues Parisiis, Germaniæ quoque multas vexauit vrbes. Inde cura Natali fuit opportuna monita Socijs, qui magnopere consilij lucem (vt in difficultate parum cognita vsu) poscebant, suggerere: & Pragensi Collegio pluia per litteras dedit. Ante omnia singuli conscientiæ expiandæ, puræque conseruandæ sedulò darent operam. Deinde qui sacerdotio carerent, bis in hebdomada Pane salutis ac vitæ sese munirent. Præterea quotidie omnes vltra visitatum modum precationi horam tribuerēt. Postremò non tam studijs litterarū, dum diuina illa sæuiret pœna, quàm pietatis, Deoque placando insisterent. Nec ad præscribendum Natalis paratior, quàm vel illi ad obsequendum, vel diuina bonitas ad miserendum fuit. Multis vndique vicinorum cadentibus, nec Sociorum quemquam, nec conuictorum attigit. Quam rem cùm hæreticus ex vno conuictorum percunctando cognouisset, vt hæreticorum mos est, friuolā argutiola ad eludendum diuinum beneficium, non esse mirum subiecit, Iesuitas esse incolumes; quòd eos Deus deseruisset, diabolus non curaret. Ita homo percallidus vno dicto nouit de Deo diaboloque mentiri (quodque magis est mirum) cum iniuria vtriusque. In plurimis, quos labore industriaque Societatis latè per vtramque Germaniam hoc anno ad rectam fidem diuina gratia reuocauit, iuuenis apprime docti conuersio relatu est digna. Ioanne Couillonio, qui Ingolstadij indeusque ab Collegij exordio Theologiam professus erat, ad Concilium Tridentinum ab Duce Bauaro misso, in eius locum Theodorus Peltanus aduocatus Monachio suffectus est. sed is, dum priùs rite Doctoris cohonestatur insignibus, in quæstionibus de more disceptandis, eam quoq; posuit, Vtrùm Sanctissima Eucharistia sub vtraque specie sumenda à populo nec ne esset. Iuuenis, quem dixi, Caluini imbutus erroribus, disputandi potestate facta in medium audacter cōgressurus procedit, ac primū omnium præfatur se quidem nihil vnquam cum ijs, qui Catholici nomen sibi arrogant, habuisse commercii; verùm haud vereri caput suum deponere, si quis demonstrare ex verbo Dei possit, verum Christi corpus in Eucharistia ab impijs sumi. Quæ vbi dixit, continuò Alfonsus Pisanus, qui disputationi præerat, admonito Theodoro, vt tantisper quiesceret, id demonstrare, quod hæreticus negabat fieri posse, aggreditur. Conglobantur ad audiendum, qui intererant vniuersi, arrectisque attenti auribus oculos in vnum Alfonsum intendunt: & quidem bonorum plerisq; non omnis de euentu solicitudo aberat. At Doctor tam clarè eam rem diuinarum Litterarū testimonijs confirmauit, vt auditores sensim indignatione accensi oculis identidem in procacem iuuenem retortis, infestis eum configerent obturibus, nutibusque stomacharentur. Is verò, & rerum dictarum claritate, ac totius coronæ quasi conuicio confusus, nil mutire contra ausus plenus pudoris abijt domum. Hinc, quæ audierat, reputare secum incipit, breuique cælesti luce interius affulgente veritatem dispicit: redit ad Alfonsum: ad eiusque abiectus pedes crimina Catholico ritu confessus, ac detestatus errores, orthodoxorum cœtui restituitur, caput, quod voluerat deponere, perdendo lucratus.

104 *Iuuenis hæretici conuersio.*

Nicolaus Gaudanus in Scotiam à Romano Pontifice Nuncius Apostolicus hoc anno est missus. Cùm enim Maria Stuarda Scotorum Regina morte Francisci Secundi Gallorum Regis (cui nupta fuerat) in Scotiam se recepisset; & quanquam perturbata omnia, & vicino Angliæ incendio, quod Elisabetha Regina excitabat, ambusta reperisset, tamen constanter tueri auitam, sanctamque religionem enitetur; pijs conatibus periculisque, quibus assiduè obsidebatur, cognitis Summus Pastor simul consolandam, simul adhortandam incitandamque per litteras & Nuncium ab se missum putauit, nominatim adhortas cùm ipsam, vt ad Concilium de suis mitteret, tum Episcopos, vt ire, si qua pateret via, ne grauarentur. Delectus est, quo res tota minore motu trāsigeretur, is, quem dixi, Nicolaus Gaudanus. Qui quamuis prostrata omnino valetudine esset, plenam periculi legationem præstudio boni publici & obedientiæ, quæ Antistiti Summo debetur, longè ante suam salutem habuit. Duo tum Scoti nobiles in æui flore, pietateque ac litteris affatim instructi degebant Louanij Edmundus Haius, & Guilielmus Crittonius: qui necdum ad conuictum admissi, tamen Societate recepti erant. Hi maximo vsui in ea legatione fuerunt. Prægresso Crittonio in Scotiam subsecutus est Haio duce cum Ioanne Riuato item de Societate Gaudanus. Verùm ita cecidit, vt cùm Antuerpiæ conscendissent, & ad Lethæ portum in Scotiam sospites appulissent, exscendentibus Crittonius quodam nobilium comitante interueniret. Qui comes, quid Gaudanus, & cuius missu veniret cognito, dum rem parum cautè credit amicis, ad hæreticorum aures Ministrorum celerrimè peruolauit. Extemplò tollunt è suggestibus vocem, Adesse ab Antichristo (hoc nomine Pontifici Romano impij odium, & infamiam quærunt) missum Legatum, qui Reginam dolis donisque corrumperet & Euangelium euerteret; teterrimum regni, Reginæ, suiq; Euangelij hostē, cuius in sanguine lauare manus pro sacrificio foret. Itaque veri germaniq; Euangelici perue stigarēt, cōficerent, Quòd si ipsum Papa diabolum cornibus palàm conspicuum mittere voluisset, non ei Scotum defuturum fuisse ducem, quemadmodum ei, quem miserat, non defuisset Magister Edmundus Haius Balliui Erroliæ filius. Hæc res fecit, vt Edmundo iam ita cognito secedendum

105 *Nicolaus Gaudanus in Scotiam à Pontifice mittitur.*

106

Digitized by Google

ad suos videretur, & Gaudanum aulici cultu ornatum Crittonius, quò postularet vsus, ducendum susciperet. Dominatum hæretici, maximeque spurius Reginæ frater, Prior S. Andreæ exercebant in regnum atque Reginam ipsam rebus ante eius è Gallia reditum occupatis, templisque euersis: sacrificium tamen in suis ædibus Regina Catholico ritu obtinebat. Cæterùm religionem nec licebat absque Ordinum regni conuentu restitui: & apparebat plerosque, si res tentaretur, repugnaturos. Ad hæc aditus ita omnes intercluso & obsæptos Proceres & consiliarij tenebant, vix vt tandem Apostolico Nuncio semel atque iterum penetrandi ad Reginam potestas fuerit per posticum admisso, cùm ea suum fratrem, reliquosque custodes de industria summouisset, ad concionem rabulæ ipsorum dimissos. Memoratu difficile est quantum consolationis ex eo Beatissimi Patris officio præstantissimæ fœminæ acciderit; animique quantum accesserit. Renunciari Pontifici iussit, quod & per litteras ipsa professa est, se omni studio sanctam fidem tueri, proque ea extrema omnia paratam subire. Iam tum scilicet nobile pectus ad contestandam diuturnis ærumnis, vitaque ipsa religionis Catholicæ sanctitatem virtus diuina præmunichat. Vt Episcopos conueniret, ad quos item Romanus Pontifex litteras dederat, nihil intentatum per media vadens pericula Gaudanus reliquit: sed nemo est ausus coràm homini se credere præter Dunkeliæ Episcopum: qui cùm in ædes suas in lacus insula positas secessisset, eò deduci Gaudanum permisit habitu hominis, qui trapezitæ Italo, cui pecuniam quamdam Præsul debebat, famularetur. Vbi verò in secreto conclaui Pontificiæ litteræ prolatæ sunt, easque Episcopo Gaudanus reddidit; ambos ea vis lacrymarum oppressit, miserrimo religionis id locorum statu subeunte animos, vt diu neuter erumpere in vocem potuerit. Interim ex dicta fama diligenter Gaudanus ad necem conquirebatur: euenitque vt mercatorem Gallum ex Aberdonia vrbe in Dynastæ euntem castellum satellites nacti, ratique ipsum esse sub ementito habitu Apostolicum Nuncium, verberibus malè mulctarent, omni licet asseueratione pernegantem se esse, quem illi arbitrarentur: & forsitan confecissent, nisi in vrbem reductus pro mercatore, qui erat, esset cognitus. Tum liber dimissus est, acceptis verberibus ditior, merce profectò haud paulò ijs, quas tractabat, vtiliore, si vti nouisset. Obsederant item portus hæretici, ne Nuncius acceptis à Regina litteris exitum inueniret. Verùm Haius & Crittonius cum fideli nauta pacti, vt aliquot à portu millibus opperiretur, eò per scapham Gaudanũ & socium emisere. Vnà Crittonius in Belgiũ renauigauit. Haius aliquamdiu substitit; moxque cum præclara adolescentium Catholicorum manu subsecutus est: ex quibus postea datis Societati nominibus in viros egregios euasere, Iacobus Tyrius, Ioannes Haius, Robertus Abercombæus, & Guilielmus Murdoceus; quibus plurimum Scotia debet; idque pretium ex illa peregrinatione princeps extitit. His in Belgio, vt litterarum disciplinis excolerentur, in præsens relictis, Haius & Crittonius Romam ad ponendum sacræ militiæ tirocinium, & sua consummãda studia, simulque coràm Pontifici rerum Scotiæ statum exposituri, Lainium Tridenti allocuti perrexere.

107 *Scotiæ status.*

108 *Reginæ Mariæ virtus.*

109

110 *Scoti iuuenes egregij ad Societatem adiuncti.*

In Hispaniarum Societatis hoc anno tranquillæ fuerunt. Triguerense Collegium in prouincia Bætica cœptum est. Mediocre oppidum Triguerum est in ditione Ducis Methymnæ Sidoniæ: verùm amplam ac frequentem vicinitatem ex Comitatu Nieblæ, & Marchionatu Gibraleonis habet. Nec longè abest ager & saltus, qui Andeuali dicitur, montosa ac siluestris regio, incolis ærumnosis plerisque, nec minùs incultos humanitate ac doctrina gerentibus animos, quàm sterile ipsi maligniumque solum colant. Hos, alioſque accolas ita destitutos Franciscus Palma Triguerensis ciuis, idemque Clericus, sed non vltra tonsuram, vir pius ac locuples miseratus, Collegium ædificandum suscepit. & quamuis ob loci exiguitatem Patres, præsertim cùm offerrentur celebriora, & cœptas præstaret roborare domos; hærerent; Palmæ tamen constantia, & benigna sedulitas palmam tulit. hæsitationemq; omnem eiicit Bustamantius, qui de cætero exigua Collegia Societati vitanda, si disciplinam curæ haberet, magnopere censebat; tamen spe ingentis profectus, & necessitate gentis commotus, præcipuus auctor huius suscipiendi fuit. Nec spes siue eum præclari successus, siue fundatorem fefellit. Anno insequenti missi coloni. Comes Nieblæ Eleonora Zuniga & Soto Maior, religiosissima ac præstantissima femina, tum dignus parente filius eius Alfonsus Petrius Gusmanus Methymnæ Sidoniæ Dux re, patrocinio, omnibus caritatis officijs Collegio semper præstò fuere.

111 *Triguerense Collegium inchoatur.*

Toleti cùm paulò ampliùs anno in ædibus Roderici Lopij Auali diuersati Patres, succedente in eas Ioanne Austriaco, migrassent in ædes Ferdinandi Franci in regione, quæ Cutruum dicitur, vbi vsque ad hunc annum magnis in angustijs, magnisq; incommodis habitarunt; hoc demum anno piorum liberalitate domum emerunt eam, vbi nunc S. Bernardini Collegium est: continuoque tria, quæ adhuc partim incommoditate loci, partim operariorum paucitate non licuerat, ingenti cum ciuitatis bono aggressi sunt opera. Quippe pomeridianos sanctioribus diebus sermones ad populum instituêre: ad quos virorum ac mulierum longè maior, quàm caperet locus, quanquam satis amplus, multitudo confluxit. Deinde cum tintinnabulo cœperunt circumire vias vrbis, & pueros ad disciplinam Christianam erudiendos cogere. Quod nouum planè Toleti & mirum accidit institutum, cùm antea nunquam vidissent viros Religiosos eò sese laboris demittere. Postremò cùm ingens numerus vagorum hominum, (vt in vrbibus magnis fit) Toleti esset, qui cùm Pastoris nullius certi cura continerentur, nunquam ferè sacris exhortationibus, nunquam rebus diuinis intererant, eoque vt vitijs abundabant, ita scientia rerum bonarum omnium vacui erant; Dominicis quibusque diebus, aut aliter feriatis in plateam maximam, vbi frequentissimi illi sunt, aliquot sacerdotes progressi, coactos in vnum mortales, & quæ credere deberent, & quæ facere edoctos, simul ad officium

112 *Toletani Collegij incrementa.*

Digitized by Google

cium Christianum incitabant. fuitque id opus cùm inopi terræ salutare, tum ciuitati cunctæ pergratum: cuius nimirum interierat maleficiorum seminarium magnam partem excidi.

113 *Res à Patre Martino Gutterrio gestæ Salmantica.*

Salmanticę multa in commune bonum cùm alij è Collegio, tum præcipuè P. Martinus Gutterrius Rector fecit. Feriarum autumnaliũ tempore bini quotidie sacerdotes, ac laici ante postque meridiem nosocomiũm quadraginta dierum spatio frequentarunt: præiuitq; cæteris Rector. Nec solùm seruilia officia intra parietes obibant omnia sternendo lectos, verrendo solum, vasa immunda purgando; sed etiam è vicino fluuio positis pallijs aquam gestabant, haud parua hominum admiratione, cùm in Rectorem præsertim tota vrbe notissimum, & maximæ existimationis vrna onustum incidebant. Hoc tempore, quo collegæ nosocomio ministrarunt, ægri omnes, quamuis multi pestiferis laborarẽt morbis, conualuere. Quam rem cùm diligentiæ & caritati, qua curati à Patribus sunt, tum eorum pietati ac precibus nosocomij curatores tribuere. Verùm (quod caput est) plurimorũ non corporibus modò, sed animis quoque reddita salus: præcipuè famuli adducti, vt studiosiùs ministerio suo ac mitiùs fungerentur. Latiùs manauit vtilitas è Clericorum & Parochorum cultura, cui Gutterrij operâ consultum est. Episcopo ad Concilium profecto, qui eius gerebat vices, Gutterrium pro viri sanctitate plurimi faciebat. Pater

114

ad Ecclesiæ commoditatẽ, non ad inuidiam sibi conflandam vrendum gratia ratus, monet locis multis opportunam Societatis operam ad Cleri institutionem fuisse: nec ignarum, quin Clero rectè formato, ad eamdem formam populus leui negotio figuretur. Cumque Vicarius cupere se vehementer viam iniri diceret, qua commodè id Salmanticæ quoque fieret, inita via huiusmodi est: vt Vicarij iussu quinque proximarum inter se parœciarum Clerici & Curiones omnes in vnam ex ijs parœcijs conuenirent: ad eosque instituendos quotidie stata hora Gutterrius adiret. Hisque edoctis ad alios item quinque parœciarum excolendos transiret, ac deinceps ad alios, quoad nulli reliqui fierent. Principio quidam perinuiti parebant seu tædio laboris, seu parum è dignitate sua rati, sibi, qui Magistri essent cæterorum, Magistrum apponi. Sed nimirum interest plurimum, quo quidque fiat modo. Vt primùm Gutterrium audierunt, qui & prudenter hanc inanem suspicionem diluit, & rei momentum grauiter ostendit, cum plurimis omnes gratijs paruerũt. Ad sexagenos conueniebant: apud quos Pater cùm ante omnia quanta esset sacerdotij dignitas, quantum animarum eis commissarum, atque adeò sanguinis Christi pretium, explicasset; quid à quoque suo in munere præstandum esset, quid, & qua ratione docendi rudes, qua religione Sacramenta administranda, qua cura sacerdotalium precum pensum exoluendum, non ad docendum magis, quàm ad permouendum appositè subijciebat. Quæ, aliaque eius generis cùm satis octo decemue dierum spatio tradiderat, ad quinas alias transiens parœcias nouam de integro instituebat scholam, quoad totam obiuit vrbem miro cum ciuitatis totius emolumẽto. Hac autem tanta apud Vicariũ auctoritate cùm esset, idemque ciuitatis Prætori confessarius, facilè dissidium inter hos graue exortum, quamuis iam interdictionem Vicarius, & sacrorum iustitium ad vlciscendum Prætorem prompsisset, diremit. Maiore negotio inter duos Proceres, quorum partes cuncta propè ciuitas in factiones scissa sequebatur, vt non modò dimicatio, sed ciuile & internecinũ bellum timeretur, diuina aspirante gratia amicitiam redintegrauit.

Geminum huic facinus Placentiæ Balthasar Loartes cum diuino auxilio fecit. Tertius ac septuagesimus agebatur annus, cùm haud Placentina solùm ciuitas in duas distracta partes, sed tota etiam extrema illa ora ijsdem factionibus dissidebat, his Caruaialiorum, illis Zunigarum familiarum illustrium partes fouentibus. Assidua inde iurgia, vulnera, homicidia vltrò citroque existebant: adeò vt intra secreta etiam sanctimonialium claustra, hoc est in domicilio caritatis & pacis, factionum rabies Deo deuotas virgines miseris exagitaret modis. Sæpè viri clarissimi ac Religiosi restinguere eam flammã conati erant, irrito labore: & Societas postquam Placentiam venit, nunquam id moliri cessauerat. Verùm hoc tandem anno clementiæ æternæ placuit suorum famulorum vota conatusque benigniore vultu respicere. Fredericus Zuniga, qui dein Marchio Mirabelli fuit, & Franciscus Caruaialius Torresonis rubei Dominus, tum factionum principes erant. Hos Balthasar Loartes post multos labores tandem ad pacem colloquiumque adduxit, nec alium sibi illi vicissim fidei amicitiæq; sponsorem, quàm Balthasarem eundem dedere. Magna Placentini, & quicunque audiuere nec opinatam rem lætitia exceperunt: ac præ cæteris Placentina nobilitas editis publicè equestribus ludis ac spectaculis celebrauit. Patres quoque gratulationem publicam sibi cohonestandam rati, die Sanctissimo Christi Corpori sacro primores partium in templum inuitant: quos vt assidentes, amiceque colloquentes vidit Senatus populusque Placentinus; vix gaudij potentes erant, memoria repetentes quamdiu, quantaque cum clade ipsi, eorumque parentes omnia distraxissent. Post Sacrum magna cerimonia factum, drama elegans datum est, in quo præter alias personas Pax, & diuinus Amor tandem de discordia & dæmone triumphabant, cuncta actione eò directa, vt appareret concordiam vnicum bonum ciuitatibus, discordiam verò funestissimam esse pestem. Inuentio, apparatus, actio mirè omnibus placuit, eaque celebritate inter omnes ordines visa est pax veluti trabali clauo firmari.

115 *Placentia peruersa factiones sublata.*

Complutense Collegium cùm multa in publicam vtilitatem, tum illud gessit. Postremo genialium die cùm animaduerteret Emmanuel Lopius Rector quàm multis eo die diuina Maiestas violari peccatis soleret, viginti quatuor è Collegio in omnem vrbis partem dimisit; qui si non omnino sistere præcipitem torrentis cursum possent, at aliquantùm certè retardarent. Euentusq; planè respondit votis. Cùm omnes vno tempore quasi tubæ cælestes celeberrimam quamque vrbis partem inaudito antea cierent sono, quamplurimi ab exitiali Sirenum cantu, ac fœdo diaboli

116 *Res Complutenses per genialem diem gestæ.*

Digitized by Google

boli clangore transfiere ad vocem diuinam. Is quidem cui infamis prostitutarũ fornix, seu potiùs diaboli fornax, obuenerat, tres inde vitali diuinæ vocis telo percussas, vitamque meditantes nouam in Collegij templum abduxit; quas piorum caritas in tuto locauit. Hæc dum publicè Socij Complutenses moliuntur, domi tum ipsi, tum Collegia alia seueritatis sanctæ in se edebant exempla. Quippe viguit semper vigetque adhuc in Societate & inter omnes bonos, vigebitque ad posteros laudabilis illa consuetudo, vt aduersus multitudinem tendant, & contraria sęculo studia consectentur. Itaque cùm cæci mortales auidiùs voluptatibus inhiant, & flagitiorum in cœno turpiùs volutantur, simulque impudentiùs iram Numinis irritant, eiusque gloriam, quantum in se est, proculcant; tum illi maximè macerant corpus, sensuum mollitiem castigant, noxas vitant, Deum placare & collaudare student, ac præpotentem eius dexteram iusta iam iam contorquentem fulmina sustinere conantur. Quam curam (tanta est vel irati Dei clementia) ita exigit ab seruis suis, vt per Ezechielem conqueratur his vocibus, *Et quæsiui de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam; & non inueni.*

117 *Pietas tum colenda maximè cùm publicè negligitur.*

cap. 22.

Hoc igitur sancto studio cùm vbique viri è Societate, nouis inuentis contra peccans ire vulgus, impensiusque temporibus magis perditis soleant, eoque per illam temporum ingluuiem, cùm cænacula magis propemodum carcer vbi torqueantur noxij, quàm conclaue vbi sancta cohors necessitati succurrat, videantur, tum is Conimbricenses ardor habuit, vt cùm pars ad cœnam consedisset, cæteri verberare se terni aggressi dum alijs alij succedunt, totam flagra cœnam tenerent. Hæc nimirum sacri Deo sanctitatique homines spectacula edunt. hæc conuentuum Religiosorum felicitas est; in quibus non modò alia vndique abundant adiumenta virtutis, sed & exiguum id, quod suffulciendo corpori necessariò subsidium sumitur, non ab insidiosa modò voluptate, immodicisque illecebris cùm piarum lectione rerum, tum eiusmodi aliqua specie defenditur, sed & suauissimo pietatis sapore conditur. Ita tum haud dubiè Conimbricensibus vsu venit, vt non ad suauem citharæ strepitum, sed ad sæuum verberum crepitum cœnantes non tam corpus escis, quàm animum pietate reficerent: multoque iucundiùs sanctæ eos cogitationes recrearent, quàm ventris mancipia delicatæ ac conquisitæ dapes titillant. Ex hoc Collegio dum octo Socij ad Indos nauigaturi Olisipponem petunt, multique eos ad aliquantum viæ prosequuntur; sacerdos Iuris Pontificij Baccalaureus mutuam discedentium ac deducentium caritatem hilaritatemque conspicatus, animum ad eiusdem vitæ communitatem adiecit, & admissus est. Adeò blanda conciliatrix, & fœcunda parens Religiosarũ familiarum mutua inter se Religiosorum est caritas. Porro nobilis ille Indicus manipulus XVIII. Kalendas Aprilis Olisippone conscendit. Naui, quę sanctus Martinus dicebatur, P. Vincentius Tonda, Consaluus Vazius, & Antonius Fernandius; altera, cui sancti Vincentij nomen, Sebastianus Consaluius, Emmanuel Louus, & Vincentius Salernitanus; tertia, quam Reginam vocabant, Ferdinandus Acunia, & Michaël Beltrannus vecti sunt. Sex pariter naues profectæ, omnes præter vnã, quam credidere retrorsum vela in Lusitaniam retorsisse, quòd malè instructa, & parum firma esset, satis prospero vsæ cursu.

118 *Conimbricensium Sociorum feruor.*

119 *Mutua caritatis exẽpla quàm acria sint.*

120 *Missio Indica.*

Sed antequam ad extrema pergamus Asiæ, Africam interuisere par est laborum nunquam non feracem. Quatuor per id tempus Societatis expeditiones in Africa erant. In Ægypto vna (placet enim Africam ab sinu magis Arabico cum Ptolemæo, quàm ab flumine Nilo inchoare, vt tota ingens peninsula sit: ab Septemtrione Interno mari discreta: inde, dum in meridiem enormi cuneo porrigitur, Oceano vndique à fronte, & ab lateribus alluente vsque ad sinum quem dixi: ab cuius extremo ad internum Ægyptium mare, ne penitus insula esset, centum quindecim millium passuum continens intercepta est.) Ergo, & in Ægypto, & inter Abassinos, adhæc in rego Tongensi, postremò in Angolano quidam Sociorum laboriosissimè desudabant. In Ægypto apud Gabrielem Cophthorum Patriarcham haud res eo progressa est auræ secundæ afflatu, quo cœperat. Postquam dona Pontificia ab Consulis domo in suam transtulit Patriarcha, segniùs agere, nec copiam sui P. Christophoro Rodericio facere nisi rarò. Id tamen initio anni impetratum est, vt nominaret ex animi sui sententia viros doctos, cum quibus transigi id posset, quod ipsemet exorsus, per litteras à Pontifice sæpiùs postularat. Abrahamus ipse, qui Romæ fuerat, & alius Cophthus nomine Georgius designati. Hi doctissimi inter suos habebantur. Verumenimverò nullus erat aduersarius importunior, quàm ipsa gentis inscitia. Quod primum omnium statuendum erat, vnum esse totius Ecclesiæ principem, populorumque magistrum omnium, & supremum Christi ouilis Pastorem, atque hunc non nisi successorem Petri Romanum esse Pontificem; haud magno negotio duobus designatis, & Patriarchæ persuasum est. Quod Catholicæ fundamentum religionis vt permansurum ad posteros figeretur, instabat Christophorus, vt Patriarcha litteras manu sua, & aliquot suorum Episcoporum obsignatas ad Pontificem daret, narrans Nuncij aduentum, cumque eo transactum, quod inchoauerat: harumque litterarum exemplar inter libros reponi, in quibus Cophthorum sacra continentur, curaret. Nec abnuebat ille palàm, sed moras quærebat tamen. Christophorus interim Cophthorum placitis moribusq; noscendis insistens, manifestis hæresibus inuolutos reperit. Repudiare apud illos, & viuis prioribus, alias superducere vxores in more esse: ante baptismum paruulos circumcidere: Sacramenta septem quidem numerare, verùm præter Baptismum, Eucharistiam, Confessionem, Sacerdotium, cætera longè ab veris diuersa, fidem, ieiunium, orationem. Spiritũ sanctum non credere à Filio procedere. Concilia non recipere, nisi tria, Ephesinum, Constantinopolitanum, Nicenum, in quo octoginta quatuor Canones habent. In Christo post coniunctionem humanitatis cum diuinitate

121 *Christophori Roderici labores apud Cophthos.*

122 *Cophthorum errores.*

non

Digitized by Google

non nisi vnam naturam esse, vnam voluntatem, actionem vnam, Chalcedonensi Concilio penitus damnato. In ritibus quoque multa peccare, existimantes adhuc suffocato & sanguine abstinendum: matrimonia in secundo cognationis gradu passim licere contrahi: in Diaconorum numerum quinquennes pueros adlegentes, & initiantes sacris: inter baptizandum, dum ter infantem demergunt, totam formulam ter pronunciantes. Horum errorum quidam ex inscitia tantùm offebantur, alij ex prauo vsu: & ipsimet facilè in repudijs, circumcisione, puerorum consecratione, abstinentia à suffocato & sanguine fatebãtur errare se; eaque facere, quòd ita inualuisset vsus: adhæc circumcisionem Turcarum metu retinere. Itaque in horum capitum plerisque Abrahamus Georgiusque conuenere, Catholicæ ac Romanæ ntus Ecclesiæ præferendos. In eo summa certaminis fuit, vna ne in Christo natura post coniunctionem esset, an duplex. Vt ab Nestorio recederent, aiebant se naturã dumtaxat vnam agnoscere. Christophorus docebat Catholicæ Ecclesiæ Nestorium execrabilem esse: eumque & cunctos hæreticos damnatos: verùm distinguerent à natura personam. Non, vti Nestorius impiè volebat, duas personas, sed vnam tantùm ab Ecclesia orthodoxa agnosci, verùm in ea naturas, volũtates, actiones duas: idque planè necessarium esse. Nam causa & effectus, aiebat, duo sunt: nihil enim se ipsum efficit: at diuinitas in Christo effectrix est, humanitas effecta; illa infinita, hæc finita: æterna illa, hæc in plenitudine temporum creata. Igitur duo quædam sunt. Ante coniunctionem id fuisse dabant, sed postquam Deus homine assumpsisset, mordicus tenebant vnam conflatam esse naturam. Quî possit hoc sustineri? Christophorus inquit. Ista natura, quã dicitis ex humana ac diuina cõflari, profectò nec diuina, nec humana erit. Atqui si humana non est, nullo ergo modo Christus erit minor Patre; si non diuina, non erit Patri consubstantialis: aut certè, si hæc tertia Christi natura eadem est, quæ Patris ac sancti Spiritus natura, quid igitur potiùs homo factus est Filius, quàm aut Pater, aut Spiritus sanctus? Quid assumpsit cùm hominem assumpsit? Eadem dici de voluntate possunt. Si enim Christus perfectus est homo, profectò voluntate humana non carer: si voluntas ex humana & diuina existeret vna dumtaxat, ea nec eiusdem naturæ ac cęteræ hominum voluntates, nec eiusdem substantiæ ac Patris, & Spiritus sancti esset. Quin igitur Athanasium vestrum sequimini, qui, Sicut anima rationalis, inquit, & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus? An non aliam fatemini carnis & rationalis animæ esse naturam? & vtramque in homine diuersam permanere, cùm tamen persona & hypostasis vna sit? Eodem pacto Christus vna persona est coniunctas habens naturas duas, humanam & diuinam; & vtriusque naturæ proprias facultates & actiones. Quid contra hæc afferrent non inueniebant, modo tantùm loquendi interdum se differre aiebant à Romanis, & in odium Nestorianorum eo se loqui modo: sumptoque spatio amplius rem cognoscendi spem fecerant magnam, fore vt conuenirent, ac peruetusto errore Cophthorum Ecclesiam liberarẽt. Interim, vt id ad exitum, quod cœptum erat, perduceret Christophorus, institit, vt litteras obedientiæ testes ad Romanum Pontificem Patriarcha daret; cùm ait Patriarcha iam se eas scripsisse, postridie traditurum. Postero die bona plenus spe ad Patriarcham reuersus, vnà cum eo Abrahamum & Georgium congregatos in concilio iniquitatis aduersus Dominum, & aduersus Christum eius offendit: & vltrò Abrahamus nomine Patriarchæ rogat, quid tandem vox illa obedientiæ, quam vult Romano Antistiti Patriarcham spondere, significet, perinde quasi homo ipse nouus nunquam Romam vidisset, non sæpiùs Apostolico Domino ipsemet obedientiam exhibuisset. Hac repentina perculsus interrogatione iam tum aliquid suspicans Pater, respondet id ipsum intelligere se, quod litteris suis Patriarcha sæpiùs esset professus, cùm Pontificem Romanum Patrem Patrum, Pastorem Pastorum, Magistrum omnium Ecclesiarum appellauit: cùm ei se obsequentem fore spopondit, hominem postulans, cum quo de Catholica doctrina communicaret: cùm denique exponens in litteris fidei suæ formulam, cuncta eius arbitrio sententiæque subiecerat. sicut enim Petrus à Christo vniuersalis constitutus olim fuit Pastor, cuius curæ quicunque Christianos se profiterentur, subiacerent; ita Petri successori Romano Pontifici Ecclesias subditas esse omnes: quod planè ad vnam fidem religionemque conseruandam necessarium sit; & apertè Concilia, quæ ipsi recipiunt, & sancti Græci Patres, & Litterę diuinæ docent. Responderunt eum sermonem accidere sibi nouum; postque Chalcedonense Conciliũ, & Patriarcharum disiunctionẽ vnumquemque sua in Ecclesia caput esse magistrumque summum. imò Romanum Pontificem, si fortè erraret, à cæteris Patriarchis iudicari oportere. Litteris suis modestè se & officiosè locutos, atque obedientiam professos eo ritu, quo humaniter cum amicis agitur, dum ad eorum iussa nos paratos profitemur: suæ humilitatis causa titulis illis, & nominum insignibus Romanum Patriarcham affecisse; adiecisse autem suis in litteris fidei summam, quòd huiusce modi communicatione se inuicem salutare Patriarchas deceret: atque hominem petijsse, quòd, vt ipse ex caritate salutasset Pontificem, ita gratum sibi futurum esset, si à Pontifice misso nuncio vicissim ipse salutaretur. Exhorruit hîc primò Christophorus hominum simulationem, & miseratus est tum quasi à capite negotium exorsus, rationibus plurimis & clarissimis testimonijs Conciliorum ac Patrum Græcorum confirmat, palamque facit, non vtique vrbanitatis officia, & delatam verbo tenus obedientiam satis ad salutem esse; sed necesse esse, vt Pontificem Romanum pro Christi in terris Summo Vicario fateantur; docentemque in rebus dubijs, quæ ad interpretationem sacrarum Litterarum, ritusque Sacramentorum pertineant, fideliter audiant ac sequantur. Eo agebat acriùs, quo erat commotior. Sed cùm summa illos pertinacia videret quæcunque dicerentur, respuere auribus, remisso paulatim impetu benignè

123 *Confutatur error vnam tantùm in Christo naturam ponentium.*

124 *Cophthorũ frustratio.*

125

126 *Prudens obseruatio in negotijs gerendis.*

nigrè ac summissè rogat, vt rem considerare amplius velint. Hoc enim prudenter cauebat semper, ne congressus vnquam sic finirentur, vt præcisa ac pro desperata res haberetur, sed potiùs vt iterum conueniendi fieret initia, & colloquij præberet ansam: sperans quamdiu fiducia apertè non dirimeretur, & disceptandi daretur locus, aliquid posse saltem tentari. Ad extremum hæc Ianuarium gesta. Quem animum eo die retulerit domum Pontificius Nuncius (cui tot miserabiliter pereuntium animarum salus versabatur assiduè ante oculos, & cor depascebat) Sociorum qui fuerit sensus, non difficile est

127 cogitationi subijcere. Ex quo die Memphim appulerant, memores Christum Dominum dixisse, *Sine me nihil potestis facere*; eius auxilio implorando, precibus, sacrificijs, voluntaria corporum maceratione impensam operam dederant. Singulis diebus præter consuetas toti Societati orationes cõmuniter eam ob rem Litanias recitarant, anteque eas dimidium horæ meditationi tribuerant; tum etiam frequentia vsurparant ieiunia: ad hæc semel in die singuli sese verberauerant. Sed ex hoc tempore multò studiosiùs in hæc studia incubuerunt. In consuetudine cauebant, ne qua re quem offenderent: sed omnibus bonum Christi odorem afflarent. In vsu ciborũ, rituque ieiuniorum, & quacunque in re fas esset, ad eorum se accommodabant mores: neq; ab Patriarcha, nec à quopiam Cophthorum doni quidquam accipiebant: comitate, officijs, significatione beneuolentiæ, modestia & humilitate conciliare sibi ad Dei gloriam omnium amores studebant. At Cophthi subterfugere in-

128 de congressum. Abrahamus & Georgius quo minùs sæpè in vnum conuenire possent, occupationes obtendere: Patriarcha solitudinem meditari, vt ieiuniorum longum solenne in sancti Antonij monasterio via dierum quinque Memphi procul, exigeret. Christophorus pro se fore solitudinem, vbi vacuus Patriarcha alijs curis futurus esset, ratus, modestè significat, ni graue ducat, ipsos, quandoquidem Pontifex miserit, vt apud eum sint, libenter ituros comites. Cumque Patriarcha eundi faceret potestatem, conatus est Abrahamum quoque ac Georgium adducere, quòd Monachi eremi omnes indocti ferebantur: sed cùm varia causarentur, ægrè extortum est, vt summam earum rerum, in quas conuentum iam erat, ab se consignatam traderent. Initio Martij venere in eremum. Inter vias dum populi ad videndum Patriarcham confluunt, animaduertit Christophorus alium pessimum in gente morem, pueros nisi post multos

129 annos baptismo non consignari. Id verò vulnerauit animos Patrum vehementer, quòd hac arte diabolus totam nationem Cophthorum funditus perditũ, & Christo Domino ereptum iret: cùm adultos prauitate doctrinę ac morum falleret; paruulos, quorum saltem, si ante mentis vsum decederent, salus in tuto erat, baptismi beneficio, & noua origine spoliaret. Itaque captato molli aditu, Patriarcham Christophorus edocet, quàm exitialis ea negligentia sit. Quandoquidem Presbyteri Episcopique suo non fungantur officio, pertinere ad Patriarcham tanto malo obuiàm ire. Visus est delectari rectè monentis zelo senex: &, cùm iussisset quos inexpiatos inuenerat, confestim sacro fonte lustrari, ad Patres conuersus, Atqui scitote, inquit, vbique prauum vigere hunc morem. Æthiopiam versus viginti dierum itinere diœcesis hæc patet; vnde quanta fiat animarum iactura, existimare potestis. Atque equidem nisi vobis timerem à Mahometanis, vos ipsos nomine meo mitteré, vt vbique locorum exitialem ritum aboleretis,

Ioan. c. 15. *Qua pietate & cura Rodericius & Socij in suum munus incumberent.*

Christophorus ad ea, Procul esto metus, Pater: 130
securi nos sumus: si quid eueniat posituri in luctu. Ecce cùm libet, mitte nos. Exacta Quadragesima missurũ pollicetur. Peregrinationẽ eam volenti animo suscipiebat Christophorus, non modò vt infantium plurimorum animas cælo inferret, sed etiam vt simul adultis Cophthis prodesset; sperans, si cum populo simplici agendi potestas sibi fieret, Deum affore, vt multorũ ex animis extirparet errores. Tum cœpit cum Patriarcha agere, vt conuenta inter se duosque designatos subscriberet. Quæ cùm Patriarcha legisset, adeò manifesta pronunciauit, vt opus subscriptione non esset: tamen curaturum se, vt describerentur à Gabriele, protinusque confir-
131 maturum. Erat hic Gabriel sacerdos admodum *Cophthi sacerdotis importunitas.* iuuenis, adeò inimicus Francorum (ira Catholicos Latinos appellant) vt aduersus Francos Iudam se præbere eum Patriarcha ipse dictitaret. Pontificium Nuncium ac socios nunquam nisi nubila fronte, truci vultu, toruis oculis aspectabat: homo ad litigandum & iurgandum natus: quod eo confidentiùs faciebat, quòd erat doctrinæ omnis & humanitatis expers. Is vbi, quanquam frustra Patre Christophoro repugnante, ea accepit capita perlegitque, vociferatur hæretica esse, aduersaria doctrinæ Cophthorum: talia vt exaret, calamum se nunquam stricturum: si ea Patriarcha probaret, se illi ipsi anathema dicere. Nunquam Abrahamum & Georgium in ea conuenisse: adulterata à Francis esse, qui eò venissent, vt imperitum senem circumuenirent: quod tamen viuo se nequidquam molirentur. Faceſſerent suas in oras hæretici, canes, asini. Hæc, & multò acerbiora clamitabat. adeò horrendum in modum sacra Catholicorum, & pietatem execrans, vt Furiarum aliqua tartarearum insedisse, & agere furentis hominis linguam videretur. Nec cunctatus est Patriarcha indoctus & senex iuuenis indoctioris cæcitatem sequi. Quæ dogmata luce clariora paulò antè prædicarat, iam suspecta habere, damnare; tum Christophori ac sociorum congressum fugitare. Contrà Patres inuicta constantia durare: alto cuncta deuorare animo: suum illud institutum assiduè tenere, vt aditum semper ad nouos congressus patentem seruarent. Tandem inuento & arte, vt apparebat, Gabrielis Patriarcha suum quemdam profert peruetustum codicem hæresibus manifestis scatentem. Illud ait Euangelium Cophthorum, illa Concilia esse. Non oportere Christophorũ quidquã moliri: ex ea fide Romã se ad Pontificem dedisse litteras, eam ad vltimũ retenturum. Atqui exemplum litterarum, inquit
132 Pater, penes nos est. Procul ab ijs litteris deli- *Simulatio, & fallacia Cophthorũ insignis.* ramenta talia sunt, sed sana fermè omnia; quæque

tenere

Digitized by Google

tenere Cophthos decorum sit,& præscribere Patriarcham. Hîc cœpit quiddam elucere,quod simulatam Abrahami legationem fuisse demonstraret. Continuò negat Patriarcha quidquam ab se scriptum, nisi quod doctrinæ codicis illius consentaneum esset: & si quid ab ea discreparet, id fuisse ab Abrahamo subiectum. Abrahamum quippe, cùm haberet in animo Italiam visere ac Romam, litteras ab se ad Pontificem Romanum commendatitias postulasse: in ijs adscripta, vt mos est Patriarcharum, fidei Cophthorum formula se officiosè, & ex humilitate & caritate ad Pontificis Romani obsequia dixisse paratum fore. Atenim epistola posterior, inquit Christophorus, multò apertior est. Epistola, inquit, posterior ex eiusdem Abrahami voluntate ac sententia scripta est. Cùm enim Roma ipse significasset custodia se detineri, magnoque in periculo versari, nisi opem ferrem, fidemque facerem à me missum legatum,Pontificemque lenire blando obsequio studerē; ego, qui Abrahamum philosophum hominem,& doctrinæ Cophthorum scientissimum seruatum vellem, pro officio Pastoris alteras dedi illas ad Pontificem litteras. Quòd si vel interpres, vel Abrahamus, vel vos perscriptam à me doctrinam deprauastis, quisquis hoc ausus est, anathema est. Hinc iam omnem secum retexentes seriem Patres intellexerunt machinatorem fraudis Abrahamum fuisse, qui & priores litteras, cùm Romæ non esset, qui Arabicè legeret, (noster enim Elianus eo tempore tametsi intelligebat Arabicè, litteras tamen ignorabat,) prauè interpretatus sit,& posteriores simulatione periculi tum expresserit, cùm Cardinalis Alexandrinus ad Venetorum Consulem rei explorandæ causa litteras dedit. Idcirco cùm primùm Memphim attigerunt, voluisse Abrahamum præoccupare ad Patriarcham accessum, vt, quod libuit, præmoneret: & Venetum illud indicium ex vero emanasse: tamdiu verò dissimulasse homines, vt dona in tuto locarent,& Abrahami famæ consuleretur. Quæ omnia paulò pòst diserte Venero quoque Consuli Patriarcha professus est. Hac tam insigni fraude deprehensa Christophori animus, tametsi valdè debilitatus, non tamen est fractus. Quandoquidem eò loci venisset, tantumque subijsset laborum, tentandum porro constanter statuit: fore fortassis, vt, quando malum erupisset, eiecto ex animis simulationis tabo, locus esset aptior medicinæ. Emollito igitur paulatim obseruantia & obsequijs Patriarcha, litteras rogat ad Abrahamum & Georgium, vt ijs de rebus ampliùs agant, disquirantque inter se. Vt cumque adhuc tractatum sit, esse planè dignas res animaduersione: nec sibi nisi Cophthorum æternam salutem propositam esse. Impetratis litteris, quòd in solitudine duriorem vitæ, cùm Gabriel obstirmaret, sese præbebat senex, Memphim repetunt. In digressu pecuniæ aliquantum, quod tamen factum in ipsos superaret sumptū, Patriarchę dederunt: id prouidentes vt optabilē potiùs quā vlla ex parte grauē consuetudinem Pontificiorum Legatorum genti facerent: quam Patriarcha pecuniā ita accepit, vt monasterio daret. Redeuntes, cùm in latrones Arabes incidissent, manifesta Dei tutela seruauit. Quippe per medios intacti sic incessere, vt mortalium auaritissimæ iuxtà & crudelissimæ turbæ prorsus erepti oculi, debilitatæ manus diuinitus viderentur. Haud minus excepit Memphi discrimen. Debacchabatur frequentissima illa in vrbe iam pestilentia ita fœdè, vt ad bina hominum millia singulis diebus fama esset Orcum haurire; illos tamen nulla formido tenuit, quin multis deinceps diebus per longum viæ spatium designatos conuenirent. Sedenim Abrahamus quoq; seu fessus (durū est enim simulare diu) seu ab Patriarcha monitus, iam personam propè posuerat. Obtestante Christophoro vt reuocaret in memoriam, quæ Romæ egisset: & quam spem Cardinalibus Pontificique ostendisset, eam præstaret; respondere cœpit, sua rebus & tempora & loca esse: alia alibi licere. simulare ad tempus atque mentiri fas esse. hoc esse, quòd aiebat S. Paulus, se omnibus factum omnia: quòd scilicet scenæ foroque seruiret. Quin adeò habere se librum, in quo scriptum sit, Paulum cum Ethnicis Ethnicum factum, & idola coluisse, vt eos tandem ab superstitione abduceret. Quid hoc homine faceres, qui Gentium magistrum, non ab homine, neque per hominem Euangeliū edoctum, gloriantē de mendacio faceret, reque ac verbo doctorē mentiēdi? Quem non pudebat Paulo Apostolo idolorum euersori idololatriæ crimen impingere, vt impune liceret omnem fraudibus suis orbem terrarum inuoluere? Quo teneres nodo Proteum hunc Ægyptio illo monstro, quod est in fabulis, mutabilem ac varium magis? Patres consolabatur, quòd quanquam irrito euentu, tamen sciebant Deo se laborasse; cui vota atq; conatus pro effectu sunt: non poterant tamē non dolere, & abominari tantam peruersitatē. Postquā multos annos Romæ summis hominū illuserit: dona, quæ voluerit, abstulerit: pastus saginatusq; sit Præsulum mensis, ab Sede Apostolica homines abduxisse, vt ludibrio in Ægypto haberet, non ipsos magis, quàm Romanæ Ecclesię maiestatē. Huc seruitutem, obseruantiam, industriam suam recidisse, qua blandiendo, indulgendo, sese submittendo demereri hominem conati sint: hunc labores, ærumnas, impensas habuisse exitum. Atenim quanquam dolorem hæc inurebant acrem, longè plus tamen exitium commouebat tot populorum per inscitiam & improbitatem paucorum æterno exitio pereuntiū. Igitur in omnes animū versare partes: addere ad supplicia, & placamenta Dei; de integro omnia experiri. Disputando rursus euicerant, vt quædam de humanitate atque diuinitate Christi Abrahamus & Georgius non inutilia ad progressum darent: & libros eorum dum peruolurant, quædam inter se repugnantia, proque veritate facientia, adhæc inter Canones, quos in Concilio Niceno Cophthi habent, repererant duos, quibus debita Apostolicæ Sedi obedientia asserebatur. Recentibus his telis instructi repetendam sibi eremum censuerunt. Nam Patriarcha statuisse dicebatur, quod vitæ sibi restabat, illic peragere. Haud bono vultu primùm excepti: deinde ad congressum admissos, vix dum compositam adhortationem aggressos interpellat: certum sibi deliberatumque pro-

133

134 *Periculum ingens Patres euadūt.*

135 *Pestilentia ingens Memphi.*

136 *Abrahami fallacia.*

137 *Patrum noui conatus.*

Digitized by Google

profitetur de priſtinis Cophthorum dogmatis nihil mutare. Quæ proferebantur è libris eorum diſcrepantia, item Niceni Concilij canones ſuſque deque habet. Ita munitum obſtinatione & inſcitia pectus cùm patientia incredibili, & ſolertia quanta maxima humanum poteſt ingeniũ, Veritatis illi Nuncij diu fruſtra tutudiſſent; tandem, quando nihil erat profectui, ne ſimul eſſet irriſui orthodoxæ pietatis ſedulitas, Memphim
138 iterum remigrarunt. Hîc omnium primùm rerum miſerandum ſtatum accuratè Romam nunciant, pariterque edocent, duo ſibi iam reliqua videri: alterum, ipſum priuatim Cophthorum inſtituendum populum ſuſcipiant. Fieri enim poſſe vt multi veritatem diſpicerẽt. Verùm id pericula maxima inceptum habere: quod quantauis cum Patriarchę verecundia fieret, niſi tamen ille conſentiret, quod ſperandum non videretur, promptiſſimæ erant delationes ad Turcas, tanquam attentati imperij. Si tamen Romæ conſilium probaretur, de periculis ſuis ſe non eſſe ſolicitos. Alterum, vt inde porro, quando dimidium itineris confeciſſent, vel in Æthiopiam, vel ad Indos mitterentur. Nam tametſi ea quoque profectio ærumnarum multum & periculorum haberet, tamen animas tanti eſſe. Se quidem id aiebat Chriſtophorus ſummè optare: & hoc potiſſimùm voto ad Societatem à primo animum appuliſſe. Interim dum ab Vrbe reſponſum opperiuntur, in occaſionem, ſi quæ alicunde aperiatur, intenti ad excolendos Francos operam vertunt. Mancipiorum plurimis Chriſtianorum fuere ſolatio, qui duodecim, quindecim, viginti annos captiui nunquam eo tempore animum à peccatorum maculis expurgarant. Eſt mos Turcarum iis in oris, & opinor, in alijs, vt, ſi cuius
139 *Captiuis Chriſtianis Patres Memphi ſuccurrunt.* aufugiat ſeruus, in eum, cum quo ille verſabatur, quaſi in auctorem fugæ manus injiciant; eumque fugitiui loco mancipium habeant. Huius moris, atque adeò huius periculi Patres haud ignari, tamen minimè refugiebant (tum præſertim, cùm viderunt negotium Cophthorum non procedere) quoſcunque ſeruorum poſſent, conuenire, inſtituere, confirmare, audire; ſeruitute ſua (ſi quid eueniret) bene emi exiſtimantes libertatem animarum. Hîc bonum Fulgentium Freirem de
140 *Fulgentij Freiris de Societate patientia in ſeruitute.* Societate cæteros inter captiuos repererũt: quem ſuprà, cùm exploratum res Æthiopicas miſſus eſſet, captum à Turcis memoraui. Iam ætate erat affectus, ægra valetudine, incommodis inopiaque propè conſumptus, & tamen vincula & ſeruitutẽ pro Chriſti nomine ferebat lætus. Conſueta pietatis ſtudia ſedulò retinebat: adhortationibus & exemplis confirmabat conſeruos ad patientiã, & deterrebat à vitijs. Multi erant cum eo Chriſtiani captiui: qui quanquam admoniti erant, ne vulgarent Fulgentium de Societate eſſe, quo promptior eſſet redemptio; tamen ad aures domini, cui fuerat venditus, neſcio vnde aſpirauit, nec modò Religioſum, verùm, quod non erat, ſacerdotem eſſe. Inde magna lucri ſpe conceptа Saracenus negauit ſe hominem dimiſſurum, niſi mille durei nummi præſenti pecunia numerarentur. Patres, cùm vnde tantum auri corraderent, non haberent, ex intimis viſceribus patris, & optimi ſenis calamitatem miſerabantur, cùm ille alacriter cœpit eos conſolari, bono eſſent animo. Iniquum eſſe tantum auri inimicis crucis Chriſti præberi; iniquum ſe vnum & inualidum ſenem eo pretio redimi, quo complures validos atque viles Eccleſiæ ſanctæ bellatores ali præſtaret: inuenturum ſe etiam è vinculis aditum ad libertatem filiorum Dei. Hæc erat ſerui Chriſti in barbara captiuitate conſtantia. Vbi & Luſitanorum ſimul memoranda benignitas, & prouidentia miſericors Dei. Statuerant Luſitani pretio nulli parcendum. At Turca cupidiſſimus ex procraſtinatione veritus, ne interim Fulgentius ætate & miſerijs præmoreretur, nouam conditionem propoſuit: vt aureis mille quingentis in ſolidum ipſe, alijque octo Chriſtiani, quos ſcilicet extrudere volebat, redimerentur. Qua conditione probata, id aſſecutus Fulgentius eſt, vt ſua vincula ad tot miſerorum liberationem valerent. Nec multò pòſt in Italiam ipſi vecto ſatis & ſpatij & materiæ ad cumulanda apud Deum merita ſuppeditauit. Quippe luſtratis magno pietatis ſenſu ſanctioribus Romæ monumẽtis remiſſus in Luſitaniam eſt, reportandus in Indiam. Quò tranſmiſſionem dum opperitur, & ſupra imbecillitatem enitens humilitate cunctis & ſedulitate pulchro ſpectaculo eſt; Oliſipponẽſis peſtilentia incidit ſæculi euntis nono & ſexageſimo anno. In ea Fulgentius, vt veteranus vitæ pro caritate contemptor, bonam lue perculſis domi foriſque nauauit operam. Atque ex ea quoque flamma ſeruatus incolumis, tanquam recens ad Indicos iam reuchebatur labores, cùm in itinere ſublatus per longinquum adeò terrarũ atque ærumnarum orbem ad æternam cæli quietem peruenit. Erat quoque Memphi Patris Ioannis Baptiſtæ mater anus Hebræa. Quæ cùm fortè
141 cognouiſſet filium ſuum adeſſe, quem tredecim annorum ſpatio nunquam viderat; omnem mouit lapidem, vt in congreſſum veniret, haud deſperans ad auitam ſuperſtitionẽ hortatu impulſuque ſuo retrahi poſſe. Haud nihil ſpei P. Chriſtophoro erat ipſam poſſe anũ ab Iudaicis fabulis Ioan. Baptiſtæ ſapientia & virtute abſtrahi. Itaq; cùm etiam Conſulis interpoſita eſſet auctoritas, congreſſum nequaquam negandum ratus, domum Chriſtiani hominis adire anum iubet: eodemque conuenit ipſe cum Ioanne Baptiſta. Hęſit aliquamdiu ambigens anus vter eſſet filius. vbi agnouit, Minimè miror, inquit, tuum fratrẽ (is prior Ioanne Baptiſta Euangelij lucem aſpexerat) qui nec morum eſſet bonorum, nec vllius conſilij, Chriſtianum factum. Sed te ſemper mirata ſum, qui & moribus eras optimis, & ingenio conſilioque pollebas, inductum fuiſſe. Cui Ioan. Baptiſta, Atqui, ſi me valere conſilio ais, id profectò quod egi, exiſtimare debes nequaquã egiſſe temere, ſed adhibito ingenio conſilioque, & quòd planè ita faciendum eſſet: tuumque eſſet filios ſequi, ſi non eum, quem dicis, nec moribus nec conſilio præditum, eum certè, quem laudas. Reſpuit auribus obſtinata vetula hunc ſermonẽ: & ad eiulationem ac lacrymas vertit ſe. Ex eo die non ceſſauit multos allegare, qui animum Ioannis Baptiſtæ tentarent: ſed cum lucro ipſe ſemper Chriſto bene iuuante, diſceſſit. Cæterùm Patres, quia Francos nec multos habet Memphis,

Elisni cum parente Iudæa collocutio.

nec

Digitized by Google

nec nisi negotiis valdè implicitos, Alexandriam, vbi vberiorem fore credebant segetem, octauo
142 postquam venerant mense, commigrarunt. Iam enim & Abrahamus & Patriarcha eò venerant importunitatis, vt iurarent nunquam se ampliùs de religionis causa cum iis acturos. Illud exoratum est tantùm, vt Patriarcha hominè ad Concilium, vti Pontifex postulabat, mitteret. Scripsit enim ad Isaacum Episcopum Cophthorum, qui Nicosiæ in Cypro erat, quòd ipse inter doctos (quemadmodum ait) esset doctissimus, vt sine recusatione moraque Romam, inde Tridentum pergeret. quanquam ne id quidem successit. Litteras quoque ad Pontificem dedit, per quas gratias agens de missis ad se nunciis, adscribebat nihil de religione confici potuisse, quòd parum eos intellexisset. Hoc Abrahamus (vt vero simile est) fallaciis integumentum suis excogitauit. Nam quod quidem ad linguam pertineret, testificati Cophthi sunt, & Romam testimonia missa, Ioannem Baptistam bene scienterque Arabicè, atque adeò eleganter loqui. Res autem Rodericius ita expoluerat, vt distinctiùs nihil aut clariùs posset. Nimirum quidquid intelligere piget, obscurum est: & nequidquam in voce loquentis claritas lucet, cùm in audientis mente pertinacia tenebras facit. Denique cæcis vel in meridie nox est. Vt primùm Patres Alexandriam venerunt, Elianus cœpit Italicè, &, quantum se dabant indicia, cum pondere concionari; sed eius & Christophori nunquam intermittens adhortatio, & efficax concio erat vitæ inculpatæ exemplum, religiosa comitas, humanarum rerum suique contemptio, aliorum obseruantia, inedia, submissio. His virtutibus mercatores mirè sibi deuinciebant: nec solùm Catholicos ad vitam sanctiorem, sed hæreticos haud paucos ad fidei orthodoxæ sanctitatem reuocarunt.
* 143 In his fuit quidam adeò Lutheri veneno furiisque imbutus, vt, cùm primùm nobilis Veneti operâ in eius colloquium Christophorus venit, denunciarit, quisquis aduersus Euangelium (sic loquuntur hæretici, qui cùm rem Euangelij perdiderint, vocabulum iactant) compellare se auderet, eum se momento eodem iugulaturum. Paucis interiectis diebus plurimis ad Deum precibus pro eo missis, eodem Veneto deducente vltrò it ad Lutheranum Christophorus: postque benignam vltrò citroque salutationem, eò paulatim deducit sermonem, vt dicat pœnitere se, quòd nuper ei molestus fuerit: causamq;, quanquam certè non id agens, iræ & doloris obtulerit. Hæc dicens veniam petiturus, osculaturusque eius pedes humi sese prouoluit. Quæ ita ex animo gerebat, eamq; ingenuitatè vultus orisq; habitus, & vox ipsa præferebat, vt tantam modestiam hæretici pertinacia non tulerit. Itaq; eum delinitum conspiciens Pater per Christū Iesum obtestatur autem patientem commodet: se quidem paratum, si quid ille dignum afferat, libenti animo gratoq; accipere. Colloquuntur aliquantùm, ac bona fide cum cura hîc explicandæ veritatis, alter noscendæ agunt. Denique spiritu Dei tangente cor hominis, breui Lutheranus procacis sectæ erroribus cognitis ad Ecclesiam redit. Et quia celebris inter hæreticos eius antè pertinacia habebatur, valiturumque id plurimùm ad exemplum cæterorum, & suam ipsius constantiam iudicatum est; effecit Christophorus, vt errores coram populo publica in concione damnaret. Alius erat, qui cùm dissimularet se hæreticum esse, ac volumè quoddam suum dilaudans, quod ex locis sacræ Scripturæ ad errorū patrocinium detortis conserтū erat, vendibili eius titulo ad venenum aliis quoque propinandum abuteretur. id vbi cognouit Pater, omnino perdere volumen perditum statuit. Itaque captato tempore, dum vnà simul in multorum corona nobilium, eorumq; Catholicorum essent, intulit sermonem de hæreticis, modesteque & comiter ex dissimulatore quærit quam ipse sequatur sectam: ille continuò volumen suum profert: ex eo intelligi posse quid sentiat. Tum Pater, Quid si isto ego in codice apertè hæreses manifestas deprehendero? nónne æquum est lacerari? Cōtinuoq; vniuersi de circulo excepere, ita profectò æquū esse. Quo consensu hæreticus obsessus ne se proderet, quamuis cunctaretur, & variaret in vultu colores, tandem conditionem accepit. Ac Rodericius quasi per iocum manu illicò in librum iecta incipit pagellas euoluere. Haud multas euoluerat, cùm meros Lutheri errores clara voce ex eo recitat: Catholicisq; dignū interitu librum festiuè dictitantibus ille qua comitate cœperat
144 ibidem lacerat & incendit. Quidam etiam Christiani, qui ad Turcas impiè defecerant, sanctis Christi legibus restituti. Neophytorum item Iudæorum nonnulli, qui in eas oras quò impuniùs ad insaniam reuoluerentur, aufugerant, in suscepta religione confirmati, aliique recèns ad Christi Ecclesiam ab emortua synagoga traducti. Adhæc Græcis, quantum mandata permittebant, vbi opportunitas inuitaret, consultū. Quorum nonnulli ita perspicuè Catholicæ ac Romanæ fidei veritatem, Deo scilicet tenebricosarum mentium dispellente noctē, agnouerunt, vt eos prioris suæ cæcitatis non pœniteret modò, sed & puderet: mirarēturq; quempiam esse, qui res tam claras posset non cernere. Extabat minimè pœnitendum sanè pretium Ægyptiacæ expeditionis ex hac appendicula, quamuis cōsilium princeps ad vota non responderet, cùm diabolus contrà id quoq; breui coortus est. Memphitica illa anus
145 Ioannis Baptistæ mater, vbi Patres Memphi digressos Alexandriæ substitisse cognouit, instigare nunquā Iudæos destitit, quoad consilium iniere omnino Ioanni Baptistæ vel Christum, vel vitam eripiendi. Missis igitur vel litteris, vel administris Alexandriam, doloque structo, & captato tempore, dum vnà Ioannes Baptista, & Alfonsus Brauus ad litus maris inambularent, extemplò turba Maurorum, Turcarum Iudæorumq; circumueniunt eos: & Iudæis indicantibus vtrum vellent, in Ioannē Baptistam manus iniiciunt. Currit ad P. Christophorū rem denunciaturus Alfonsus. Elianū (è cuius epistola vniuersa hæc produntur) in primo illo inopinati casus ictu imminentis alicuius mali formido nonnihil territauit: sed vbi se collegit, fretus conscientia miram omnino consolationem hausit: totaque ea via, qua ductus est Alexandriam, quæ circiter mille passuum fuit, lætus incessit, reputans quod cōmissum in Chri-

Iudæi P. Ioannem Baptistam vexant.

Digitized by Google

ſtum Dominum fuerat, cùm eorumdem Iudæorum ductu eſt captus, ſperanſq; conceſſurũ benignè ſibi, vt pro eius nomine moreretur. Vbi peruenerunt ad iudicem, iam P. Chriſtophorus ab Alfonſo monitus, & plerique Chriſtianorum mercatorum, & Proconſul accurrerant, multiq; ſectarum profanarum confluxerant rei exitum ſpectaturi. Confeſtim Hebræi clamant, hunc eſſe, cuius nomen antè ad ipſum detulerant, qui ſibi trecentos vigintiquinque aureos nummos debeat, vt tabulis, quas proferebant, appareret; quiq; ne debitum exoluat, Iudæus cùm ſit, ſimulet ſeſe Chriſtianum. Ius faſq; ab illo ſe poſcere. Proconſul iuſſo tacere Ioanne Baptiſta, ipſe reſpondet: Quod ipſi Iudæi obiiciunt, falſum eſt. „ Hic enim ſacerdos è noſtris eſt: noſq; omnes ita „ eſſe nouimus. Calumnia intolerãda iſta eſt. Tum „ iudex, vt erat Mahometanus, nec dubiè ab accu„ ſatoribus emptus, Hæc, inquit, accuſatio capita „ habet duo: vnum eſt, hominem iſtum pecuniæ, „ quæ exigitur, debere ſummam: alterum, fuiſſe, „ vel eſſe Iudæum. Si primum eſt verum, æquitas „ poſtulat, vt ſoluat. Sin alterum, noſtra lex tradit, „ ſua quemque, qua natus eſt in lege, adipiſci ſalu„ tem poſſe. Verùm ſi ab ſua deficere velit, ad no„ ſtram tranſire debere: id ſi abnuat, alterũ è duo„ bus reliquum eſſe, vt vel ad legem, ex qua defe„ cit, redeat, vel vt cremetur. Itali ad hæc mercato„ res pernegare eſſe Iudæũ, atq; adeò fuiſſe. Quod
416 cùm vel per inſcitiam rei tum dicerent, vel more
Cura Chriſtianorum in defendendo P. Io. Baptiſta. plerorumque ſine ſcrupulo in talibus locis mentientium, cùm tamen nunquam mentiendũ ſit; vel etiam, quòd cenſerent iudicij totam rationẽ, vt erat, iniquè conſtitutam, tacita interpretatione rem obtegentes: vtcunque ſit, certè ea vox Iudæis adauxit confidentiam, vt vociferarentur, nudandum protinus eſſe, inuenturos ſine præputio. Nec poterat reſiſti, niſi iudici inſuſurratũ eſſet Francos non fore ingratos, ſi quid hac in re ſacerdotis ſui dignitati tribueret, nec nudari per contumeliam ſineret, ſummoq; in præſens iure non ageret. Quare pronũciat die poſtero cogniturum: grauiterq; Iudæis inſtantibus, ne res, quæ momento tranſigi poterat, differretur: denique vt ea ſaltem nocte in cuſtodia apud iudicem haberetur, eo nempe conſilio vt vel interimerent, vel palàm demonſtarent Iudæum fuiſſe; è nobilitate Veneta diues idem & opũ & pietatis Candidus Barbarus quindecim millium aureorum vadimonium promittit Ioannem Baptiſtam ad iudicis voluntatem ſiſtendi. Ea nocte Catholici mercatores reputantes, præ ſua peruerſitate Iudæos, quod contra Ioannẽ Baptiſtã erant exorſi, idem contra alios Chriſtianos poſſe moliri, vexareq; multos, vel de medio, vt libitum foret, tollere, contulere multam varij generis veſtem holoſericam villoſam, & raſo veilere, & damaſcenam pretij ad quingentos aureos, & iudici, quòd fauerat, fauturumq; ſperarẽt, dedêre: tum etiam ſanxere inter ſe, vt nemo è mercatoribus Chriſtianis quidquam negotij cum Hebræis contraheret: quo exempti commercio ſtare illi nõ poterant: eamq; rem Hebræis denunciarunt. Quæ in rabiem potiùs pertinax bipedum genus egit, quàm ab conatu auertit. Quibus die poſtero ad tribunal vociferantibus iudex rem à ſe in Prætorem Memphiticum, qui pro Rege Ægypto toti præeſt, reiecit. Itali repentè certum hominem ad Conſulem legant, vt auctoritate ſua impetũ Iudæorum infringat. Nihilominus trepidè Hebræi ad ſuos, vt accuſationem vrgeant, mittunt. Interim Rodericius Ioannem Baptiſtã confirmabat ad mortem pro Chriſti fide oppetendã, beatum illum ſæpiùs appellans, quòd oblata eſſet occaſio, qua ſperare optabiliorem non poſſet, ſanguinis pro Chriſto Domino, qui ſuo nos redemit, profundendi, dolenſq; occaſionem ſibi talem haud offerri. Nec Ioannes Baptiſta non agnoſcebat beneficium: qui ſingulis diebus incruentum immaculati Agni ſacrificium Deo offerens, læto ac forti animo ad eum ſe diem comparabat, quo & cruentum ſuimet offerret. Verùm Itali mercatores ſua ſponte, inconſultiſq; Patribus, ſi quomodo terrere Iudæos poſſint, hac eos oratione „ 147
aggrediuntur: Vſque eò ne rabies vos occæcauit „ *Chriſtia-*
Iudæi, vt quod in rem veſtram ſit, docendi à no- „ *norũ verba*
bis ſitis? En hominẽ hunc, quem inſectamini ad „ *ad Iudæos*
necem, nos induximus, quemadmodũ lex Tu- „
carum iubet, vt fiat Turca, quid vobis inde ſpei? „
Si Chriſtianus malè vos accepit: veſtros libros „
exuſſit: veſtros fratres Chriſtianos effecit; an nõ „
præuidetis importunitate eum hac veſtra tranſ- „
uerſum actum, & cognitas veſtras habentẽ frau- „
des, iam Turcam multò infeſtiorem fore? Nos „
adurgebimus vniuerſi. Sed eſto: nolit tranſire ad „
Turcas, malitque, vti pars altera legis Turcicæ „
iubet, mori, impune ſperatis id futurũ vobis. Nos „
ſcimus inter vos ingentem numerũ, atque adeò „
multa millia Marranorum ex Luſitania, cæteraq; „
Hiſpania fugitiuorum eſſe, qui orti ex parẽtibus „
Chriſtianis ad iudaiſmum defecerunt: hi profec- „
tò non effugient id, quod noſtrum in ſacerdo- „
tem vos machinamini. Nos accuſabimus eos: „
agentibus nobis vel fient Turcæ, vel cremabun- „
tur ad vnũ omnes. Eadem omnino lex eos tenet, „
idem manet exitus. Quid præterea? Num igno- „
ratis hunc hominem à Romano Pontifice, qui „
omnium quotquot ſunt vbique terrarum Chri- „
ſtiani, eſt caput, has in oras legatũ? Si hunc veſtris „
delationibus tollitis, non tam in eum iniuria, quã „
in Romanũ Pontificẽ cadit, qui miſit: & ſperatis „
id eum, qui tantum poteſt polletq;, diſſimulatu- „
rum? Suum legatũ Iudæorum criminationibus „
circumuentũ, oppreſſum æquo laturum animo? „
Næ vos, qui ſit in ſuos, qui in vos noſtrorũ Ponti- „
ficum animus, ignoratis. Pro certo habetote non „
Romæ modò, inq; ſua ditione trucidaturum Iu- „
dæos, ſed cum Principibus Chriſtianis acturum, „
vt idem ſuis quiſq; in prouinciis agant. Hæc ora- „
tio, vt ad aures accidit Iudæorũ, ſcilicet ad curam
ſui cõuertit. Conſilio habito, ſi qua pateat ad re- 148
ceptum via, circumſpectant. Illud conueniebat, *Iudæi nece*
nullo modo patiendũ, vt Ioannes Baptiſta, quem *Io. Baptiſtæ*
ad eum modũ tractaſſent, in terrã Italiã aliquãdo *moliuntur.*
remearet: iram in Iudæos fratres exprompturũ, magna illis illaturũ damna. Conſilium igitur ineunt, vt quatuor Turcæ grandi pecunia corrupti nomen Ioannis Baptiſtæ deferant, quaſi maledicta audierint in Mahometũ iactantem. Quæ res cùm capite plectatur in Turcarum imperio, omnem Iudæis eximebat curã, ſperantibus ita nec in Italiam rediturum, eiuſque necis inuidiam

auerten-

Digitized by Google

auertendam in Turcas. Hæc itaque ſententia cùm ſtetiſſet, eo ipſo in cœtu trecentos aureos nũmos in accuſatores diſtribuendos cõtulerunt. Quæ fraus exitum haud dubiè habuiſſet, niſi eodem die Hebræus, qui apud iudicẽ erat interpres, & clanculùm ſe benevolũ Francis præbebat, ad Proconſulem & mercatores Italos detuliſſet. Hi cùm & pericula alia ex aliis oriri viderent: &, ſiue pereundum Ioanni Baptiſtæ tandẽ, ſiue nullum impendiis fore modum, primo quoq; tempore in Italiam furtim Patrem dimittere, vnaq; illum, qui vadimonium fecerat, ſtatuerunt. Ita pridie Kalendas Decẽbris, ne ab Iudæis, qui portorij cauſa, quod ipſi exigebant, in omnibus cuſtodiis frequentes erant, agnoſceretur, mercatoris ſumpto habitu, cùm inſuper ad obtegendam faciem, emungendæ naris applicito ſudariolo neceſſitatẽ ſimularet, in nauim, cui Quirina nomen, imponitur. Videbatur defunctus graui periculo, cùm in grauius incidit: haud minùs infidũ ac ferox mare, quàm Iudæos expertus. Sic prorſus, vt olim Paulus Apoſtolus, dum ex eorũdem Iudæorum ægrè vi doliſq; ſeruatus Romam ad Cęſarẽ mitteretur. Quinto poſtquam ſoluerant, die tẽpeſtas exoritur. Quæ cùm moleſtior principio, quàm periculoſior eſſet, ecce tibi in mediis vndis ab igni diſcrimen. Horrenda inter tonitrua & fulgura immani cum fragore excuſſum fulmẽ malum tetigit vnum è mediis: qui igne comprehenſo, vt erat arida materia, repentè maximę inſtar facis vndique ſpargere flammã cœpit. Aceto oleoque, quibus id genus ignis opprimi dicunt, fruſtra iniecto, aliiſq; tentatis remediis, cùm victrix peſtis ſerperet, vnica reſtabat via ſalutis, ſi ardens malus recideretur. At is cùm pro ſua mole nauiſq; vehementi agitatione prout oportebat, commoueri agique non poſſet, periculũ erat, ne, ſi in alueum nauis prolaberetur, omnia incendium inuolueret. Attentare tamen periculoſa remedia coëgit ſuprema neceſſitas: placuitq; miſeranti Deo, vt in mare ardens truncus procideret: vbi totum inter vndas crepitantibus & ſtridentibus flammis pertinax ille vapor abſumpſit. Inde placidus fuit curſus vſque ad horã diei decimam. Tum prævalidus ventus excepit, in Cyprum impellens. Aberat Cyprus ad centum paſſuum millia: per ſeq; eò iam curſum intenderant malum refecturi, quo ſine nauis maximè laborabat. Contractis velis, tamen grauiter venti impetu iactabãtur; metuſq; erat, ne ea nocte ad ipſam inſulam Cyprum nauis alliſa confringeretur, ſi perſeueraret tempeſtas. Itaque altera hora noctis ſiſtendi curſus cõſilio inito, anchora vna iacitur: verùm funis quanquam craſſitudine humanæ tibię quaſi tenue ac fragile ſtamen illicò rumpitur. Deiicitur altera, tertia, quarta: haud ſecùs retinacula abrumpuntur. Inopes itaque conſilij, & vbi locorum eſſent ignari, per tetras tenebras huc illucq; differebãtur, immanemq; concuſſationem faciebat principis mali nutatio, cùm in quã partem ille venti incuſſu vergeret, in eam euerteret propè nauim: mediamq; ne diſcinderet, periculum eſſet. Ergo cùm viſum eſſet deiici oportere, rudentes quibus hinc atque hinc alligatus ſuſtinebatur apex, incidũt: ac repentè ipſo nauis concuſſu diffractus malus in puppim ruens totam conquaſſauit. Inde tolerabiliùs fluctuare nauis: tamen demiſſa bolide ad inſulam magis ac magis applicari ſentiebant ſe. Quare anchoram ſacram (quam Nautæ ſpei appellant) duplo aliis maiorẽ ex anchorali nouo, duplici, craſſiſſimo pendentem iaciunt, vt onerariam ea cõtineat, quoad lux appareat. Aliquamdiu ea fluctuationẽ inhibuit: cùm interim vſque eò graui verbere anchorale ad latera nauis allideretur, vt exiliret ignis: ac neceſſe fuerit aſſiduè aquam iniicere, ne torrefactũ incideretur. Hæſerat in profundo, tenacemque dentem impreſſerat anchora, & retinacula egregiè durabant: tamen ea vi incũmbebat procella, vt propulſa oneraria raptaret anchoram ſecum. Id arare nautæ dicunt, quòd in profundo raptata anchora ſulcum agat. Decima erat circiter hora noctis: plerique tabula, trunco aut cado aliquo arrepto ſupremũ expectabãt caſum. Tum Ioannes Baptiſta propè omnium confeſſiones compendio, vt cogebat neceſſitas, audiuit: nec opus adhortatione erat, cùm cuique mors ante oculos præſens obuerſaretur: iamq; libentiùs, poſtquam erant abſoluti, moriebantur. Diuiſit quoque ſingulis piacularia grana, quibus in ſupremo vitæ articulo debitarum noxis pœnarum venia plenè impetrabatur. Quæ grana, quòd nudi eſſent homines ad enatandum expediti, alij compreſſa tenebãt pugno, alij quo manus quoque minùs impeditas haberẽt, in os ſibi vel in aures inſerebãt. Interim magis ac magis tumebat mare, & tempeſtas inhorreſcebat. Tetra caligo, quæ mutuum omnem eripiebat aſpectum, conduplicabat horrorem; & iacta bolide vadum breuius, & vicinior deprehendebant terram, cùm demum aura tenuis apparet lucis: videntq; ſe nonniſi quinque circiter paſſuum millibus ab Cypro abeſſe. Iam nihil reſtabat, vnde curſus inhiberetur. Itaque paulò pòſt cùm duo rãtùm paſſuum millia diſtarent, repentè iuſta aquæ altitudine deſtituta, vado inhæſit nauis penè euerſa, elato vno, altero ita depreſſo latere, vt ſuprema eius ora aquam ſtringeret. Ea ſic hærente identidem aduoluebantur vndarum montes, quibus ſuperfuſis omnes eluebantur. Nauta peritus & valẽs, tertium ante hoc naufragium perpeſſus, conſolabatur omnes & confirmabat. Atque vt exemplo quoque animos faceret, primum ſe in mare deiecit enataturus ad litus: ſed medio in curſu ante oculos ſpectãtium, ſuumque exitum ex eius fortuna augurantium, demerſus & extinctus eſt. Sub ea duas in partes iam ſciſſa naui, interruptoque à puppi ad proram tranſitu, vndarum impetu in ſalum ſarcinis capſiſque protruſis, quæ paſſim fluit untia nullo iacturæ ſenſu, mali vltimi expectatione attonitis cernebantur, alij multi nautarum enatare conati ſunt: & quibuſdam obrutis, alij terram tenuere. Ioannes Baptiſta ad latus nauis, quod prehenderat, quoad concideret tempeſtas, hærere decreuerat. Sed homine perito fortunatos prædicante primos, quòd mox diſſipata naui ligna, claui, capſæ, ferramenta cuncta & armamẽta vndis iactata incurſura eſſent in homines natantes, eoſque interemptura; mutato conſilio poſitis veſtibus præter induſium, quod ſuccinxit, roſario & ſacra reliquia ad brachium circumuolutis ſe in tabulam proiicit. Vix eam amplexum ſuperinci-

149 *Io. Baptiſta fuga ſeruatur.*

150 *Grauis tempeſtas.*

151 *Naufragiũ.*

152 *Io. Baptiſta magno labore ſeruatur.*

Digitized by Google

dens vnda procul à naui iaculatur. Ex naufragis, perque vndas semiuiuis errantibus ad eam tabulam alius post alium, septem adhæsere, vt ea præ pondere ex aqua non extaret. Huc atque illuc æuum ventis fluctibusque ludibrium iactabantur, modò toti obruti vndis, modò in immensum sublime rapti, indeq; protinus hausti in præceps. Si conarētur Cælitum opem implorare, vel pium quidpiam proferre, salis gurgites opprimebant ora. Cùm ex aduerso horribilis fluctus impingitur; tabulaque subuersa miseros naufragos spe, quæ restabat vnica, erepta, dissipat. Verùm adfuit propitium Numen, vt reprehensa tabula in eam paulatim cuncti renarent. Iam prope litus appulsi ex vicino optatissimę terræ conspectu respirabant. Verùm enimuerò dum saluos tandem sperant sese, omnium maximè atrox ac miserandum discrimen implicuit. Vndarum impetu eiiciebantur in terram, earumdemque magna vi resilientium rursus in altum retrahebantur: & quidam eius ipsius, qua seruati in eum vsque locum tabula fuerant, resultu infracti periere, eidem & vitam & necem debentes. Patrem Ioannē Baptistam toties iam vndæ expulerant, toties ex allisu earum reciprocās æstus resorbuerat, vt præ summa defatigatione desponderet animū: prorsusq; desperās clemētię Dei sese permitteret, cùm iterū eiectum accurrēs homo nunquā ab eo antè nec postea conspectus arripit tenetque. Eo subsidio euadit in aridā: deosculatur: ac sublatis in cælum oculis auctori ac domino vitæ gratias agit. Mox cùm solo in litore, exanimis & cruentatus plagis in misera illa prehendendæ terræ luctatione acceptis iaceret, ad pastorum mapale haud inde procul deducitur. Conuenit eōdem naufragorum aliquantum, luculentoq; igni succenso non nihil recreantur. Miserrimum erat spectaculum turbam nudorum hominum intueri; quorum magnas fortunas hauserat mare, se tamen solantium, quòd vita superstes esset. Illud planè miraculum accidit. Hebræus adolescens annorum octodecim nandi imperitus, cùm cæteros passim videret in mare desilientes, atque eo pacto multos euadere, ipse quoque desilit nullo siue tabulæ, siue alio adminiculo suffultus: quare in profundum abiit: sed fortè pendulo in aquam è naui rudēte correpto per eum emersit in nauim flens incertusque consilij. Quem homo Christianus cùm videret (ipsummet Ioannē Baptistam fuisse constans opinio est: alioqui, dum ille rem narrat, vel nominasset hominem, vel pluribus descripsisset) porrecta cruce, Accipe, inquit, hanc crucem, nec sinas tibi euelli è manibus: Deoq; spondе, si ex hoc periculo sospes euaseris, baptismum te suscepturum: pro certo ego tibi confirmo te compotem voti fore. Adolescens vltimi terrore discriminis, seu potiùs benignitate Numinis per illas miserias miserentis commotus suscepit crucem: promisit se fore Christianum: deiecit in mare: in litore celerrimè fuit. Ac Ioanni Baptistæ quærenti quemadmodum enatasset, respondit se quidem haud scire: sed visum sibi donec in terram perueniret, quasi à quopiam sustentatum. Qui solenni ritu paulò pòst Nicosiæ in Cypro baptismate impertitus à Ioanne Baptista, multosque postea annos ab eo rebus omnibus sublenatus, vitam Christiano homine dignam egit. Cæterùm cùm perpetui imbres turbinesq; ventorum non sinerent miseros naufragos aduicina oppida perfugere, quidam à Papho, quòd inaudierant nobiles Venetos in fracta naui fuisse, cum aliqua vestimentorum copia & ciborum venere. Ioanni Baptistæ indusium traditur, eo & ad litus reperta lodicula se inuoluens, quanquam capite erat nudo, recreatus nonnihil est. Tertio die Hieronymus Malipierius, qui Papho dux præerat, mitiore iam cælo afflictam turbam inuisit: & nomina interrogans, & conditionem cuiusque, vbi audiuit ex Ioanne Baptista sacerdotem esse de Societate Iesu, Itane, inquit, ex ea benedicta Societate es? Nosti Benedictum Palmium tam insignem virum? cùm affirmasset: Eius, inquit, causa volo domum meam venias. Eum intrem conspicatus miles; lodiculaque super induso linteo obuolutum capite, & pedibus nudum miseratus, præsertim quòd audisset sacerdotem esse, viridis coloris femoralibus donat: quæ cùm continentia tibialia ex more ea tempestate vsitato, iam ferè abolito, haberent, magno beneficio vsuiq; fuere: tametsi tibialibus ob breuitatē resectis genua nuda extarent. Paphum vbi peruenit, humaniter ab Hieronymo tractatur. Tunicam è suis pelliceam, crepidas, & rotundum in Venetorum morem galerum largitur. Sed nihil sedulo sacerdoti prius ac potius fuit, quàm templum adire, & præparato per sacram homologesim animo, sacrosanctæ Triadi diuinum agnum ob sospitatem in Eucharistiam facere: qua pietate hospes est delectatus. Mox & sacerdotalium precum Breuiario fortè reperto inter libros, quos iussus est recognoscere, & ab damnatis secernere, ingentique suo gaudio donatus; Natalitia Domini solennia nunquam ab iuuandis, qua posset ope, mortalibus cessans, exegit. Sub ea, quòd traiiciendi in Italiam facultas nulla Paphi erat, Nicosiam progressum Andreas Stanga Archiepiscopi Vicarius perbenignè excepit. Recentem hîc Emmanuelis Gomij à Monte Maiore famam reperit. Post aliquot dies, quibus singulis ad sanctæ Sophiæ Sacrum fecerat, æduituus stipem pro numero sacrificiorum offert: quæ cùm respueretur, quòd Societati pro ea re nihil emolumenti capere fas sit, Accipe, inquit, non id à me mercedis, sed eleëmosynæ datur nomine, vt sit vnde aliquid tibi vestimenti pares. Cui Pater gratiis actis, Si quid opus fuerit, emendicabo, inquit, & spes est Christum Iesum benignè, quidquid opus fuerit, prębiturum. Admiratus est viri abstinentiam æduituus, & Ioannes Baptista quantó suæ disciplinæ tenacior, minusque de se solicitus esse studuit, tanto, vti sperarat, promptiorem Christi benignitatem expertus est. Nam & sua sponte Vicarius decoro vestitu induit, & literas subinde à Pontifice accepit, vt liberaliter omnia suppeditaret, si quis è Patribus à se in Ægyptum legatis eò fortè appulisset. Qua in re prouidam Dei caritatē multùm miratus est Ioanues Baptista, vnde in mentem venisset Beatissimo Patri in Cyprum scribere, cùm nec ad eam insulam cursus sibi fuisset, nec dum naufragium cognoscere à quopiam potuisset. Vetùm Pontifex simulatione Abrahami, & pertinacia

153 *Iudæus adolescens mirabiliter seruatur.*

154 *Ioannes Baptista pietati benignitate recreatur.*

155 *Nicosiam peruenit, inde in Italiā.*

156

tinacia Patriarchæ cognita satis Apostolico factũ ratus officio ad Christophorum scripserat, vt vnà cum sociis in Italiam rediret: simulque in Cyprum eas, quas dixi, litteras paternæ suæ prouidentiæ pignus dederat. Christophorus quidem accepto iussu Pontificis secundo cursu Venetias, inde Romam ante Ioannem Baptistam attigit. Is verò è centum aureis nummis, quos Vicarius illico protulit, quinque & viginti dumtaxat sumptis, circa Pascha anni insequentis Venetias tenuit. Atq; is Ægyptiacæ expeditionis exitus fuit.

157 *Ouiedi & Sociorum inter Abassines pericula & erumnæ.*

Calamitatum interim haud paulò plus in Æthiopia, siue inter Abassinos, siue in regno Tongensi inter Cafres exhaustum. Inter Abassinos cùm Andream Episcopum vnà cum sociis Adamas Rex quocunque vel fugeret, vel insequeretur coniuratos, secum veluti captiuos traheret, ad cætera incommoda & pericula, eamdem illi subibant belli aleam, quàm Rex. Isaacum Barnagazium cum Zomore Turcarum Præfecto iniisse contra Adamantem fœdus suprà memoraui. Zomor aliquot bombardas aduexit: atque huius anni duodecimo Kalendas Maias cùm hinc Regis, inde coniuratorum ad confligendum admouerentur acies, Adamas bombardarum dumtaxat nomine ac specie territus arripuit fugam: in eaque titulum regni ægrè sustinens, assiduum inter pauorem loca assiduè mutans vagabatur. Patres antè sæpè à furibus spoliati, nunc demum quamuis non inuiti in Barnagazij venissent manus, ita tamen exuti sunt à prædatoribus, vt reliquum omnino factum sit nihil. Itaque vix aliquid tostæ orizæ ad victum (quodque grauiùs cruciabat) ne vinum quidem ad diuinum sacrificium, quo solarentur ærumnas, suppetebat. Sed illud mirum fuit. Regio exercitu profligato cùm Episcopus positis aperto in loco humi genibus supplex cum Deo ageret, circumuolitantes (qua & victores, & Barbari ferocia solent) Turcæ sanctum virum vel occæcati, vel aliter præstricti diuinitus, tanquam non viderent, sine noxa præteriere. Addit Emmanuel Georgius Lusitanus, qui sancto Præsuli comes aderat, eum secundùm preces conscensa mula intendisse iter ad Lusitanos: sed eunti obuiàm factum ex coniuratis cum Turca trucem Abassinum, & iussisse minaciter è mula descendere: cum autem alacriter paruisset: & tradita Abassino mula iter suum animo perpacato pedibus persecutum. Cæterùm minimè lætam fuisse raptori prædam. Haud pòst multò apparuisse cum mula, eamque dum redderet, ad sacri Præsulis genua flebili voce prostratum, veniam rogasse. Namque vt domum redierit, vxorem ac duos liberos, qui rectè valebant, continuò periisse: quod in sceleris sui vindictam minimè dubitaret factum: proinde etiam atque etiam orare & obsecrare, vt iratum sibi Deum placare precibus suis ipse sanctus Antistes vellet, ne & ipse moreretur. Quod cùm libenter facturum Andreas recepisset, ex eo tempore Abassinum nunquam colere eum, stipe etiam identidem missitanda, destitisse.

158 *Andreæ Fernandij inter Cafres extremapatientia.*

Inter Cafres vnus iam reliquus erat Andreas Fernandius apud Regem Tongensem, vti suprà demonstratum est à Martyre Consaluo relictus vnà cum Andrea Açosta. Sed hoc (cùm Æthiopi-

ci grauitatem cæli non ferret, in Indiam remisso, Fernãdius, vt omnia experiretur, in statione permansit: quamuis vita inter assidua discrimina nihil à continenti longaq; morte distaret. Quippe adeò simul inhumana & barbara erat gens, vt cuiusuis increpationis impatiens, si quid duriùs loquerere, veneno, ferro, igne vlcisceretur: adeò simul pingui peruersoque ingenio, vt veneficas diuinationes superstitionesq; dedoceri non possent. Itaque cùm sæpè Andreas Regis populiq; peccata & superstitiones increparet, non semel infestis petitus est armis. Nec tamen ille vnquam metu absterritus est, quo minùs errores eorum palàm grauiterque coargueret. Hoc ab Rege expressit, vt fateretur re vera sibi imbrium potestatem non esse. Etenim hæc summa habetur Regis vis ac potestas, posse (quam vni sibi cæli terræque Deus gloriam reseruauit) pluuiam præbere agris, vel negare pro arbitratu. Quæ stulta opinio ita rudis populi infixa est animo, vt ad terrorẽ nullas habeat Rex grauiores minas, quàm si subtractu-

159 *Stulta arrogantia Regis Tongensis.*

rum se tempestiuos imbres denunciet. Huius igitur vanæ potestatis ab Rege confessionẽ coram publicis testibus Andreas expressit. Ex qua re magnum apud Songos (ita suos nominãt sapientes) nomen inuenit: & magorum habebatur maximus, & putabatur posse futura prædicere. Magnam etiam ei principio venerationem conciliabat canities, cùm apud eos nec ante centesimum annum cani ferè in quopiam cernantur; nec ad id vitæ spatium nisi admodum pauci pertingant. Itaque cùm & validis pollentem viribus, & pulchra conspersum canitie Patrem cernerent, annosum vltra modum existimantes, non naturali vi, sed magicis artibus vitam sibi vimque propagare eum credebant. Cæterùm Rex, qui auidè primò Christiana arripuerat sacra, vt ad obseruanda præcepta ventum est, in odiosam corruptæ naturæ, vitiisq; inolitis difficultatem incurrens, animo sensim alieniore, tandem vetuit sanctam doctrinam ampliùs promulgari. Inde perpauca aliis, nihil omnino Rege subministrante ad victum inter multas ærumnas corporis, nulla grauiùs bonum Andream vexabat, quàm fames. Ea re, & angore insuper animi, quòd tam parum de salute æterna solicita gens esset, totq; contra diuinam maiestatẽ patraret scelera; breui deformata est canities, & robur ita omne elanguit, vt pedibus peragrè insisteret. Solus ergo in medio nationis prauæ plus anno cùm egisset, nec vllum extaret aut speraretur pretium operæ, sed certa multis modis immineret mors, neque ea tam religionis odio, quàm stolida barbarie Cafrum; consultũ existimauit (vti habebat in mandatis) referre se in Indiam, edocturus de rerum statu coràm Patres. Restabat adhuc de Manomotapiis spes eo probabilior, quo Consaluus adfore sperabatur è cælo, & id solum, quod cruore tigarat suo, & triumphum vnde messuerat, cæleste rore fœcũdaturus. Hac spe initio anni Antonius Quadrius duos sacerdotes Petrum Touarem & Ludouicum Goëm ex India Mozambicũ, transmissuros inde ad Manomotapios destinauit. Cæterùm, siue quòd morte Consalui animo Regis palã facto, metus esset, ne hæc profectio cõmerciis negotiatorũ officeret, siue quòd nullum inde

160 *Manomotapia expeditio rursus tentatur.*

priua-

Digitized by Google

priuatum lucrum sperarent ipsi, siue quam aliam ob causam, ad quos maximè spectabat traiectionem expedire, ii omnino intercluserunt. Ita ad regnum quoque Inhambanis, seu Tongis, & ad Manomotapam susceptа tertio antè anno ingenti cum spe expeditio propè cassa rediit.

Dum autem Petrus Touar & Ludouicus Goës conducto Mozambici diuersoriolo transmissionem ad regnum Manomotapæ sedulò curant, è Lusitania appulit classis, in caq; quos suprà dixi, octo de Societate incolumes peruehuntur. Quibus magno vtrimque gaudio ad diuersoriolum idem adductis, quanquam inter angustias speciem iam mediocris Collegij referebant; cùm ex Inhambanis regno Andreas quoque Fernandius adfuit macie miserandum in modum consumptus, collapsis genis, oculis introactis, tabido similior cadaueri, quàm spiranti homini. Ita affectum Socij vbi videre, valdè commiserati, quò posset nauigationem Indicam peragere, recreandum aliquantum curarunt. Mox vnà vndecim numero, sacerdotes sex, quinque laici, cursum in Indiam susceperunt, Andrea Fernandio in Reginam, Petro & Ludouico in S. Martini nauim acceptis. Octauo Idus Augusti cursu repetito ad consuetas curas in vectorum, turbæq; nauticæ adiumentum, addidere etiam alienorum à Christo, qui multi aduehebantur, institutionem. Et P. Vincentius Tonda die S. Laurentij circiter octoginta, Ferdinandus Acunia die Assumptæ Virginis circiter centum partim Cafres Mozambici emptos, partim Mahometanos Ecclesiæ sanctæ per baptismum genuere. Non multi progressi erant dies, cùm vulgari cœpti sunt morbi exercendæ Patribus caritatis quæstuosa palæstra. Pessimè agebatur cum ea naui, quam Tigrim vocabant. Quòd, cùm sacerdos, quē Olisippone mercenarium aduexerant, Mozambici substitisset, qui morientium expiaret, Deoque commendaret animos, haud quisquam erat. Hac re aliis in nauibus, quòd scaphæ vltrò citroque commeabant, cognita, certatim eam sibi prouinciam deposcere cœperunt Patres. Sebastianus in primis Consaluius, ac Vincentius Salernitanus cum suo nauarcho, vt potestatem faceret eò transeundi, plurimùm contenderunt. Et quidem vir erat nauarchus optimus: verùm quanquam & suum habebat sacerdotem, & alius de Societate remanebat, tamen in ea necessitate nolebat tali subsidio priuari suos. Palàm verò valdè id prætendebat, quòd præter mācipia vectoribus ampliùs octingentis conferta Tigri, rebus indigente omnibus, & ampliùs trecētis iacentibus ad certam pestem pergerent; tamen cùm seriò totam rem in eius cōscientiam Sebastianus reiecisset, abeundi potestatem fecit. Ire parantibus Iudęus haud malus homo ad Vincentium conuersus, Quid eò itis, inquit, vbi ne ad cubandum quidem locus patebit? At Vincentius, Qui norunt, inquit, Christum Iesum in angustissima cruce ipsorum causa cubile sibi optasse, de suo cubili, vbi de eius agitur gloria, non laborant. Quæ vox Iudæum rubore impleuit. Et sanè mirus tota in nauigatione fuit huius fratris ardor, in eo præcipuè, vt ne qua esset famæ dubiæ palàm in naui femina, & libros impudicos è manibus habentium amoueret. Quotquot potuit inuolare, proiecit in mare. De mulierculis duabus cùm resciisset, nunquam abstitit clamoribus, quoadusque arcta custodia inclusit. Vt verò sineretur in Tigrim transcendere, flexis coràm genibus, iunctisque manibus ex nauarcho rogabat. Sed is dum commeatum lento concedit, Ludouicus & Antonius Fernandius ex naui S. Martino transgressi præoccupauere laborum messem. Hæc inter sancta officia pridie Nonas Septembres Goam appulere. Ibi iam præparato in nosocomio sex Goani Socij aduehi solitos ægros præstolabantur. Sed tantus ægrorum fuit numerus, vt Sociorum quoque geminandus numerus fuerit. Ad hæc & alia in nosocomio Collegij consueta dudum officia, noua calamitas caritatis præter solitum depromēdæ nouum Goę campum aperuit. Per incuriam pueri Goana turris, in qua regium tormentarij puluueris horreum erat, igne concepto repentè cum horribili fragore disrupta est tanto cum impetu, vt lapides dissultantes ad forum vsque frumentarium, vbi ingens semper frequentia est, eiecti stragem miserandam ediderint. Continuò è Collegio Socij, tanquam in quibusdam caritatis excubiis intenti agerent, accurrerunt. Triste omnino spectaculum. Pars sepulti ruina, quidam saxis tigniſque penitus oppressi: aliis crura, brachia, humeri, caput, aliaue pars corporis miserè infracta & attrita. Hæc vbi species miserationem exacuit, miseratio industriam, protinus eruere rudera, amoliri saxa & tigna; cursare ad morientes, hortari ad dolorem peccatorum & confessionem Christianos, ad baptismum Ethnicos, quorum fortè pars longè maxima erat. saucios in nosocomium Collegij deportare. Multis tempestiuo auxilio vita reseruata: multi inter vltimum spiritum per sanctum baptismum vitæ geniti immortali. Quique in nosocomio curati propè omnes sedulitate officiorum deliniti religionem Christianam, in qua pietas vigeret tanta, libenter amplexi sunt. Præter hos alios que, qui suis in paroeciis conscripti, supra sexcentos hoc anno in Collegij templo donati baptismate, prouentus per se non modicus, verùm pro annorum proximorum vbertate sanè angustus. Inter hos virgo nobilis fuit iam Mealis filio destinata sponsa, duoque Brachmanes insignes. Quæque est æterni Patris immēsa pietas, nunquam destitit his quasi tenellis filiis mirabilium beneficiorū lacte blandiri. In Ciorano insula neophytus paterfamilias mœstissimus agitabat, quòd liberos ei omnes interimebant pustulæ: verùm cùm eius domum, ipso rogante, sacerdos de Societate aqua lustrali expiasset, non modò non extincti sunt, qui tum grauissimè laborabant pueri, verùm etiam sanitati subitò restituti.

In Collegio Goano Patriarcha Nunnius diem supremum obiit. Affulserat nonnulla spes à Prorege Æthiopicæ profectionis. Qua mo. collapsa, Præsul optimus nomine quidem, vt recrearet aliquantisper animum molestiis curisq; confectum, re autem vera, vt per otium intenta corporis vexatione, precibusque productis rem totam cum Deo transigeret, in Cioranum secessit. Inde Goam reportatus æger post diuinissimum Viaticum, & supremam ab Episcopo Carnerio

Vnctio-

161 *Sociorum nauigantium in Indiam feruor.*

162 *Magna calamitati Goæ succursum.*

163 *Lustralis aquæ vis.*

164 *Nunnij Patriarchæ sancta mors, & vita breuiarium.*

Digitized by Google

Vnctionem susceptam cunctis præsentibus, in precesq; effusis domesticis inter dulcissima cum Deo Christoque Domino colloquia hora noctis octaua decimo Kalendas Ianuarias ad beatam æternitatem protinus migrauit. Ita quidem credidere omnes, recensque cadaueri superfusus vigor & splendor affirmauit. Magnificis postero die exequijs Archiepiscopus, Prorex, Religiosi Ordines, Clerus & cuncta nobilitas cohonestarunt. Quod vitæ genus sexennio, dum in Goano Collegio traiectionem in Æthiopiam expectat, tenuerit (quanquam alibi indicatum est) tamen hoc loco decere puto Ludouici Froïs epistolæ
65 » caput adscribere: In altera, inquit, epistola nul-
» lam feci mentionem de Patriarcha Æthiopiæ,
» qui adhuc apud nos, postquam è Lusitania ve-
» nit, versatur. Nimirum rectè nostram necessita-
» tem norat Deus; quantumque omnibus auxilij
» & solatij tantus vir allaturus sua præsentia esset.
» Eius enim vitæ & consuetudinis ratio exemplum
» est sanctitatis & perfectionis Apostolicæ. Ita vi-
» tæ temporisque momenta dispensat, vt digna ad-
» miratione res sit. Magnam diei noctisque partem
» in consueta sibi rerum diuinarum contempla-
» tione consumit. Annum iam quartum Sociorum
» audit confessiones: cumque frequens accurrit ad
» hoc sanctum mysterium multitudo in templo, vt
» in Quadragesima, iobelæis, festisque præcipuis,
» ipse inter primos ad subsellium accedit, recedit-
» que inter postremos. Frequens habet domi so-
» lennes sexta feria exhortationes: singulis diebus
» certum habet spatium, quo cum ægrotis in vale-
» tudinario sit ad eos solandos. Nihil omnino exi-
» mium & singulare patitur in suo victu, vestitu,
» cubiculo; imò rebus in omnibus se infimum præ-
» ber. Ad signa; quæ statis horis tintinnabulo
» eduntur, tam est diligens, quàm qui studiosè id
» agunt, vt in hoc genere obedientiæ excellant. In
» concessis à mensa remissionibus pios semper in-
» ducit sermones, qui magno incitamento omni-
» bus & adiumento sunt. Moderatorum Collegij,
» Patrum, itemque Fratrum cæterorum nemo ma-
» gis obseruans. Sæpè Ministri Subministrique in
» rebus adeò minimis iussum requirit, vt quiuis è
» numero eas absque scrupulo iniussu faceret. Pla-
» ceat Domino nostro pro sua bonitate explere
» vota, quæ tam habet inflammata eius honoris &
» gloriæ; plurimumque pro sanctissimo eius amo-
» re & nomine inter destinatas suæ custodiæ oues
» patiendi. Hactenus Ludouicus. Quid verò ani-
mi erga Societatem gereret, clausula epistolæ,
» quam ipsemet ad Lainium scripsit, ostendit. Reli-
» quum est, inquit, vt vestra Paternitas nos iubeat
» commendari Deo, vt ad rem, quæ in tantum di-
» uinæ eius maiestatis obsequium cedit, intertur-
» bandam ne velit Satanæ potestatem esse, placa-
» tus infinito pretio sacrificiorum vestræ Paterni-
» tatis, ac cæterorum Patrum carissimorum Socie-
» tatis: cui equidem tam intimus sum (quamuis
» hac in dignitate vsque eò præter merita, & pro-
» pensionem meam constitutus) vt, si Deus mea-
» rum noxarum merito non permitteret me ad
» ærumnas pro eius amore in Æthiopia tolerandas
» ire, pergratum haberem, si vestra Paternitas im-
» petraret à Pontifice potestatem huius deponen-
» dæ personæ: meque, quoad vita suppeditaret, in-
hoc, seu quouis alio Societatis Collegio coquum
» perpetuò iuberet agere. Speramus quidem quo-
» ad Deus cœpit, effecturum: tamen, si secùs eue-
» niret, rogo Paternitatem vestram, vt hac mecum
» insigni caritate vtatur, hoc me onere tam graui
» leuet: eique, quod dicebã, addicat muneri: quod
» erit multò mihi tutius, multoque iis, quæ pro sce-
» leribus meis promeritus sum, congruentius. Ne-
» que verò se aliter ac scripserat affectum ipsa re
significabat, cùm in culinæ vilibus ministeriis,
vel in euerrendo suo cubiculo, vel in resarcienda
veste, talibusq; laboribus tãtus Patriarcha humi-
litatis & paupertatis Religiosæ studio frequenter
manum & industriam exerceret. Planè vt osten-
deret titulos & insignia honoris haud quaquam
se nisi ad augendam virtutis exercitationem sus-
cepisse, Sapientis præcepto parens, *Quãto magnus* Eccli.3.
es, humilia te in omnibus. Et quemadmodum pri-
mus è Societate nobiles insulas adactus erat
gerere, ita relinqueret formam, si qua vnquam
postea talis necessitas incideret, quales oporte-
ret esse, qui ex hac disciplina ad lucem honorum
producerentur. Patriarchæ Nunnij morte in eius
locum è duobus à Pontifice designatis Episcopis
successit Andreas Ouiedus, qui ipsa in Æthiopia
ea tempestate (sicuti nuper memoratum est) in-
ter extrema ærumnarum atque discriminum æ-
tatem trahebat.

Initio anni tentata est in Socotoram insulam 166
expeditio. Primis illa B. Xauerij in eo terrarum *Socotoræ missio.*
tractu dignata laboribus, semper & ipsi deinceps
Xauerio, & Patribus cæteris curæ fuerat. Sacer-
dotes duo missi Ioannes Lopius, & Gaspar Coël-
lius. Vota ac cœpta optima successus fefellit. Io-
annes paucis, postquam venisset, diebus subla-
tus è numero mortalium est: Gaspar variis cum
ærumnis conflictatus, cùm solum haud dum ad
sementem aptum reperisset, anno insequenti re-
uocatus est Goam.

Bazaini res florebant. Franciscus eò Capralis,
qui præesset missus, sede Tanaënsi etiam ei Col-
legio subiecta. Trecenti hoc anno ibi ad fidem
adiuncti; ad quam certatim iam populus accur-
rebat, apparatu maximè ac splendore baptismo-
rum illectus.

Molucarum Ecclesiæ Henrici Sà regij Præfe- 167
cti, & quinque nostrorum sacerdotum aduentu *Molucenses res.*
respirare hoc anno cœperunt. Magnis semper
tumultibus obnoxiæ illæ fuerunt insulæ, non
tam gentis ingenio, quàm vitiis aduenarum, Ma-
hometanorum quidem in primis, cæterùm ma-
gna ex parte etiam Christianorum: qui ex distan-
tia & longinquitate ab India, totoque cultiore
orbe licentiam adepti, posthabito suarum alie-
narumue animarum dispendio, in temporaria
lucra, eamque ob rem in diuexandos indigenas
omnibus intendebant curis. Regiorum Præfe-
ctorum multi, nec quantum erat opus continere
alios, neque ipsi se poterant. Ad hæc Euangeli-
corum præconum inopia summa erat. Mortuo
priore anno P. Francisco Viera, vnus dumtaxat
erat reliquus toto in eo tractu de nostris sacer-
dos Nicolaus Nunnius, cum duobus comitibus
Balthasare Arausio, & Ferdinando Osorio, qui
Ternate plurimùm occupati, sparsis per Amboi-
num, Baccianum, insulas Mauri, aliasque terras

Digitized by Google

Christianis, nullam nisi lacrymis, sublatisque ad Deum clamoribus ferre opem poterant. At Mahometani ex bello, quod cum Ternatino Rege anno millesimo quingentesimo quinquagesimoseptimo ab Odoardo susceptum prodidimus, & nunquam bonâ fide quieuit, occasione arrepta ad neophytos ab Dei regno ad fœdam Mahometi seruitutem abducendos ope omni connitebantur. Burri vetus & feruens Ecclesia ad vnum dumtaxat caput reciderat. In Mauri insulis aliquot iam annis nullus fuerat cultor. In Amboino missus ab Ternatino Rege dux nomine Liliatus totos pagos metu adigebat abiurare Christum. Conficiebatur hæc audientes, partim etiam spectantes Nunnius, & Socij, atque ab Deo primùm summis votis, dein etiam ab India subsidium opperiebantur; & flagitabant; cùm felici nauigatione sub huius initium anni Marcus Prancudus, Petrus Mascarenia, Ferdinandus Aluarius, Franciscus Viera (qui mox alio cognomine, ad Vieræ opinor mortui discrimen, Rodericius vocitari cœpit) Iacobus Magallianes, & Emmanuel Lopius (is nondum sacris initiatus erat) vnà cum Henrico Sà regio Præfecto in Amboinum venerunt. Ibi non Liliatus modò cuncta quartum iam annum, sed (quod multò detestandum est magis) Christiani ipsi, iis professi se militare, à quibus stipendio vberiore conducerentur, habebant infesta: interque eos quidam Antonius Hercules impius diui Augustini desertor Ordinis cum germano fratre Mahometanorum fouebat partes, neophytos per summam crudelitatem vel Mahometanis diuendens, vel copiolis & ipsa vita expolians. Qui ambo ab Lusitanis deinde interfecti, post mortem adeò deformi, tetro, demum horrifico conspecti sunt ore, vt omnes quædam pestiferi animi vestigia in fœditate cadauerum notarent. Sed quoniam magni momenti est vel vnus constans & cordatus vir, Attiuæ (quod est satis frequens Amboini oppidum) Emmanuel erat primarius, olim à B. Xauerio Christianis imbutus disciplinis & moribus: ipsum Patrem per agros vicosque eius insulæ solitus comitari puer, & operam egregiam præbere in promulgando catechismo. Is & sua in patria, & aliquot præterea in pagis Christi reliquias vnus sustinuit. Cumque non à Mauris solùm, sed ab suo etiam consanguineo, cui nomen erat Antonius, duobusq; peregrinis militibus ab eo conductis, admotis ad iugulum sclopetis peteretur ad necem; crucem vicinam apprehendens, in eiusque se complexu moriturum dicens, quòd ita edocuisset Xauerius, animis sicariorum propè miraculo infractis, euasit. At vbi adesse Lusitanorum naues ab India & Patres accepit, lætitia plenus accurrit. Henricus ex eo aliisque Christianis Amboinensium rerum statu cognito, ad easque componendas cura adiecta, Raiputem comprehendit. Is frequenti pago (cui nomen Recaniues) præerat: postque fractas cruces, & Christianos omni diritate vexatos, eò venerat contumaciæ, vt Regem se nominaret. Eo comprehenso Prætor rumorem dissipauit, se eius facinora & rapinas supremo supplicio vlturum. Quæ res tantum homini metum iniecit, vt petierit, antequam moreretur, expiari baptismo, fortè vt ea re ad condonandam sibi vitam Henrici animum flecteret: multisque diebus, quo ad metus in veram animi præparationem cederet, dilatare, tandem voti compos est factus, & pro simplice quam metuebat, morte, duplici donatus est vita. Continuò Recaniuenses quoque mille & quingenta circiter capita ad Ecclesiam adiuncti, pagique eorum ditioni circà subiecti. quo non solùm Christianæ auctæ vires, verùm etiam imminutæ Mahometanæ: cùm hi ipsi, qui antea valdè erant neophytis infesti, post susceptum baptismum nec iuuare, neque excipere Ternatinum Præfectum voluerint. Recaniue Prancudus Mahometanorum fanum, & pagodum Ethnicorum euertit: postque maximam populi partem die Annunciationi Deiparæ sacro Christianis initiis aspersam, ingentem crucem erexit magna cum veneratione & lætitia populi: cuius inter adorandum voces exaudiebantur, vitam sibi potiùs, quàm fidem posthac vnquam extortum iri. Ratiputi, cui nomen Antonius Abreus, ab Lusitano rei maritimæ per eas oras Præfecto, impositum, vitâ ita concessa est, vt ipse Antoniusque Emmanuelis consanguineus, & alius quidam primarius Bauta nomine Goam vincti amandarentur. Rebus in Amboino ad hunc modum compositis Henricus Ternatem contendit, vnaque cum eo, præter Franciscum Rodericium, & Iacobum Magallianem, qui excolendis relicti Amboiniis, cæteri Patres. Ad tres menses in præsidiariorum Lusitanorum cultura, & cognoscendis regionibus vnà omnes Ternate manserunt. Tertio dein die Pentecostes instauratis de Societatis more votis, seque inuicem ad strenuè agendum exhortati ad opus egressi sunt sanè feliciter. Nam anni spatio ad decem hominum millia sacro baptismate expiarunt. Prancudus Rector cum Emmanuele Gomio & Nicolao Nunnio regionum perito ad insulas Mauri, Ferdinandus Aluarius cum Ferdinando Osorio item perito locorum & gentis ad Baccianum profecti. Extulere manus ad cælum Mauricarum insularum incolæ, vbi quarto tandem post anno viderunt Patres. Quòd apud eos quoque omnia tumultibus bellicis inquieta erant, miserat simul cohortem militum Henricus, qui & sedarent tumultus, & Mahometanorum iniurias à neophytis defenderent. Sed ita apud eas gentes auctoritas militaris conciderat, vt protinus cuncti dixerint frustra tentari rem armis. Omnia, quæ censerent Patres, se vltrò facturos. Idipsum Mahometani petebant. Ita sine ferro transacta res est. Tanto etiam apud Barbaros bonitatis opinio plus quàm timor armorum valet. At in oppido, cui nomen Galele, cùm Christianos Mahometani potentiores vexarent, ideoque abducere eos Præfectus, & transferre in pacatiorem regionem cogitaret; Tioliza inter Mahometanos princeps cum magno suorum comitatu Præfectũ adiens, Quid opus est, inquit, Christianos secernere, vbi cupimus omnes Christiani esse? Et ad suos conuersus, Necessaria est, inquit, ad salutẽ æternam Christianorum lex. Agite, quibus consilium est eam sequi, discedite in hanc partem. Cumque omnes concessissent, addit. Videte quid suscipiatis: nequaquam metu subeundus est baptismus,

168 *Patres in Moluccas submissi.*

169 *Emmanuelis Attuensis feruor.*

170

171

172 *Amplificatio Christiani populi in Moluccis.*

173

Digitized by Google

„ſmus, neque vlla cauſa niſi perſuaſione certa,
„quòd nulla præterea pateat ad ſalutem via. Libe-
„ri eſtis, libera vobis eſt optio. Id modò ſcitote, ſi
„qui poſtea vel facultates amittendi, vel ſuppli-
„ciorum ac mortis formidine fidem prodat, eum
„capite perfidiam luiturum. Ad hæc cùm omnes conſenſu proclamaſſent, vltrò ſe, & vſque ad ſupremum ſpiritum fore Chriſtianos, Tioliza, cæteriſque primores ingenti cum Præfecti Patrumque lætitia ſacro fonte luſtrati ſunt. In cæteris pagis, qui ſunt ad triginta ſex, præter adultos, citra tertium annum infantes propè mille in Chriſti gregem adſcripti. Tantaque voluntate ad beatum Domini ouile confugiebant populi, vt infantes in vlnis geſtantes parentes ab longo ſpatio ad maritimam oram, quam Patres percurrebant, ex interiore plaga prodirent, ibidemque, quoad voti compotes fierent, vnaque cum paruulis liberis Chriſtiano charactere conſignarentur, cætera inter incommoda ſub dio pernoctarent. Francudus vniuerſo eo tractu raptim peragrato, ad aliarum Eccleſiarum componendas res Ternatem rediit: iiſque breui compoſitis, ad Mauricas iterum nauigauit, per otium multa, quæ antè cognouerat cura egere, pertractaturus. Sed vix opus aggreſſus, puerorum amplius ducentis baptizatis, præ laborum mole in morbum prolapſus, haud leuiùs à remedio, quàm à morbo periclitatus eſt, comitibus per inopiam chirurgorum, venam aperire inſcitè conatis. Sed reportato Ternatem Deo placuit in tanta animarum neceſſitate ſtrenuo operario prorogare vitam, ac redintegrare ad laborandum vires. In Bacciano interim Ferdinandus Aluarius non alia magis re, quàm vitæ ſanctimonia, cognitaque conſtantia fructus vberes progignebat: adeò vt quidam Cacizij, quos Regis mater adhuc Mahometana habebat in familia, omnem ſibi exiſtimationem ereptam comparatione eius conquerentes, oculos hominum peroſi, relicta Regina ſponte aufugerint. Trecentos ad Chriſtianorum adiecit numerum: in quibus & duos Ioannis Regis liberos: erutiſque Regis demortui oſſibus, eo, vbi fuerant condita, loco ædem Deiparæ conceptæ dedicauit; tanta cum Ioannis approbatione, vt dictitaret, nunc tandem videri ſibi incipere Chriſtianum eſſe. Duabus verò feminis iam ætate morbiſq; proximè à morte diſtantibus ſalutaris baptiſmi vnda & animi ſalutem reparauit & corporis. Multis quoque (quæ gentis eſt pietas) luſtralis aqua cum fide epota varios fugabat morbos. Duo in his parentum Chriſtianorum fuere liberi: qui quo die baptizati ſunt, vehementibus æſtuare cœperunt febribus: cumque continuò ad Ferdinandum parentes de diaboli fraudibus & liuore expoſtulantes accurriſſent, quærit ille num reipſa crederent diaboli odio & malignitate inductas febres: & haud dubiè affirmantibus, Aquam, inquit, ſacratam potum date. quòd cùm feciſſent, eodem momento febris vtrumque deſeruit.

174 *Baptiſmi & luſtralis aquæ potentia.*

175 *Res in Amboino geſtæ.*

Inter hæc Franciſcus Rodericius & Iacobus Magallianes in Amboino relicti poſt egregiè apud Luſitanos, quamdiu ibi naues fuere, operam collocatam, Attiuam Emmanuelis patriam tranſtulere ſeſe. Ibi (quòd nuſquam alibi Chriſtiana pietas æquè vigebat) ad ſacrificium concinnarunt templum: eodemque breui amplius ducenti profugi è ſuis terris, quo liberiùs Chriſto inſeruirent, baptiſmumque reciperent, commigrarunt. In breui excurſione, qua cæteros inde pagos inter ſe partiti reuiſerunt, addidere filiis Dei trecentos. Mox Iacobus Magallianes, quem ex itinere Malacenſis Epiſcopus ſacerdotem initiarat, Principum Apoſtolorum Petri & Pauli die natali, vndique ad nunquam in iis locis ſpectatas antè primitias præcipuis Chriſtianorum euocatis, primam ſuam quanta licuit celebritate maxima incruentam victimam immolauit. Hoſpites Emmanuel lauto ſatis excepit conuiuio, & ardenti ſermone ad fidei conſtantiam idem ipſe confirmauit, adhortatus, quandoquidem coacti potiùs metu, quàm voluntate ſemel in fide refixiſſent, iam tandem inducerent viriliter animum, poſthac vitam potiùs, quàm conditorem ſuum, qui alius quàm Deus Chriſtianorum nequaquam eſt, relinquere: ne in maius animi & corporis detrimentum, ſi auderent rurſus abiicere, nouum hoc beneficium cederet. Iam Magallianes diuiniſſimo ſacrificio ad Dei procurandam gloriam erectior & audentior factus cùm videret nullum Mauris inſectandi Chriſtianos modum eſſe, ducis etiam aſſumpto animo, communiri oppidorum mœnia, præſertim Recaniuis, quod eſt Amboini maximum, & cætera ad defenſionem neceſſaria comparari iuſſit: egitque vt de communi ſententia, qui non eſſent Chriſtiani, fierique abnuerent, excedere cogerentur. Ita præter cæteros Ratiputis filius, qui (cùm pater baptizatus eſt) aberat, ad Chriſtiana 176
ſacra adiunctus eſt. Hæc Recaniue dum Magallianes procurat, Emmanuel Attiuæ, & Franciſcus Rodericius ad coniungendos inter ſe Chriſtianorum animos ſalutare conſilium commenti ſunt. Nam ex recèns conuerſis multi erant antè Mahometani, qui vel damna Chriſtianis iniuriaſque intulerant, vel ab iis acceperant. Igitur ad obliterandam harum rerum memoriam; ſimulq; vires & animos aduerſus communē Chriſtianorum hoſtem ſociandos, decreuere conuentum edicere. Miſſus eſt germanus Emmanuelis frater, qui ex omnibus circà pagis primores ad nundinas, quæ prope Attiuam fiebant, certa die accerſeret. Dicta die cùm frequentes conueniſſent, Rodericius pueros omnes Chriſtiana ſolitos rudimenta canere, vnaque crucem, & quædam pro gentis more inſtrumenta muſica in nauigium, quod Paraum vocant, impoſuit. Pari ſtudio Recaniuenſes Magallianes aduexit. Hæc nauigia, qui ad nundinas concilium que conuenerant (quippe omnes præter Emmanuelem rei ignari) vbi accedentia conſpexere, hoſtilia ſuſpicati haud leui pauore complentur. Auxit terrorem vltrò Emmanuel, quo mox gratulatio euaderet ex inſperato iucundior, miſſis ad inſidendum litus velut propugnaturis militibus. Dum 177
igitur cuncti metu & expectatione ſuſpenſi hærent, ſalutaris repentè crux in conſpectum datur, Chriſtiana ſigna in nauigiis explicantur. Pueri ex compoſito vocem tollunt, & vndique Chriſtum Ieſum celebrantium vocibus terræ & maria perſonant: feſto milites ſclopetorum plauſu reſpondent.

Digitized by Google

spondent. In communem gratulationem vertitur pauor. Matronæ ac virgines Attiuenſes aram exornauerant: ad eam pueri vtriuſque pagi coniuncti virides manu prætendentes ramos, concinenteſque ordine progreſſi crucem detulerunt: eaque in ara locata multitudo pariter vniuerſa ad preces in genua procidit. Tum feminæ Attiuenſes hoc ſibi propriè depoposcerunt, vt liceret exemplum precandi cæteris proponere. Itaque iuuenc Amboinio, qui Goæ in Seminario educatus fuerat, Andrea nomine, Cælitum inuocationem ſolenni nomenclatione præeunte, ipſæ vnæ more ſolito ſcienter reſponderunt. Quod pro locorum ratione, & veteribus Chriſtianis iucundum, & mirum neophytis, & haud dubiè acceptum Superis ſpectaculum fuit. Inde apud aliorum pagorum feminas auctoritas Attiuenſibus parta: vt iam ad eas ſe veluti ad magiſtras diſciplinæ gratia conferrēt. Poſthæc viri pagorum Chriſtianorum præcipui cœtu inito, vltrò citroque fidem ſibi dederunt & Chriſtianam religionem ad mortem vſque tenendi, & bella coniunctis animis gerendi; & vno quaſi ex cunctis conflato corpore ad auxilium eò, quò Mahometani incumberent, accurrendi. His rebus magna alacritate geſtis duo affuere ex Homa oppido Luſitani, nunciantes magnopere ab Homanis expe i Patres. Quare continuò Magallianes dat ſeſe in viam. Vixque Homam peruenerat, cùm è vicino pago, vbi aliqua erant Chriſtianæ religionis veſtigia, legati ſuperuenere rogantes, vt ad ipſos baptizandos quamprimùm accurreret: certum ipſos ac deliberatum habere Chriſto ſe mancipare: Mahometanos hac re cognita exitium minitari. Quare Pater acceleraret, ac primo quoque tempore ſancti baptiſmi participes faceret, vt Chriſtiani è vita decederent, quòd potius ducerent Chriſtianos mori, quàm viuere Mahometanos. Duobus hîc menſibus Magallianes in catechiſmo tradendo poſitis, amplius octingentos Chriſtianos fecit, nihil auſis contrà moliri Mahometanis. Cumque iam Natalitiæ Domini inſtarent feriæ, Attiuam vterque Patrum, vt eas pariter celebrarent, ſacris animarum onuſti manipulis conceſſere.

178

179 *Res Iaponicæ.*

Haud minus in Iaponia lætus Chriſtianæ rei ſucceſſus interim fuit. Ludouicus Froës & Ioannes Baptiſta Montius ſacerdotes vnà cum necdum initiato ſocio in ſubſidium ab Goa miſſi, haud peruenere hoc anno. Cęterùm Sacaij Meacique Villela, Coſmus Turrianus in Ximo cum reliquis Sociis ſtrenuè ac feliciter laborarunt. Cùm Sacaium Villela ſeceſſiſſet, Meacum obſeſſum, captum, rapinis & incendio vaſtatum eſt. Perſecutique hoſtes victoriam Regis Cuboſamæ patruum, qui in nauem confugerat, obſederunt, intentiores ad id quod erat in oculis, quàm ad circumſpectanda omnia cautiores. Quippe Quonquenindonus Cuboſama, qui fuga ſe eripuerat, exercitu viginti millium armatorum quàm occultiſſimè reparato, inque obſidentes ex improuiſo inuectus, tantam eorum edidit ſtragem, vt multos in annos debellatum exiſtimaretur. Annum propè ipſum tenuit bellum, interque eos motus templum Chriſtianorum Dei beneficio ſtetit incolume: tametſi id Bonzij aliquando occuparunt. Inter obſidionem Laurentius Villelæ ſocius bis penetrauit in vrbem ad ſolandos Chriſtianos, agendaſque principibus ciuitatis gratias, qui Bonzios Chriſtiani templi iniqua poſſeſſione depuliſſent. Toto verò belli tempore nequaquam ſua quædam piè inſtituta neophyti intermiſere. Præterea alia Chriſtianorum munera ternos in ſingulos menſes legerunt viros, qui pecuniis, quas ob eam rem ipſi in medium conferebant, indigentium calamitates leuarent. Quo in genere mulieris honeſtæ in primis ac locupletis largitas celebratur: quæ cùm liberos non haberet, approbante viro ſuorum partem bonorum in mendicos lepra vlceribuſque tota vrbe ac finibus Meacenſibus laborantes diſtribuit; quanquam Bonziorum nonnullis obtrectantibus (vt quos, velut nocturnas belluas lucis offendebat fulgor) magna tamen cæterorum admiratione omnium, qui nihil eiuſmodi in Iaponia antè vidiſſent. Sedatis bellis ſub autumnum Gaſpar Meacum reuiſit: &, fremerent licet Bonzij, de integro inſtituendos Chriſtianos, promulgandumque Ethnicis Euangelium ſuſcepit. Die Natali ſanctiſſimæ Deigenitricis (neque enim antè eam diem tranſmiſſus è Bungo ſolennis apparatus fuerat) primum Meaci Sacrum eſt factum & Iaponiæ caput cæleſti victima conſecratum: eamque ob rem Meacenſis ædes eidem cæli Reginæ dicata. In Ximo plus eſt profectum, Cangoximæ præſertim, Facatæ, Firandi: ſuper hæc noua Eccleſia in portu Vocoxiura inſtituta. Cangoximam Almeida cum Melchiore Iaponio, quem aſſiduum ducebat comitem, Decembri menſe ſuperioris anni per eam occaſionem adiuit. Emmanuel Mendoza vir Luſitanus ac nobilis, cuius in Saxumano portu hibernabat nauis, in Bungum, vt apud Coſmum onus animi per homologeſim poneret, cum quibuſdam Luſitanis acceſſerat. Hi litteras à Cangoximano Rege ad Coſmum attulere, quibus percupidum ſe Chriſtianarum rerum oſtendens, Socios aliquot poſtulabat: eaq; ſuper re ad Proregem quoque Indiæ, & Societatis Prouincialem (quomodo videretur Coſmo) ſcripturum pollicebatur. Ad hæc Regis poſtulata ſuas proprias addidere Luſitani preces, etiam atque etiam rogantes è Sociis quempiam ſibi concedi, à quo interdum in rerum diuinarum animæque ſuæ memoriā reuocarentur. Has igitur ob cauſas Cangoximanum in regnum miſſus Almeida eſt: ſub idemque tempus Damianus Facatam. Poſtulauerant Facatenſes Ioannem Fernandium, ſed eo ægrotante, diuina factum videtur prouidentia, vt hic adoleſcens Iaponius, ſene Firandenſi in docendis pueris ſubſtituto, mitteretur. Profectus è Bungo Almeida per maxima frigora, noctu in diuerſoriis Euangelium vbique exponēs, ad Angonem, vbi Antonius Vazius Luſitanus cum ſua naui hiemabat, peruenit ſanè opportunè. Nam cùm ad concubinam, ex qua duos ſuſceperat liberos, iuſto collocandam matrimonio perpuliſſet, paucis ille pòſt diebus maiori cum ſpe æternæ ſalutis eſt mortuus. Inde Cangoximam pergens ex itinere ad arcem Exandoni hominis Ethnici diuertit. Vſa eſt Almeidæ arx inter omnes terrarum orbis arces munitiſſima.

180 *Iaponum Chriſtianorum benignitas.*

181 *Primum ſacrificium Meaci factum.*

Quan-

Digitized by Google

182 *Arx memorabilis & Christianorum in ea pietas.*

Quanquam qui interiora Iaponiæ postea lustrarunt Patres, in ea ipsa munitiores sibi visas confirmant. Duodecim fermè propugnacula inter se magno interuallo discreta visuntur, toto opere vi ferramentorum de lapide excisa, intercurrentibus vndique foueis in altitudinem tantam, vt, si fortè è pontibus, qui subductiles eas iungunt, despicias, immensum quoddam plenum horrore barathrum mentem emoueat. Hæc inter propugnacula media stat arx. In ea Exandonus Dynasta agebat, Saxumano Regi parens: cuius vxorem olim B. Xauerius, & quosdam liberos famulosque Christianis initiauerat sacris. Tredecim annis hominem de Societate non viderant. Venerandus senex in Exandoni familia quasi magister, quem suarum virtutum merito amabant plurimùm & obseruabant omnes, iam inde à Xauerio huic muneri, & baptizãdis Christianorum liberis præfectus, conseruabat in fide neophytos. Aderat inusitatis suæ potentiæ bonitatisque argumentis è cælo Deus, sicuti vno omnes ore narrabant. Prompsit è reliquiaria theca, quam suspensam gerebat è collo, senex libellum, in quo Xauerij manu descriptæ erant Litaniæ atque aliæ precationes: quas cùm Almeida spectaret, addidit senex, multis grauiter ægrotantibus, ipsiq; Exandono cùm admotũ id reliquiarium fuisset, restitutam protinus sanitatem. Dein etiam flagellum protulit, quo ipsummet vsum affirmabat Xauerium: eoque ita vtebantur Christiani, vt singuli quaque hebdomada, ne attritu nimio consumeretur, ternos eo sibi ictus, haud ampliùs infligerent: & id quoque multis præsens in aduersa valetudine erat medicamentum. Postero die nouem, quos iam senex abundè erudiuerat, baptismo donatis Almeida pollicitus maius per otium eos se reuisurum, Cangoximam discessit. Perbenignè acceptus est vterque à Rege ipse ac Melchior. Sed quia ad portum Tomarim, vbi erant Lusitani, duorum inde dierum via distantem properabat, tamdiu modò substitit, dum litteras, quas Rex ad Proregem Indiæ, & Societatis Prouincialem mittebat, acciperet. Earum, quas ad Prouincialem dedit, ad Iaponici styli gustum, quoad consequi Latinè potero, caput adscribam: Duo, inquit, Cosmi, qui in Bungo versatur, Socij venerunt meum in regnum. Atque vt eorum animus excelsus est, ipsique potentes sermone ac doctrina, ego eos quasi cæli tonitrua reor. Illud autem in iis prorsus admiror, quòd huc tam è longinquo veniant; quia prout accepi de nauigationibus Lusitanorum ad has oras, ipsamet Luna sunt; ita circumeunt mundum. Antequam hic essent Christiani, erat hæc regio cassa bonitate, omniaque torrida æstu: nunc autem videntur ipsi flabellum, quod refrigeret hominum corda. Hoc regnum, tametsi pusillum est, debent tamen Patres Nambangini (peregrinos ab meridie, vnde ferè nostris appulsus est in Iaponiam, sic appellant) alacriter venire ad illud: quòd si forte aliis in oris inueniunt mare decrescens, hoc in regno semper est plenum. Christiani, quoad Patrum aliquo potiantur, consolantur se cruce, quam erexere, tanquam si illi adessent. Ego existimo, quòd regnum hoc meum careat Patribus, perinde esse, atque cælum obductum nubibus, vel sol defectionem patiens, & lumine spoliatus. His Almeida acceptis litteris, & quæ ad Proregem mittebantur, Tomarim venit: cumque inuenisset Lusitanorum maximam partem ex frigore incommodoque victu morbis implicitam, eos statim pro sua peritia, concesso que sibi diuinitus munere curare aggressus breui Deo opitulante sanauit. Dein, vti acceperat in mandatis à Cosmo, dedit operam, vt mulieres, quas in Laponiam è Sinis abductas vili admodum Lusitani emere solent, in secreto nauis conclaui deducerentur, vtque qui temerè præ consuetudine mala iurarent, certam subirent mulctam. Quas res cùm obedienter accepissent Lusitam, item nouem baptizatis Ethnicis rediit Cangoximam. Cangoximanus populus valdè idolorum cultui, & veneration Bonziorum addictus erat. Atque ipse Beatus olim Xauerius in ea diu moratus vrbe nequaquã sanè multis Christiana persuaserat sacra. Ea causa ratus Almeida illustrem quempiam Bonziorum ex ordine, cuius auctoritate dein multitudo pelliceretur, adiungendum, si fieri posset; Bonzium cùm olim, antequam eam sectam iniret, nobilem; tum eo tempore consiliarium Regis, ac tribus Bonziorum cœnobiis summa cum potestate præpositum adiit, collyrio ad curandos oculos, quibus fortè laborabat, allato. Lætus aduentu Almeidæ Bonzius, iam dudum sibi valdè optatum fuisse dixit, quæ Xauerius disputare solitus esset, cognoscere, sed interpretem defuisse. Inde multa de summo rerum opifice, de immortalitate animorum, de tempestatum varietate, terræ tremoribus, pluuiis aliisque id genus rebus interrogans (quæ Almeida, quòd frequenter hæc Iapones, curiosa & ingeniosa gens, rogitent, habebat in promptu) magna cum sua voluptate totam eam noctem apud se detinuit. Conciliata ab hoc aditu familiaritate, doctrinam Patrum, iam se Christianum animo ferens, palàm Bonzius & apud alios & apud Regem dilaudabat, haud sine approbatione Regis. Inde populus maiore fiducia, & opinione præiudicata ad audiendos Dei præcones itare. Nec pauci Deo intus docente, audita complexi, & aqua salutis abluti, in isque duo Regis ipsius cognati vnà cum vxoribus, & parte familiæ, capita numero quinque & triginta: quorum demum, aliorumque ope Christianorum domicilium quoque in sacelli modum conformatum est, quò ad suos cœtus, Deumque simul precandum conuenirent. Inde Almeida Exandoni arcis neophytos, qui diu auiditate summa reditum, vti promiserat, præstolati, tandem desiderio victi omnibus precibus reuocarant, reuisit: superque alia pro votis ac spe gesta, quinque de præcipuis ad cœtum fidelium aggregauit. De his fuit vnus adeò excellenti pietate atque ingenio, vt ex omnibus, quæ audierat, inde vsque ab rerum procreatione ad sanctum Christi Domini excessum volumen egregium effecerit: ex cuius deinde lectione miram capiens voluptatem in siluas & loca sola concedebat: vbi per otium aliquod eius caput regustare legendo ac meditando posset. Et quoniam visa est ea elucubratio si communicaretur, posse multis prodesse, eius exemplum

183 *Cangoximani Reguli epistola petẽtis aliquã de Societate.*

184 *Cangoximæ res gestæ.*

185 *Insigne ingenium Christiani Iaponij.*

Digitized by Google

exemplum asportauit Almeida; ipsique auctori ac filio Exandoni optimæ indolis adolescenti à Xauerio olim baptizato munus iniunxit, vt singulis diebus Dominicis aliquid ex eo libro Christianorum in conuentu recitarent. Ex eodem scriptore quæsiuit Almeida in publico Christianorum cœtu, si Rex ita compellaret: Quandoquidem meo in regno es, meisque sumptibus victitas, Christianus ne esto; quid consilij caperet.

186 *Præ lærum eius dict..* Ille verò haud cunctanter, Responderem, inquit, Rex, vis ne vt tibi fideliter paream? vis, vt te ex animo amem colamque? is, vt tua ne rapiam? sim que moderatus, patiens, pius aduersus omnes? iube me esse Christianum. Quod responsum valdè & Almeidam, & cœtum exhilarauit omnem. Nec multò pòst aliis septuaginta recèns baptizatis, & oratorio hîc quoque concinnato, vnum deerat ad plenum eius Ecclesiæ gaudium, vt Exandonus paterfamilias renunciaret superstitionibus. Qui pertentatus ab Almeida respondit, iam pridem se verum animo Deum colere, ad eumque confugere in negotiis suis; neque permissurum alioqui fuisse, vt sui omnes ad religionem nuper aduectam in Iaponiam transirent, nisi veram eam comperisset: ac sperare olim Deum res ita compositurum, vt (quod nunc quidem offendendi Regis metu non faceret) impunè se Christianum palàm profiteretur. Quæ vulgata vox, tanquam omnino iam Princeps quoque dedisset manus, non lætitiam modo cumulauit neophytorum, sed nonnullos etiam Ethnicorum impulit, vt ipsi pariter auderent Christo Domino sese committere. Hæc dum Almeida in Cãgoximano vrget agro, Damianus Iapon multis quidem præstans virtutibus, sed humilitate insignis adolescens ingenti cum fauore omnium apud suos Iapones Facatæ regnũ Dei promulgans, ad centum honestos homines, in iisque valdè præcipuum quemdam ab idolis abduxit.

187 *Facata baptizati.*

Sub idemque tempus nouus Euangelio aditus aperitur. In Ximo Arimanum & Omuranum regna seu prouincię finitima sunt. Arimæ Xengandonus Rex præ cæteris duos habuit filios, Iacatam natu maximum (nomen commune Regum Iacata est) eique proximum Sumitandam. Iacatæ Xengandonus valetudine ac senio ad res gerendas minùs idoneus insignia regia, & partem regni cessit. Sumitandam verò Regina Omurana (non imminuam vocabulorum honorem, quem primi iis Dynastis, quanquam paulò liberaliùs tradidere, cùm præsertim nec talia apud antiquitatem nostram siue in sacris, siue in profanis monumentis exempla desint) adoptauit. Quippe mortuo decem circiter antè annis Rege, cùm is ex legitimis nuptiis heredem nullum reliquisset; spurium, qui supererat, filium, quique ex attributa ei ditione Gotondonus est dictus, neque Regina, neque Proceres regnare passi sunt. Quoniam verò Xengandonus & regno erat & sanguine proximus, filium eius Sumitandam, vti dixi, Regina de voluntate Procerum adoptauit.

188 *Omurana Ecclesia exordia.*

189 *Sumitanda Regulus, qui postea Bartholomæus.*

Qui deinde Regulorum Iaponum primus Bartholomæi sumpto nomine Christum secutus dominationi terrenæ cæleste miscuit & inseruit regnum; modicoque & caducos titulos honoribus auxit immensis, immortalibus æternauit.

Is, siue Lusitani commercij cupido allexit, siue protinus ad agnitionem veritatis Deus pertraxit (nam prodita certa causa non est) dedit ad Cosmum litteras, in quibus significabat non sibi modò placere, vt in sua ditione promulgaretur Euangelium, & templa ædificarentur; verùm etiam se Vocoxiuræ portum in Ecclesiæ vsum vnà cum circumiectis pagis ad duas circà leucas, quo in spatio nulli Ethnicorum Cosmi iniussu fas esset domicilium habere, traditurum. Adiiciens, si ad portum Vocoxiuræ appellere Lusitani vellent, mercimonia portorij omnis immunia concessurum non ipsis modò, sed etiam illis, quibuscum negotiarentur, in decem annos. Porro videbatur eum locum sibi Christus Dominus delegisse. Nam in vertice paruæ insulæ, quæ in portu est, tribus deinceps diebus sub vesperam sublime in aëre signum crucis apparuerat, Petro Barretto nauarcho, aliisque Lusitanis spectantibus. cuius rei monumentum eodem loco Barrettus ingentem defixerat crucem eminus valdè cõspicuam.

190 *Crux visa in aëre.*

Hac oblata egregia spe continuò Almeidam Cosmus accersit, vt ad Omuranum Principem cognoscendo transigendoque pro ea, qua valebat, dexteritate negotio, destinaret. Iam Firandenis quoque Regulus, nempe veritus, ne aliò auerterentur commercia, æquiorem se Christianorum præbebat causæ; & significarat extruendæ Ecclesiæ potestatem facturum. Idcirco Almeida ineunte Iunio cum Ioanne Fernandio iam valetudinis firmioris, quem Facatæ Damiani loco relinqueret, ipsum Damianum traducturus Firandũ, è Bungo discessit. Vbi Vocoxiuram attigit, salutato Regulo, qui sanè haud minùs coràm liberaliter, quàm per litteras egit, procuratorem, ad quem totam Sumitanda causam reiecerat, haud stantem omnino promissis reperit. Quare incertus quid consilij caperet, dum litteras ad Cosmum, rem totam arbitrio eius integram reseruans, parat, insperati Firando nuncij perferuntur ipsum adesse Cosmum. Primò incredibilis visa res: ea Cosmi ætas, ea valetudo erat, ea itinerum difficultas. Sed vbi iam ad portum applicuit, immenso omnes gaudio quasi parentem excepere. Causæ illi eius itineris suscipiendi fuere multę, & graues, atque hæ inprimis.

191 *P. Cosmus Vocoxiurã adit.*

Iapones Dynastæ Lusitanorum auertere commercia ad se quisque certatim nitebantur. Ad eam rem Cosmi & Sociorum valere permultùm voluntatem rebantur. Quæ opinio disseminandæ religioni perutilis erat. Quippe ea spe accersebantur Patres, ac potestas illis concionandi fiebat; erantque in existimatione ad vulgus. Eam ipsam ob causam, veritus, vti modò dicebam, Firandensis Regulus ne alios ad portus Lusitanorum naues auerterentur, vt Cosmum sibi reconciliaret, æquiorem se Christianæ rei præbebat; cùm repentè Lusitana oneraria in Firandi portum inuehitur, adeò præter spem Reguli, vt, facta paucorum ad totius nationis iniuriam obtrectatorum more vertens, apertè iactarit, Lusitanorum eam esse cupiditatem, vt quantumuis vexaret eos, tamen nunquam intermissuri essent in eo portu negotiari. Re vera haud alius opportunior negotiatoribus ea regione ad Iaponiam appellentibus portus est. His in Bungum

192 *Ex Lusitanis mercatoribus valdè pendet Ecclesia Iaponica profectus.*

Digitized by Google

gum perlatis, Regi Bungensi, qui semper causam Christianorum veluti suam tractabat, Christianisque omnibus visum est eam nauim omnino ex eo portu abduci oportere ad Lusitanorum tuendam, cæterorumque Christianorum communem existimationem: virque nobilis Lusitanus, qui tum in Bungo agebat, nauarchi auunculus, operam suam vltrò detulit ad id ab nauarcho impetrandum. Quo autem res maiore cum Ecclesiæ dignitate fieret, existimatum est Cosmum ipsum proficisci oportere, qui quasi id pro
195 potestate imperaret. Ad hæc Vocoxiuram vsque, qui vltra Firandum octo circiter leucas portus est, ad res spectandas contendere, & Christianorum Firandensium homologeses excipere per eam occasionem licebat. Discedentem Christiani Bungenses cum mœrore & lacrymis prosecuti sunt. Tres in Bungo Funaij mansere Socij, qui templo, nosocomio, scholę & neophytis præessent, Guilielmus, Odoardus Silua, & Arias Sancius. Is anno priore cùm in Iaponiam venisset, ibidem vt in Sociorum adlegeretur numerum, impetrarat: ac præ cæteris curis etiam adolescentes Iapones ad vsum sacrorum canere fidibus edocebat. Tertio die ad cæteras ærumnas, in
194 latronum manus incidit Cosmus: quorum vnus intentum iam arcum in eius obuerterat pectus, haud dubiè confixurus, nisi ex ipsiusmet barbari comitibus quidam maturè, antequam sagitta emitteretur, adductas arcus habenas præcidisset. Quid rogo præclarius ea vita, quę propter Euangelium tot inter pericula ducebatur? Quid Apostolicæ ei voci propius? *Periclitamur omni hora.*
Cor. 15. *Quotidie morior per vestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo Iesu Domino nostro?* Nec relictis in Bungo Sociis pars virilis huius gloriæ defuit. Nam per Cosmi absentiam sumpta Ethnici audacia impetum fecere in templum. Sed huic quoque malo Deus occurrit per vbique promptam Regis tutelam: qui cognita re de familiaribus misit suis, qui templum assiduè custodirent. At vbi Firandum Cosmus peruenit, vti Christianos nobilesque animos eorum, simulq; Iaponicæ tum Ecclesiæ totius parentem decebat, Lusitani ingenti eum gratulatione & magnificentia excepere: cuncta explicuere vexilla, festoque tormentorum strepitu plausum dedêre. Nec difficilè adducti sunt, vt onerariam ex eo portu abducerent, vt constaret obtrectatori Regulo quàm Christiani negotiatores sua negotia velint religioni seruire: & hoc maximè Lusitanorum decus esse. His Firandi gestis ad Vocoxiu-
195 ram Cosmus in tempore adfuit. Re cum Dynasta Omurano transacta appetebat dies, quo die singulis annis Rex Bungensis Patrum mensam ornare præsentia solebat sua. Quam consuetudinem quoniam ad auctoritatem Christianæ fidei pertinebat non intermitti, missus in Bungum festinanter Almeida: eaque re bene procurata Vocoxiuram rediit decimo Kalendas Octobris. Ibi tantis iam occupationibus distringebatur Cosmus, vt ægrè furtiua spatia ad recreandas cibo vires relinquerentur. Tanti porro ad confes-
196 sionem vndique ac Firando præsertim fiebant concursus, vt fuerit prescribendus numerus, quo triceni aliis alij deinceps succedentes aduenirent, ne multitudine & obruerent Patrem, & familiis suis per absentiam longiorem incommodarent. Sed qui videret quàm piè, quantis cum lacrymis, quanto cum ardore animi, qui ex ardenti emicabat vultu, ad sancta accederent mysteria, non posset, durus licet non commoueri; & nostratium tam veteri in cultu, totque inter adiumenta non damnare languorem. Ioannes Fernandius aduocatus Facata est, qui maiestatem vimque tantarum rerum, præsertim Eucharistiæ & Pœnitentiæ, exponens ad eas neophytos præpararet. Almeidam rerum domesticarum procuratio & compositio detinebat. Hos fructus hoc anno Iaponia, lætioris in posterum annonæ semina procreauit.

197 Cæterùm Brasilienſis quoque vinea, vti priore cœperat, hoc anno ferax fuit. Ludouicus Grana Prouincialis post ferias sanctissimi Iesu nominis, cui dicatum est templum Collegij in vrbe S. Saluatoris, continuò ad suas peregrinationes ac baptismos egressus primùm in S. Iacobi pago centum viginti; tum in S. Ioannis quingentos vndequinquaginta; inde ad S. Antonij ex altera parte eius linguæ maris continentem præcidens transgressus quadringentos & aliquot præterea; ex eoque loco persecutus iter ducentos quadraginta duos in Boni Iesu, celebritate apparatuque, vt solebat, magnifico vitalibus aquis Ecclesiæ genuit. Antonius interim Rodericius ad pagum S. Petro dicatum præparandis catechumenis iussus præire, non eorum modò egregiam comparauit manum, sed etiam S. Andreæ incolas reuocauit à fuga. Quippe Brasilorum venefici
198 ægrè ferentes quæ capiebant è nugis suis lucra, Christianæ promulgatione veritatis euerti, nondum assuetos societati vitæ colonos induxerat, priorem vt ritum silvestrem ac vagum, patriasque superstitiones mallent. P. Antonius cùm primum desertum pagum cognouit, ita erat æger, vt vix erudiendis catechumenis considere posset in sella, tamen insequendos profugos ratus, summa cum vexatione, quòd & per deserta loca fiebat iter, & celeritate opus erat, cùm strenuè homines fugerent, tandem est consecutus. Iam cœperat ipsosmet & incommodis viarum, & sarcinularum onere, & alimentorum inopia fatigatos suæ tædere leuitatis. Quare non grauatè siuere sibi persuaderi, vt redirēt. Ita pagus ille restauratus ad tria hominum millia numerabat. Paucis
199 pòst diebus ad pagum S. Petri Antonio ipsi commissum Prouincialis aduenit primum ibi solenni pompa baptismum peracturus: & catechumenorū numerus apparatu dignus quàm honestissimo erat. Mille centum quinquaginta duæ animæ ad Ecclesiam appositæ ea lustratione sunt. Qua peracta cùm iam verna instarent ieiunia, nec esset in vrbe Euangelij enarrator, eo functurus munere ipsemet Prouincialis reuertit. Secundùm ferias Paschales rei bene gerendæ, & conciliandi inter se Fluminis S. Fracisci accolas oblata spe eò iter intendit: sed multos dies progressum & insidentium vias latronum manifesta pericula, & omnium rerum, quas necessitas vitæ requirit, inopia cœpto absistere coëgerunt. Ad reuisendas itaque Ecclesias gressum vertit. In insula Taparica octo supra centum baptizatis, ad pagos in illo-
200

Cosmus ingenti periculo defungitur.

Iaponii pietas in confitendis peccatis.

Brasilienſis Ecclesia propagatio.

Brasiliorū lenitas.

Primus baptismus in pago sancti Petri.

Digitized by Google

rum ditione S. Michaëlis & Assumptionis profectus, ibi nongentos minùs tres, hîc nonaginta supra mille earum Ecclesiarum prima libamina Deo dicauit. Nec facile dictu est quid laborum, quidúe discriminum in his peregrinationibus optimus Pater subiret, cùm sæpè ingentibus plutiis oppressus nihil non modò ad cæli arcendas iniurias, sed ne ad leuandam quidem famem, nec tugurium ad suffugium, quo ue noctu succederet, inueniret. Iam propiùs vrbem reuersus circumiectas Ecclesias noua sobole auxit. In Ecclesia sancti Spiritus semel centum septuaginta, iterumque centum triginta octo, in S. Iacobi centum quinquagintatres, in S. Antonij duos & ducentos, in S. Pauli, vbi propter vicinam vrbem vrbanæ elegantiæ aliqua cernebatur iam species, ipseque interesse baptismo Episcopus voluit, duodecim supra trecentos ritè adscripsit.

201 *Pernambucensis inchoata sedes.*

Hoc anno in Pernambuci Præfectura domicilium Societas inchoauit. Duo Patres Ioannes Mellus & Antonius Sà ire iussi, præclarè apud Europæos primùm, deinde apud indigenas operam posuere. At in Præfectura S. Vincentij nec ita res pacatæ, nec dum ita capax Christianæ disciplinæ gens erat. Iam diu, quod priore anno attigi, interiora incolentes Barbari, & neophytos oræ maritimæ, & Christianos veteres crebras per excursiones vexabant, iique erant infestissimi, qui vel suscepto baptismo, vel inter catechumenos eruditi Piratininga profugi vias locaque nocendi notiora habebant. Hoc verò anno, &

202 *Pericula Piratiningæ.*

suopte instabili immanique ingenio, assueti olim humanis saginari corporibus, & acceptæ superiore anno cladis incitati dolore, clanculùm graue compararunt bellum: quo, nisi paucis antè diebus ex ipsis hostibus transfuga adfuisset index, haud dubiè opprimi delerique Piratininga potuit. Quinto Idus Iulias fœdè picti, plumisq; volucrum insignes Barbari impetum fecere magno cum clamore in oppidum: duosque continenter dies magno conatu oppugnarunt. Sed Deo bene iuuante, quoniam oppidani ad repugnandum res & animos præpararant, non sine suorum cæde repulsi sunt. Egregiam operam præstitit, planeque princeps & auctor victoriæ fuit indigena Christianus Martinus Alfonsus, inter Brasilos celebris nominis, opumque (vt in gente) magnarum, at pietatis supra gentis modum. Huius & suasu & exemplo ausi sunt Christiani, & catechumeni Brasili, quod ante eam diem nunquam ferè euenerat, consociati Europæis ferre contra suos arma. Itaque non solùm noti priùs amicique inter se, sed etiam filiorum quidam contra parentes, fratresque aduersus fratres (vt agnosceres salubre dissidium quod Princeps pacis profitebatur se terris inferre) alij contra alios variis coniunctos necessitudinibus dimicarunt, miserando sanè spectaculo, nisi quàm hos sanctæ fidei propugnatio laude, tam illos barbara crudelitas odio faceret, quàm miseratione digniores. Decem iam erant è Societate Piratiningæ, quos omnes diuina protexit manus. Valuit tamen ad causam religionis hæc barbarica impressio: quòd multos, qui sparsi degebant per agros, cùm timor Piratiningam compulisset, vbi salutem corporis longiùs ab hostium incursu tutarentur, idem opportuniores Christianæ institutioni, & ad veram salutem animi obtinendam munitiores reddidit. Sed Martinus Alfonsus optimè de re Christiana, deque Societate nostra meritus, qui primus Piratiningam Patres aduocarat, & ædificationem domus non cætera solùm liberalitate, sed etiam suis promorat manibus, & nuper Christianos oppidumque defenderat, ingenti omnium dolore ereptus è vita est octauo Kalendas Ianuarij. Ita vixerat, eumq; sortitus est finem, vt omnes præclarè cum eo actum; ipsoque die, quo Christus Dominus terris tot antè sæculis hominum causa natus erat, genitum cælo putarent, germen tanto nobilius, quanto minùs benigno editum solo.

203 *Brasili hominis virtus.*

204

205

Digitized by Google

HISTORIAE SOCIETATIS IESV

LIBER SEPTIMVS.

1563. ANNVS iam sequitur sæculi eius supra sexagesimũ tertius, quo anno in Brasilia quidem Christiana res haud sanè magnum, sed in Iaponia planè ingens incrementum accepit, mira cum prosperarum & aduersarum rerum vicissitudine: nec minùs in Europæ prouinciis Italia præsertim, Gallia & Germania Societas aucta est. Lainius & Salmeron in Tridẽtino Concilio dum rem Catholicã, Deiq; gloriam sedulò curant, pariter nomẽ Societatis (quod aliis quoque temporibus eodem loco euenerat) longè lateq; propagarunt. Inter cæteros Mantuæ Cardinalis Hercules Gonzaga Pontificiorũ Legatorũ primus ita consuetudine Lainij eiusq; Sociorum est captus, vt omnino decerneret Mantuæ, cuius vrbis Episcopus erat, Collegiũ instituere. Quin etiã suæ diœceseos statũ rectè ordinare cupiens, tanto ab Lainio contendit opere, vt Mantuam excurreret; & cùm cætera suo arbitratu componeret, tum Collegio optaret locum; vt denegare verecũdia fuerit. Tridento itaque profectus, tertio Idus Februarias Lainius Mantuam peruenit æger, sed breui diuino beneficio valetudini restitutus, cum Cardinalis Vicario, eiusdemq; Suffraganeo, & procuratore, ad quos Cardinalis dederat litteras, vt omnia cum eo communicarent, quod è re diuina, & Mantuani populi salute visum est, magna cum approbatione omniũ transegit. Dein ad populum & ad quædam cœnobia virginum, duo præ cęteris, in quibus duæ Cardinalis sorores agebant, piis sermonibus habitis, locoq; ad Collegiũ notato, Tridentum die nono rediit. Postero die Cardinalis inuitat, rerumque gestarũ narratione lætus ad cumulandã lætitiam Collegium primo quoque tempore inchoari exoptabat. Verùm alia Dei sunt, alia consilia hominum. Eiusdẽ diei vespera Cardinalis febri acuta corripitur: ex qua tandem VI. Nonas Maias decessit. Sacrosanctũ Viaticum, ac supremã Vnctionem adhiberi sibi ab Lainio voluit. Atque, ne per suum decessum destinato Collegio Mantua careret, Lainio & Sociis omnino insciis, testamẽto antè condito addidit, vt duo aureorũ nummũm millia ad emendam ornandamq; domum (quæ erat domus Arsagorum iuxta scholam nigram) altera item duo millia ad certum reditũ parandum traderentur: quodq; ad vectigal annuũ trecentorũ nummũm deesset, heredes tamdiu supplerẽt, quamdiu ea summa certi reditus aliunde non cõficeretur. Cæterùm pia hæc volũtas nonnisi post multos annos exitũ habuit. Ipsum quidem certè à pauperum cœtibus in æterna receptum tabernacula æquum sit credere. Cùm enim perbenignus fuisset semper, animaduertit Lainius, quibus diebus Mantuæ fuit, instituisse Cardinalem hoc anno, quòd annona grauior erat, vt præter pecuniæ & aliarum rerum largitionẽ, assiduè vsque ad messem, mille hominibus, quorum necessitatem probassent Parochi, quantum satis ad victum esset, farinæ diuideretur. In Gonzagæ demortui locũ Ioãnes Moronus Cardinalis Præses in Cõcilio successit, vetus nostri Ordinis fautor. Apud hunc altosq; Legatos Põtificios grauis semper fuit Lainij & Salmeronis auctoritas. Et ipsi cùm omni ope alia, quæ censebant ad rectè sentiendum pertinere, tum constanter in primis, nulloq; inuidiæ metu, quæ ad Summi Pontificis maiestatem potestatemque spectabant, assiduè propugnarunt; adeò vt, quamuis semper Lainij dicta cum plausu exciperentur, tamen in quibusdam eius generis quæstionibus, quæ diu agitatæ, nec tamen diiudicatæ ac definitæ vnquam sunt, non nemo interdũ, vt anno etiam superiore indicaui, cõmotus sit. Quanta verò apud augustissimum illũ Senatum in existimatione recens hæc Iesu familia esset, duabus rebus, inclinato iam anno, & Concilio finẽ spectãte, perspectum est. Altera est, quòd, cùm sancta Synodus instituenda iuuenum Seminaria censuisset ad idoneos ministros Ecclesię formandos, nemo propè fuit, quin huiusmodi prouinciam Societati in sua quisque diœcesi animo destinaret: & permulti Collegia eam ob rem postularunt. Quin ipsamet Societatis Collegia venerandi illi Patres nonnisi præstantia quædam iuuandę Ecclesiæ Seminaria esse pronunciantes, eo nomine ab conferẽdis in Seminaria instituenda pecuniis declararunt immunem: quanquam id necesse non putauerunt ipsis Concilij actis nominatim interseri. Altera, quòd, cùm de Regularibus Religiosisq; hominibus tractaretur, quidã Balthasar Mellus, aliique nonnulli vel desertores Societatis, vel electi contra eam apud Carolum Cardinalẽ Lotharingum, & apud Granatensem & Bracharensem Archiepiscopos, & alios magni nominis Antistites multa moliri conati sunt. Sed longè alius ac putarunt euẽtus fuit. Nemo ex iis, quos dixi, nemo omnino ex tanto Præsulũ numero inuentus vnus est, qui aliquid cõtra Societatẽ diceret: imò cum honorifica testificatione, qua institutũ eius pium & ab Sede Apostolica approbatũ asseritur, summo omnium consensu ab quibusdã legibus, quæ cæteris Religiosis iniungebantur, excepta est his verbis: Per hæc tamen sancta Synodus nõ intendit aliquid innouare aut prohibere, quin Religio Clericorum Societatis Iesu iuxta pium eorũ institutũ à sancta Sede Apostolica approbatum, Domino & eius Ecclesiæ inseruire possit. Quod beneficium Lainij maximè auctoritati atque virtuti secũdùm Deum debetur. Et Cardinalis Lotharingus, quanquam antè submolestè tulerat

1 *Mantuani Collegii origo.*

2 *Hercules Gonzaga Cardinalis moritur.*

3 *Eius pietas in pauperes.*

4 *Societatis quantus honor à Concilio habitus.*

„ Sess. 25. „ c. 16.

Digitized by Google

ab Lainio inter ſententiam peragendam publicè dictum propter imminutam Baſileenſi Concilio Romani Pōtificis auctoritatē in Gallia, Dei permiſſu fieri, vt nec eius regni Principibus ſua apud populares ſatis conſtaret poteſtas (quod certè mirū magis poſteriora faciunt tēpora in eā præſertim natione, cuius ante alias omnes fides & obſeruantia erga ſuos Principes celebratur) tamen ita rem deinde in bonā, ſicut dicta erat, partem accepit, vt in digreſſu Lainio confirmarit, ei ſe ipſi in amanda tuendaq; Societa e nihil eeſſurum, ſuiſque humeris eam in Gallia, & vbicunq; gentium poſſet, ſuſtentaturū. At verò clandeſtini contra illam machinatores nihil aliud, quàm infamiam conſecuti ſunt merito ſuo. Namq; latere cùm taciti poſſent, ſe ipſi pro eiectis, vel deſertoribus euulgarunt. Pridie Nonas Decembris abſolutum feliciter Concilium eſt, & Lainius cum Sociis IV. Kalēdas eiuſdē mentis Tridēto Romā verſus Collegia per Italiā obiter viſurus diſceſſit.

1 *Romani Collegii ſtatus.*

In Romano Collegio Socij hoc anno egerunt ducēti octodecim: in domo Profeſſorū ad octoginta: inter Germanos conuictoreſque nobiles eorū doctrinæ moribuſq; præfecti circiter viginti. Quæ & id genus alia de Societatis in principe religionis Vrbe, ſuoq; velut fonte hactenus notata incremētis poſteri, opinor, grato erga propagatorem Ieſum animo legēt: nobis ex hoc anno, quia ſtatus fermè idē conſtitit, talia perſequendi cura decedet. Collegij Germanici, quod anno ſuperiore ad ędes, quę S. Marcelli ab vicino templo dicūtur, tranſlatū fuerat, & nobilibus abundabat conuictoribus, magna erat opinio ac fama. Pontifex alendis Germanis in ſingulos menſes aureos quinquagenos largitus eſt. Romanum Collegiū, gymnaſiumq; auctū eſt duabus diſciplinis, quæſtionum Conſcientię, & Philoſophiæ de moribus ex Ariſtotele. Hæc initio cœpta eſt anni ab Achille Gagliardo iis explicari, qui tertium annum Philoſophiam in rerum cōtemplatione poſitam audiebāt. Illa extremo anno in ſolenni ſtudiorum repetitione promiſcuè eis, qui ſacerdotium vel gererent, vel expeterent. Parochorū accurrit aliorumq; ingens adeò numerus, vt ducenti numerarentur ordinarij auditores.

6 Addita ad tres principes linguas Latinā, Græcā, Hebræam etiam Arabicæ doctrina, quam Ioannes Baptiſta Romanus ex legatione Memphitica poſt naufragium ſoſpes reuerſus, eamq; ob rem Venetiis aduocatus Romam, tradere vnà cum Hebræa, quę iam dudum tradebatur, cœpit: quarum ſcholarum cùm illa de moribus, & hæc de Arabica lingua poſtea multis annis intermiſſæ eſſent, vtraque iam cùm hæc ederentur, reſtituta erat; præſertim quòd Paulus V. Pontifex Maximus ad Catholicæ decus & munimentū Eccleſiæ intentus Arabicam etiam linguam in Latinas Academias induxerat. Anno autem, quem nunc exequimur, inchoata eſt etiam pia quædā Sodalitas auctore Ioanne Leonio Belga infimæ rudimentorū Grammaticæ claſſis magiſtro inter inferiorum claſſium adoleſcentes. Inferiorū claſſium omnes dicebantur, qui vel Grammaticam, vel humaniores litteras diſcerent, exceptis Rhetoribus, qui inter ſuperiores tum cenſebantur. Qui igitur inter inferiorum claſſium auditores

7 *Congregationum B. Virginis initia.*

præcipuo ſtudio ſociare cum litteris pietatē cuperēt, cœpere diebus ſingulis poſt miſſos cęteros in vnam è ſcholis, in qua altare pulchrè ornauerant, congregari. Ibi aliquamdiu orabāt vniuerſi: dein vnus è pio libello quidpiam lectitabat audientibus cæteris. Diebus verò Dominicis ac feſtis aliis etiam veſpertinas de more Eccleſiæ modico cum cantu peragebāt preces. Ex his rudibus initiis Sodalitates, quæ dein B. Virgini præcipuo ſtudio dedicatæ, tam inſigni cum iuuentutis atq; aliorum bono certis formatæ inſtitutis latè per omnes terrarū oras fuſæ ſunt, emanarunt. Quanquam non Romæ primū hi ſimplices diſcentium cœtus exorti. Nam ante hunc annū Genuæ & Peruſiæ mentionē eorum reperi: deq; inſigni Peruſinorum pietate anno priore quædā prodidimus. Ad ſuperiorū verò claſſium auditores iuuandos, certi confeſſarij deſignati ſunt: curatumq; vt ipſi quoq; certis interuallis, quemadmodū inferiorū auditores, conſcientiæ onus leuarent. Cùm autem magis in dies Romani Collegij exiſtimatio creſceret, ex eo iuuenes ad diſputādum multa in loca vocabantur, etiam in Academiam publicā: vbi cùm valdè diſputantium ſcientia laudaretur, multò cōmendabatur magis ſubmiſſio & modeſtia: in qua ſanè (vtcunque certamē doctrinæ cadat) Religioſos viros valdè abſurdū ſit apparere vnquā inferiores. Die Pētecoſtes in ſacello Pontificio, quod aliis etiam tēporibus ſatis frequenter faciebat, Fuluius Cardulus dixit: & octauo pòſt die Petrus Perpinianus orationē habuit de Deo trino & vno, quæ edita extat. Vterq; quam meriti erāt, approbationē adepti. Inter viros memorabiles, qui Collegium ac gymnaſiū inuiſēre, non prætermiſerim Paulū Manutium. Qui cùm vocatu Pontificis in Vrbem veniſſet, in Societatis gymnaſio contēplatus omnia diligenter, ſumminē cùm docentium eruditionem ac facultatē, tum docendi ordinem & induſtriam laudauit. Eiuſq; filius Aldus bene doctus iuuenis Saluſtium ab ſe emendatum & illuſtratum editurus, in Collegij nomine, præfixa in eius laudem epiſtola euulgauit. Cæterùm haud inter Collegas maior ad pietatis, quàm litterarū laudem vigebat contentio. Quorū etiam incēſos diuinæ gloriæ, atque adeò martyrij ſtudio animos ilia occaſio patefecit. Agebatur de domicilio Societatis Conſtātinopoli ſtatuendo, ſi qua pateret aditus; admoniti ſque Sociis, vt nomen ederent, ſi qui eam expeditionē optarent, nullus propè omnium fuit, qui non & nomen & libellum ſupplicē ad Borgiam Præpoſiti Vicarium deferret, ſummiſq; multorum dierum precibus, vltroq; ſuſceptis pœnis à Deo profectionem eam expoſceret. In cuſtodiis publicis Præſidum voluntate certas promulgarūt, ſerioq; obſeruandas curarūt leges. Primū ne ſcortis vllo modo ad eas pateret acceſſus: tū nequis victorum impia turpiaue proferret dicta: deinde nequis pagellis taliſue luderet: præterea ad feneſtrarū cancellos nemo aſſideret irriſurus prætereuntes, aut dictis petulantibus petiturus: poſtremò, pacatè inter ſe agerēt; nemo aliū percuteret. Quæ ſanè iuſſa opportuniſſima fuerunt. Nam vt in perdita turba, & flagitiis ferè ac facinoribus aſſueta, quæ legibus his vetita delicta ſunt, fermè dominabantur. Decano autē inter eos, quem illi

8 *Romani Collegii exiſtimatio.*

9 *Collegarum ardens pietas.*

10 *Cuſtodiis publicis ſapienter conſultum.*

Magiſtrum

Digitized by Google

Magistrum domus appellãt, imperatũ, vt earum custodiam legum curaret. Quod ille officiis & humanitate cõcionatoris delinitus eo studiosiùs peragebat. Inductus præterea mos, vt quotidie omnes cõuenirent, Deumq; ac Sanctos Litaniarum carmine pacẽ atq; opẽ exposcerent. Deniq; curatũ vt Dominicis festisq; aliis diebus sacerdos ad eos sacrificatũ adiret. Quo factũ est nõ modò vt interesse diuinis possent, sed vt Sacramẽta etiã multi frequentarẽt in carcere, quæ haudquaquã alibi frequentassent. Itaque sæpè viceni eoq; amplius sanctissimũ Domini Corpus egregiè prẽparati suscipiebant: quibus institutis ac legibus hodieq; Romanę custodiæ haud minùs ad corrigẽdos, quã ad puniendos fontes valẽt. Vnde existit non modò salubrior, sed & grauior illa propriè peccati vindicta, de qua S. Ambrosius loquitur, cùm ait: Seueriore sententia culpa damnatur, si vnusquisq; crimen suum oderit, & in se incipiat cõdemnare delictũ. Etenim cùm reus occiditur, persona magis, quã culpa punitur: vbi verò culpa deponitur, absolutio personæ est pœna peccati. Antiquiores victorũ eos, qui recẽs aduenirẽt, familiariter, quemadmodũ viuendum sibi esset, instituebant: cumq; primum pedẽ inferebant in carcerẽ, ad sacrã deducebãt imaginẽ ante omnia veneraturos Deum, vt ad salutẽ animæ suæ vellet eam ipsis pœnam euenire. Haud minor in publicis ægrorũ diuersoriis præsertim incurabiliũ, vbi frequentiùs agebãt Socij, pietas spectabatur. In reliqua ciuitate iuuanda Domus professæ Patres præcipuè insudabant. Borgiæ sanctitatis augebatur quotidie nomẽ: & aliàs, & bis in hebdomada per Quadragesimã in S. Iacobi Hispanorũ Hispanicè concionatus, præ cætero flore nobilitatis, septenos octonosue Cardinales assiduè auditores habebat. Cumq; multi accurrerent, qui Hispanice haud intelligebãt, interrogati cur adirent, quando quidẽ perpauca intellecturi essent; ferè hoc respondebant (quod & alibi etiam alij dictitarunt) ire se vt prædicare possent, auditum ab se hominẽ olim Ducẽ, nunc sanctũ. S. Cardinalis Borromæus creatus sacerdos, vbi cerimonia ingẽti prima Deo libamina obtulit, vt publicæ pietati inseruiret; in secundo Sacro, vt pietati suæ liberius indulgeret, apud Professos pernoctauit, postridieq; in sacello, quo sanctæ memoriæ Ignatius vtebatur, Sacrũ fecit. Quod sacellũ cùm hodieq; extet, tanto augustius profectò est, & ad inflammandã pietatẽ validius, quanto non illa B. Ignatij modò, sed & Cardinalis sanctissimi ardentissima studia menti admouet. Deniq; ita apud omnes florebat Romæ Societas, eaque per eam diuina efficiebat bonitas, vt vir nobilis ab Vrbe in patriam reuersus, quærenti quid vidisset Romæ pulcherrimũ, Societatẽ Iesu responderit. Quæ ego libenter noto, vt posteri homines Societatis non arbitrentur magnũ quiddã ab se factum, vbi quid fecerint, cùm priores illi tã multis, quibus nunc abundamus, præsidiis destituti, tam multa præstiterint: vtq; diligẽter pro se quisque caueat, ne fortè per suam ignauiam diuinæ gratiæ morã opponat: postremò, vt quã illustria huic Ordini Deus initia dederit, ad eiusdẽ gloriã Dei apud posteriores ætates memoria extet. Itaque & illud adiiciam, quod Pontificis Vicario, aliisq; mirum fuit. Ille enim cùm eorũ, qui variis in Vrbe locis concionabantur, iniri iussisset numerũ, quindecim omnino de Societate inuenit.

11 *Borgia auctoritas & pii labores.*

12

Ex multis, quæ circa Romã, atq; in alia Italiæ loca ab Romano Collegio susceptę egregio cum successu expeditiones sunt, vnã seligam, in quam reuersus ex Ægypto Christophorus Rodericius missus est. Vulturaria vrbs parua est in veteri Samnio in iugis Appennini, qui montes tremuli dicũtur. In eã fuga bellorũ, quibus Prouincia in Gallia & Subalpinus tractus ardebat, quadraginta antè annis Prouinciales, & Subalpini homines immigrarant: qui vel omnes, vel partẽ maximã hæresi iam tum cõtaminati credũtur fuisse. Ex eoq; tẽpore propagata lues etiam bonã indigenarũ partẽ corripuerat. Errores ferè Valdensium erant Lutheranis admixti: neque eos pueris ante annũ quartũdecimum credebant, ne fortè ab simplici ætate indicium emanaret. Errorum magistri perpetuò transalpini aliis alij succedebant: qui medicorũ imagine sedulã necãdis animis operã dabant. Vnde apparet, quãto populis detrimento sit incuria absentiaq; Pastorũ, cùm tamdiu tam dira pestis in Italiæ hæreret visceribus, nec quisquã animaduerteret. Decimo tamẽ ab hinc anno cœperunt vestigia eorũ notari, atq; sinceri deinceps concionatores ab vrbe Neapoli mitti: quorũ doctrina qui inducti ex indigenis fuerãt, fraude cognita permulti resipuere. Alienigenæ verò simulatione impietati addita, cùm occultis cœtibus inter se coniurarẽt, externaque specie ad Catholicos ritus accõmodarent, & sacrosancta mysteria cõtemptim vsurparẽt, plurimis & horrẽdis diuinam maiestatem sacrilegiis violabant: ac radices interim pestilens lolium altiùs latiusq; mittebat. Anno tandẽ proximo Romani sanctæ fidei Quæsitores ad remedia progressi duriora, è deprehensis nonnullos ad triremes damnauerant: alios Romam victos abduxerãt; quo cæteri supplicio territi damnatas opiniones nihilo tenebant remissiùs, sed tantũ tegebant callidiùs. Hoc ergo statu rerum Cardinalis Alexandrinus de collegarũ Quæsitorũ consilio Christophorum Rodericium pro iam comperta viri cùm doctrina, tum prudẽtia cum sociis duobus sacerdote & laico destinauit, vt omni ope miserarũ animarũ aperire luem, & percurare solidè ac fideliter niteretur. Vbi peruenit, denunciauitque adesse se, vt veritatem eos edoceret, & Quæsitorũ auctoritate ab anathemate solueret; ac proinde ne Missæ ante absolutionẽ interessẽt, hæretici obstinarãt in pernegando animos. Diuina sacrificia primi omniũ, & maximè frequẽtare. Pater, quanquã operosum videbat opus, neutiquã tamẽ desperare: cogitare quã caras Christus haberet animas: eius pietate cõfidere: addere ad cõsuetas precationes: multiplicare Cælitũ inuocationẽ, afflictationẽ corpusculi sui: curare etiam sacerdotum oppidanorũ sacrificia, pecuniola in hanc rem collata, quę ex viatico suo reliqua erat: idq; eo libentiùs, quòd cæteroqui nemine stipẽ cõferente, rarò illi sacrificabant. Nihil ex quopiã priuatim accipere: ex publico victitare perparcè: vbique cauere, ne quid in se sociisue appareret, vnde quisquã secùs affici posset: pueros & litterarum & pietatis quotidie elementa docere: quos

13 *Christophorus Rodericius Vulturariam hæresi purgat.*

14

iubebat,

Digitized by Google

iubebat, quæ in schola è catechesi didicerãt, domi tradere suis. Inter quæ cùm litteræ ab Quæsitoribus acres, & grauissima quæq; pertinacibus cõminantes perlatæ essent, tum acriùs ille instare; ex vna parte grauitatẽ sceleris exaggerare priuatim ac publicè; ex altera summa comitate agere: captare hominũ voluntates, animũ facere, veniam vltrò petẽtibus polliceri. Denique cùm seueritas inde Præsidum summorũ premeret, hinc administri lenitas demulceret; illa cõpelleret, hęc alliceret; ea salubris tanquam vini oleiq; mistura vlcera nonnullorũ rupit, quorũ deinde opera ad cæteros curãdos efficax fuit. Horũ enim, qui iam se aperuerãt, primos quosque, auctoritatisq; inter suos grauissimę cùm sibi Rodericius de industria benignitate ac beneficiis adiũxisset, iubebat eos, qui in dissimulatione perstabãt, hortari, vt exemplum ipsorũ intuiti, parisq; veniæ sumpta spe, ingenuè se candideq; proderẽt: eoq; maximè pacto quadringenti demum errores confessi pœnæ se obedienter subiecere. Nec superesse quisquã præterea credebatur. His omnibus ritè expiatis ad gratias diuinæ pietati agendas solennẽ Pater supplicationẽ instituit: in qua cuncti cum consueto notatorũ, & pœnitentiæ habitu Cælites de more inuocantes processere. At deinceps in concionibus magnitudinẽ beneficij, cõmissi grauitatem, hæreticorũ mẽdacia & fraudes ponebat eis ante oculos: hortabaturq; vt Romano Pontifici Romanæq; Ecclesiæ, cũ qua hæresis nulla potest cõsistere, se obsequentes omnino præberent. Quæ illi maximis cũ doloris argumentis excipiebant: & ad Alexandrinũ legatos misere, qui & pro leuitate, quã iniunxerat, pœnæ gratia agerent, & rogarent, vt P. Christophorũ diu apud ipsos esse vellet. Quæ fuit causa, cur, tametsi primo mense id, cuius gratia venerat, exegisset, tribus deinceps mensibus subsistere eum Cardinalis iuberet mali fibris stirpitus euellẽdis, veritatiq; firmãdæ. Nec quidquã repugnauit sacerdos obediens, imò ad Lainiũ scribens, nunquã se petiturum confirmat, vt inde abire liceat, etiã si tota vita manẽdum sit, cùm certò sciat, id sibi esse optimũ, quod sanctæ obedientię sit maximè cõsentaneum; nec vspiam deesse posse, quod agat, cùm satis magnũ negotiũ sit obedire. Quæ dixit propterea quòd initio, post quęstiones absolutas hęreticorũ, oppidanis inter hebdomadã propè omnibus ad rusticos labores digressis, reliqui nulli fiebant, cum quibus vel priuatim, vel publicè negotiã animarum ageret. Simul verò manendũ sibi intellexit, sagaciter in quo bene industriã occuparet, inuenit. Pueros qui in schola erudiebãtur, distribuerat bifariam, & alterũ cœtũ comitit tradebat, vt per vnã oppidi ductaret partẽ: alterũ per alterã partem ductabat ipse. Procedebant ordine bini pueri rudimenta Christianæ sapientiæ decantãtes: tum, vbi ad locum ventũ erat, vbi nonnulla virorũ aut mulierũ esset celebritas, consistebant: iubebantq; eos duces aliqua ex magis cognitu necessariis voce clara sæpiùs pronunciare, quò auditorũ animis insiderent. Id ante meridiẽ, cùm pueri è ludo mittebãtur quotidie per horæ aut paulò amplius spatiũ fiebat: quo studio factũ est, vt nihil toto oppido notius, & omnium in ore frequẽtius, quàm legis diuinæ carmen esset. Vesperi autẽ iidem prælata cruce Cælitibus supplicantes ex Litaniarum formula ducebãtur: cui & Litania Deiparæ sabbatis addebatur: postq; circumitũ oppidum reuersi in templũ solenni precatione eamdem cæli Reginã matremq; misericordiæ modulatis vocibus salutabãt. Dominicis verò festisq; aliis diebus, pręter concionẽ matutinã, & pomeridianã catechismi explicationẽ, vniuersum populũ Pater in supplicationem ducebat, ea præsertim causa, vt (quod hæretici antè detestabantur) beatos cæli incolas venerari precariq; supplices cõsuescerent. Inter hæc tollẽdis dissidiis, cõponendis litibus, fœnebribus lucris, item flagitiis amoliendis; postremò sacerdotibus ac pastoribus verbo exemploq; instituendis accuratè institit. Morem induxit, vt vulgò omnes, antequã ad agrestia exirent opera, diuino sacrificio, quod idcirco sub auroram ipsemet faciebat, diebus singulis interesset. Qui pulcherrimus iuxtà ac saluberrimus mos vt in posterum permaneret, è pecunia mulctatitia, quam locupletioribus hæreticorum Quæsitores imposuerant, perpetuum cõparauit vectigal in sacerdotis stipendium, vt esset quotidie, qui primo diluculo sacrificaret; ac preces ad impetrandã ciuitati in religionis castitate perseuerãtiam fierent. Itemq;, vt primo quoque cuiusq; mensis Dominico die cunctus in supplicationẽ populus duceretur, & res diuina perageretur cũ propria S. Petri inuocatione: denique vt coactæ in vnũ multitudini, quæ Quæsitores, siue in pœnam, siue ad protectũ absolutis iniunxerant, clara voce recitarentur ex tabella, quæ etiam ad memoriã assiduam affixa in tẽplo prostabat. Ex cadẽ pecunia per probatũ ciuem (nam Pater non attingebat) & nosocomium lectis, cæteraq; supellectile instructũ est, & tenuissimi cuiusq; inopia subleuata, summopere lætis omnibus errores suos tam solerter & integrè in publicã verti salutem. Tales inter vrbanas curas interdum etiam in proximos pagos magno animarum bono excurrit. Insignis fuit matris & quatuor filiarũ placatio, quarũ inexpugnabilis habebatur duritia, vt quæ nunquã potuerat emolliri, quamuis interfector filij ac fratris earũ longũ iam tempus in triremi pœnas daret. Nec paruo stetit victoria Rodericio. Ante vnã sororũ tres ipsas perseuerauit horas demissus in genua, per Christi Iesu amorem orans & obsecrans, vt placari vellet. Quæ sacerdotis cõstantia peruicaciam muliebrem ita vicit, vt non tabulis modò publicis ritè pacẽ sanxerint; sed & Pœnitentiæ & Eucharistiæ ab eodẽ Sacramenta susceperint, quò sua ipsis peccata Deus, ac priuatim odij pertinaciam condonaret. Quod haud dubiè rectè petentibus præstitit ille, qui in clementia erga homines nostra præiudicium constituit ac modũ pietatis erga nos suæ. Per hanc sedulitatẽ Vulturariæ, circaq; restituta excultaq; religione, cõciliatis inter se, & cum Deo & Ecclesia ciuibus; cùm damnatis magna ex parte pœnarũ gratiam impetrasset, multa etiam cõmoda ab Vincentio Carraffa oppidi Domino, & à Præfecto Apuliæ, quem Proregẽ vocant, ciuitati curasset; & ob eas res vt pater, vt Apostolus mirè ab omnibus & amaretur & coleretur, vna re percellebat omnium animos, cùm profectionis mentionẽ faceret. Id aures nullius ferre poterant, nisi fortè forensis

15 *Industria & obedientia Roderiçij.*

16

scribæ,

Digitized by Google

scribæ, qui conquestus erat, iam litibus sublatis, se stare non posse. Nec cessabant pignora suæ caritatis munuscula obtrudere: maximeq. instiere, vt ad reficiendas saltē vestes, quæ detritę & laceræ erāt, stipē acciperet. Sed omnia Pater gratè remisit: proq. mercedis auctario quæstū illum & ornatū paupertatis duxit. Demum pollicitus ad solatium concionatorē in proxima veris ieiunia de Societate venturū, vno etiam sacerdotū, optimo viro relicto, qui puerilē catechesim cum lustratione illa oppidi quotidiana persequeretur; summo omnium concursu & dolore, atque adeò ploratu, mulierum maximè ac puerorum, cùm Alexandrini Cardinalis, ac ne eius quidem satis volentis permissu Lainius reuocaret, præcipiti iam in occasum anno Romam discessit.

17 *Prouinciarum Italiæ status.*

Inter hæc Collegiorum per Italiam hic status erat. Quatuor erant, si adnumeres Siciliā, in Italia extra Romam prouinciæ. Hetruriam, cùm discessit Roma Lainius in Galliam, Ribadeneira administrabat, Neapolim Salmeron, Siciliam Domeneccus, Longobardiam Palmius: isq; vnus hoc etiam anno, ac deinceps suam prouinciam rexit. Ribadeneira in Siciliam Domenecci loco, qui in Hispaniā Valentini Collegij causa excurrit, cum Commissarij potestate, misso Salmerone Romam primùm, ac dein Tridentū profecto, Hetruria ac Neapolis à P. Borgia Cōmissario Italiæ, & Madridio, qui vnus ex Assistētibus Romæ supererat, regebantur. Oliuerius Manaræus, qui Collegio Lauretano indevsque ab eius ortu prefuerat; & Maceratensis, quod Angelus Douitius regebat, Superintendens erat, in Galliam, vt pòst referam, Cōmissarius ire iussus, Leonettum Clauonium habuit successorem; & Leonetto in Foroliuiensis Collegij administratione Hortensius Androsius successit, Curtij & Fuluij, qui Ferrariensi præerat, frater. Perusini Ioanne Nicolao, vt studia Theologiæ absolueret, Romam accito, Rector Annibal Firmanus cōstitutus, & Florentini Ioannes Baptista Perusicus pro Caruaiale, qui cum Benedicto Palmio Mediolanum abiit. Senense Rubiola obtinuit. Senis rerum omnium inopia Sodales conflictabantur, vt sæpè ostiatim victui necessaria emendicarēt: mox verò Emmanuelis à Monte Maiore concionibus excitata ciuium pietas, vltrò multa de sua tenuitate (nondum enim ex belli clade recreata ciuitas erat) cœpit submittere.

18 *Patris Emerij res Maceratæ gestæ.*

Maceratæ rem diuinā, & studia ciuitatis adeò promouit concionibus suis Emerius, vt in exemplum emendatę ciuitatis finitimas inter celebraretur. Concionis frequētiam Collegij templum cùm haud caperet, ad S. Francisci iussu Prolegati traductus est. Eo cohortante muliebrium vestimentorum lata lege coërcitus luxus. Iurandi temeritas maximopere temperata. Institutæ Sanctissimum Sacramentum singulis mensibus frequentantium duæ Sodalitates, virorū vna, altera feminarum: eademq; forma institutæ in oppido S. Lupidij Firmanæ diœceseos: quò missu Prolegati Emerius ad paces quasdā conciliandas profectus, complura vltra eas, è re pietatis curauit. Porrò Legati Prolegatique, & omnium ciuium egregia erga Collegium benignitas erat. Semel etiam inuenta in cubiculo Patris Rectoris bonæ pecuniæ summa sudariolo inuoluta: nec vnquam cognitum vnde esset.

19 *Eleonoræ Toletanæ mors.*

Collegio Florentino Eleonora Toletana Ducis vxor ducenûm aureorum vectigal annuum in exitu anni proximi moriens legauit: proq; ea (tametsi Collegium firmamentis longè infra necessitatē munierat) tamen, quia templum ac domum tradendā curarat; & id, quod dixi, vectigal legarat, quæ pro fundatoribus solennes sunt, cunctam per Societatē factæ preces. Adstitit morienti Franciscus Strada, tumque eam ad bonam migrationē, tum Ducē Cosmū ad bene ferendā duorū filiorū & coniugis mortē plurimùm iuuit.

20 *Montis Politiani Collegium dissolmitur.*

Hîc erat Collegiorū Hetruriæ status, cùm id, quod inchoatum erat in monte Politiano, tandē solutum est. Missi erāt multi magnæ auctoritatis Patres, qui agendo dicēdoq; difficultates laxare conarētur: interq; cæteros Ricciardus Ceruinus ierat iam sacerdos, si fortè pro sua suorūq; existimatione concionibus publicis & morū grauitate quidquā proficeret; sed paulò, quàm cæteri, meliore euentu nauarat operā. Tam multa ibi perferenda erant, vt iucundè Natalis non id Collegium, sed domū Probationis vocaret. Quibus rebus Lainius cognitis, cùm & nouis quotidie deformari maledictis, & peti insidiis Dei famulos audiret: nec quidquā ad vitam tolerandā cōferri, adeò vt nisi Paulus Candius Rector Patauio centum minimū quotannis aureos nūmos eleēmosynę nomine è re sua familiari, quam alioqui Romano Collegio dedicarat, ad se transferri iussisset, vltimæ necessitati succumbendum fuisset; ad hæc & domicilij vsum ab Sodalitate Grandium ereptum: tandē ad Candium scribit, vt ciuitatis Moderatoribus eas calamitates denunciet, submisseq; roget, tectum ac victum, sine quibus vita nō ducitur, negare sibi ne velint, sed ad se quoq; suæ riuulū pietatis permanare sinant: quādoquidem ab ipsis aduocati, in eorū cōmoda, si quid conferre possent, nihil essent incommodi, nihil laboris declinaturi. Ad quæ illi respondērūt, publico ciuitatis totius concilio stipendium publici præceptoris Collegio ereptum: Patrumq; causa insuper decretū factū, ne posthac gymnasium ciuitatis Presbyteris aut Fratribus traderetur. Hæc cōmuni sancita concilio ab se tolli nō posse: fieri autē posse, vt, si concilium iterū ea super re ciuitatis haberetur, cōmuni auctoritate abrogarentur. Cęterùm nihil vnquam, cùm hæc initio anni gesta essent, præterea moliti sunt, nec vlla ex parte rebus Collegij melius factū est. Itaque Lainius Polancū, quid consilij capiendū, veniendum ne ad extrema, & remouendū Collegium esset, deliberare iubet. Polancus rem coram Deo tractās, multumq; diuina luce implorata, excogitatis pro vtraque parte rationibus, iisdemq; inter se collatis & expensis, sententiam fert. eamq; sentētiam vnà cum causis perscriptā Lainio ostendit. Quæ omnia manu ipsius Polanci scripta, quoniam ad meas peruenere manus, plurimùm pertinere ad rem totam penitus cognoscendā sum arbitratus, si in hanc narrationē cum fide insererentur. Quæ rationes, inquit, suadēt Collegium à Monte Politiano minimè remoueri debere, sunt hę. Primū, non videtur exempli boni cœptū opus omittere: fermonumq; materia præberetur. Secundò, cùm

21 *Quanta deliberatione Collegium remotum.*

Digitized by Google

inciderint illæ calumniæ præsertim contra Rectorem Gambarũ, videri posset culpa Societatis factũ, vt illic ipsa tam parui æstimaretur. Tertiò, quidã amici, ac pij ciuium peregrè id ferrẽt: fructus etiam impediretur, qui instituẽda in scholis iuuentute, habendis concionibus, & audiendis confessionibus ferri posset, cùm ciuitas sit præstãtium ingeniorũ ferax. Quartò, sunt quidã Marcelli Põtificis nepotes: quibus dolor haud dubiè magnus inureretur. Præterea Ducis Hetruriæ, & Cardinalis Politiani habenda est ratio. Quintò, domiciliũ loco opportuno atq; amœno est. Sextò, non parua facta est impensa in hortũ domũq;: & nõnihil iam certi legatũ est; & ager attributus, qui fuerat derelictorũ. Postremò, id curare dæmon vehemẽter videtur, vt Collegiũ hoc soluatur: ideo non decet eius voluntati obsecundare.

22 At ex altera parte multa tollendũ suadent. In primis neque scholis, neque cõcionibus, neq; confessionibus quidquã profectũ est tale, quod operæpretiũ sit: nec est cur prudẽter speretur posthac profectũ iri. Deinde advictũ nihil suppeditat, sed aliunde submitti, ad sustinendos, qui ibi sunt, alimenta necesse est: nec apparet, vnde aliquando iusta Collegiũ fundamenta sit habiturũ. Tertiò, domicilium perincommodũ est, nisi ædificetur: siq; impensa ædificando fiat, non in proprio, sed sed in alieno solo fit. Quartò, intoleranda est seruitus, quã affert Sodalitas Grandium: quibus nisi obsequaris, offendes: si obsequaris, domicilij Religiosi, secessusq; disciplina teneri nequit: & multa indigna feras. Quintò, Societas operarios pro messe habet paucos: itaq; ea copia, quam habet, præstat vti, vbi fructuosè labor ponatur: & in præcipuis vrbibus, quæ materiã industriæ præbeant. Sextò, eadẽ hîc eausæ sunt, quæ ad Eugubinũ & Argẽtense Collegia destruenda fuere, & grauiores. Igitur quemadmodũ in iis tollendis nulla cõsecuta est offensio, ita hîc nihil magnopere futurum spes est; præsertim si pauca illa, quæ iam possidẽtur, ibidẽ piè distribuantur. Postremò, haberi ferriq, Collegiũ ita despectũ, ita fructuum expers, ita oppressum, totq; obiectũ rebus indignis,
» nequaquam est nominis & exempli boni. Hæc
» vtramq; in partẽ ita cùm habeant, Primũ, inquit,
» mihi videtur id Collegium inde auocandũ, nisi
» duo summoueantur incõmoda, seruitus domici-
» lij, & inopia alimentorũ. Deinde censeo ad Fran-
» ciscũ Stradam scribendũ Florẽtiam, vt agat cum
» Duce, e doceatq; quemadmodũ in Montẽ Poli-
» tianũ Societas profecta sit, quid ibi gesserit, quo
» pacto sit habita. Idem curetur apud Cardinalem
» Politianũ; &, nisi per hoc studiũ curamq; incom-
» moda illa duo summoueantur, venia postuletur
» amouendi Collegij. Præterea modus ac ratio ab-
» eundi esse talis poterit. Scribatur epistola ad Re-
» ctorẽ, quæ ciuitati ac Sodalitati Grandiũ ostẽ-
» datur: in qua causæ recẽseantur, cur illuc missum
» Collegium sit, cur reuocetur: & iubeatur Rector
» cum Sociis in loca, quæ nominabuntur, conce-
» dere, distributis in pauperes ac pias causas omni-
» bus, quæ mouentia possident, eo secũ dumtaxat
» ablato, quod in via necessarium sit. Postremò, si
» ciuitas vel Sodalitas Grandium duo illa impedi-
» menta spondeant amolituros, ac tempus, dum
» scribãt, postulẽt, licebit nostris subsistere, quoad rescribatur. Hæc Lainius cùm probasset, impetrata ab Duce & Cardinali venia; admonito etiã Spinello Bencio Montis Politiani Episcopo, qui Tridenti aderat, ad Paulũ Candiũ epistolã dictauit his verbis: Cùm ego Collegij istius prudẽtiam animaduerterim, mensesq; cõplures, & aliquot annos expectarim, si fortè alium res cursum iniret; nulla in melius conuersione perspecta, existimaui fortasse haud placere Deo, vt Societas nostra in Monte Politiano permaneat; potiusq; ad aliquod ex tam multis, quæ in Italia extraque Italiã offeruntur, Collegia vertere operã iuã debere: vbi cùm sit maior ad laborandũ cum fructu in diuinæ maiestatis obsequiũ præparatio, est pariter aliquod iustus debitumq; magis officium, publicis priuatisq; eorũ studiis, qui nostrã exquirunt operã, respondendi. Itaq; decreui penitus remouere initium illud Collegij, quod ego ipse istuc missi, curauiq; vt adhuc maneret. Veniã igitur bonã petes à Magistratibus ciuitatis, memorans me flagitatione eorũ, qui id ex me per litteras, corãq; per suos ciues contenderũt, adductũ, vt aliquot è nostris fratribus suam in vrbẽ mitterem, quò scholis aliisq; cõsuetis Societati nostræ muneribus publicæ vtilitati impenderent sese, ciuitate ad Socierũ alimenta stipendium, quod Præceptori ex publico pendebatur, & quasdam nonnullarũ Sodalitatũ eleëmosynas offerente: cui postea visum est in alios vsus cõuertere, quod Collegio sustinendo fuerat assignatũ: ita vt haud mediocria fuissent toleranda, nisi inopiæ vestræ subiecuãdæ magno Romani Collegij incõmodo bona submissa esset pecuniæ summa. Et quoniam hanc rem neq; decere, neq; Deo gratã ducimus: nec alia se probabilis ostendit via, per quam prouehi res, & numerus eorũ, quos minima Societatis Collegia requirunt, alipossit: ad hæc neque talis extat spiritualis vtilitas, quæ cõpensare incommoda hæc videatur, visum est mihi ad alia vos transferre loca, vti Roma admonebimini. Illud quidem persuasum habemus, multis ciuium potius facultatẽ, quàm voluntatem deesse ad id præstandũ, quod Collegij vsus requireret. Qua de volũtate omnibus vniuersè gratias ages, & iis potissimũ, qui singulariter se bẽeuolos ac beneficos præbuere, profitẽs, quare possimus, quãuis Collegiũ in Mõte Politiano minimè sit, in Vrbe extraq; eam perlibenter eorũ rationibus seruituros. Bona attributa Collegio, quæ infantium derelictorũ erant, eorum curæ, ad quos pertinebit, relinquito: alia, siquæ extant, persoluto ære alieno, distribuito in egentes. Tum illud magnopere prouidens, nequid sanctæ vinculum caritatis laxetur, discedito, quò Roma iubeberis, pro meque ora. Tridenti. Decimo Kalendas Maias, anno salutis MD.LXIII. His litteris VIII. Kalendas Iunias acceptis, visum est Candio inprimis Sodalitatẽ Grandiũ admonere: postridieq; coactis litteras ipsas Lainij tradit. Quę cũ publicè recitarẽtur, ita plerosq; abeundi mentio perculit cõmouitq;, vt lacrymas non tenuerint. Itaq; protinus quatuor è primis sui corporis nominãt, qui cum Magistratu ciuitatis, & cũ quibus videatur, de retinẽdo Collegio quã accuratissimè agãt. Excitata sunt nõ amicorũ modò, sed multorum præterea, qui cõsopiti videbantur, studia: nec parũ angebat

Litteræ epistolæ de Collegio Montis Politiani.

23

spar-

Digitized by Google

sparsa fama Collegiorũ, quæ à præcipuis vrbibus expetebantur, eiusque quod testamento iusserat Mantuæ condi Hercules Cardinalis Gonzaga: quodq; tantopere Cardinalis Borromæus laborabat, vt Mediolani institueretur. Igitur cõcilium publicum fit, in coq; ciues octo designantur, qui rem Collegij procurent. Interim Candius Roma accipit à Borgia litteras, & mandata, quò quemque Sociorum mittat; vtq; è supellectili & facultatula domestica primùm iis, qui donarunt, si volent accipere, quæ donata sunt, reddant: reliqua autẽ trium è primoribus ciuium arbitrio, eorumdemque manu in pauperes erogent; tum, secum omnino nihil præter vestitum, & aliquid viatici auehentes, quanta possunt humilitate & caritate maxima, nullam necretinentes, nec præ se ferentes rerum præteritarum memoriam, abscedant. Vsque ad extremum Iunij præstolati cùm Procuratores Collegij nihil expedissent, magno sui relicto desiderio, & ferè in omnibus (vt est natura hominum, qui bona, quæ neglexere præsentia, dolent amissa) insigni mœrore excesserũt. Hunc habuit exitũ Collegium Montis Politiani à Lainio inchoatum Vicario, ac septem propè annis inter difficultates maximas haud planè frustra sustentatum. Ex multis laboribus, vias mihi inenarrabiles diuinæ prouidentiæ contẽplanti commodum extitisse illud præ cæteris non pœnitendum videtur, quòd per eam stationem Deus Robertum Bellarminium ad Societatis, totiusq; Ecclesiæ vsum tantum ac decus in lucem protulit.

24. *Quomodo discedendũ è Monte Politiano.*

Triennio, postquam Patres ex Monte Politiano discesserant, memorabilis in ea vrbe res contigit, quam tametsi alieno tẽpore, quia locus postulat, hîc adscribam. Quidã ciuium satis antea bene ab re domestica constitutus post ingentẽ calamitatum seriem eò demum adductus est, vt cõplures dies præter omnẽ vim naturę trahens miserè animam, nullum inueniret sæuissimæ mortis finem. Quo malo ad animi sui curã per Dei bonitatem conuersus; intelligensq; supplicium id sibi diuinitus immissum, acciri iubet multos è ciuibus: in quibus fuere Curtius Taurusius frater Ioannis Mariæ Taurusij postea Cardinalis, Vincentius Bellarminius Roberti Bellarminij item postea Cardinalis pater, Ioannes Hieronymus Bellarminius Abbas, Ioannes Hercules Minatus, Alexander Burattus, alij. His omnibus lecto circumfusis moribundus summo cum doloris sensu intermortuis singultibus hæc palã profitetur: Ego miser ac perditus is fui, qui habitu hominis Iesuitæ mentito ad infamiam Patribus conflandam, vt cogerẽtur Monte Politiano abire, quod proh dolor! accidit; quasi vnus ex iis furtim noctu meretricis domũ ingressus sum: vnde iniqua dissipata in Patres infamia est: & propter hoc immane facinus euidenter sentio Deum esse, qui tanto in angore, vti videtis, detinet me; nec sinit mori. Iã igitur vobis coram omnibus aperio & confiteor indignissimũ scelus meum: voq; obtestor, vt pro me Deum precemini, vt tantã iniuriam cõdonare mihi velit: damnumq; ac detrimentum remittat, quod ego excessu illorum Patrum vniuersæ huic ciuitati peperi. Hæc ritè contestatus non multò pòst omnibus admirantibus, tanquã solutis, quæ ad id tenerẽt, vinculis è vita migrauit xv. Kalẽdas Septembris anno Domini MD.LXVI. Compleuit subitò hæc fama ciuitatem, hodieq; perseuerat. Rem autem omnẽ idoneis subscriptã testibus, ritèq; firmatã ego vidi: vbi etiam testatum reperi, alios fermè omnes, qui infamiæ Patrũ auctores fuerant, miserè periisse. Quibus perspectis rebus pia ciuitas, incredibile memoratu est, quã postea 26
sæpè, quàm enixè Collegium repetierit. Tandem cùm hęc primùm scriberẽ anno MDCV. Claudius Aquauiua Præpositus Generalis, vbi domicilium reditusq; in promptu essent, missurũ spoponderat: remque ita præ cæteris Taurusius Cardinalis vrgebat, vt hæc vna seni optimo reliqua cura videretur esse; nec alia causa, quare vitæ spatium longius adamaret.

25 *Diuina animaduersio in auctorem infamiæ Collegii Politiani.*

Inter hæc publicæ negotia pietatis strenuè Bobadilla in Calabris procurauit. Is enim cùm Epidauri diu substitisset, nec Collegij res procederet, nec posset quartanã, qua molestè iam diu vexabatur, excutere; reuersus in Italiam, aditisque multis vrbibus, & diuini verbi prædicatione incensis à Guidone Sfortia Cardinali sanctæ Florę in Calabriam missus, vt quædam ibi quoq; Siluestrinorũ monasteria viseret, magnã & Melliti & Catanzarij Collegiorum Societatis cupiditatem excitauit: admissaq; hoc tempore sunt, nõ tamen colonis frequẽtata, & Mellitẽ se prorsus euanuit. 27

Ad id loci cuncta per Italiam, & fermè per Boreales oras Collegia ex Romano petebant altiores litteras; hoc primũ anno, quem nunc exequimur, cùm adolescerent paulatim prouincialia Collegia, Neapoli & Panormi cœpta explicari Philosophia. Disceptabatur in Sicilia Messanæ, an Catanæ ęa schola collocaretur: dumq; vtraq; vrbs certat, quia Ioan. Baptista Vanninus Foroliuiensis ad hanc rẽ missus, Panormi agitabat vnà cum plerisque eorũ, qui destinati erãt auditores; ne interim cessarẽt, his priuatim initio rudimẽta Philosophiæ, dein publicè quoque cœpit exponere. Domicilia huius prouinciæ vnà Domenecchus Prouincialis ex Hispania reuersus, & Ribadeneira Commissarius circumeuntes ordinauerũt. Ribadeneira quædã de obedientiæ virtute præcepta solebat inter alia circumferre: quæ Sociis vbique exponens, testamẽtum B. Ignatij appellabat. Ea, quoniam suo loco prodita nõ sunt, hîc reponi nõ erit alienum. Quippe anno, qui supremum eius vitæ præcessit, B. Pater cùm doctum ac strenuum alioqui sacerdotẽ, sed in rebus agẽdis suæ tenacẽ sentẽtiæ nequidquã conatus caritate solertiaq; multiplici ad obedientiæ docilitatem adducere, tandẽ indomabilẽ Sociorum albo erasisset; quanquã sæpè aliàs tam multa de obedientia, & in Cõstitutionibus, & in Epistola ad Socios Lusitanos, & in omni sermone tradiderat; tamen quasi rem integram tractaturus, aduocato ad se P. Ioanne Philippo Vito, qui Polancum Secretarium in scribendis epistolis adiuuabat, Ades- „
dum, inquit, excipe: testatum volo Societati sit „
de obedientia quid mihi animo federit. Contin- „
nuoq; hæc dictauit Hispanicè: quæ nos, quò vernacula vis quàm minimum immutetur, ita vertemus, vt verbis verba Religiosa potiùs, quàm Latina curemus reddere. 28 *B. Ignatius quid de obedientia sentiret.*

Primum. In Religionis ingressu, vel postquam „ 29
eam ingressus sum, debeo omnino & in omnes „
partes

Digitized by Google

„ partes coram Deo Domino noſtro, coramq; Prę-
„ ſide meo reſignatus eſſe (reſignatio autem Reli-
„ gioſis viris eſt certa & liberalis voluntas, qua in-
„ feriores omnino permittunt ſeſe ac tradunt po-
„ teſtati arbitrioque regentium.)

„ Secundò. Debeo optare, vt ab eo Præſide
„ regar ac ducar, qui ad iudicij mei & intelligentiæ
„ abnegationem intentus ſit.

„ Tertiò. Debeo cunctis in rebus, vnde pecca-
„ tum abſit, voluntatem eiuſdem Præſidis, & non
„ meam ſequi.

„ Quartò. Triplex eſt obediendi modus. Vnus,
„ cùm ex virtute obedientiæ iubeor, ac bonus eſt.
„ Alter, cùm proponitur ſolùm vt id agam vel il-
„ lud (hoc eſt, ita parata eſt ad obtemperandũ vo-
„ luntas, vt non expectet præceptum) iſq; eſt me-
„ lior. Poſtremus, cùm quid efficio ex aliquo tan-
„ tùm ſigno cognita voluntate Præſidis, quamuis
„ nec iubeat, nec proponat, iſq; eſt longè optimus
„ (nempe, vt qui obediendi alacritate nec imperij
„ ſummi neceſſitatem, nec mandati denunciatio-
„ nem expectat.)

„ Quintò. Nullam debeo rationem habere, num
„ qui mihi præeſt, maximus ſit, an mediocris, an
„ minimus: verùm mea omnis deuotio obedientię
„ eſſe debet, propterea quòd locum Dei teneat.
„ Nam ea diſtinctio obedientiæ vim perdit.

30 „ Sextò. Cùm opinione aut iudicio meo id, quod
„ Prę ſes mihi iniungit, contra cõſcientiam meam,
„ aut peccatum videtur eſſe; & Præſidi contrà vi-
„ detur, debeo ei credere, vbi clara ratio non re-
„ pugnat. Quòd ſi id à me nequeo impetrare, certè
„ debeo meo iudicio meaque ſententia abdicata,
„ rem permittere iudicio ac deliberationi vnius
„ aut duorum aut trium. Huc verò niſi perueniam,
„ longè abſum à perfectione, & partibus iis, quæ
„ in homine re ipſa religioſo deſiderantur.

„ Septimò. Denique debeo non eſſe meus, ſed
„ eius, qui creauit me, & qui locum illius teneat: vt
„ quemadmodum pilula ceræ duci ſe ſinit; ita ego
„ tractari me ducique ſinam, vel in ſcribendis re-
„ cipiendiſque litteris, vel in alloquendis homini-
„ bus his aut illis: deuotionem in eo, quod mihi
„ mandatur, meam omnem reponens.

„ Octauò. Debeo habere me perinde vt cadauer,
„ cui nec voluntas, nec intelligẽtia ſubeſt. Deinde
„ velut paruula effigies Crucifixi, quæ ſine vlla dif-
„ ficultate verti ſe quamcunque in partẽ ſinit. Po-
„ ſtremò debeo me fingere quaſi baculum in ma-
„ nu ſenis, quem, vbi voluerit, & vbi commodum
„ ei ſit, ponat. Ita debeo ego paratus eſſe, vt Reli-
„ gioni vſui ſim, & obſequar quamcunque rem
„ mihi mandarit.

„ Nonò. Nec petere, nec rogare ex Moderatore
„ debeo, vt me in hæc vel illa mittat loca, vt huic
„ aliiue præficiat muneri. Verũ cogitationes meas
„ aut voluntates proponere; propoſitaſq; humi ab-
„ iicere, iudicio omni, atque integra demandandi
„ poteſtate relicta Moderatori: vt quod cenſuerit
„ ille, quodque mandauerit, pro optimo iudicem
„ atque habeam.

„ Decimò. Tamen in leuibus ac bonis rebus li-
„ cuerit veniã petere, vt ſacras ſtationes obeundi,
„ aut aliquid beneficij petendi, & quę ſimilia ſunt,
„ animo ita comparato, vt quod conceſſum nega-
„ tumue fuerit, id præſtare cenſeatur.

Vndecimò. Item in paupertate nihil habens „ 31
ducenſq; meum, debeo proponere animo in om- „ *Obedientia*
nibus, quæ ad vſum mihi conceduntur, eſſe me „ *in paupertate qualis requiritur.*
veſtitum atque ornatum non ſecùs ac ſtatuam „
quampiam, quæ, quandocunque & quacunque
de cauſa ſuus ei amictus detrahatur, nullo modo
reluctatur. Talia præcepta cũ Ribadeneira pro-
poneret, ingenti omnes alacritate, atq; adeò ve-
neratione, vt ſacras quaſdam B. Patris reliquias
amplexi, tametſi currebãt, tamen haud paulũ ad
incitãdũ gradũ & conatus & hilaritatis addidere.

Prouincia Longobardiæ diuinam benignita- 32
tem multis modis experta hoc anno eſt. Bononię *Dei benignitas erga Bononienſe Collegium.*
cùm aliquot antè annis caritas annonæ ſæuiſſet,
& hoc etiam anno ſumma inopia graſſaretur, ita
ſæpè Collegium prope neceſſitatẽ ſuprema fuit,
vt dato ad examen conſcientiæ, quod prandium
antecedit, ſigno, nõ ſemel domi nihil ad ſoluen-
dum ieiunium eſſet: & tamen ſemper, antequam
ſolenne examinis euolueretur ſpatium, Deus fa-
mulis ſuis eſcam in tẽpore opportuno ſubmiſit;
quod & ſuperioribus accidiſſe annis non ſemel
ſcriptum reperi. Qua liberalitate videtur erga id 33
Collegium Deus præcipuè vſus propter egregias *Franciſci Palmij in Deo fiducia, in homines benignitas.*
virtutes Franciſci Palmij Rectoris cùm cæteras,
tum duas in primis. Altera erat inſignis in Deo fi-
ducia: altera erga homines mirè prompta beni-
gnitas. Præteribant Bononia de Societate Col-
legiorum ſæpè iuſtorũ familiæ, vt hoc ipſo anno
manipulus duũm & viginti Roma in Germaniã
euntium aduenit. Eos Franciſcus, quamuis domi
ſummæ omnium rerum anguſtiæ eſſent, tamen
vultu nõ ſolùm bono, ſed & incredibili excipie-
bat lætitia; ac pro Religioſa caritate hoſpitaliter
habebat. Quòd ſi quem calceis, ſiveſtibus, ſi via-
tico vidiſſet indigere (quod non rarò vſu venie-
bat, iis præſertim, qui Romam è Septemtrionis
petentes partibus, viæ longinquitate, rebus iam
propè nudi omnibus Bononiam attingebant)
non ferebat pium Patris pectus, vt auerteret ocu-
los, & diſſimularet videre; ſed ita viſcera eius cõ-
mouebantur, vt quidquid in ſe eſſet, quidquid
corradere poſſet opis, id omne afferre propemo-
dum cogeretur. Ita prompta in hoſpites Frãciſci
Palmij Rectoris benignitas diuinam inuitabat in
ſuos. Porrò germanus eius eodem tempore Be- 34
nedictus Prouincialis leuamentũ publicis malis *Benedictus Palmius ſuccurrit pauperibus Bononiæ.*
inuenit. Egit cum Campegio Epiſcopo priuatim,
egit cum populo inter magni ieiunij conciones,
vt inopi turbæ virorum æquè ac feminarum re-
ceptacula certa deſtinarentur; vbi & neceſſariis
vitæ ſubſidiis Chriſtiana eos pietas ſuſtineret, &
ipſi interim vtili quopiam exercerentur opere. Id
non modò inopiæ, ſed plurimorum etiam crimi-
num ex vaga deſidia remediũ fore. Rem ita per-
ſuaſit, vt ipſo magni Paſchatis die poſt ſolennes
ſupplicationes ingens inopum vis in tectum ei
negotio deſtinatum inducta ſit.

His & huiuſmodi laboribus Benedictus Bo- 35
nonienſium pietati ſeruiebat, cùm litteræ ab ſan- *Mediolanũ abit ad inchoandum Collegium.*
cto Cardinali Borromæo redduntur, per quas
iubetur Mediolanum ſe & ad conciones, &
ad Societatem introducendam conferre. Duo
pariter Pontificis Pij Quarti perlata ſunt di-
plomata, vnum ad Senatum, alterum ad Gu-
bernatorem Mediolanenſem: quibus Pon-
tifex

Digitized by Google

tifex vtrosque grauiter hortabatur ad rem Collegij suscipiendam. Incognita propè erat Mediolani vsque ad eam diem Societas. Quidã tamen è primoribus, qui eam peregrè norant, maximopere expetebant. Die S. Ioannis Baptistæ natali Benedictus cum P. Iacobo Caruaiale natione Hispano Mediolanum ingressus ad ædes Borromæi Cardinalis diuertit: in quibus cũ picta quædam & ficta Iesu nomina animaduertisset, quod non facilè extra sacra tecta tum tẽporis inuenire erat; magna voluptate repletus est, conuenientissimè, & tanquam futura præsignificante Deo factũ interpretans, vt Societatẽ Iesu ita insignita domus primùm exciperet: & Mediolani collocaret familia ea, quæ præcipuo studio sanctissimum Iesu nomen veneraretur. Haud procul inde aberat cœnobium virginum, cui à S. Martha nomen.

36 *Vaticinium Archangelæ Panicarolæ de Societate.* Ad sacrã eius cœnobij ædem Pater cùm sacrificatum adisset, quòd rem ibi sacrã insigni munditie procurari cognouerat; narrauit Maria Arconata virginum illarũ Antistita, vixisse olim in eo cœnobio præstanti sanctitate feminã Archangelam Panicarolam, quam vulgò iam beatam Archangelam vocitabãt. eiq; pro sanctæ Ecclesiæ bono, & publicorũ morum emendatione Deum multùm oranti diuinitus præmonstratum, orituram Societatem Iesu, cuius sacerdotes nouorũ instar Apostolorum in totius terrarum orbis ad Deum conuersionẽ nauaturi operam essent: tandem & venturam Mediolanũ, & miro toti ciuitati solatio ac bono futurã: quod vti quàm primùm fieret, addebat Maria quotidie suo iussu quinos ab virginibus psalmos, & quasdã nominis Iesu preculas pronunciari. Hæc audiens Palmius, interq; cætera id quoque haud sine Numine factum reputans, vt ex tanta sacrarũ ædium multitudine, quibus Mediolanũ abundat, in hoc potissimùm cœnobio sacrificiorũ Societatis primæ libationes Deo offerrentur; tanquã vellet apparere preces earum virginũ auditas, & eisdem primos fructus vt meritis maximè reddi, diuinæ eius maiestati cordi esse negotium confidens cum optima

37 spe bonum animũ sumit. Et sanè vbi in celebrata illa principis templi amplitudine cuncto Clero, & Senatu, & Gubernatore, tum innumerabili populo audientibus Euangelica tuba personuit; incredibilis simul vulgo pietas exarsit, simul Collegij quã primùm videndi sitis. Ampliùs deinde annos tres ex eodẽ suggestu, ne diebus quidem sacræ inediæ quadraginta intermittens, verba fecit cum omnium plausu, plurimorũ ingenti profectu: cùm præcipuè cõciliata sibi Cleri beneuolentia eum ad disciplinam dignã suo loco & ordine ita excoluerit, vt sæpiùs sanctus Antistes & Cardinalis Borromæus affirmarit, quæ Mediolanensem agrum occupabant, siluas Palmij industria ac virtute excisas: cuius etiã monitu multum in Vicario inesse asseuerantis, sanctus Cardinalis, dum idoneum conquirit, Nicolaum Ormanettum misit. Interim ita feruebant Collegij

38 *Mediolanẽsium ardor in Societate excipienda.* procurandi studia, vt ad Ioannem Thomam Cribellium (is procurator præcipuus erat) quemadmodum ipsemet admirans litteris suis testatur, viceni, eoq; plures quotidie adirent, varias, quibus primo quoque tempore confici res posset, ostendentes vias. adeò rei cupiditas vnũquemq; sedulum procuratorem faciebat. Sed dum in domicilio conquirendo tempus insumitur, quia S. Antonij templum ad Romanam portam, quod quàm opportunissimum ducebatur, non libẽter Landrianus Episcopus cedebat, in annũ sequentem dilata est Sodalium profectio. Palmius autem, vt liberior ad se aditus omnium pateret, in partẽ domus, quam Tullius Albonesius vir pius ac nobilis assignauit, cõcessit. Hîc Euangelicum dum vrget opus, ab Duce Suessano Gubernatore, qui in oppido, cui nomen Varesio, triginta ab Mediolano milliariis penè depositus iacebat, trepidè aduocatur. Sine mora, statim vt admonetur, nocte surgens intempesta per dispositos equos aduolat, expiatoq; sacra confessione Duci panè salutis impertit; confestimque præter spem salus etiam corporis redire cœpit. Quod beneficium 39

Dux perpendens totum se P. Benedicto regendum formandumq; tradit, dicens illũ inter animam suam ac Deum velle interpretẽ ac sequestrem esse. Quam ad vocẽ æquè prompto Ducis animo lætus, ac negotij grauitate solicitus Benedictus, vt qui satis norat bonam Reipublicæ administrationẽ, atque populorum felicitatẽ inde magnam partem pendere, si idoneos animarum suarum rectores, qui publicas regunt res, nanciscantur; hæsit nil certi respõdens, sed Lainio rem omnem significauit, auxiliumque precum ipsius ac Societatis, & simul monita, quæ sequi deberet, petiit. Lainius prudentiæ Palmij cætera com-

40 *Lainij monita confessario Principis.* mittens, monita dumtaxat tria proposuit. Primum, vt prudẽter ageret ac leniter: ne bene cœpta turbaret, coniiceretq; in ea Principem, quæ præstare non posset. Deinde nihil sibi gratiæ, ad alienas res curandas sumeret. Postremò, si quæ aduersus Principem ad se afferrentur, iis ne leuiter accommodaret fidem. Quod postremũ ideo nimirũ sapienter admonuit, quòd iuris iustitiæq; dispensatio, seu præmia seu pœnæ distribuantur, vltra humanas opes est, ne priuatim ingrata sit iis, quorum cupiditatibus non respondet. Inde propiùs factu est nihil, quàm vt commoti perturbatione animi, suarumq; studio rerum in errorem abducti perperam de Magistratuum actis iudicent, sermonesque & querimonias serant.

41 *Germaniæ prouincia in Austriã & Germaniam superiorem diuiditur.* Interim in Germaniæ rebus ordinãdis Natalis distinebatur industria, & quoniam Collegiorum crebescebat numerus: nec iam Canisius tot aliis pro religione curis, ac præsertim assiduo ad Augustanam concionẽ differendi pressius onere, regendæ toti prouinciæ adamantino licet illo animo par esse poterat, eam Natalis diuisit in duas. Nicolao Lanoio, qui Ingolstadiensi Collegio præerat, prouincia, quæ Austria dicta est, regendam attribuit Viennæ, Pragæ, Tirnauiæ Collegia complexam: Canisio Monachium, Ingolstadium, Oenipontum, & additam hoc anno Dilingam assignauit, Germaniæ superioris nomine huic prouinciæ relicto. In Lanoij locum Paulus Hoffæus Vienna accitus, suffectus est Ingolstadij Rector, & Viennæ profectus ex Italia Laurentius Magius solenni professione die sancti Laurentij emissa, præpositus. Mirificè Natalis omnium sibi veluti filiorum parenti animos conciliabat, ea præsertim re, quòd vniuersos ac singulos audiens tanta se & facilitate

42 *Natalis pia solertia.*

Digitized by Google

tate & æquabilitate caritatis ad ſummos æquè & infimos, & ad varia hominum ingenia accommodabat, vt quilibet ſe ei non modò notum, ſed familiarem quoque & intimum eſſe certum haberet. Et animaduerterunt Germani Patres tam placidè ab eo res geri, vt ſemper tranquillus & comis quaſi aliud ageret, maximi momenti res perleui momento effectas daret: miraque ſolertia conſolari mœſtos, addere animum fractioribus, incitare ſegnes; in ſumma conſuetudines cœptas abolere, leges nouas inducere, & perfectæ virtutis amore incendere omnes noſſet.

43 *Dilingani Collegij initia.*

Inſtante Cardinali Auguſtano ſub autumnum miſſi Roma aliquot Dilingam in Collegiũ, quod Cardinalis idem iam diu Societati dedicauerat. Ioannes Couillonius, cùm è Tridentino Concilio abiret, iuſſus interim Collegio præeſſe, & Latinè conciones habere. Sed volumen inſequens, cùm abſolutum planè Collegium, & publica etiam tradita Societati Academia eſt, prodet de eo pluribus.

Caniſius cùm alia multa ſuo ritu egregiè, tum apud Cæſarem, ne, vti à quibuſdam rerum nouarum ſtudioſis incitabatur, quædã in rebus Concilij haud ſatis pro dignitate Apoſtolicæ Sedis poſtularet, liberè ac proſperè geſſit. Res fuit ad

44 *Caniſij præſtans in Rẽ pub. meritũ.*

tranquillitatem Reipublicæ totius Chriſtianæ magni momenti: & Roma cuncta, maximeque ſanctus Cardinalis Borromæus celebrauit: atque ipſe Pontifex cùm ex Cardinali Morono cognouiſſet, tanti fecit, vt adeuntem ad ſe Patrem Borgiam perbenigno amplexu exceperit, perhonorificis eas res verbis commendans. Quæ res, quia pertinent ad ſtudium religionis, vt conſtans ac liberum in Euangelico doctore, ita obſequens ac morigerum in optimo Imperatore declarãdum, inuidendæ poſteritati non ſunt. Inſtabant à Ferdinando quidam partim rerum nouarum ſtudio, partim inconſulto zelo, vt apud Pontificem ac Tridentinos Patres vrgeret, vt nonnulla ad Concilium referrentur, quæ Legati reiecerant, & referenda non iudicarant: vt aſſereretur Concilij libertas, nec ita poteſtati Pontificis ſubiungeretur: tum rigida emendatio morum Romæ potiſſimùm in capite ac membris Eccleſiæ ſtatueretur: vt Euchariſtia promiſcuè laicis ſub ſpecie vtraque in prouinciis Cæſareis, itemque ſacerdotibus matrimonia permitterentur. Cupidiſſimo

45

pacis ac religionis Principi ita fallaces doctores impoſuerant, vt non modò nihil fraudis ſuſpicaretur ineſſe in eiuſmodi poſtulatis; ſed potiùs iam induxiſſet in animum reſarciendæ religionis illam eſſe vnicam viam. Verùm, vt pro rei grauitate, etiam Theologorum conſenſu comprobarentur, cùm quoſdam conuocaſſet, Caniſium quoque accerſiit. Inter omnes ſtatim abſque diſcrepantia vlla cõuenit, in quo Pontificis in Concilium minuebatur poteſtas, id nefas eſſe tentari, cùm à Chriſto ipſo Petrus ac ſucceſſores ſumma cum poteſtate eſſent Eccleſiæ capita conſtituti. In aliis pleriſque omnibus poſtulatis, vni erant Caniſio omnium collegarũ impetus ſuſtinendi. Pertinaciter cùm alia connitebantur, tum vt ingens volumen, in quod petulanter, nullaque verecundia Principis Eccleſiæ coaceruarant, exaggerateque contulerant, quæ in Romana curia emendari volebant, Patribus Tridentinis obtruderetur. Quod vſque eò cõtendebant ferociter, vt appareret quodam etiam exterorum odio ad dolorem atque ignominiam inurendam Romanis agi. Ergo Caniſius, cui certum erat nihil eam rem niſi ad fœda diſſidia valituram, vbi fruſtra cum Theologis communiter ac ſingillatim rationum momenta, & auctoritatis ſuæ pondus, demum etiam preces conſumpſit, ſtatuit ipſam aggredi arcem, & ſententiam ſuam Cæſari ipſi ponderoſo commentario explicare. Iam illud elucubrarat, cùm ratus aliquanto plus acrimoniæ roboriſque in voce viua futurum, ad ſolum ſolus admiſſus, & pauca modeſtè præfatus, quibus & poteſtatem & veniam precabatur expromendi, quæ ad vtriuſque conſcientiam pertinebant, in hæc verba diſſeruit: Tractabo potiſſimùm duo: „ 46
primum, quæ mihi difficultates offerantur ſuper „ *Verba Cæſarem de Concilii rebus.*
grandi volumine, quòd videtur Theologis hiſce, „ niſi ad
Maieſtatis tuæ nomine ad vrgendam reformationis cauſam ſanctæ Synodo ſuggerendũ: deinde quæ videatur mihi ratio ac via hoc tempore à tua Maieſtate cõmodiùs ac feliciùs ad Synodũ ac reformationem iuuandam iniri poſſe. Difficultates illæ ſuccurrunt. Primum, quòd iſtud volumen non modò neceſſarium non eſt, ſed etiam parum firmum ac ſolidũ eſt, nempe congeſtum & coaceruatum ex tempore, à paucis, & his minimè idoneis ad tantam rem: quibus etiam ad rectè iudicandum partim perturbationes ac ſtudia quædam immoderata, partim inſcitia & imperitia rerum officiunt. Deinde haud quaquam decet Maieſtatem tuam duriùs agere cum Vicario Chriſti, addictiſſimoque tibi Pontifice. Nam & animus eius offendi, & ſtudium in reformatione inſtituta retardari poſſet. Qui cùm promiſerit in eam curam ſeſe incubiturum, minimè diffidendũ eſt Summi Antiſtitis, & talis viri promiſſis; ſed potiùs gratulari conatibus & fauere oportet. Ad hæc quid dubij eſt, quin liber iſte ven- „ 47
turus ſit in manus doctorum hominum, nouaſq; lites & turbas creaturus, & cauſam Synodi ſatis alioqui afflictam oppreſſurus potiùs, quàm ſubleuaturus? Vt cuiuſque erunt ingenia ac ſtudia, nouorum motuum cauſas arripient. Quis tum prohibebit hominum iudicia, & linguas, ne exiſtiment & garriant communem Cęſari morbum eſſe cum aduerſariis Eccleſiæ, qui perpetuò aduerſus mores deprauatos vociferantur, quique leges dare, quàm accipere malunt? & ſua dum ingentia diſſimulant videre vitia, Eccleſiaſticis Magiſtratibus ſine modo modeſtiaq; obtrectãt? Periculũ præterea eſt, ne ſtudium hoc ex immodico zelo profectum non irritum ſolùm omnino & caſſum euadat; verùm etiam ægrotos animos, qui in Romana curia eſſent ſanandi, peiùs exaſperet; cùm animaduerterint ſe curiæque ſuæ mores tam odioſè indigneq; perſtringi, Cardinalibus leges imponi, Pontificẽ Concilio ſubiici corrigendum, imminui auctoritatem Legatorum: poſtulari vt cœtus priuati, & concilia ex certis nationibus decernantur: ſuſpectum reddi Secretarium Concilij: arma demum præberi turbulentis hominibus ad maiores in Synodo clamores ac motus excitandos. Itaque etiam atque etiam formidandum eſt, ne mala ſiue Romæ,

ſiue

Digitized by Google

„ siue Tridenti sanare dum volumus, grauiora effi-
„ ciamus, præsertim in hoc publico quasi furore
„ ruentium ad impium schisma populorum. Vi-
„ des in quæ inciderimus tempora: quò redacta sit
„ apud complures gentes Sacrosanctæ Apostolicæ
„ Sedis maiestas: quàm vbique ad secessionem
„ ruatur, ad contumaciam, ad defectionem ab ob-
„ edientia Summo Pastori, Vicarioque Christi
„ debita. Contra funestum hunc tartarei quasi tor-
„ rentis impetum nisi eant boni, suasque opes op-
„ ponant ij, quorum potestas & auctoritas summa
„ est, sed potiùs incumbere eôdem si videantur; a-
„ ctum nimirum de religione, de humana etiam
„ fide, de pace, de ipsa Republica est. Nulla sunt
„ faciliora, Cæsar, & salutaria magis consilia, quàm
„ quæ ex constanti tua intimaque cum Pontifice
„ ipso coniunctione proficiscentur. Quid? quòd
„ iam, & aliunde videmus statum præsentium re-
„ rum ita incertum ac dubium ac turbulentum, vt
„ vix sperare sinat Concilium diutinum fore? In-
„ clinatas ego res nunquam velim videri præcipi-
„ tasse. Habenda est igitur ratio etiam temporis
48 „ huius. Ad extremum si bene Ecclesiæ volumus,
„ si consultũ Reipublicæ cupimus, Princeps opti-
„ me, & ad id audire sententias iuuet sapientum
„ omnium, quotquot vspiam sunt vacui nationum
„ studijs, priuatisque rationibus liberi; nemo o-
„ mnium profectò inuenietur, quin clamet haud-
„ quaquam tantum curandum, quid agant Romæ
„ alieni, quantũ quid domi agant nostri; quos plus
„ nimio videmus in omnem impietatem magis ac
„ magis in dies præcipiti lapsu prouolui. Has difficultates vbi fusè proposuit explicauitque Canisius; ad alteram partem illam accessit, vt expromeret, quæ sibi commodissimæ viæ remedij viderentur. Venerat Oenipontum Cardinalis Ioannes Moronus, inde perrecturus in Concilium Præses in demortui Herculis Cardinalis Gonzagæ locum. Ostendit ergo Canisius amittendam occasionem non esse, quam talis tantique Cardinalis aduentus præbuisset, vt cum homine coniunctissimo non per membranas, sed coràm Cæsar per se suosque ageret. Quæ incommoda obstare censeret Ecclesiæ Synodique bono, de ijs amoliendis ac profligandis audiret sententiam tanti viri. Longè tutius fore, si minora quædam priùs conficerentur, quàm camarina illa moueretur, cuius exitum videre difficillimũ esset. Multa nunc esse in Synodo præclarè constituta, quæ ad morum correctionem instaurationemq; maximè facerent: de his confirmandis & reuocandis ad vsum rectè agi posse. Item dispiciendas esse vias iuuandæ Germaniæ; quæ suos proprios haberet morbos, & procrastinationem pati nullam videretur. Præsertim verò remedia quàm præsentissima postulare prouincias Imperatori subiectas, si saluum aliquid in religione futurum esset. Confirmãdum esse Pontificis animum, vt, quemadmodum cœpit, ita pergat in suscepto restituendorum morum consilio; perque ipsum Pontificem obtineri quædam posse procliuiùs, quàm per Synodum, quæ ad reparãdam Germaniam pertinerent. Ipsosque Theologos, qui conuocati adessent, libenter omnem collaturos operam, vt ad statum religionis potissimùm in Cæsaris prouincijs erigendum & amplificandum adiumenta quàm valentissima excogitarent. Vbi hæc audiuit, pauca Cęsar respondit, cogitaturum se tota de re: viros doctos instituto suo fauere; se omnia cupere tum Pontificis causa, tum Concilij; facturumque vt in commentario illo quædam molliùs dicerentur, ne qua cui iusta offensionis causa relinqueretur. Retulit ex ea congressione Canisius in præsens secundarium magis, quàm primarium fructum, vt magno se angore animi exolueret liberata per id officij conscientia ac fide sua: qui memor se non Deo solùm, sed etiam hominibus debitorem, vt satis Ecclesiæ quoque faceret, & eius administris, tota de actione illa Cardinalem Moronum admonuit. Atque 50
is quidem egregiè laudauit hominis cõstantiam *Canisij zelus.*
atque fidem. Canisius autem, quia parum in eo, quod supra omnia agebat, videbat promoueri, auebat quàm primùm molestissima illa cura liberari, ita secum, ita cum Præposito Lainio per litteras disserens: Ego ne grauissimis rebus inuoluar? & vnus me quasi coniuratis opponam? Qui „
si manifesti essent hostes Ecclesiæ, leuiore negotio euitarentur atque vincerentur. Fateor hanc „
crucem videri mihi perdifficilem in hoc rerum „
statu: & experientia docet magno zelo, & singulari simul prudentia & modestia in Germanicis „
tractandis negotijs, quæ ad religionem spectant, „
in primis opus esse. Itaque in tempore moneo „
(nam & Viennam abducturum se hominem ad id genus consultationes Ferdinandus significarat) si fortè Reuerenda Paternitas tua mihi velut „
infirmo vasculo velit consilium & opem afferre. „
Cæterùm fiat voluntas non mea, sed Superioris. „
Absit, vt, si iuuare quid possim, Christi & Ecclesiæ causam deseram his temporibus verè miserãdis. Respexit tandem Deus fidele ministerium, „ 51
pios gemitus & clamores serui sui, & aliorum quoque preces & sacrificia, quæ ipse continenter implorabat. Itaque tumultuosum illud & iniurioſum volumen ex merito mutilatum ac sectum, omni mordacitate exempta, ex vasta mole admodum in angustum redactum est: & à Cæsare Cardinalis Moronus non modò omnia quæ cupiebat, sed plura etiam, quàm speraret, est consecutus. Quæ Canisius Romanorum Sociorum precibus tribuens, Agnosco, inquit, beneficium „
singulare, quo me hoc loco publicis negotijs im- „
peditum prosequi voluistis; simulque pro me, & „
Cæsare Deum optimum maximum estis precati. „
Atque vtinam quod mei muneris erat, & Eccle- „
siæ dignitas requirebat, ita præstitissem sedulò, „
vt quidam istic fortè prædicant. Agimus tamen „
gratias Deo, qui moderata ex turbulentis reddi- „
dit consilia. In causa tamen calicis nihil eorum „ 52
quæ oportebat impetrauit Canisius. De qua re *Contentio ne sacer calix vulgetur laicis.*
perpaucis referam. Quippe fuit illa per id tempus artium Satanæ veteratoria in primis & efficax, vt per Septemtrionis prouincias Diuinissimi Eucharistiæ calicis populariter euulgandi excitaret immanẽ quamdam (vt honestissimè dicam) impatientiam. Quo in speciem religiosiorcupidq videbatur, hoc facilius simplex multitudo circumueniebatur, hoc incitabatur effrænatius. Enimvero id speculati vlcus hæretici (quin & ipsi fecerant) in id maximè vnguem infigere, ad vsque acriùs exulcerare clàm, palàm, telorum omni ge-

Digitized by Google

nere. Id porro agebant, vt vel semel mota loco Ecclesiæ auctoritate, cætera sensim in præceps traherent, & assuetis ad contumaciam ac seditiones populis, cùm libitum foret, nouas cierent turbas, & noua extorquerent; vel fatum ab se aduersum Apostolicã Sedem odium in dies magis alerent propagarentque: vt segregati à vero Pastore atque custode greges lupis continuò præda fierent. Igitur ita passim per eas prouincias exarserat diuini calicis vsum extorquendi certamen, vt graues impenderent motus, si contrà iretur. Adeoque fracti ac desperati esse videbantur Cęsaris, & Bauari Ducis, & aliorum Principum animi, vt erigere eos, & ad zelum religionis tuendæ permouere perquam operosum esset. Nam præter Theologos, qui palàm ac mordicus pro ea re pugnabant, alij passim defendebant, eo loco statuque rerum de rigido aç summo iure aliquid remittendum, ne in tanta peruersitate temporũ viderẽtur orthodoxi Pontifices extrema sectati.

53 Canisij constatia. „ Sed non satisfacit mihi, aiebat Canisius, humana „ isthæc prudentia. Tempus est confitẽdi nunc ea, „ quæ ad Ecclesiæ auctoritatem vendicandam spe„ ctant; etsi veritas odium parit. Sed virtus circa „ difficilia versatur. Tantùm admoneri cupiebat à Præpositis suis qua sibi via progrediendum inter has ambages esset: & sperabat affuturam Patrum precibus opem cælestem, vt intelligeret, vellet ac posset suo respondere muneri, quod Christo & Ecclesiæ id loci deberet. Agnouisse in Apostolico viro Apostolicum pectus, quod omnium solicitudine Ecclesiarũ tabesceret, infirmitatibus omnium ægresceret, omnium scandalis vreretur. Quid ille non & lacrymarum & gemituum fudit, vbi pòst paulò vidit turbulentorũ hominum postulationibus indulgeri, & in dies maiorem patefieri fenestram ad Ecclesiæ sanctæ auctoritatem cõuellendam, & sacrificium ipsum abolendum? Videbatur sibi videre stragem sacrorum; donec sublata mente ad æternæ mentis consilia, seseque reprehendens: Sed præposterè anxius sum, aiebat, fundati sumus supra petram. Ita temporũ calamitates maximarum faciebat sibi virtutum palęstram. Nec dissimularim apud Ferdinandum adeò contendisse in his, quæ interesse pietatis existimabat, vt ex illa demum apud eum gratia tanta nonnihil detritum sit. Inter hæc hæretici

54 Hæreticorũ in Societatẽ maledicta. cùm pati non possent, vti profitebantur, Euangelij sui cursum Iesuitarũ obiectu retardari; non modò spargendis ore probris, sed euulgandis quoq; famosis libris conati sunt nomen eorum ignominiosum ad vulgus reddere, apud eas maximè nationes, apud quas mendaciorũ impunitatẽ maiorem minùs nota Societas promittebat. Itaq; tota Prussia, & Heilisbergensi maximè diœcesi vulgatus est liber mendacijs totus fœdissimisque in Iesuitas contumelijs cõfertus. Ex quo libro, vt Theodorus Lindanus Neomagus scripsit, ijs, qui de Societate Iesu nihil vnquam audiere, persuasum est, esse eam satellitum Satanæ, atque adeò cacodæmonum cœtum. Eum librum Martinus Kemnitius astutissimus errorum magister Latinum fecit; Germanicũ Ioannes Zanger. Titulus hic erat: *De nouo ordine Iesuitarum, qua eorum sit fides: quomodo aduersus Iesum, & sanctum eius Euangelium decertent, non alio fine, quàm vt nationem Germanicam in æternum salutis exitium adducant, ac denuo Papæ iugo subijciant.* Opinionum hac fœditate conabantur simpliciorum mentes imbuere, vt exosi medicos respuerẽt medicinam, miserẽq; perirent. Verùm apud æquos iudices, ac rerum mediocriter prudentes fraus in caput fraudulentorum recidebat. Hi enim cùm tam impudenter in rebus, quę oculis cernebantur, mentiri hæreticos viderent, inde fallacias doctrinæ eorum, inde prauitatẽ mentis intelligebant: imò cùm aduersus Societatem erigi vsque eo enixè ferociterq; animaduertebant, tanto doctrinam eius ac vitam faciebant pluris, quanto improbis ac mendacibus inuisam magis cernebãt, probè gnari vix vllum sincerius esse de bonorum virtute testimoniũ, quàm odium improborum: Abominantur enim (inquit Sapiens) iusti virum impium, & abominantur impij eos, qui in recta sunt via. Nempe vt pugnant cum calidis frigida, ita inter homines, qui contrariè affecti sunt, pati se inuicem nequeunt. Librum famosum ac pestilentẽ confutauit mox Lusitanus Doctor Iacobus Paiua. Prou. 29.

55 Antuerpiam Societas adit. In Germania inferiore Antuerpiam & Cameracũ Societas propagata. Antuerpiã, vti transiens erat pollicitus, miserat Roma Lainius Iacobum Paëzium Hispanũ, qui diuini verbi prædicatione pretiosam margaritã mercatoribus demõstraret: in quã vnam alię omnes conferendæ sint merces, vt pretium fiant ęternitatis. Ille diebus aliquot apud Canonicũ ædis B. Marię Philippum Almarazium hospitatus in domunculã iuxta septa monasterij Carmelitanorũ migrauit vnà cum fratre laico Ioanne Pellisone. Hoc anno sub ieiunij Paschalis initia Franciscus Scipio accessit, vt audiendarũ confessionũ onere aliqua ex parte Iacobum leuaret. Octobri autẽ eiusdem anni Dionysius Vasquius ex Hispania, & Marcellus Vazius è Lusitania additi vnà cum auxiliari fratre aliquã familię Religiosę formã cœperũt explere, tametsi Franciscus Scipio aliò tum est missus. Hispanis dumtaxat & Lusitanis excolendis intenti erant. Antuerpianorũ ciuium pauci quidã, quibus Hispanæ linguæ cognitio erat, Patrũ consuetudinẽ & conciones frequentabant. Hæc fuerunt prima semina iam tantopere aucti Antuerpiani Collegij; quanquã malũt incolæ inde vsq; ab exordijs B. Ignatij repetere, cùm Lutetia ad leuandas studiorũ difficultates excurrebat in Belgiũ. Et quidẽ etiamnũ hæc cõdentibus nobis supererat vir pietate nõ minùs quã pecunia locuples Ioan. Cuellar, qui olim B. Patrẽ domicilio exceptũ, & sua affatim stipe donatũ apud mercatores alios cõmẽdabat. Idemq; deinceps, vt Ignatiũ difficili ea excursione liberaret, quotannis de sua deq; aliena beneficentia collectam haud leuem summam ad eum vltrò mittebat. Igitur cùm ex eo tẽpore virtutis Ignatij memoria Antuerpiæ, & apud complures caritas vigueriti & inde factũ meritò cẽseatur, vt alumnos eius disciplinę cãto studio posturarint; iusta causa est, cur præcipuo quodã modo Collegij parens Ignatius habeatur. Illud certè æquissimũ fuit bonis mercatoribus ex vite, quam aluerãt, cũ palmites ita latè iam spargeret, propaginẽ nõ negari. In eodẽ itinere ab Parisijs Tridentũ Lainius Maximiliano à Bergis Cameracensi Antistiti aliquot è suis promiserat; & quia summa in

volun-

Digitized by Google

voluntate, neque tum primùm postulabat, & necessitas eo maior apparebat auxiliorum, quòd Religiosarum familiarum nulla Cameraci esset; missi hoc anno sunt circiter decem mense Martio Eleutherio Pontano Rectore: initio Maij ludum aperuere. Episcopus non incommodo censu assignato alebat: cuius humanitati atque adeò pietati nihil addi poterat. Ad omnes omnium necessitates per vrbem agrumque Patres accurrebãt. Verùm officiosus Antistes de eorum valetudine, cœptisque in longum tuendis solicitus, ad pagos paulò remotiores cùm vocarentur, nolebat peditès ire: sed è suis præsepibus commodato vti cogebat equo: ita fidelium operarum cùm imbecillitati consulens auxilio, tum cura fouens alacritatem. Horum vndique nouorum institutione, veterumque fama Collegiorum, Senatus Louanienſis, qui antè non multùm de recipienda Societate laborabat, experrectus instare cœpit, vt, quemadmodum in alijs faciebat vrbibus Societas, ita Louanij instituendæ iuuentutis curam susciperet.

57 *Lugduni restituitur Catholica religio.*

In Gallia res, vti Catholicæ fidei, ita Societatis respirare aliquantũ cœperunt. Statim vt redditum Christianissimo Regi Lugdunum est, reuocati sunt, qui sparsi erant, Comites S. Ioannis (ita Canonicos templi eius appellant) viri in ea vrbe principes. Horum quidam Visitationi Beatissimæ Virginis luce sacra Lugdunum regressi, statuerunt Dominico die in S. Ioannis sacrosanctam victimam Deo immolandam, & concionem ex doctrina Catholica habendam. Quam ad rem Edmundum Augerium, qui tum fortè Viennæ erat, accersunt. Fuerat ampliùs anno Lugduni sacrarum rerum vastitas, & misera solitudo: direpta, & clausa templa: sublatum sacrificium: muti suggestus: nulla reliqua facies pietatis: ipsæ campanæ pio nunquam sonitu auditæ. itaque vbi Dominicus dies illuxit, & patefactæ sunt templi S. Ioannis valuæ, & editum campanis maximis festo sono sacrificij & concionis signum, renasci sibi omnes videbantur Catholici: nec sui propè cõpotes esse præ nouo sensu. Tanta confluxit populi vis, quanta nunquam antè in eo amplissimo templo conspecta fuerat. Inchoatur

58 *Augerij labores praeclarissimi Lugduni.*

Sacrum; postque recitatum Euangelium incipit Edmundus, vt tempus postulabat, ex occasione verborum Euangelij, *Estote misericordes*; populum adhortari, vt, quando Deus vsus misericordia cum ipsis erat reddita pace, ipsi pariter inuicem misericordia vterentur; iniurias vltrò citroque illatas obliuione sempiterna obruerent. Religionẽ haud posse per vim in hominum pectora intrudi: arma relinquerent Magistratibus: consuetudinem inter ciues de rebus ciuilibus esse oportere. Quòd pertineret ad religionẽ, ijs posse de capitibus loqui, in quibus pars vtraque conueniret: reliqua Deo Concilioque relinquenda: suum cuique gestandum fascem. His, & adiectis ad extremam dictionẽ precibus incredibili motu affecta est vniuersa concio: & Principibus, qui antè subuerebantur, ne recentia vulnera æstu fortè nimio abreptus Edmundus attrectãs exulceraret, ita orationis temperamentum placuit, vt arctissimè cum complexi sine vllo modo gratularentur: ijdemq; præcipuos admonerent Hugonottorum, vt modestiam ex Edmundo discẽtes apud suos eius generis adhortationibus vterentur. Quis deinde secundùm Sacrum populi ad contingendas sacerdotum vestes concursus fuerit, quis ad exosculandum altare, qui gemitus, quæ manuum in cælum sublatio, quæ lacrymæ, negat Edmundus fingere sibi animo posse, qui oculis non acceperit. Interfuere multi ex aduersarijs; quorum qui simpliciùs errabant, non poterant in tam communi sensu non commoueri: cæteri quamuis odio rumperentur, & plurimum antè minarum iactassent, nihil tamen ausi nouare. Bina deinceps Sacra singulis diebus peracta, alterum simplici ritu, alterum cum pompa celebri, & cantu, & addita quotidie Edmundi oratoris voce, quem magno militum præsidio deduci reducique Principes volebant. Quamuis haud magnopere opus esset: cùm hoc accepisset singulare à Deo donum ille vir, vt fermè (quemadmodum aliàs monui) aduersarijs etiam gratus foret. Ad viginti hominum millia dicuntur interdum ad audiendum eum confluxisse. Cis Ararim primò, dein etiam trans flumen, vbi frequentiùs habitabatur, compositæ res sunt: atque ibi quoque mirum in modum populi animos sapientibus actionibus, quas in vrbe S. Nicetij habuit, Edmundus præparauit. Quem sine vlla requiete huc assiduè atque illuc (vt cuique templo & paræciæ diuinus cultus restituebatur) ad ornanda initia religiosæ vocis officio accersebãt. Humilis & gratus Pater non desinebat mirari diuinam misericordiam, cui placeret suam vnius homuli operam ita respicere; eaque ad hominũ millia ab errore deducenda vti. Aiebat experimentis sibi deprehensum, Christianam modestiam ad hæreticos in viam reuocandos viam esse aptissimam: eiusque rei causas videri esse præcipuè duas: primùm, quòd hæreticorum magistri cùm intemperatissima & lingua & manu fuissent, inuidiam sibi ea petulantia & importunitate & apud Catholicos, & apud suos conflarant. Nam verbum Dei, tametsi ardens est, zelum tamen habere sapientia temperatũ. Deinde, quòd hæretici fermè superbi sunt, ac despici nolunt. Quare concioni modestæ ac doctæ non difficulter adduxeris, vt præbeant patienter aures; sin despicere videaris, vel fugiant audire, vel audiant auersi: frustraque pulsent verba animos, quos ira & odio obseptos teneant. Vt teneræ ætati, rudibusque consuleretur, cùm plena omnia hæreticis Catechismis essent, nec facilè opiniones falsæ dogmatis fidei diuturno commercio permistæ internoscerẽtur; rogatus Edmundus concinnauit euulgauitque Catechismum, qui opportunissimus fuit. Edidit postea eumdem Gallicè, Latinè, & Græcè: cuius exempla duodequadraginta millia Typographus narrauit in vna Parisiorũ Lutetia octennio distracta. Extat adhuc, & multorum manibus teritur, eiusque lectione plurimi vel in fide Catholica firmati, vel ad eam ab hæresi reducti sunt. Et, quoniam apud doctos plus valiturus putabatur, si testimonia sanctorum Patrum, quæ ad oram notata erant, adscriberentur; adscribenda sumpsit Pater Franciscus Antonius: & perinde, vt factum est in Canisij Catechismo, exiguum libellum in volumen satis magnum

61 *Edmundi Catechismus.*

62 *Posseuinus quoque Lugdunum reuocatur.*

gnum amplificauit. Sub autumnum precibus Italorum, qui fuga antè dilapsi, iam frequentes redierant, accersitus est etiam Posseuinus, atque insigni cum ardore ac fructu, quemadmodum antè fecerat, sacrum præconium nunc apud Dominicanos, nunc apud Cælestinos, nunc alibi inter hæreticorum vexationem atque insidias constanter peregit. Expiauit homologesi noxios: edocuit catecheſi rudes: redarguit deceptorum errores: nullum subterfugit laborem, quo diuinum cultum excitaret. Denique ea rerum consecuta est, Deo iuuante, conuersio, vt vniuersi Lugdunensis vrbis incolæ duobus hisce præcipuè sacerdotibus salutem ac religionem suam debere se profiterentur, qui nullo sui respectu periculi præstò ipsis in summa temporum calamitate fuerant.

63 *Missi Socij in Galliam.*

Iam verò, quoniam strepitu compresso armorum ad rem tota Gallia bene gerendam aditus apertus erat, egregia è Romano Collegio submissa hoc anno subsidia sunt. Manipulus decem Sociorum initio Augusti P. Petro Pradeno duce Billomum peruenit media inter discrimina secũdissimo vsus itinere. Hugonottorum haudquisquam nisi modestè vnquam accepit; tantùm in Lugduni porta custodum quidam conspicatus in vnius baculo crucem, quam fortè sua sponte ita agnati ramuli figurabant, cœpit oblatrare, & minitabundus insequi, quòd crux ita palàm ferretur: sed cùm pariter omnes imperterriti crucis inuicti milites suum pergerent iter, ac ne respicerent quidem; ille secum quædam ferox immurmurans ad stationem suam recepit se, veluti catellus qui frustra molossum allatrauit. At Catholici, quacunque sacer ille chorus transibat, erigebant in cælum manus & oculos; gratias Deo agentes, quòd videre tandem, & sacerdotes, & tam multos, sibi fas esset; quos putabant hostium furore omnes sublatos: tum innumera ipsis Patribus bona precabantur. Sub autumnum Ioannes Maldonatus, & Michaël Vanegas (hunc demum constantia defecit) viri præstantes Parisios initium docendi in celeberrimo illo theatro facturi venerant: sub idemque tempus Oliuerius Manaræus accessit, qui orbæ Paschasij obitu prouinciæ Commissarij potestate ac nomine præesset. Ædes iam Pontius, quas Lingonenses vocabant, ab Lainio ipso, dum Parisijs fuit, ad Collegium destinatas, coëmerat. Erant peramplæ, locoque percommodo in Iacobæa platea sitæ, leni impositæ cliuo, vndique patente cæli conspectu, Aquilonem, qui maximè ibi salubris ventus est, & orientem commodè solem excipientes. Iam & Senatus, & ij, quos Claromontanus Præsul testamenti sui procuratores instituerat, vt Collegium & scholæ inchoarentur, vrgebant. Sed non nisi rebus adornandis annus iam præceps suffecit. Quæ dum à Pontio procurantur, properè Billomum Oliuerius excurrendum ratus in itinere tristi rumore percellitur. Rem in epistola quadam ipsemet ita describit: Lutetia venientibus nobis multis locis nunciatum est, interfectum esse Patrem Edmundum: quod Catholicis summo erat dolori propter insignem fructum, quem Lugduni affert: adeò vt honesti magnique viri, qui nos planè ignorabant, post quadringentos annos nunquam audisse hominem, sicut ille vbique audit, affirmarent. Incredibilis est odor, qui circumquaque per omnem Galliam eius optimi Patris spargitur. Plena est Lutetia, plenus Senatus Parisiensis, pleni ordines alij. Inter hos rumores, qui vani demum comperti sunt, anxius Billomum Manaræus attigit. Ibi de Collegio ex testamento item Claromontani Præsulis Mauriaci instituendo tractauit: ex quo mittuntur coloni: Petrus Pradenus Rector, tres; qui Latinas litteras docerent, vnus populi hortator & catechista, postremus ad manuum labores Adiutor. Non rarò per id tempus, in cætera operarum paucitate eueniebat, vt artis oratoriæ Magistri deessent, quamuis ea studia Lainius impensè commendaret: quòd diceret eiusmodi in Societate idoneorum Magistrorum æquè magnam opportunitatem, & magnam penuriam esse. Collegium Billomæum hæc dudum difficultas premebat. Cæterùm obedientia Sociorum in omnes parata casus difficultatibus omnibus occurrebat: proque multis hominibus multiplex virtus erat. Itaque Carolus Sagerius qua voluntate Philosophiam ad id loci Billomi docuerat, ea litteras Græcas, & oratoriam profitendam suscepit. Cuiusmodi munerum, & quorumlibet aliorum, nequaquam administrantium tædio, sed Præsidum arbitratu, & postulatu temporum solennis passim mutatio erat, cogitantibus Religiosis se, vt munera non vbique eadem tractarent, eidem tamen vbique Domino inseruire, qui non indiget operâ, sed delectatur obsequio. Oliuerius, compositis in Aruernia rebus, in Delphinatum descendit: Lugdunique, quod auditione acceperat, de præclaris Augerij studijs, coràm oculis magno suo gaudio vsurpauit. Eum, & Posseuinum summis cum laboribus suis, parique incolarum emolumento in restituenda religione occupatos reperit. Fumabant adhuc Hugonottici furoris ruinæ. Summopere tamen delectatus est popularibus erga religionem studijs. Admirabatur auiditatem publicam audiendi diuina, maximeque concionis celebritatem, quæ Edmundo aures dabat, quantam nullo vnquam loco vidisset. Compar erat ad sacrosanctam mensam concursus cum gemitibus, lacrymis, ardore animi præter morem. Quam speciem augebat simplex & pauperrimus sacrorum apparatus, cùm haud dum pro dignitate restitui potuisset. Stannei erant sacri calices: nudæ propemodum aræ: Sacerdotibus casulæ, Diaconibus dalmaticæ deerant. Denique omnia visebantur eiusmodi, quæ fœdissimæ stragis imaginem sub oculos ponerent. Lugduni Oliuerius tum alia cum Edmundo egit ad reliquam Societatem spectantia, tum propriè ipsum admonuit, vt labores temperaret. Videbantur enim humanis intoleranda viribus, quæ vir non admodũ robustus corpore, ferreus animo exantlabat. Diebus festis semel atq; iterũ; cæteris diebus semel contentione magna, perdiuq; dicebat, præter alias nunquam interruptas respondendi, consolandi, disputandi scribendiq; occupationes.

64 *Collegium Parisiense præparatur.*

65 *Fama excellens Augerij.*

66 *Mauriacense Collegium inchoatur.*

67 *Obedientia paucorum supplet vicem multorum.*

68 *Magni labores Augerij.*

Digitized by Google

nes. Item de professione solenni votorum quatuor edenda admonuit: à qua re visus est aliquantum refugere, quòd eo se loco minùs dignum, nec virtutibus, quæ Professorum gradus requirit, ornatum putaret. Spatium itaque postulauit, dum animum Lainio penitus aperiret. Inde Oliuerius Turnonem profectus non multò antè restitutum Collegium inuisit, eo maiore suo ac Sociorum gaudio, quòd quamuis omnia in hæreticorum potestate venissent; tamen nihil de supellectile imminutum, præter duas talares vestes, nihil noxæ ædibus illatum, nihil templo, sed omnia ita intacta tanquam sub diligenti fuissent custode, repererunt; cùm quidem reliquo in oppido, alijsque in templis nec pauca, nec modica extarent vestigia Caluinianæ immanitatis. Verecundia fortassis Turnonij Domini temperauit; quanquam & id ipsum siquid valuit, cùm alibi ne Regis quidem verecundia valuerit, singulari (vt Patres interpretabantur) adscribi debet diuinæ tutelæ. Interim in Aquitania Pelletarius vim omnem tuendæ restituendæque fidei Tolosæ, Ruthenisque impendebat tanto cum effectu & nomine, vt demortuo Episcopo Cadurcensi, cùm primates & populus ex edicto regio tres nominarent, è quibus successor eligeretur, primum omnium eum nominarint. Sed exitum ipsemet cùm datis ad Lainium litteris, tum alijs disturbare vijs cùm esset aggressus; nulla re magis, quàm grauis beneficio morbi, ex quo desperabatur salus, quo etiam insequenti anno absumptus est, victoriam reportauit.

69 *Cura Dei in tuendo Turnonensi Collegio.*

70 *Pelletarius Episcopatū respuit.*

71 *Res Hispanica.*

Hispaniæ prouincias ijdem hoc anno, qui proximo obtinuere, Ioannes Valderauanus Toletanam, Ioannes Suarius Castellanam, Aragonensem Antonius Cordesius, Bæticam Ioannes Plaza. Quisque horum prouinciæ suæ Collegijs adeundis, promouendæque domi ac foris pietati strenuè intenti: tametsi inter eos, & Araozium Commissarium solennes querimoniæ interdum existebant, cùm is se pro supernacaneo duci, illi quasi vinctas sibi manus quererentur. Damnum ingens factum Antonij Madridij excessu, viri ad agendum ac dicendum præstantis. Is in oppido Beierio, quod à Melle vocant, propè Gaditanum fretum ortus; inque pastoritia vita, quam agitabant parentes, aliquamdiu educatus, Deo sensim ad maiora ducente, Complutum, si quo modo quid ediscere litteratum posset, concessit. Ibi incommodis, quæ rerum egestas, & alienis addicta imperijs vita fert, solertia & constantia superatis, in Collegium tandem, quod Trilingue nominatur, aditum sibi fecit. Inde Salmanticam transijt, Doctorisq; Theologi magna cum scientiæ fama gradum adeptus, in Collegio S. Bartholomæi, quod præcipuum Academiæ illius est, vixit, docuitque Philosophiam semel atque iterum repetito curriculo. Granatam inde cùm abijsset, inter regij sacelli collegas receptus explicanda Theologia, habendisque interdum concionibus quietus ætatem exigebat; cùm anno millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto Patris Basilij præsertim ignei concionibus inflammatus magno impetu sensit se ad Societatem impelli. A qua cùm animus metu

72 *Antonij Madridij singularis vita & mors.*

73 *Vocatio eius ad Societatem.*

vitæ tristioris, & conscientia tenuis valetudinis abhorreret, luctari secum cœpit, ac vitam ducere planè insuauem; Deo nimirum, quanto ipse resistebat ferociùs, tanto calcaria fortiùs admouente. Has inter angustias familiaris eius Doctor cùm ægritudinis, quam vultus ipse prodebat, quæsisset cognouissetque causam, re ipsa probans amicum fidelem pretiosiore thesauro esse; dubitanti animum addidit, pro certo affirmans fore, simul ac desisset mordere frenum, Deoque paruisset, vt angor ille animi finiretur; & vitam in Dei obsequio non acerbam ac tristem, vti fingebat sibi, verùm suauem, ac cælestium plenam gaudiorum duceret. Nec minùs vera prædixit, quàm recta consuluit. Credidit sese Deo Antonius; & vbi primùm attritam tuniculam induit, tanto delibutus est gaudio, vt ipsemet admiratus veterem suum errorem, affirmaret nunquam sibi tota in ætate fuisse iucundiùs. Adhuc se tanquam in tartari pœnis vixisse, iam beatas cæli delicias prælibare. Continuò Rector iussit, posito talari vestitu, è publico fonte aquam cribro petere; vt quo plura doctrinæ & auctoritatis affererebat ornamenta, eo firmiora poneret fundamenta obedientiæ & humilitatis. & ille alacriter & obedienter profectus, ea notos admiratione perculit, vt quidam propè sanctum, alij planè stultum existimarint. Hac animi excelsitate cœpta militia, & Granata Cordubam ad tirocinium accuratiùs ponendum missus, nihil auebat ardentiùs, quàm summè ab omnibus despici, pessimeque accipi. Quod cùm minimè succederet, abijcere ipse sese vbique, pro nihilo ducere: nullam prætermittere occasionem, qua sui amorem quasi capitalem hostem vexare ac sustigere cruci posset: in sermonibus, si quæ venirent in mentem, quæ ingeniosè & commodè dici viderentur, ad ingenij & pietatis ostentationem virandam cautè obtrudere (quoad Moderatores re inde animaduersa, quòd sæpè intersistebat, & abrumpebat filum, iusserunt attributa Deo laude, quod succurreret in medium bona fide conferre.) quin etiam vt doctrinam obtegeret, imperitam atque subrusticam affectare locutionem, præsertim apud eos, quibus erat ignotus: domi perlibenter cum infimo quoque agere: aperteque se Pedrocci pastoris filium ferre: plurimùm vestitu attrito atque vili delectari. Hoc tirocinium, hoc militia omnis, id est tota vita Doctoris Madridij fuit. Ex eo sui vero contemptu oriebatur insatiabilis asperrima quæque patiendi fames. Attenuatum erat corpusculum, & confectum suspirio ac tabe (asthma Græci ac phthisim appellant.) nec animo solùm æquo perpetuam eam vexationem ac meditationē mortis ita ferebat, vt sacerdoti amico vicem ipsius miseranti dixerit; Nescis, Pater, quantus mihi thesaurus, quamque bonus monitor hoc asthma sit: verùm etiam atterendo vsque magis voluntarijs ipse supplicijs instabat. Itaque adducendis semper habenis sedulò imminere Moderatores necesse erat. Plurima flagitanti ne omnia denegarentur, datum id fuerat, vt vbi esset concionaturus, verberaret se, modò tamen plus octo verbera ne infligeret, cùm eius valetudo ne ea quidem ferret. Instantique rursus ex Borgia tum

74 *Sui contemptio.*

75

76 *Studium mortificationis & afflictandi corporis.*

Digitized by Google

Commissario, vt saltem ad spatium, quo psalmus quinquagesimus pronunciaretur, cùm esset diuina eloquia tractaturus, producere verberationem priuatim liceret: & ad idem spatium verberare se singulis hebdomadis publicè in cœnatione permitteret, respondit Franciscus his verbis:
„ Spatium psalmi Miserere, quod ad te verberan-
„ dum, cùm es concionaturus, rogas tibi concedi,
„ nimium mihi videtur: sat erit, vt octo iam con-
„ cessis ictibus septem præterea addas, si Rectori,
„ cum quo id communicabis, pro exigua tua vale-
„ tudine, ita videbitur: & hos quindecim ictus ita
„ Deo offerre poteris, ac si spatium expleres, quod
„ petisti, quando id obedientia præcepit, proque
„ eo acceptum iam Deo est. In cœnationem cum
„ flagello qualibet hebdomada prodire licebit
„ quidem; verùm ita, vt soles, indutus ingrediere,
„ & super vestem flagellum expedies. Vallisoleto
„ tertio Kalendas Iulias, anno salutis M. D. LVIII.

Graui forsitan supercilio indignetur hæc stulta sæculi sapientia. Cæterùm in schola Christi, quæ perfectam docet homines sui victoriam, in qua non vt in Academijs aut Lyceis, sed velut in templo ætas agitur: hostiaque tanquam infixum gerentes iugulo mortificationis cultrum, & tamquam aris ac flammis impositæ, ita continenter mactantur, & ardent, vt longum vita sacrificium sit; subtilitatem Philosophiæ cælestis continent. Solebat præterea hic sanctæ crucis constans amator in communi etiam rerum vsu assiduam captare asperitatis materiam, ac præ cæteris, cùm brumæ gelu asperrimum inhorresceret, tum os collumque plurimum perluere gelida; & inter aspergendam frontem aqua lustrali, eius guttas per collare demittere. Quæ durities è sancto Dei timore in primis, suarumque noxarum dolore manabat; cùm satis nullam pœnam, nullum probrum duceret ei, qui Deum aliquando offendisset. Hinc aduersus crimina immortale bellũ, & ea quacunque vi viaque posset ab omni hominum genere exterminandi conatus oriebatur. Hæc autem omnia feruidæ orationis & meditationis facibus inflammabat: vnde admirabile illud manabat lacrymarum flumen: quarum maximè ope Hispali, Cordubę, Vallisoleti, Salmanticæ, & vbicunque cum populo egit, miras animorum commutationes fecit: vitia grauia sustulit: prauas consuetudines aboleuit: complures doctrina & opibus & nobilitate claros Religiosis septis inclusit. Animaduertêre vulgò (fuitque notatu digna res) cùm ante initam Societatem ita parum dicendo valeret, vt à concione desereretur, tantum deinde adeptum facultatis, vt ingenti fama, concursu maximo, effectuque miro verba faceret: nec modò sanctitatis opinio ad audiendum, sed multos etiam curiositas (adeò casta elocutio, & apta actio dicentis erat) alliceret. Nam Hispali ne Canonico quidem Constantino, hæretico illo, qui mirus habebatur orator, facultate & elegantia existimabatur inferior, cùm rerum genere, & animi studio sine comparatione præstaret. Nimirum & ipsum, & Religiosos cæteros admonebat Deus, dona talia non tam hominibus, quàm Ordinibus tribui: ac proinde nihil arrogare sibi quemquam debere, sed id tantùm curare, vt dispensator fidelis inueniatur. Verumenimverò, quod ciebat populos, inuadebat corda, nouos è concione homines dimittebat, id erat commotio, feruor, lacrymæ, cum quibus dicebat. Primùm ipse hominis extenuati ac semiuiui conspectus, in eoque habitu rara elucens sanctimonia auditorum illico feriebat animos. Pro exordio enim ad vulgus potentissimo est pia & miserabilis facies oratoris. Postea verò quàm ea specie apparuerat in suggestu, vbi consueta sibi pietate, duplicique per genas iugiter defluente riuo lacrymarum peccati mortiferi indignitatem, deformitatem, pestem, supplicia ante oculos statuebat, saxa propemodum ipsa molliebat. Nec erant quamuis dura cuiusquam scelerati pectora, quæ non penitus concussa salubri metu, & sacro horrore perfunderentur. Quod tum videre erat in primis, cùm ad perorationem brachijs ad modum crucis ante pectus implicitis, ceruice in alterum latus remissa, oculis humi fixis, horrendum præconium, quod olim promulgabatur, dum Christus ageretur ad crucem, graui ac miseranda vociferatione repræsentabat. Tum scilicet cohorrescere primùm vniuersa concio, dein colliquefieri flendo: postremò omnia singultuum ac gemituum confuso strepitu personare. Quo in æstu sæpè fiebat, vt defectus viribus concionator, nec tendere vltrà valens, sermone abrupto, languidus, & propè exanimis in suggesti spondã collaberetur. Quod ipsum spectaculum commiseratione auditores, terrore, cura sui complebat, vt noua quisque agitantes consilia, taciti & vix sui compotes domum redirent. In plurimis, quæ per eum diuina pietas egit, (quorum alibi etiam quædam memorata sunt) Compluti duorum virorum principum effrenes, & in publicam erupturas perniciem cupiditates infregit. Alter flagitium, alter vltionem moliebatur: ac posterior non dedita opera ad concionem accessit, sed tum, ipsum cùm facinus instruebat, ea transiens, vbi verba Euangelicus orator faciebat, constipati conspectu populi, & curiositate ad audiendum pellectus, cùm se turbæ immiscuisset, ita de caritate proximi differentem audiuit, vt eo loco odium omne exuerit; ac dein conuento concionatore arbitrio se totum eius permiserit. Nec in suggestu solùm, verùm in priuatis quoque vsibus erant Madridio lacrymæ promptæ & efficaces administræ. Ad diuersorium, quod Ocannia Complutum tendenti occurrit, fortè confederat in scamno pro foribus, cùm cœpit magnis cum singultibus os sinumque fletu rigare, vehementer ijs, à quibus deducebatur, mirantibus (præ valetudine enim lectica vehebatur.) Viderunt id perditæ quædam mulierculæ, quæ eo loco versabantur, propiusque gradu admoto; Quid fles Pater? interrogant. Quibus ille, Vestra ploro peccata: quòd infelices rectà præcipites in tartarum ruitis. idque dicens pergebat tanto cum impetu, tantisque gemitibus flere, vt perditarum animi ferre eam speciem nequiuerint: sed ipsæ pariter collacrymari cœperint, & vitam mutaturas polliceri. Denique penitus conuertuntur. Quod homines, qui Madridium deducebant, vbi viderunt, rem haud eximebant miraculo: quòd neque destinatus, neque opportunus quieti

77 *Religiosi hostia viuentes.*

78 *Donum lacrymarum Madridio.*

79 *Qualis ipse prædicator.*

80 *Effectus verborum & lacrymarum Madridij.*

Digitized by Google

etiam erat locus: neque alia de causa videbatur ibi interquiescere voluisse. Existimabant igitur diuinitus ei missum earum muliercularum statum
81 fuisse monstratum. Vt se ad progressum excitaret, acria quædam, velut aculeos habebat ad manum dicta: è quibus hæc vsitatiora referuntur; quæ apparet inde profecta, quòd spiritu ad magna tendente, corporis imbecillitas interdum obiectanda vitæ cupidine dilationem suaderet. Huic enim periculo, quibus valetudo dubia est, obnoxij Religiosi sunt, ne vitæ præcipitādæ metu pro cautis moderatisque molles & corpori indulgentes fiant. Aduersus quam fraudem præmuniens animum Madridius, sibimet identidē,
Dicta quibus se excitabat.
„ Ne erres, occinebat, stulte laborator, quasi vnius
„ iacturam temporis sarcire alio possis. Non enim
„ ad perfectè delenda huius diei peccata est satis
„ hic dies: sufficit diei malitia sua. Bene quidam
„ sapientum monet: Non viuitur vnus dies bene,
„ nisi tanquam postremus viuitur. Aliàs aiebat,
„ Quid est, quamobrem vitam expetis? Nempe
„ peccata vt vindices; strenuè vt labores; vt in Dei
„ te laudem atque seruitium impendas. Atqui ecce vita suppetit: quid vltrà quæris? præstò est,
„ quod optas. An alterius erit conditionis id, quod
„ præstolaris? Nunc te, nunc ad pœnitentiam erige. Morere tibi. Stude tuimet cognitioni. Perpetua Dei laus vita tua sit. Ora sine intermissione.
„ Orationis tempore sic vtere, quasi cœlesti pane ad
„ animi nutrimentum. Aliàs cum Christo Domino loquēs, aiebat, Mi Iesu, intra in opus manuum
„ tuarum: euelle, planta, destrue, ædifica vti placitum tibi est. Actu, qui potes, custodi cor meum
„ in timore & amore, in prudentia & simplicitate, ante oculos tuos, qui me vndique conspiciūt,
„ vt obediam propter te, & non secùs ac tibi; æquè
„ summis & infimis, quos habeo loco tuo; subijciens sensum meum illorum sensui in rebus par-
82 „ uis ac magnis. His, alijsque huiusmodi vocibus assiduè castigans ac stimulans se, addebat currenti calcaria: totusque ardens, nec locum torpori relinquens, quemadmodum Valderauanus Prouincialis ad Lainium scribens, appellat, carbo videbatur ignitus, qui & domesticos & alienos diuini amoris igne succenderet. Alterum iam annum Compluti in sancti Illephonsi concionabatur apud præcipuos & doctissimos quosque auctoritate maxima: qui cum tam excellenti doctrina, tanto cum verborum & sententiarum delectu, tantaque dignitate actionis copulatum adeò tenerum animi piumque sensum, tam ardens adducendi omnes ad Deum studium haud facilè vspiam præterea inueniri posse dicebant. Postremam concionem, quasi cygneam vocem ederet, in templo Societatis Kalendis Ianuarijs huius anni eo spiritu & ardore habuit, vt multi dicerent, Hæc concio non Doctoris Madridij, sed Angeli è cælo fuit. Cæterùm è suggestu descendit viribus vsque eò exinanitis, vt inter manus in lectulum deportatus graui mox febri corriperetur. Statim principio periculum vigil seruus coniectās, timore magno ad supremam reddendæ rationis horam se comparare cœpit; precesque & sacrificia domesticorum & alienorum inuisentium postulans, omnia pro peccatis fieri volebat. At vbi medicus apertè summum vitæ
83 *Quomodo se ad mortem comparārit.*
discrimen denunciauit, tanta subitò tranquillitate ac securitate donatus est, vt mira omnibus repentina mutatio acciderit. Pridie eius diei, quo est mortuus, cùm difficultas respirandi sub vesperam subsedisset, diuinissimo Sacramento instructus, omnibus meliùs habere affirmantibus, rogauit, vt paulisper se solum relinquerent: cæteris que digressis, præter vnum, qui substitit inuisus, ad Crucifixum, qui prope lectum erat, conuersus, præter cætera hæc dixit: Domine migrare equidem vellem; sed meliùs mihi iam esse nunciant. Tu de me id consule, quod in tuum maius obsequium cedit. Hæc autem frequenter interdiu noctuque vox illi erat in ore: Adsum, Domine, vt placet, facito. Multi dein excubare apud eum cùm vellent, iussit cubitum ire, se eos tempestiuè admoniturum. Inclinata iam nocte, Patres accersiuit, qui destitutum propè sensuum vsu omnium repererunt. Quare circumfusi prouoluuntur in preces, cùm ex improuiso moribundus vocem, attonitis omnibus, attollit: & colloquium cum Sanctissimæ Trinitatis personis tam appositè, tamque robusto sono exorditur, ac si optimè valeret, suauissimis ac sapientissimis
verbis. Absoluto colloquio, Patres Fratresque, 84
qui aderant, agnouit: multumque eorum corona precibusque lætatus, pro ea caritate, quam sibi supremo illo tempore exhiberent, memorem se pollicetur fore. Addidit placidè, Valete Patres; ego eo. & ad Crucifixum conuersus, O quàm vellem, inquit, nunquam te mi bone Iesu offendisse. Quàm vellem vita mihi omnis in solo tui amore consumpta esset? Dolet mihi, Domine, quòd offenderim te. Sed habes, vbi diuitias bonitatis tuæ ostendas. Tu Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, & huius scelerati peccata tolle. Post hæc cùm ad Beatissimam Virginem conuerso sermone, illam hymni clausulam, *Maria mater gratiæ, Mater misericordiæ, Tu nos ab hoste protege, Et hora mortis suscipe*, pronunciasset; in sui procreatoris manus spiritum exhalauit pridie Idus Ianuarias, anno ætatis tertio circiter & quadragesimo. Populum casus vehementer perculit: 85
vulgoque pœnam ab irato Deo inflictam ob sua scelera interpretabātur, quòd is vir sibi esset ereptus. Ad exequias concursus maximus fuit; passimque sanctum appellantium voces audiebantur. Inter cæteros Rector, totumque Collegium quòd Maiorum vocant, interfuit: quorum præcipua erga Madridium beneuolentia & obseruantia semper eluxerat. Manfit eius memoria tam omnibus iucunda, eiusq; ponderis, vt inter sacras conciones Madridij dicta & facta nominatim instar summæ auctoritatis afferrentur.

Decimo Kalendas Aprilis Murciæ obiit Stephanus Almeida Episcopus Carthaginensis Collegij Murciani fundator: cui inter alia sui sacelli supellectilem legauit. Quindecim ante mortem diebus accersito Rectore non modò sacra vltima, sed etiam assiduè cibos sumere
86 ex eius manu voluit. Murcianum porro Collegium tum fundatoris benignitate, tum egregiorum operariorum, quos ille curauerat aduocandos, industria, cùm existimatione, tùm rebus gerendis florebat. Penes Michaëlem Gouernium sacrum populi magisterium erat: ad
Murciani Collegij status.

Digitized by Google

quem audiendum is fiebat concursus, vt intercluso ad suggestum aditu, simulq; ijs, qui aream templi complebant, solandis extemporale suggestum in templi foribus, vnde diceret, locaretur: nec malè respondebat tantæ audiendi siti alacritas obsequendi.

87 *Toleti Societas pergrata.*

Toleti non modò in templis, sed in vrbis quoque plateis diuinum præconium fiebat eo populi fauore, vt in earum duabus baiuli, alijque de tenui plebe collatis pecunijs suggestum Patribus, omnino ignaris ipsis ædificarint. Nec minor erat apud Senatores gratia, qui domesticæ conscij egestatis, nec decere existimantes ijs deesse mortalis vitæ subsidia, qui tam prouidè cunctæ ciuitati alimenta immortalis suggererent, in suis cœtibus communi suffragio sæpè tulerunt opem. Auxit gratiam testamentũ primarij ciuis, qui cùm amplius triginta millia aureorũ nummũm erogãda pios in vsus legasset, condendoq; testamento sacerdos noster adfuisset, Societatẽ omnino tacitam præterierat. Quæ res eo maiorem cõmendationem in vulgus habuit, fidemque fecit sincerè agi, quo notior domestica penuria cunctis erat.

88 *Salmanticenses scholastici egregiè culti.*

In Castellana prouincia Ioannes Suarius, qui ei præerat, cura præcipua adolescentes curabat in gymnasiis iuuandos, etiam vbi scholę Societatis non essent. Salmanticæ autem, cùm diceret è recta illius Academiæ institutione totius propè Hispaniæ administrationem rectam pendere, quòd inde prouinciarum ciuitatumque Rectores plurimi existerent, illud singularis industriæ adhibuit. Sexdecim Collegia inter domesticos distribuit, vt duorum spatio mensium pro suæ quisque patriæ iuuenibus preces ad Deum funderent. Sacerdotibus verò ac laicis, qui Academiam frequentabant, præterea impensè mandatum, vt exemplo colloquijsque pijs ad virtutem, quos possent, impellerent. Quæ dum exitu superioris anni, & huius initio fiunt, interea Bartholomæus Fernandius nostri Collegij Rector Compostellam litis causa profectus, sic tota in ciuitate studia religionis incendit, vt quo diutiùs eius ope fruerentur, vulgò produci trahiq; cuperent litem: in quam neque Iudices, neque actores, nec omnino quisquam quidquam impensæ fieri est passus: quodque magis est rarum, aduersarij quoque litigatores colebant P. Bartholomæum ac diligebant. Nimirum non ille forum,

89 *Res Compostellæ à Rectore Salmanticensi optimè gesta.*

sed carcerem, & xenodochium Compostellanum, quod è celeberrimis Christiani orbis est, frequens terebat: nec solùm diuini verbi pabulo vinctos hospitesque reficiebat, sed ijsdem famularibus quoque obsequijs tanquam Christo Domino seruiebat. Verùm inde longè lateque eius nomen vulgatum est, inde auctoritas conciliata insignis, quòd vicinis duabus in vrbibus inimicitias inueteratas, quibus in factiones illæ scindebantur, Deo bene iuuante sustulit. Illud quoq; in communem Compostellanorum vtilitatem plurimum cessit: quòd Pater, dum percurrere diœcesim omnem, & populis singillatim dispertire operam per tẽporis angustias nequit, rem compendio transacturus cum Proepiscopo agit, vt sacerdotes instituendos curaret, qui totius mox populi magistri forent. Quod Vicarius cùm libens suscepisset, accersitos è tota diœcesi Presbyteros, in sancti Iacobi erudiendos formandosq; Bartholomæo tradit. Ille rem adeò verecunda modestaque sapientia executus est, vt omnes monita peramanter, cumque gratiarum actione susceperint. Interim, quoniam Christo teste ac sponsore quærentibus primùm Dei regnũ, & iustitiam eius, humana emolumenta pro additamento adduntur, his optatum sortita est finem: & Bartholomæus optimum Religiosis viris parauit exemplum: vt vbique (quod sanctus Gentium magister optat) illud ante omnia curent, vt per omnem occasionem annuncietur Christus.

90 *Sodalitas magni vsus instituta Vallisoleti.*

Magni fuit momenti, rariqué exempli Sodalitas Vallisoleti ad detentos in publicis custodiis iuuandos instituta. Socij Collegij dum cancellariæ carcerem ex interuallo reuisunt, animaduertêre inopem turbam summa premi penuria tum alimentorum ad sustinendam vitam, tum causidicorum & procuratorum ad celerem causarum & commodam transactionem: pauciscque diebus horum inopia subsidiorum homines decem miserè, & quosdam inexpiatis confessione noxis animam exhalasse. Quæ res cùm visa esset minimè negligenda, Præsidem Iudicesque admonuerunt. Remedium inuestigantibus opportunius nullum oblatum est, quàm vt Sodalitas honestorum hominum, quæ duobus præcipuè ijs prohibẽdis excubaret malis, institueretur. Agitatum iam pridem talis condendæ Sodalitatis consilium erat: sed subortæ difficultates ex memoria obliterarant. Deo tamen placuit, vt Patrum sedulitate ac precibus, & ius dicentium ardentibus studijs hoc anno exitum sortiretur. In eam Præses, Iudices, Iurisconsulti, procuratoresque regij concilij dederunt nomen, ciuiumque præcipui quidam, qui præter stipem, quam de suo conferebant, bini quaque hebdomada, initio ab Præside facto eis ministratum adibant; atque ægris præcipuè ea benignitate prospiciebãt, vt eos lautè quoq; acciperent. In singulos præterea Sodales singulorum causæ vinctorum distributæ sunt, vt eas quàm celerrimè expediendas, & vinctos soluendos curarent. Quæ cùm diligẽter pro se quisque exequerentur, eius instituti nõ toto solùm Vallisoleto, sed finitima etiam regione diffusus est secundissimus rumor: adeò vt vicini populi formam inde petere, & suis quoque in oppidis Sodalitatẽ eiusmodi excitare meditarentur. Hoc quoque anno in atrio regij fori (id cancellariam vocant) rogatu Præsidis institutæ per magna ieiunia conciones, opus persequente,

91 *Alia pia instituta Vallisoleti.*

qui superiore inchoarat anno, Rectore Collegij Martino Gutterrio: quod item exemplum regiæ postea curiæ Granatensis, & Hispalensis secutæ. Idem Rector eodem tempore morem induxit concionum in Academiæ sacello, satis gnarus, quæ diuini verbi sint vires, quantique interfit proprios cuiusque hominum generis monitores esse. Itaque cùm tres essent Vallisoleti Grammaticæ ludi, inque singulis ipse sermone accommodato aditum aperuisset, discentiumq; iuxtà ac docentium animos præparasset, tres Patres delegit, & suum cuique, quod hebdomadariis hortationibus ad Christianam pietatẽ exoleret, gymnasium assignauit. Ita factum, vt non multò secùs, atque in ipsis Societatis gymnasiis

inter

Digitized by Google

inter adolescentes in sermonibus, atque exercitationibus litterarijs rerum tractatio piarum, cõfessiones menstruę, tum quotidie principio scholarum ac fine, ad Deum precario: ad hæc cultus Virginis Matris ac Cælitum reliquorum, & cętera bonarum mentium rudimenta vigerẽt. Præter hæc quinta quaque feria parvulorũ greges, quos noscitandis elementis, calamoq; pingendis primus exercebat labor, quatuor è ludis in templũ deducti catechesi imbuebantur: quò nulla pars ciuitatis reliqua fieret, quã religiosæ caritatis solertia non vt faceret meliorem, eniteretur. Iam quoniam Collegium ita sese corroborarat, vt opibus nicisus posset, cùm ad hanc diem Theologiam Scholastici nostri ex Collegio sancti Gregorij Dominicanorum, Philosophiam ex Academia ciuitatis petissent; Magistri duo domi sacræ doctrinæ scholas ex D. Thoma auspicati Blasius Rengifus, & Ioannes Fernandius; adhæc Ximenius Dialecticã, Petro Sancio, qui aliquid etiam subtilitatis Theologicæ superioribus annis exposuerat, rationes officiorum, quas initio anni inchoarat, frequentissimo in consessu, summaq; approbatione omnium persequente: pauloque pòst, nequid perendum foris restaret, reliquæ etiam introductæ disciplinæ Philosophorum.

92 *Altiores schola in Collegium Vallisoletanum inductæ.*

93 *Segouiensis Rectoris industria.*

Segouiæ Solerij Rectoris industria fecit, vt solennes Quadragesimæ conciones haud paulò vberiorem solito prouentum pietatis ferrent. Quotquot varijs per vrbem locis declamaturi erant, conuenit, adhortatusque est, vt vno omnes ore in certa quædam communiora vulgò vitia inueherentur: ex ea enim consensione, quasi facto cuneo expugnatum faciliùs iri. Ita connitebatur Solerius non modò (quod interdum mala ambitio indignissimè facit) ne cõcionatores quasi in eodem stadio decursuri inuicem sese pro aduersarijs haberent, sed vt ad diabolum, & vitia subigenda velut concordes commilitones concordia ferrent arma. Idemque quamuis & Euangelij ad concionem tractandi, & Collegij regendi cura distineretur, partes etiam pueros catechismum docẽdi sibi reseruabat: perq; vias vrbis ac vicos pia carmina, & prima Christiani cultus dogmata concinentiũ agmen deducens, adultorum multos exemplo, plerosque etiam adhortationibus loco interpositis ad virtutem inuitabat.

94 *Ioannis Ramirij præclarè facta.*

In Aragonia prouincia Ioan. Ramirius Valentiæ concionibus miros effecit motus. Cùm egenos sæpè & grauiter commendaret, præsertim ægros, qui vitæ subsidijs, necessarijsq; hominũ ministeriis destituti in summa solitudine ac miseria tandem expirabãt; viri nobiles dederũt in album nomina, partitique inter se ita sunt curationem, vt bini singulis noctibus ijs, qui plurimùm auxilio indigerent, vigiles præstò essent, opportuno animæ corporiq; leuamento. Idem Setabim profectus cùm Pastores absentes, perque culturæ neglectum omnem eam Domini vineam vastatam, spinisque & venenatis obsitam stirpibus inuenisset; omnem cum diuina gratia publicis vitijs, odijsque grauibus sublatis, & studio diuini cultus inducto, purgauit renouauitque. Pari studio, consimiliq; successu Iosephus Aiala Rector Barcinone, vbi Collegium administrabat, verbi diuini sementẽ sparsit tum alibi, tum per quadragenariam inediam in templo summo. Specimen generosæ sementis, & nobilium frugum è duorũ sacerdotũ sumi mutatione potest. Alteriam diu Societati infensus multa apud familiarem suum de ea oblocutus erat. Mox ita tulit casus, vt vnà ambo ad Aialæ concionẽ accederent. Ea obtrectatorem ita commouit immutauitque, vt simul primùm concionator obticuit, ad amici sese pedes, palàm veniam rogans, & dicta retractans, eodem loco abiecerit. Affert item sacerdos, nec minùs ab nomine nostro alienus, cùm in cætera turba, quæ ad audiendũ confluxerat, fortè adesset, qui esset verba facturus ignorans (nàm varia ad templa, subinde Iosephus aduocabatur;) vbi vidit apparere in suggestu Iosephum Collegij Societatis Rectorem, fugam subitò meditatur, & conatur euoluere sese è turba. Cæterùm ita frequens confertaque erat concio, vt, quamuis magno luctamine, exitum minimè reperiret. Itaque constitit parumper, inde paulatim sensimq; elapsurus. Interim quamuis inuitus & circumspectans maneret, verba tamen aliqua & sententiæ in aures pertuebant; nec sentientẽ paulatim attentio occupauit illapsuque in animum sermo ita permulsit, vt protinus apud Patres cõfiteri delicta cœperit; ijsque, quorum antè nomen exosum habebat, regendum se totum permiserit. Quæ res haud dubiè multis accideret, qui incertis suspicionibus, fictisque criminibus ducti Dei seruos auersantur, si animum inducerent eos aliquando vel publicè loquentes audire, vel alloqui priuatim; vel certè veritatem per se ipsimet explorare non grauarentur: verùm diabolus, qui ex talibus animorum abalienationibus quanquam falsa ex causa veram perniciem sperat, causas reconciliationis longè summouet, fugaque ac silentio offensiones & odia nutrit.

95 *& Iosephi Aiala.*

Gandia & Cæsaraugusta in circumiectos pagos & oppida cõplures factæ excursiones: ex quibus quę cõsueuit (hoc est, suprà quàm facilè cogitare minùs experti queant) diuini cultus restauratio extitit. Quanquã in oppido præcipuo Cæsaraugustanæ diœceseos duobus sacerdotibus eò missis constanti modestia elicienda fuit agendi potestas. Vbi enim conspecti sunt, venisseque dixerunt se, si quam possent, ad æternam salutem laturos opem, continuò oppidani præter modum commoti nequaquam se hæreticos aiunt nec adeò vecordes esse, quin scirent ipsi per se, si opus haberent, externa auxilia petere. Cur venissent non inuitati? Miserat eos Pater Romanus Rector, quòd compertũ habebat valdè populum indigere cultura, eoque magis (vti cum ægrotis fit) vltrò ingerendam opem, quòd per se non requirebant. Responderunt Patres non ignorare se esse populum fidelem: nec dubitare quin etiam vellent omnes æternæ salutis compotes fieri: verùm se alios quoque pios adire populos consuesse; & vbique quempiam inueniri, qui vel propter nouitatẽ, vel alias causas ad animi sui profectum tenui ipsorum at prompta opella vteretur. Non se cuiquam oneri futuros. In xenodochio publico diuersaturos; & quod satis ad sustinẽdam vitam esset, quæsituros emẽdicato. Responderunt xenodochium pauperibus peregrinis exædificatum; non hominibus, qui

97 *Modestia & constantia vires.*

Digitized by Google

qui sine causa vagarentur. Populum omnem modicarum facultatum, exhaustumque expensis esse, & nimiùm multum mendicorum adesse.
98 Ad hæc verba Patres, quò se verterent, quoque reciperent, ignorabant. Sed pius vir è primis, qui rei gestæ interfuerat (nam gesta publicè, & propè cum tumultu populi erat) misericordia commotus occultè ad vulgi offensionem vitandam, ne sub dio fame absumerentur, prouidit. Nec patientes Dei præcones obiecta primo in aditu difficultas terruit, seu in desperationem actos statim fugauit. Perstitere aliquot dies propè latitantes Deo propitiando intenti: nec interim quorum se dabat occasio, mitigare animos comitate prudentiaque cessabant. Bonum inter cæteros presbyterum magnæ ad vulgus auctoritatis sibi conciliarunt. Is primo die, qui festus illuxit, populo accommodatè suasit, vt, quando sacerdotes duo illi Cæsaraugustani nondum excesserãt, periculum eorum facultatis facere vellent. Cumque populus haud abnueret; alter è Patribus in suggestum ascendit. De eius diei celebritate ingressus dicere, cùm actio, doctrina, elocutio, tota deniq; dictio non vsitata eo loco esset, in attentionem summam omnes, mox in admirationem, arrexit. Quos vbi commotos animaduertit, sensim orationem eò flexit, vt quid venissent, quid propositũ Societati susceptis eiusmodi expeditionibus esset, quo pacto consueuissent pueris Christianæ disciplinæ initia tradere, aliaque consueta exequi, vnam dumtaxat maiorem ob Dei gloriam, & spiritualem proximorum vtilitatem, simpliciter & grauiter explicaret. In attentione maxima varij cernebantur audientium vultus: gestire, qui maximè fauerant, plerique
99 mirari, non pauci rubore suffundi. Absoluta cõcione, populi primores conueniunt benignè Patres: veniamque submissè petunt, quòd antè cùm eos minimè nossent, haud perinde, ac essent meriti, accepissent. Deducunt in xenodochium, & vitæ subsidia certatim summittunt. Postremò alijs atque alijs actionibus delectati, perspectoq; iam ex audiendis confessionibus, & instituendis rudibus, redintegrandis amicitijs, & alijs eiusmodi officijs communi profectu, apud Prouincialem egerunt, vt saltem alterum è duobus ad magni ieiunij tractatus concederet. Quod cùm Prouincialis negaret, comperto eos iam antè cum alio concionatore non parui nominis conuenisse; induxere oppidani concionatorem illum, solido ei stipendio perinde ac si perfunctus esset munere, persoluto, vt ipsemet
00 suas apud Prouincialem interponeret preces. Tum verò intelligens Pater Cordesius Prouincialis id non gratum populo magis, quàm concionatori commodum fore, cui sine labore merces, nouique suggestus quærendi facultas erat, concessit. Tantam igitur animorum conuersionem patientia & constantia fortium illorum sacerdotum fecit: quibus tanto lætiorem exitum Pater misericordiarum dedit, quanto aditus difficilior fuerat: vt quicunque animarum negotia tractant, his edocti exemplis non ad primam difficultatum faciem fracti animis terga vertant, ac cœpto absistant; sed Dei opem implorantes prudenter ac fortiter perseuerent: caueantque non modò, quo aditum patentem inuenerint, ne per humanum errorem venturis occludant; sed vt etiam, quo difficilem ipsi angustumque habuerint, vt expeditum atque exoptatum sequentibus memoria modestiæ, cæterarumque virtutum suarum relinquant.

101 *Triguerense Collegium Pater Bustamantius excelluit.*

In Bætica Triguerense Collegium anno priore susceptum colonis est frequentatum. Præclara ibi circaque Bustamantius perpetrauit. Venit Triguerum in exitu proximi anni: &, quoniam parata nondum erat Collegio ædes, quanquam Franciscus Palma fundator contumeliam propè suam, quòd ad se non diuerteret, proclamaret, ad xenodochium se recepit: eoque vtens diuersorio, è victu, quem fundator idem vt suppeditaret, euicerat, id modò quod necessitati mederetur assumens, delicatiora remittebat. Pro ætate & existimatione Bustamantij ille ad xenodochium secessus vniuersæ ciuitati antiquæ bonitatis humilitatisque visum exemplum est. Itaque vbi cœpit manè ac vesperi è superiore loco ad officium quemque suum, ad scelerum fugam, vitæque mutationem hortari; cùm præiret hortatoris vita doctrinam, animorum ardor ingens excitatus est, isque ad commissa expianda concursus, vt nec socius Bustamantij Ioannes Rodericius Christophori frater, nec alij è ciuitate ipsa adiuncti sacerdotes, quamuis à prima luce ad multam noctem aures indicantibus sese præberent, possent multitudini esse pares. Inter cæ-
102 tera vitia prauã iurandi consuetudinẽ ita exosam vulgo fecit, vt fossores quidam cùm herum audirent iurantem, primò admonerent modestè, vt abstineret, quòd (sicut de concionatore audiuerant) sine causa iurare diuina lege interdictum esset: deinde cùm perperam assuefacta lingua iterum prolapsa iurasset; comminati sunt, nisi diligentiùs caueret, protinus se relicto opere abituros. Egregij sanè operarij; quibus non modò agrum domini, sed & animum curæ esset excolere. Bona gentis facilitas ac religiosa indoles Bustamantij animum mirè cepit. Aptissimam esse Societatis Collegio Triguerum sedem nunciat ad latè ac fructuosè porrigendam industriam. Inter Bæticam & Lusitaniam situm oppidum com-
103 *Triguerum apta sedes multis iuuandis.* mercijs vtriusque nationis frequens, celebribus circà portubus cinctũ, ad quos excurri facili negotio fas sit. Incolas dociles, pacatos, rectæ doctrinæ peroupidos. Perfunctus quadragenarij ieiunij homilijs magno cum pietatis publicæ incremẽto, dum Hispalim reditum parat, Eleonoræ Zunigæ & Soromaioris Comitis Nieblę litteris, quæ Triguerensis Collegij fundationem (vt suprà memoratum est) apprime iuuit, Hueluam oppidum maritimum studiosè accitur: quòd inter Vicarium sacrorum Præsidem ac Prætorem graues ortæ simultates maximam perniciem quàm plurimis minarentur. Confestim abijt Bustamantius; suaque & omnium opinione faciliùs, Deo adiuuante, furentes incendij flammas extinxit. Inde nouis adhuc animis ad eius plagæ culturam assumptis, Hispalim pergit, & festi-
104 *Triguerense Collegium inceditur.* nanter Triguerum die sancto Ioanni Baptistæ natali rursus ingreditur, sacerdotes tres ac totidem laicos adducens. Nondum enim pluribus ædes, quamuis fundator ac reliqui festinarent,

extructæ

Digitized by Google

extructæ erant. Rector primus fuit Ioannes Rodericius. Nam Bustamantius, quò totum se oppidis eius tractus adeundis, sanctæque humilitatis & caritatis muneribus dedicaret, omnis domesticæ gubernationis vacationem, cùm valde expetereret, pro insigni beneficio impetrarat. Oppidum igitur Hueluam, & cui Veas, & cui à sancto Ioanne nomen est, peragrauit, cùm alia vbique præclara gerens, tum maximè odia & dissidia tollens. Et quidem Hueluani adeò Patrum operâ gaudebant, vt domicilium, quo vel transituri, vel ibidem moram facturi verterentur, in eum tantùm vsum extruxerint ornarintque. Sed Bustamantius in sancti Laurentij ferijs cùm Trigueri esset, ac suggestum concionaturus in templo principe scanderet, voces quasdam tumultuosè rixantium audiuit. Qua commotus re conuersus ad populum, Quid alia, inquit, vobis afferam? vos ipsi videtis, quàm sit pius & patiens Deus noster, qui domi hæc suæ fieri sustineat. Pronunciemus omnes orationem Dominicam, & salutationem Angelicam, vt pro sua immensa pietate istorum corda tangere, & hanc eis condonare iniuriam velit. Quibus dictis, ac precatione absoluta, parabat discessum. Sed Vicarius elata voce hortatur, vt fraudare reliquâ populi innocentis, qui conuenerat, multitudinem, paucorum culpa nolit. ingeminant & alij preces: quibus facilè Bustamantius cedens, ita locutus est, vt vehementer omnes, sed eos in primis, qui rixati fuerant, ad inimicitiam ibidem finiendam inflexerit. Quæ res & præter spem, & eo gratior vulgo accidit, quòd illi è Proceribus erant, vt, nisi Deo placuisset ea via ipso in semine inimicitiarum causam elidere, grauis non ipsis modò, sed cuncto etiam populo calamitas immineret.

105 *Hispalensis Collegij floyens status.*

Florebat in Hispalensi Collegio domesticæ seueritas disciplinæ. Qui concionabantur, qui Christianæ summam institutionis vel pueros, vel rusticos edocebant; qui pueros erudiebant in scholis, sancta quadam æmulatione, vt suis pro se quisque muneribus quàm optimè fungerentur, certabant. Inde fiebat, cùm singulæ rectè haberent partes, vt summa optima esset. In adolescentibus, qui scholas frequentabant, quantum modestiæ, quantum rerum piarum studium, quantus vitæ perfectæ amor ineset, ea sit coniectura; quòd præter ingentem eorum numerum, qui se ad alios Religiosorum Ordines recepere, centum eodem tempore aditum in Societatem rogabãt. Ac Magistri Nouitiorum ex alijs Ordinibus Rectorem gratias acturi conueniebant, non modò quòd præter solitum multi ad familias suas, verùm etiam, quòd ita exculti conformatique accederent; vt Magistris cum his nihil admodum negotij supereset, sed potiùs tirones optimo essent exemplo veteranis. Quanquam hæc laus Collegio Hispalensi cum alijs propè omnibus est communis. Certè hoc eodem anno Methymnæ Campi quidam præ cæteris Religiosorum nobilis Præses cùm hanc rem vidisset, ita suos allocutus est, Deseramus alia studia, & Grãmaticã doceamus; ita pietas à fundamentis & ordine statuetur, quod Iesuitæ faciunt. plus hac ratione Reipublicæ Christianæ profuerimus. Alius item Præsul ex virtute adolescentium ab Societate eruditorum, de eius institutis magnaopinione concepta, illa cognoscendi cupidine ad Collegium accessit, vehemẽter rogans Pãtres, vt communicare ne grauarentur. Sed (vt Hispalim redeam) solebat facer Ioanni Baptistæ nascenti dies effusa hilaritate, licentiaque & compotationibus violari. Ioannes Baptista Sancius, vt eius, quæ Christianos decet, modestiæ populus admoneretur; bis eo die in concionem processit: & fratrum aliquot missi ad Bætis fluminis ripam, quò ciuitas effundi vniuersa solet. Profecti sunt prælato sanctæ crucis vexillo: ripamque inter se amplam partiti de Christianis axiomatibus verba facere omnes præter duos eodem tempore vocibus magnis incipiunt: oculosque ad se omnium rei nouitate aureosque conuertunt. Reliqui interim duo pariter totam peragrabãt ripam, graduque subinde fixo ingenti clamore eorum alter intonabat, Fratres, meminerimus omnibus „ esse moriẽdum: post mortem acre iudicium subeundum: gloriam bonis esse paratam, æternã „ supplicia malis. Quos ad clamores suspensa hærebat multitudo: salutiferæ vulgo subibant cogitationes: non nemini lumina humescebant. Id ipsum per vrbis vias interuallis breuibus proclamabant: eaque re lætitiæ exultantis feruor, ne velut meracius poculũ statum mentis turbaret, tanquam infusa lympha est temperatus. Sed iam pietatis opus subiungam, quod & insigne fuit, & sanè magno stetit Collegio. Exitu proximi anni quatriremes septem, quibus præerat Aluarus Bazanus, solæ ex magna classe, vi tempestatis dissecta, quinque & viginti demersis, saluæ Hispalensem in portum se hiematum receperant. Ad eas Bustamantius Collegij tum Superintendens aliquot fratrum, qui potissimùm remiges instituerent, & hortarentur ad Christianam pietatem, & rosariis ad salutandam Virginem donarent, feriatis diebus mittere instituit. Hi dum sancto hoc labore studiosè funguntur, noua in afflictam turbam calamitas, morborum ea vis incumbit, vt miserandam in speciem complures iacerent, animam agentes, propè omnibus & animi & corporis nudi subsidijs, multique quotidie pecudum ritu moriebantur. Id è fratribus vbi primùm Bustamantio cognitum est, summæ tempus necessitatis interpretans, ad succurrendum quacunque posset ratione animo incitatus, ægrè cohibitus est, quin eadem hora, quamuis nocturnæ tenebræ obscurassent omnia, ad audiendas morientium noxas properaret. Postero die summo manè cum Rectore Auellaneda, alijsque sex partim sacerdotibus ad absoluendos, partim laicis ad solandos & præparandos ægros; suam singulis sportulã cum pane, caricis, vuis passis, alijsque eiusdem generis xeniis, quæ miserorum etiam corporibus auxilio essent, afferre iussis; ad quatriremes contendit eo consilio, vt quoad animas omnium, quantum consequi liceret, in tuto locasset, pedem inde nequaquam efferret. Verùm ipsa oculis contrectata necessitas noua suasit consilia, deque valentiore remedio afferendo perpulit cogitare. Itaq; cum Aluaro classis Præfecto agit, vt ægri exponantur in terram, quò commodiùs sua tum animis, tum

107 *In natalitijs sancti Ioannis Baptistæ quomodo curata pietas.*

106 *Scholarum vtilitas.*

108 *Ægris remigibus impensa opera.*

corpori-

Digitized by Google

corporibus adhiberi leuamenta queant. Is haud omnino rem probabat initio, quòd noua videretur, nec vellet ipse noui auctor haberi moris. Tamen grauissima de necessitate, quæ teneri consuetis moribus nequeat, admonitus, vt etiam
109 erat vir bonus ac perhumanus, dixit, si Patres præesse negotio vellent, se domum conducturum, in quam ægri deportarentur. Bustamantius omnia post summam illam ægrorum miseriam ducens, procurationem ingenti animo suscepit. Conducitur domus, in quam ægri ad octoginta deportantur. Moxque cùm ea satis capax non esset, alterum fermè tantũ ęgrorum ad Beatę Annæ defertur hospitium. Quid operis & tricarum in rebus principio ordinandis, in lectis, totaq; supellectile vtrobique comparanda fuerit, haud facilè, nisi munerum eiusmodi intelligentes expertique coniectura assequentur. Verùm cùm dies ostenderet plus Patribus caritatis esse, quàm virium; nec vtrumque eos munus perferre posse, benignè Aluarus, qui corporibus inseruirent, idoneos ministros substituit, vnamque Patribus animorum prouinciam curandorum reliquit. Adhortabantur ad patientiam, audiebant confitentes, sanctissimo Viatico, & Suprema vnctione muniebant; tum decorè pieque vita functos sepeliebant; singulis etiam diebus qui leuiùs ægrotabant semel atque iterum Christianis rudimentis imbuebantur. Ac misera turba, quorum erga se pietatem tantam experiebatur, eorum se nutibus omnino permittens, ad quem libuisset modum versandam fingendamque præbebat. Ita vel optimè animati instructique pariter cũ vita finiebant ærumnas, vel ad nouas in remigio, si valetudo resarciretur, pro suis noxis luendas pœnas animũ comparabant. Mahometani quoque aliquot ad Christum adiuncti potentissimo caritatis illo argumento reuincti. Feminis in nosocomia haud patebat ingressus. Virorum plurimi spectatum accurrebant, multique ex nobilitate, multi sacrorum Ordinum Religiosi viri caritatis insigne exemplum admirati etiam coniungere operam, & ægris ministrare gaudebant. Nostrorum Sodalium qui ei se ministerio dedicarant, grauissimè complures decubuere: quinq;
110 virtute insignes, quos præsenti mercede diuina clemẽtia dignos existimauit, lethargo pressi suauiter in Domino obdormiuerunt vno eodemque mense Februario. Præcesserat is qui in nobili procuratione cæteris & auctoritate præerat, & sedulitate præibat Pater Sancius Lopius miserorum ardentissimè omnium iuuandorum amans: eoque acerbior ciuitati mors viri accidit. Ille quantam in alienis leuandis benignitatem, tantam in tolerandis suis doloribus patientiam mirandam cunctis & imitandam exhibuit. Caciorlæ natus genere bono, nec mala in re; mortalis vitæ triginta, Religiosæ non plus quinque sed magnos plenosque vixit annos. Neque illum regionum nostrarum explebant ærumnæ, sed insuper Indicas, magisque Æthiopicas apud Abassinos, quòd has crederet ditiores, meditabatur & exoptabat. Subsecuti sacerdotem ac ducem Ioannes Gomius, Hieronymus Lopius, Andreas Segura Scholastici, & Alfonsus ad manuũ labores Adiutor. Gomium Deus apertè visus est singulari beneuolentia præparasse ad optimum finem. Paulò antè impetrato ad animum suum expoliẽdum aliquot dierum secessu, multũ gemituum, multum fuderat lacrymarũ, multum pœnarum spõte subierat. Ad nil non grande & arduum Dei & animatum causa exacuerat caritatem. Deniq; veteris quoque hominis per generalem confessionem senecta posita, recens & ardens cùm ad opus ptosilijsset, medio ex opere vocatus est ad mercedem, tum scilicet, cùm pro æstu illo & laborum & studiorum exaggerata & multiplex deberetur. Hieronymus Lopius iam ornatus seu potiùs oneratus sacerdotio duplici, vtroque opimo erat, cùm è patria Corduba Hispalim profectus iam iam designandus Philosophię Magister, omnia duxit inferiora paupertate & humilitate crucis: eiusque sarcinæ positione tranquillitatem sibi conscientiæ, religiosam vitam, & pretiosam mortem coëmit. Sed vt recentissimo cuique famulo Deus instar matris infanti solet dulcedine lactis blandiri, nullius æquè abundauit cælesti suauitate in beatam vitam natalis, atque Alfonsi. Ab reficiendis dolabra asciaque nauigijs primò impetrauit, Deo seruiendi cupidine, vt tanquam mercenarius, paulò pòst vt velut Socius domum reciperetur. Adolescenti vegetum erat corporis robur, sed mirus animi candor, summa innocentia, docile ingenũ, & ad imperia cuncta sequax. Cùm iam morbus perurgeret, interroganti quî secum ageretur, Admodum grauiter, inquit; tum velut emendaturus dictum adiecit: Verùm si ita Iesu meo placitum est, exora precibus tuis, vt crucier vehementiùs. Cùm verò iam viribus defectus ipsum Auellanedam (qua talibus temporibus pietate nostri Rectores solent) cibum sibi suggerentem videret; non potuit contineri, quin erumperet in has voces lacrymabundus, Eheu, Pater, pulchrè scilicet conuenit mihi cum Domino meo. Me lectulus mollis, durissima crux illum habet: cibus illi ac potio fel & acetum, deliciæ mihi quæruntur. Hoccine est pro Christo acerba pati? Vbi verò sacro inunctus est oleo, & circa lectulum cum luminibus precantem pro se sacram Sociorum cohortem vidit, & Religiosa vota permissus est nuncupare, sic exilijt gaudio, vt gestiente illo præ cælesti quadam dulcedine circumstantibus necesse fuerit lacrymari.

110 Quinque Socij in ægrorum obsequio mortui.

111

Lusitania magno & Societatis, & propè totius regni dolore Consaluum Vazium Mellum Prouincialem amisit. Eum Regina vt audiuit Eboræ grauiter laborare, Olisipponem sua sponte, sua missa lectica, referri iussit. Hîc quamuis caritate admirabili certatim omnia omnes nobiles medicamenta & adiumenta conquirerent, vinci tamen mors nequijt. Pridie Idus Maias sublatus est. Funus præ ciuium cõploratione peragi vix potuit. Ludouicus Montoia Augustinianorum Prouincialis, & Ludouicus Granatensis Prædicatorum ex Ordine inclyti religione ac literis viri non modò exequijs interesse, sed & lectorum vice fungi, singulasque de solennibus sancti Iobi partibus recitare voluerunt. Erat quippe Consaluus super decus illustre natalium, quod sanctitate ipse decorabat, solida perspectaque virtute sacerdos, Apostolica pollens facundia, summis, medijs, infimis suauitate compositio-

112 Mors Lusitani Prouincialis Consalui Vazij.

Eius virtutes.

Digitized by Google

positorum morũ, & consuetudinis religiosæ comitate pergratus. Inter virtutum decora cæterarum insignis elucebat erga diuinissimum Eucharistiæ Sacramentum pietas, vberrima haud dubiè vena donorum cælestium. Supremo tempore vix cohærentibus ossibus (adeò tabes exederat) quamdiu seriò ac seuerè vetitus non est, exiliebat è lecto, positisque humi genibus summa cum veneratione Dominum suum excipiebat: idque quàm impetrare creberrimè poterat. Prouinciæ in eius locũ administrationi suffectus est Iacobus Myro. Olisippone haud potuit obsisti Cardinalis & Reginæ flagitationi, qui cùm institutionem Sebastiani Regis Magistro Ludouico Consaluio rectè viderent procedere; rati multum pertinere ad ipsius profectum Regis, vt pueri nobiles, qui cum eo educabantur, ab aliquo de Societate erudirentur, ne, si fortè horum quispiam prauos aliunde hauriret mores, veluti contagione cæteros ac fortè Regem inficeret: eam etiam curam sacerdoti nostro mandarunt. ac Deo bene iuuante, è sententia hæc quoque procuratio succedebat. Ex ijs, qui è Collegio sancti Antonij in religiosam peregrinationẽ missi sunt, vnus (vt alij antè non semel) pro vago captus in carcerem cum turba includitur. Nocte insequẽti ad ludendum inuitatus acriter ab ea re ludentes deterruit eo affectu, vt ludum intermitterent, & sibi inuicem, quæ lucrati erant, redderent. Frater bono successu lætus multa perrexit piè dicere: vnde illi suspicati sunt hominem è Societate esse: eoque indicio apud iudicẽ die postero proditus, honorificè est dimissus. Ac tales profectò omnes deceret viros esse Religiosos, vt moribus magis, quàm habitu se, qui essent ostenderent.

112 *Religiosa vita exemplum.*

114 *Indica res.* *Varia missiones.*

Hoc anno in India multæ susceptæ expeditiones. Cùm Prorex legatum ad Sinarum Regem destinaret, adiungique de Societate placuisset, qui ingressum nobile illud amplumque in regnum tentarent, è plurimis competitoribus lecti sunt tres, Franciscus Petrius, & Emmanuel Texeria sacerdotes cum Andrea Pinto laico. Meliaporam ad D. Thomæ coloniam, quæ à P. Cypriani morte sacerdote nostro caruerat, quamuis Franciscani ibi duoque liberi sacerdotes, agerent, tamen indigenarum & Lusitanorum rogatu missus est cum socio P. Franciscus Pinna. In Iaponiam, cùm latior in dies Euangelio campus aperiretur, ac nominatim Cangoximani Regis vt satisfieret voluntati, qui (vt suprà memoratum est) sacerdotes ad sui regni institutionem à Prorege Indiæ, & Prouinciali Societatis postulauerat, tres sacerdotes profecti Melchior Ficeredius, Balthasar Acosta, & Ioannes Capralis. Et quoniam ad Molucas quoque insulas haud minùs Christianorũ augebatur numerus, auxiliares eò quoque submissæ copiæ, Ludouicus Goës, & Christophorus Vascus Rodericius sacerdotes. Armuziam verò sub extremum annum recèns aduectus è Lusitania, qui Vincentio Tondæ opem ferret, Michaël Capralis discessit. Alij in viciniora Goæ loca dimissi. Quarto Idus Septembris è Lusitania appulere quatuor sacerdotes Andreas Cabrera, Marcus Miec, Michaël Capralis (quem statim missum Armuziam diximus) & Franciscus Dionysius cum duobus laicis Petro Crucio, & Iacobo Brigantino. Eadem classe litteræ ad Proregem à Sebastiano venere, quibus & Brachmanes, & cæteros à Christiana fide alienos, qui religionis causam retardarent, è ditione regia pelli; itemque baptismorum apparatorum intermissam celebritatẽ reuocari iubebat. Quibus rebus, quæ haud modicè refrixerat, Ethnicorum conuersio excitata est. Multi & numero erant & opibus potentes Brachmanæ. Quamuis enim eorum opes Constantinus Prorex infregerat, & importunissimũ quemque eiecerat; tamen spiritus penè pristinos post eius discessum resumpserant. Quare visa consultatione res digna Proregi Cotinio est, quemadmodum regium exequi iussum oporteret. Concilio aduocato, cui Archiepiscopus, præcipuique cùm Religiosarum familiarum, tum ciuitatis totius interfuère, rem omnem horum permisit sententiæ. Non deerant, quibus duriora primò mandata regia viderentur. At Archiepiscopus, qui simul vt venit Goam, persuasione hominum ad sua quàm ad Christi Domini lucra attentiorum, ab omni planè vi abstinendum censuerat; experimento èdoctus quàm parum ægros mortales diuina, nisi humana admisceantur, moueant bona; tam graui oratione est vsus, promulgandumque omnino obseruandumq; decretum regium argumentis adeò multis probauit, vt in eius sententiã omnes ad vnum concesserint. Protinus vt promulgatum edictum est, erecti sunt Christianis animi, cecidere Brachmanis. Sublatis hoc edicto impedimentis, continuò Socij ad celebritatem baptismorum reuocandam adiecere curã, vt sanctis hisce illecebris incuriosos suæ salutis populos salubriter inescarent. Itaque præter eos, quos antè sine apparatu tinxerant, breui ad celebrem magnificumq; baptismum coacto catechumenorum numero die conceptæ Deiparæ sacro, nouem & viginti supra trecẽtos asperserũt. Cuncta pubes Seminarij Goani solenni incedebat pompa: eam Prouincialis, cæterique Collegæ sequebantur ordine longo: quippe iam ad nonaginta Goæ Socij agebant. In ædibus viri nobilis congregati Competentes operiebantur. Aderat ibidem Prorex cum omni nobilitate alloquens nouellum cœtum confirmansque. Inde conuerso agmine, Prorege, nobilibusque prosequentibus inter clangorem tubarum, festumq; cymbalorũ ac fistularum cantum, & tympanorum tumultum ad S. Pauli incessere. Quæ pompa non in posterũ tantùm, sed in præsens quoque profuit, Mahometana femina, Ethnicoq; viro ea pia specie vitalis fontis cupiditate incensis. In gymnasio Goano, ne vlla iam re cederet Europæis, hoc anno præmiorũ inter scientiæ laude victores distributio inducta est.

115 *Brachmanes ditione Lusitanorũ pollenti.*

116 *Renouatur celebritas baptismorum.*

Cocinensi Collegio pius vir Christophorus Carualius moriens bonam pecuniæ summam, vnde certum parari vectigal aureorum fermè octingenorum posset, legauit: eaque prima id Collegium certa possedit bona.

Bazaini præter pueros è Christianis ortos amplius trecenti, in oppido Sanctissimæ Trinitatis prope Tanaam ducenti, Coulani, & in ora Trauancoride ei Collegio commissa amplius quingenti Sacramẽto fidei ad Ecclesiam aggregati; & magno hi quidem negotio, quòd gentis Regulus

117 *Baptizatorum extra Goam numerus.*

Digitized by Google

instinctu Brachmanarum valdè obsisteret. Sacra ædes noua extructa in pago, quòd Retoroam vocant, nouem ab Coulano leucis. In Manaria insula, in quã translatos olim demõstraui Commorinenses Christianos, trecenti triginta ad fideliũ adiuncti cœtum. Harum mulieres gentiũ leuissima causa in desperationẽ actæ vitam epoto veneno finiebant. Huic malo remedium repertum est tandem, fortassis ex antiquitatis memoria repetitũ, eaque solertia, per quam & Romanæ plebis à Prisco Tarquinio, & à Milesiis virginũ suarum cõsimilis furor sanatus fertur. Inducto enim Præfecto, vt quæ ita morerentur, earum cadauera concidi iuberet in frusta, ille ignominię & supplicij metus, quod manebat mortuas, ab immani scelere viuas absterruit.

Plin. li. 36. cap. 15. Plut. de clar. mulier.

118 *Amboiniorum pietas.*

In Molucis maior in dies propagãdæ fidei porta patefiebat. Reuersis ad sacras Christi Natalis ferias Attiuam Frãcisco Rodericio, & Iacobo Magalliane, qui soli in Amboino sacerdotes erant, quemadmodũ anno superiore proditum est, reperere ex vicino pago legatos Christianos, quos metu paulò antè Mahometani peruerterãt, profitẽtes statutũ cuncto populo ad Christi redire cultum. Ex quibus Emmanuel in fidei pignus magnã conditionũ vim exigebat: nec illi præ salutis cupidine abnuebãt quidquam. At Rodericius animaduersa hominũ bonitate, nec in tali re superstitiosiùs paciscendum ratus ad eorum profectus pagum cæteris recõciliatis octoginta insuper baptismo donauit. Absconderant miselli crucem in silua; quam inde magna prolatam cerimonia Pater in publicũ restituit, magna voce omnibus inter adorationẽ contestantibus, quantumcunque vis Mahometanorũ ingrueret, quidquid eriperent, facultates, liberos, vitam, nequaquã posthac religionẽ Christique amorẽ erepturos. Nec verò locuti sunt magnificẽtiùs, quàm fecere constantiùs. Haud multis pòst tẽporibus oppugnati à Mahometanis, maluerũt domicilijs hortisque, in quibus rem ac spem omnem habebãt, spoliari suis, & Attiuam rerũ egeni omnium cõmigrare, quàm de fidei constãtia demoueri. Cæterùm ingenti omnium animos terrore oppleuerant Mahometani prædones, qui duobus nauigijs oram legentes maritimã repentinis excẽsionibus cuncta vastabãt. Itaque Emmanueli, & quibusdã Lusitanorũ, qui in Amboino tum versabantur, optimum visum est Patribus pagos reuisentibus ire comites, vt eum neophytis terrorem demerent. Tribus ibant caracoris (genus nauigij modici

119 *Naufragiũ.*

est.) Vno die prægressi Patres cùm peruenissent in quoddã insulæ cubitũ, vbi immanis in mare scopulus ex præacutis cautibus prominet, sęua coorta tempestas caracoram frangit. Extemplò quidã in mare desiliunt, quos vndæ raptos ad aspera sic allisere saxa, vt alijs fœdè laceratis, vnus extinctus sit. Incolæ naufragiũ conspicati, tametsi superstitione Mahometani, ad colligendos Patres, qui in caracora nondũ planè dissipata residui erant, accurrerũt. Emmanuel autẽ, & qui ponè sequebãtur, cõspectis naufragij fluitantibus per mare reliquijs, haud dubiè Patres haustos fluctibus rati, mœrore immenso sunt obruti. Eo mox viuis prẽter omnẽ spem repertis, tum cæteros, tum præcipuè Emmanuelẽ lætitia vberior recreauit. Abijciebat se bonus Emmanuel plenus lacrymarũ ad Patrũ sospitũ pedes: caracoræq; iacturã tanti esse dicebat sibi: atque adeò ne, si vxorem quidem liberosque amitteret, magni facturum, modò sibi Deus ad tot animarum salutem exiguum illud sacerdotũ subsidium conseruatum vellet. Incolæ quoque grates agebant Deo, quòd ea tempestas ad se Patres compulisset. Idque benignũ Numinis ad fidẽ ipsos vocantis argumentũ interpretati, alacriter partim venere; partim, quos metus paulò antè abduxerat, rediere ad Christum; præterq; cæteros Præfecti pagani coniux, & sexaginta Christianorum liberi salutis aqua renati. Adeò per tempestates quoq; ac naufragia cursum tenet feliciter, & longiùs prouehitur Petri ratis. Hunc lætum cernens progressum, & periniquè patiens Satan, nequaquã satellites interim suos sinebat quietos agere. Ex oppido nomine Itu Christiano nomini infestissimo Mahometani ad IV. millia Recaniuem, quem iam pagũ expulsa superstitione Christus habebat totũ, adoriuntur. Non solũ virium terrore suarũ excidium intentant; sed adfore etiam mox è Iaua hostes in maioris formę nauigijs denunciant ad Christianorũ memoriã funditus igne ferroq; delendã. Recaniuenses quanquam & numero, & apparatu bellico inferiores, & recẽtissimè ad religionẽ conuersi erant, respõderũt, se nec Ituanos, nec Iauos metuere: quippe qui ad vincendũ, & ad vitam pro Christo prodigendam iuxtà essent parati. Nec mora. Tredecim Iauorũ apparent iunci magno terrã petentes impetu. Præsens ante oculos erat omnibus barbara feritas, bonorũ direptio, domorũ incendia, vexatio carorũ: deniq; per genera omnia cruciatuum obeunda mors, cùm repẽtè obtecto nubibus cælo vehemẽs procella toto mari iuncos dispergit, vix vt tres ad Amboini orã appulerint: ex quibus cùm adeò vires, & animi imminuti sociorũ dissipatione essent, non calamitas, sed lætus acceptus est nuncius. Dum enim admonẽt Mahometanos sibi vt caueant, sensim est cognitũ quædã Lusitanorũ nauigia ad eorũ locorũ præsidium subsequi. Octo pòst diebus in Amboinũ appulere Lusitani Antonio Paëzio duce; cũ quibus Antonius Fernandius sacerdos, & Antonius Consaluius laicus è Sodalitate hac nostra graui antè tempestate iactati in portũ placidissimè inuehuntur. Idem sub tempus aduenit Amboinijs Patribus ex Ternate quoque subsidiũ, Fernandus Aluarius, & Emmanuel Gomius. Antonius Paëzius Lusitanorũ Præfectus, illico ad vindicandas Recaniuensiũ iniurias cum septem caracoris ad Itu directo cursu in piratã incidit in vniuersa ea plaga pestilẽtissimũ. Aderat è Societate Antonius Fernandius classiarios ad Christianorũ militũ cohortans officiũ. Conserta pugna, quamuis nauigiorũ pirata numero superaret, multos tamen è suis, duosque è præcipuis amisit. E Christianis indigenis cecidere nonnulli, tres modò vulnerati è Lusitanis. Inde Lucebatam petiuere: vbi Pater Fernandius multos fecit Christianos. Inde missus est ad Sirois portum Pupuas versus, quò ingens allectabat spes Christianos fines latissimè proferendi. Siquidem infinita Dei bonitas extraordinarijs quoque suæ benignitatis aderat argumẽtis. Cùm horti Amboiniorum, ex quibus fermè totam

120 *Diuina tutela neophytos protegit.*

121 *Pluuia diu initus impetrata.*

gens

gens annonam parat, per aquæ inopiam squallerent ac periclitarentur; Christianæ quædam feminæ nuper ab ethnicismo auersæ pro veteri consuetudine ad idolum consuetis superstitionibus aquam petitum abiere. Quod cùm nupta homini Lusitano mulier, eoque rerum diuinarum peritior valdè reprehenderet, affirmaretque, si pluuiam à vero rerum parente, bonorumque fonte omnium Deo postularent, sine dubio impetraturas; ipsæ inscitiam causatę suam, rogarunt vti doceret, quo pacto id à vero Deo precandum esset. Igitur ea duce ad crucem cunctæ pergunt in proximo tumulo olim à Beato Xauerio sitam. Cumque solum circà scopis purgassent, & virides insperssissent ramos, flexis genibus ita orarũt:

„ Domine qui nosti, quid opus sit gentibus, quas
„ tu creasti, pro quibus & cruciatus & mortem
„ perpessus es, da nobis aquam: Christianæ sumus.

Ac mira profectò res. Eodem momẽto cùm tempestas antè serena alia minaretur, coactis nubibus, tanta descendit aquarum vis, vt re pro certo miraculo à cunctis habita, diu nulli essent nisi de ea sermones. Tum feminarũ turba surdum idolũ cui supplices nequidquam acciderant, funibus vinctũ raptant per humũ, & in flumen abijciunt.

122 *Ad Celebes religio propagatur.* Interim in regnum quoque Celebum Christianæ religionis salutaris radius penetrauit. Rex Ternatinus instruxerat classem, in qua filium suum nomine Babu statuerat mittere, vt eos populos ad Mahometanam dementiam, cuius (vt sæpè demonstraui) erat ipse in primis sciens, & perditè amans, compelleret. Hac re cognita Henricus Lusitanus Prætor decreuit præmittere homines, qui statum eius regni explorarent, simulque duas bombardas è portu quodam (Totolem vocant) reportarent. Et quoniam ipsimet Celebes per legatos multis precibus efflagitauerant Christianæ doctrinæ magistros, visum est Prancudo per hanc occasionem Iacobum Magallianem, qui commodùm per eos dies Ternatem ex Amboino venerat, in eam expeditionem
123 mittere. Mense igitur Maio, quo tempore summa ibi desæuit hiems, Lusitani milites, vnaque Pater Magallianes è portu soluunt. Manadum primùm, qui portus est ditionis Celebum præcipuus, secundo cursu tam aliena tempestate propè diuinitus concesso, cùm omnes abeuntibus certum ominati naufragium essent, appulere. Vulgata de Patris aduentu fama, vidisses vix facta exscensione vndique ingentẽ circa eum multitudinem conglobari, flagitantes contentione magna, vt Christiani quam primũ fierent. Quindecim diebus pro gentis captu mille quingentos catechismo præparatos vnà cum Rege sacris vndis absterserit, reliquam multitudinem in reditu abluturus. Gens est bello fortis, & finitimis valdè formidolosa. Crux ingens in litore constituta: & Regi vexillum Sebastiani Regis donó datum. Aderat fortè eo tempore in Manado portu Rex Sionis vir inter suos iustitiæ nomine inclytus. Hîc quoq; auidè sancta fide susceptâ, & sanctissimæ Trinitatis signo, Lusitanique Regis vexillo cohonestatus est. Ex Manado ad oppidum Bolanum appulsos Manadensis Regis filius hospitaliter excepit: & baptismum magnis precibus
124 postulabat. Cæterùm, quoniam Cizilguzarata Ternatini Regis frater compulerat eum, vt Mahometi subiret turpitudinem, visum est Magalliani ad periclitandam constantiam, differre in reditum mysticas aquas. Hinc Cauripam abiere; vbi angusto in littore, nec admodum in longitudinem protenso sex pagi conspiciuntur. Ex his egressi incolæ ad tria millia ea cupiditate Christo Domino tradebant se, vt sanè haud posses magistrorum penuriã sine gemitu reputare. Oppidorum Principibus baptismate in præsentia impertitis, & cruce in hoc quoque litore fixa, spes pro re multitudini præbita. Inde Totolem ventum, qui finis nauigationis militibus erat. Bombardis non repertis, retro ad Cauripam flexere cursum. Ad redeuntis conspectum nauigij cuncta multitudo virorum æquè ac feminarum vnà secum paruos trahentium, vel gestantium liberos, vt pariter in Christi plebem omnes consecrarentur, ad litus effunditur. Octo itaque diebus Magallianes ad duo hominum millia, tanquam sitientem gregem ad vitæ fontem admisit. Inde Manadum reuertit præcipua in eo oppido cura iacturus diuina semina & educaturus, quominore negotio in reliquas regni oras inde propagarẽtur. Quo tempore Magallianes ad Celebes, Prancudus in insulas Mauri profectus est, in Ternate Petrus Mascarenia, & Vincentius Diazius Tiro ibidem receptus soli mansere. Qui
125 *Ternatinus templum extruitur.* ex mercatorũ collatitia stipe adorsi templũ (nec dum enim suum eo loci templum Patres habebant) tam sedulò approperarũt opus, vt cùm die S. Annæ cœptum esset, v. Idus Nouembres primum in eo Sacrum solenniter factum sit. Sub id tempus Prancudus iterum è Mauricis cùm æger esset reuersus, moxque etiam Ferdinandus Osorius adfuisset, & Nicolaus Nunnius è Bacciano, vbi annum fuerat, & Magallianes à Manado Regem, quem baptizauerat, Celebum Lusitanam spectatum arcem adducens, superueniisset, iamque sex vnà essent; appulit ex India nauis nouum subsidium aduehens Ludouicũ Goëm, & Christophorum Vascum Rodericium, gaudijsque ingentibus sancta illa cohors, segregata à Spiritu S. ab noto hoc orbe in opus Euangelij, & in vltimas illas terrarũ compulsa insulas, inuicẽ reuisit, regustauitque socialis vitę Religiosam suauitatẽ. Sed enim, quia populorũ circà plurimorum necessitas, quorum se saluti deuouerant, nequaquã ferebat moram, post dies vix quinque iterum segregantur. Prancudus ad suas Mauri insulas, quas ex prærogatiua cęli grauioris excolendas propriè sibi delegerat, redijt, multosque eôdem Sociorum adduxit. Ternate interim Christianus efficitur præcipuus Tidorensis Reguli dux,
126 *Nobilium conuersiones.* eiusdemque consanguineus, qui totum proximis annis contra Lusitanorum arcem Tidorense sustinuerat bellum. Multos Procerum exemplum eius valdè commouit. Andreæ, cuius die solenni renatus est, nomen optauit. Bengaicus item Rex Ternatem filium regni heredem misit, vti Saracenorum, & Christianorum moribus institutisque perspectis, vtra magis arriderent, sequeretur: nam eadem mox sese pariter secuturum. sapiens iuuenis Christiana delegit. quod Ternatinum Regem grauiter pupugit, minis & pollicitationibus in cassum admotis.

Digitized by Google

127 *Legatio ad Sinas tentatur.*

Hæc inter Molucas insulas dum fiunt, legatio tentabatur ad Sinas. Quinto Kalendas Maias Goa profecti Franciscus Petrius, Emmanuel Texeria, & Andreas Pintus de Societate cum Ægidio Goë, qui legatus Sebastiani nomine ad Sinarum Regem ibat, simul curaturus, vt Lusitanos inter ac Sinas commercia & societas iungeretur (nam eo tempore Lusitani, qui Amacaënsi in portu negotiabantur, portoria Sinis pendebant) simul vt per eam occasionem religioni aditus patefieret. Quæ via omnes olim rimanti aptissima visa erat Xauerio. Iacobus Pereria idem ille, qui vehendum Xauerium susceperat, vexit. Commoda vsi nauigatione, tantùm à Prestere, seu potiùs Siphone, quam Cęli manicam nautę vocant, periclitati, Malacam primùm, inde Amacaum quarto Kalendas Sextiles attigere. Peninsula Amacaus pusilla est in Cantonienſi prouincia Sinarum, nomen ab idolo Ama, quod ibi fuit, sortita. Nam Amacaum Amæ sinum interpretantur. In litore eius peninsulæ eodem nomine conuenticulum ex mercatorum appulsu, & negotiorum occasione oriebatur ea, quam nunc exequimur, tempestate: quod iam in emporium nobile, & vrbem sanè frequentem cùm propter opportunitatem loci (quòd medius inter Malacam & Iaponiam sit, & à Molucis, Sione, Cocincina, & aliunde institores excipiat, & cum Sinis ipsis negotia quæstuosa offerat) tum propter salubritatem cæli, & rerum omnium vbertatem mirum in modum excreuit. Huc Patres appulsi Lusitanis, alijsque Christianis, qui ibidem, vel in vicina insula, cui Pignolus nomen est, negotia exercebãt, sacerdotalem operam more suo nauarunt, tribus etiam illis, qui in Iaponiam mittebantur, dum traiectionem expectant, pro virili parte iuuantibus. Iacobo Pereriæ, quoad legationis negotium postularet, eius portus credita præfectura erat tum suam ob pietatem, tum quòd valdè esset locorum ac gentis peritus. Is & legatus Cantonem nunciant ab Lusitano Rege legatum ad Regem Sinarum adesse: petuntque, vt liceat ad obeundam legationẽ Cantonem accedere. Tentarant aliàs eiusmodi legationem Lusitani: quæ quorumdam impotentia & cupiditate non modò optato caruerat exitu, verùm legatum pro exploratore habitum, malè acceperant: & vniuerso Lusitano nomini insignis parta inuidia erat. Vulgò non solùm rapere homines, sed & vorare credebantur. Quin adeò Sinæ cùm fama accepissent Malaca eos, & alijs Indiæ locis vi & armis potitos; & viderent longè maioribus & munitioribus vti nauigijs, quàm sua essent; & super omnia, bombardarum horrerent molem, tanquam ipsi regno imminerent, procul arcebant. Ergo suspicionibus his imbuti Mandarini (hi sunt vrbium prouinciarumque in Sinis rectores) explorandum censent, num fraus legationis vocabulo subsit, illud inter alia metuentes, ne ea mercatorum ars esset portorij pensionem eludere molientium. Ea de causa Mandarinus legitur è præcipuis, qui Amacaum profectus cuncta diligenter exploret. Is vbi Lusitanorum propiùs vidit mores, præsertim quàm essent diuinis rebus addicti, quàm frequentes in æde sacra, quàm Patrum obseruantes; dixisse fertur, fieri non posse, vt gens, quæ tantam cum Deo rationem haberet, veritatem æquitatemque non coleret. Munera ad Regem destinata in templo per otium curioseque spectauit, ac retulit singula in libellum: ex quorum æstimatione facilè omnem suspicionem fraudis mercatorum abiecit, optimè ratiocinans nequaquam videri ad redimendum portorium id paratum esse, quod cunctarum mercium, quas in eo portu Lusitani haberent, propè pretium exæquaret. Opportunè etiam ad leuandam inuidiam cecidit, vt sub idem tempus quidam è Sinis ipsis latrunculi comprehenderentur, qui Lusitanorum ementiti habitum raptos incolas peregrinis mercatoribus diuendebant. Itaque his rebus, & humanitate, qua ab omnibus, & præcipuè à Pereria tractatus est Mandarinus, magnopere conciliatus fauensque discessit. Cum eo missus, Cantonem est Emmanuel Penedus, qui negotium apud Mandarinorum concilium vigeret. Ingenti magnificentia magistratuum Sinensium admissi sunt in concilium Mandarinus, & Emmanuel: cumque postulata exposuissent, interrogatus est Emmanuel, num ferret secum publicam fidem, quæ alteri olim legato præbita fuerat. Hanc cùm ille negasset se ferre, quòd, cùm Malacensis vrbs & arx capta est, ibi conflagrauerat, id satis argumenti censuere, vt legationem totam pro ficta respuerent. Interim Amacaum appellunt Ludouicus Mellus è Sunda, & Ioannes Pereria ab Malaca, ambo locupletes mercatores, ambo diploma regium ferentes, per quod & in Iaponiam nauigandi potestas vtrique fiebat, & Amacaënsis præfectura, quamdiu tempestas opportuna nauigationi appeteret, mandabatur. Hinc parum abfuit, quin, dum sua vterque iura præferenda censet, graue dissidium oriretur. Sed & Ioannis Suarij sacerdotis venerandi, qui ea loca pro Malacensi Episcopo inuisebat; & Patrum nostrorum mitigati precibus, litem peritis ex æquo & bono dirimendam permisere. Causa Ioanni Pereriæ adiudicata est: eique Iacobus quoque Pereria sine vlla contentione præfecturam cessit. Goam scriptum, vti Prorex nouis muneribus, duobus saltem elephantis missis delinire Sinarum animos ad excipiendam legationem studeret. Nihil vltrà hoc anno promotum ad Sinas.

128 *Amacai vrbis initia.*

129 *Sinarum suspiciosa cunctatio.*

130 *Præclarum dictũ Mandarini.*

At eodem tempore Iaponica Ecclesia multis simul amplificata modis, simul egregiè exercita & vexata est. Exitu superioris anni Cosmus Antonij Dynastæ Firandensis accersitu, relicto Vocoxiurano in portu (cui Patres à beata Virgine nomen indiderant) Almeida, quanquam & à Regulo, & à Bonzijs impendêre sibi molestias suspicabatur, quiduis tamen Euangelij causa paratus perpeti, Firandum concessit. Duobus circiter ibi mensibus fuit, Ethnicis quidem, ne prorsus nudarentur commercio, dolorem animi prementibus; tanta verò cum lætitia Christianorum, vt censerent se perbeatos, quibus Patrem vel alloqui, vel intueri daretur. In pietate is quasi æstus efferbuit, vt è neophytis vnus præclarum condiderit volumen de rebus eo bimestri spatio gestis: Lusitaniqué

131 *Iaponica res.*

132 *Firandensium Christianorum feruor.*

Digitized by Google

taniq́ue duo, qui comites Cosmo fuerant, tam inusitatæ spectaculo pietatis commoti, alter diuino se obsequio in Societate addixerit, qui missus ad tirocinium Goam est; alter sæculo per matrimonium alligatus, in mirum sui odium, vexandiq́ue corporis studium adductus, nouum vitæ genus summæ seueritatis inierit. Ad hæc septuaginta Ethnicorum ad fidem, pleriq; nobiles accessere. Cosmus Firando Bungum cogitabat, ne Ecclesia id temporis in Iaponia princeps tamdiu careret sacerdote. Sed infestis, exorto circa Facatam bello, itineribus alia via profecturus decimo Kalend. Martias Vocoxiuram repetijt. Verùm luxato pede, ne hinc quidem tenere iter licuit. Deus nimirum in regionibus his industria eius vberiore cum quæstu vti hoc anno destinarat. Iam multos Almeida religionis rudimentis imbuerat: at Cosmi aduentu multò maiore diuinarum rerum excitato æstu frequentes numerosiq́ue baptismi fieri cœpti. Pagus ipse neophytis eò Facata, Firando, è Bungo, nonnullis etiam inde vsque Meaco commigrantibus, valdè frequẽtabatur. In monte è templi regione omnium ad eam diem in Iaponia subrectarum statuta pulcherrima crux est. Ad cætera pietatis studia adeò seuera neophyti sexta quaque feria diuerberatione se concidebant, vt solum templi postridie multo respersum sanguine cerneretur. Sub Cineralii Ximabaram Almeida profectus est, accersitu Toparchæ, quem priore anno, dum Arimanum Regem Almeida idem inuisit, diuinam audiendi legem cupido incesserat. Octo ab eius discessu diebus Vocoxiuram Sumitanda regulus Omuranus, qui eum portum Ecclesiæ tradiderat, magno nobilium comitatu venit: statimq́ue ad Cosmum multa de more gentis dona honoris & obseruantiæ causa misit. Erat enim non solùm ore probo, liberaliq́ue & honesta facie Princeps, verùm mirè animo comis & humanus. Cosmus optimè intelligens ex potentum fauore quantum diuinis rebus commendationis ad vulgus accedat, ad Sumitandæ beneuolentiam alendam, simulq́ue cum eo liberè de religione agendi occasionẽ captans, Lusitanis mercatoribus, qui ibidem hiemabant, conuiuium apparantibus, eum inuitauit. Lusitani ita lautè magnificeq́ue acceperunt, ac si suorum maximos excepissent Principũ. Secundùm epulas Cosmus solum in sacellũ abducit: aitq́ue, quemadmodũ, qui consiturus est agrum, quàm optima legit semina; ita oportere pro sua prudentia Sumitandam etiam atque etiam habere delectum dogmatum, quæ in animo suo consita velit: atque adeò ei se, proeo quanti tam beneuolum ipsius ac nobilem animum faciat, pacis vitæq́ue æternæ semina ostensurum. Erat sacellum scitè ac venustè exornatum. Sumitanda cùm probaret cætera, illud ante omnia mirabatur, quòd in effigie Deum filium gremio sustinentis Deiparæ, vndecunque spectaret, pueri Iesu oculos coniectos in se videret. Et defixerat sanè salutiferum ac vitalem suum aspectum in hominis animum diuinus puer; & mira in eo meditabatur efficere. Cùm igitur Regulus libenter se disputationem de lege diuina auditurum respondisset; Ioannes Fernandius, qui Iaponicè callebat optimè, aduocatus in primo congressu non nisi de rerum procreatione, quamq́ue stultè aberrent, qui nihil præter primam rerum materiam (vt fermè Iapones) nouere, disseruit. Verùm in digressu maiorem diuina cognoscendi mysteria cupiditatem iniecit donato flabello, quod ab Meaco Villela transmiserat sanctissimo Iesu inscriptum nomine, cruce supernè, infernè clauis appictis. Multus Iaponibus, vti etiam Sinis, nec modò ad auram ciendam, sed ad quendam cultum vrbanitatis flabellorũ est vsus. Id vt Regulus vidit, quid argumenti, quid illud litterarum sit, percunctatur: opportuneq́ue Fernandius excipit. Idcirco id ei se flabellum dedisse, vt signum ac nomen, quo erat inscriptum, penitus in corde sibi imprimeret. Ad res verò tam præstantes, quàm illæ essent, intelligendas maiore cùm otio, tum eius præparatione opus esse. Ad quæ Princeps, cùm se quidquid foret opus, facturum animosè sponderet, discessit. Nec diu pòst sub vesperam cœnatus reuertit: atque vbi Fernandius ordine scholam de principijs rerum ac religionis habuit, sui memor flabelli expressa in eo signa vt tandem sibi explicaret, rogauit. Tum inter cætera de sancta cruce sermonem exorsus Fernandius, quid ex ea opis ac beneficij Constantinus Imperator accepisset, memorauit. Quæ Regulus, vt apparebat, satis percepit omnia: voluitq́ue in flabello, quo vtebatur, orationem Dominicam, salutationem Angelicam, & versiculum; *Per signum crucis de inimicis nostris libera nos Deus noster*, adscribi: tum quid esset Quadragesima, quæ tum celebrabatur, multaq́ue præterea id genus explicari. Die postero è suis familiaribus nobilem virum, eumdemq́ue Christianum, Ludouicum nomine, vrbis Omuranæ Præfecti fratrem ad Cosmum allegans, nunciare iubet, se quidem iam Christianum animo esse: siq́ue virilis stirpis Deus potentem faceret, ad imperij contra tumultus, qui suboriri possent, firmamentum, palàm se pro Christiano gesturum. Interim autem rogabat, vt liceret secum veneranda crucis ferre signa, suasq́ue res Christo Domino commendare. Quod cùm Cosmus vtrumque respondisset plurimùm sibi placere, continuò Omuram reuersus, aureum fingi crucem iubet, eamq́; propalàm ab collo pendentem gestans germanũ suum Regem Arimæ inuisit. Rex eam rem haudquaquã tulit molestè, imò cùm antè per se ad id propensus, tum laudibus, quibus Sumitanda Christianam legem deprædicabat, incitatus, legatos ad Cosmum & dona misit, postulans vt in suo quoque regno promulgari legem diuinam vellet. Almeida interim Ximabaram prouectus, illico potestate & promulgandi Euangelij, & extruendi templi facta, ipso Tono, qui accersierat, ad audiẽdum omnes hortante, ter in die, quò idoneam sibi quisque caperet tempestatem, sub auroram, meridiem, vesperam catecheses instituit. Excellebat inter auditores auiditate captuq́ue diuinarum rerum is, apud quem diuersabatur, hospes, inter nobiles facilè primus: cui mox baptizato, Leo est editum nomen. Tonus, eiusq́ue coniux Arimanæ Reginæ soror, sæpè aures concionibus præbuere; & dedissent pietati cognitæ manus,

133 *Vocoxiuræ incrementa.*

134 *Sumitandæ Reguli erga Christianos propensio.*

135 *Pellicitur ad fidem.*

136 *Instituitur.*

137 *Rex Arimæ ad fidem propendet.*

138 *Ximabaranæ Ecclesiæ primitiæ.*

Digitized by Google

nisi qui maximam mortalium partem ab gaudijs sempiternis auertit, iniquus ad caduca bona respectus obstitisset. Vnicam tamen infantem filiam velut ad animi sui pignus Christiano obtulerunt fonti: cui Mariæ dictum vocabulum. Fortè Rex Arimanus interim ea transit: quem Almeida antè sibi notum cùm salutandum putasset, ab Tono introductus, perque humaniter exceptus à Rege, non pauca, quæ iter religioni præsternerent, disputauit. Rex valdè delectatus est explicatione quæstionum naturalium, quomodo gignantur imbres, quæ fluminibus origo, quæ fontibus: vnde tonitrua & fulgura: quid terram interdum moueat, alijsque id genus. De postulatis ex Patre Cosmo diuinæ legis præconibus vltrò sermonem intulit, adiectoque rescripsisse Cosmum, Almeidam ipsum iturum, illam protinus epistolam afferri iussam in corona nobilium capiti suo imposuit, perlegitque. Paschales iam feriæ appetebant, ad quod tempus Vocoxiuræ Almeidam adesse Cosmus præceperat. Itaque centum & quinquaginta è summis fermè oppidanorum ad prima Ximabaranæ Ecclesiæ fundamenta Triadis sanctæ nota impressis, tribusque inter eos matronis, quæ Mariam Toni filiam educarent, hebdomadæ sanctioris feria quarta Vocoxiuram peruenit. Ingens ex omni parte gratulatio fuit. Socij Vocoxiurani Christianorum ardorem, & oblatam de Sumitanda spem narrabant. Almeida exponebat, quæ per ipsum Deus Ximabaræ gessisset: simulq; missæ Funaio legebantur litteræ, quę præter cętera nunciabant ab Odoardo Silua eodem tempore centum triginta è primoribus Ecclesiæ Bungensi additos. Multiplicauit gaudium reditus per eos dies Vocoxiuram ipsiusmet Sumitandæ: cuius adulta iam pietas magnis auctibus matureſcebat. Cosmo duas res postulanti ad bonam pagi valdè crescentis administrationem, primùm, vt quædam decreta legesque conderet, deinde vt quempiã è suorum Procerum numero præfectum pago imponeret; vtrumque volens concessit. Quin adeò se gerebat modestè, vt cùm ibidem ipse, qui dominus erat portus, domicilium optaret extruere, veniam eius rei, hoc est in suo ædificandi, postularit à Cosmo. Nihil præterea valdè memorandum ibi tum gestum. Reuerso Omurã Sumitanda Paschales ferias Vocoxiurani neophyti iam circiter mille numero ingenti gratulatione peragunt. Secundùm eas visum est decere mitti, qui Principem Christiano officio resalutaret. Continuò igitur Almeida eam ob rem Omuram profectus perturbata omnia strepitu armorum reperit. Duo è Dynastis coorta ab altero iniuria multitudinem, qua nihil mobilius, distraxerant in partes. Iamque Bonzij solenne occinebant carmen: quòd Sumitanda plus nimio Christianis faueret sacris, idcirco deorum ira cuncta turbari. Verùm placuit propitio Numini, vt eiecto, qui iniuriã fecerat, breui tranquillitas, nec difficulter rediret. Quinque diebus Omuræ actis Almeida, eoque tempore multa humanitate præbentem aures sæpè Regulum de Christianis dogmatibus allocutus, deducente, quem idem tradidit, viro nobili, ad Regem Arimæ pergit. Rex ita excepit, vt quantumlibet reluctantem honestiore collocarit loco, quàm reseruarit sibi: deque animorum æternitate, de præceptis decem Christianæ legis; quam ea Regibus iuxtà populisque salutaria sint, quàm felicem reddat humanam gentem custodia eorum, disputantem audiuit cum approbatione tanta, vt die postero binas ei dederit litteras, alteras mittendas ad Cosmum, quibus potestatem faciebat religionem Christianam toto suo regno disseminandi: alteras, quibus Cocinocenses audire catechimũ iubebat, ipsimet Almeidæ perferendas, allegato è suis aulico ad locum templo metandum; remque totam commendatiùs ordiendam. Almeida ex itinere ad septuaginta capita Christianorum gregi Ximabaræ adiecit, Damianoque, qui cõseruaret opus ac promoueret, relicto, Cocinocum venit: summaque oppidanorum voluntate acceptus, quindecim diebus ducentos quinquaginta, vnaque Tonum, vxorem eius & familiam baptizauit. Cæterùm quòd Ximabara oppidum erat portusque multò frequentior, ratus ibi peramplam ac prænobilem congregari Ecclesiam posse, Paulum Iaponẽ Cocinoci reliquit: eoque se ipse refert. Præter Christianos, catechumeni iam Ximabaræ trecenti numerabantur, cùm trium cœnobiorum Bonzij, secundo rei progressu incitati ad consuetas sibi turbas deuoluuntur. Primò infamiam dissipare per ficta probra, Patres humanis vesci corporibus; & quocunque aspirent, pestem & exitium importare: deinde figmenta infamia cùm parum proficerẽt, ad res, & facta sæua ac superba verti. Dum concionatur Almeida, ex condicto ferociter ingressus Bonzius positam in ede crucem in oculis omnium comminuit: nec quippiam propiùs factum est, quàm vt neophyti Deo & sibi factam iniuriam, dilaniato confestim sacrilego vindicarent. Sed Deus, ne maioris id fomes incendij foret, promptas alioqui hominum & iras & manus inhibuit. At Bonzij successu elati, & primorum cognatione & affinitate subnixi pictas in charta cruces, quas Christiani ad suam testandam fidem, tectorumque simul tutelam pro foribus affixas habebant, discerpunt. Quas indignitates Tonus, quanquam summè cuperet vindicare, tamen vitandæ seditionis causa neophytos vt patienter ferrent, temporique modestè seruirent, admonuit. His alia interuenit turba è duorum adolescentium, qui ex finitimo oppido ad concionem venerant, rixa: quorum alteri alterum stricto petenti gladio cùm ad prohibendum facinus Christiani ferrum extorsissent è manibus, is pro iniuria id nequaquam ferenda numerans, cùm Ioanni, cuius domi res contigit, tum cæteris Christianis coacta oppidanorum suorum manu exitium minitabatur. Verùm cùm ex composito in vacuam quamdam domum idem permissus esset irrumpere, gladiumque inde eripuisset, velut ea re par pari retulisset, ac dignitatem resarsisset (ita hominum superba leuitas sæpè se ipsa ludificatur) opinione faciliùs teter hic turbo euanuit. Has inter vicissitudines, & infecta liuore Satanę turbamenta nihilo lentiùs Dei causa processit. Itaque die Pentecostes ducenti vitali latice contacti. Cæterùm cùm ad inuidiæ remouendum aculeum placuisset domicilium à Bonziorũ oculis

139

140 *Sumitanda modestia.*

141

Arimani Regis benignitas.

142 *Cocinocensis Ecclesiæ ortus.*

143 *Ximabaræna Ecclesia vexatur.*

144

Digitized by Google

lis in minùs celebrem oppidi partem transferre, atque ad ædificium tum sacelli, tum domus, aream conuectamque materiam Tonus præbuisset, vigesimo die vtrumque stetit.

145 *Sumitanda Regulus baptizatur cum multis suorum.*

Hæc Cocinoci & Ximabaræ dum fiunt, Vocoxiuræ maiora incrementa Christiana res accepit Sumitandæ baptismo. Vbi solennia peregit, quibùs humanæ salutis perpetrato negotio inuectum cælo triumphantem Christum veneramur, Pater Cosmus Omuram, habens quæ cum Regulo tractaret, profectus, in tempore simul hortatur, vt Omuræ templum ædificet. Regulus tum quidem, adhuc retardari se metu seditionis respondit, quòd pollerent viribus Bonzij: sed assiduè Christo Domino hominis compungẽte præcordia paulò pòst ipsemet Vocoxiuram venit, plusque quàm esset postulatũ, daturus, Cosmo significat, planè sibi esse decretum haud vltrà differre baptismum: illud boni consuleret, si, quoniam maioris fratris potestati subesset, haud continuò fana Bonziana euerteret, certus nihil ampliùs cum ijs fore sibi commercij. Quæ cùm Cosmus probasset, ad eum Regulus noctu cum familiaribus venit: positisque humi genibus in suorum corona, ac palmis religiosè precantis in morem coniunctis sacra respersus est aqua, è regia Iaponum stirpe primum Christi germen; Bartholomæus (nec causa prodita est) nomen

146 accepit. Cæterùm vt ex genitali fonte posita Adæ senecta nouus & lætus exilijt, familiares suos, qui circumsteterant, iussit clara voce Christianæ legis pronunciare summam, vt appareret ab se suos affatim ad Sacramentum eruditos: addiditque neminem eorum, tametsi ipse non suscepisset, omissurum fuisse baptismum. Ergo hi quoque tum alioqui abunde parati, tum quia ad constantiam Principis, prohibendasque seditiones pertinebat esse quàm plurimos præclari eius consilij socios, cælestis lauacri participes facti. Postero die Bartholomæus ad germanum suum Regem Arimæ, qui bellum gerebat, Christiano plenus spiritu iter ingressus obuiũ idolum, quod armis præesse putant Iapones, Maristẽ nomine, cuius in vertice gallum gallinaceum insidentem affigunt, extemplò confringi, & fanum incendi, eodemque loco triumphale signum crucis, quod comitatus omnis religiosè veneratus est, attolli iussit. Iam Lusitanorum mauis è Sinis expectabatur, & quia Almeida iussus erat ad eius aduentũ Vocoxiuræ adesse, eò versus ingreditur viam. Extremo Iunio nauis appulit: in ea sacerdotes duo Ludouicus Froës, & Ioannes Baptista Montius cum Iacobo Consaluio laico aduecti sunt. Quos Cosmus vbi vidit, & paterno strinxit amplexu, præ sensu animi, quòd tandem subsidium, diuinique operis propagatores adesse cerneret, lacrymas bonus senex tenere non potuit: neque iam quidquam habebat, quare vitam diutiùs adamaret. Almeida ab horum complexu statim ad salutandum regium tironem Christi Bartholomæum mittitur. Reperit in castris militari vestitu. In paludamento leonini coloris super vtrumque humerum, & post tergum in candido serico sanctissimum nomen Iesu viridi colore pictum micabat. Ad pectus crux satis magna è solido pendebat auro. Circumiectum collo precatoriũ Dei pare sertũ gemmeo quouis pulchrius torque lucebat: os ipsum; vultusque modestia quadam sanctiore decens, vt induisse Christum & animo & corpore præ se ferret. Idem ferè nobiles eius familiares decorabat habitus. Non fuit opus Almeidæ dissimulanter per apta ingenio Principis argumenta insinuare se, aditumque captare ad sermonem sanctiorem. Ipse prior Bartholomæus ab rebus diuinis exorsus colloquium, in ijsdem absoluit. Ad extremũ quo cumulatiùs ipse quoque Christiani catechistæ fungi posset munere, prolato codice, in quem Villela propositas sibi à doctis Meacensium retulerat quæstiones, quas per se minùs intelligebat, earum explicationem ab Almeida postulauit. Vt verò paulatim suos omnes, ac minore cum inuidia motuque ad Christum adiungeret, quaternos quinosue secundùm reditum aliorum alios atque deinceps alios ad Cosmum erudiendos, & Christo decuriandos mittebat è castris. Quibus in castris summa cum voluptate castra planè Dei licebat agnoscere. Non ludi, non rixæ, nil auditu fœdum, nil impium inter nobiles illos bellatores, sed certamen fortitudinis æquè & modestiæ: assiduique de virtute, de patria cælesti, de Deo sermones. Idibus Iulijs salutato etiam Arimano, Iacata Vocoxiuram Almeida redit. Iam vulgato nouorum ex India sacerdotum aduentu, certamen haud leue

147 *Bartholomæi Reguli pietas.*

148 erat exortũ. Antonius Firandensis, & vxor ipsius Elisabetha missò confestim nuncio, Cosmum magnopere obsecrarant, vt eorum vnum ad Firandensem, cæterasque eius regionis Ecclesias visendas mitteret: quòd si gratificari cunctaretur, duos aiebant de liberis suis allegaturos, qui idipsum humi strati supplices flagitarent. Ximabaranus Tonus, cùm in ea vrbe iam Christiani plus mille quingenti censerentur, qui idem peteret, nobilem virum legauit. Eadem erant postulata Regis Bungensis. Quo in regno annum iam, & cæteri Christiani, & fratres quoque de Societate cùm Sacramento confessionis, tum sacrificio per inopiam sacerdotis carebant. Ergo in Bungum, vt & Socijs cõsuleretur, & Regis adeò amici & potentis habita videretur ratio, missus est Ioan Baptista Montius, quem duxit Almeida:

Iaponum Christianorum sacerdotes habẽdi studia.

149 alijs, prout licuit, satisfactum. Haud minus fuit singulorum certamen neophytorum, vbi audierunt à Patribus recèns aduectis aliquantum piacularium granorum allatum. Ex Iaponiæ cunctis Ecclesiis vel sexaginta leucarum interuallo vnius impetrandi studio accurrebant; votique compotes facti, perinde ac si thesaurum inuenissent, gaudium animi lacrymis testabantur. Nec profectò, si verè æstimetur, tanta studia donorum pretium adæquabant: quæ vel copia interdum nostro in orbe, vel socordia plurimorum viliora facit. Per idem tempus, cùm Bartholomæus Regulus Patrem Cosmum reuisisset; magna Lusitani quoque negotiatores, à quibus plurimùm amari colique cœptus est, gratulatione aduentum eius concelebrarunt. Quibus ille vicissim

& piacularia grana.

150 haud paulò lætius pulchriusque spectaculum reposuit pietatis suæ. Multò ante lucem manè ibat in templum: nec modò sacerdotem patienter ad statam vsque horam præstolabatur, sed etiam quempiam aduentu suo summoueri vetabat:

Bartholomæi pietas.

Digitized by Google

vixque, parato sibi honoris causa stragulo vt vteretur, adduci poterat: tũ Sacro perfecto, nequaquam ante pronũciatum subinde à pueris de more catechismum pedem è templo mouebat. Ad Cosmum verò aditurus in ædium ingressu pugionem ac cætera ponebat arma. Paucis diebus regressus Omuram, quoniam parentalia quædam Iaponum appetebant; in quibus & vectigalia augeri, & conuiuia præberi mos erat Bonzijs; ne per auaritiam putaretur ab ritibus patrijs desciuisse, communicata cum Cosmo re, totos illos dies, quibus funebria sua Bonzij sacra celebrant, statuit ad sena egentiorum millia pascere, vt ea benignitate veri Dei gratiam sibi, & munificam pietatem conciliaret. Ad hæc assuetus plus præstare, quàm polliceri, & verba factis anteire; demortui Regis statuam, cui antea odores adolebat, deiecit: & Camisamam vxorem suam multùm hortatus perpulit, vti vnà cum matronis ancillisque suis Christo daturam nomen sponderet.

151 *Exagitatur Iaponica Ecclesia.*

Florebat sanè, progressusq; insignes habebat diuina res, cùm repentè miserandum in modum scena vertitur. Nimirum adeò læta Christianæ pietatis seges vrebat Satanam Bonziosque. Ergo hi instinctu illius dolore in rabiem verso, facinus aggrediuntur immane & impium. Subornant populorum Præsides, & Gotondonum nothum in primis incitant, exaggerantes præter cætera non ferendam eius parentis memoriæ illatam iniuriam, cuius statuam is, qui eius & filius nominabatur, & gratior eo debebat esse, quòd non forte genitus, sed iudicio ac voluntate lectus & adoptatus erat, & denique hereditatem regni creuerat, pro honore, solennibusque cerimonijs, quas omnia exigebant iura, per summam impietatem euerterit. His facibus occultissimè agitatis, Præsidumque multis, & Gotondono incensis, consilium initur Gotondonum in regnum aduocandi, & Cosmum Turrianum de medio vnà cum Bartholomæo tollendi: vt his duobus tanquam Iaponicæ Ecclesiæ fundamẽtis subrutis, reliqua moles leuiore impulsu euertatur. Id quo certiùs fieret, ipsimet proditores adeunt Bartholomæum, perque vaferrimam dissimulationem admonent, vt quamprimùm aduocet Cosmum: qui templum Omuræ vero cæli terræque Deo excitet, & Christiano baptismate Camisamã initiet. Hæ dum fraudes insidiæque struuntur, læta & festa omnia Vocoxiuræ erant. Cosmus dilatam ad eam diem sacerdotis inopia solennem professionem emissurus diem ei celebritati destinauerat eum, quo assumptam in cælum Deiparam gratulamur. Et Cosmi virtus, & Lusitanorum in portu negotiantium præsentia, & tenera Ecclesiæ Iaponicę ætas, cui sacrorũ veneratio, & erga pastorem suum obseruantia ingeneranda erat, & nunc primùm id cerimoniarum genus spectabat, merebantur, vt aliquo cum apparatu res fieret. Venerat igitur

152 Arias Sancius è Bungo adductis adolescentibus, quos ipse non insciè canere fidibus edocuerat: & cætera sedulò apparabantur; cùm Ludouicus Omurani Præfecti frater à Bartholomæo missus adest, Cosmum ad extruendum templum, & Camisamam baptizandam ducturus. Cumulata eo nuncio lætitia est; tamen respondit Cosmus ante diem assumptionis Deiparæ neque se ire neque sacerdotem alterum posse: post eum diem continuò ambos ituros. Vbi expectata lux adfuit, conferto Lusitanis Iaponibusque templo, senex optimus ante sustinentem diuinam hostiam Ludouicum Froëm abiectus in genua solennia sua vota emisit, tantos inter gemitus singultusque, vt cœtum omnem spectatorum ad vberrimas lacrymas excitarit. Sed graui statim febri Patre Ludouico correpto, cùm statuisset eum quoque Cosmus Omuram ad maiorem rei celebritatem adducere, haud protinus in viam se, vti receperat, dedit. Proditores nefarijs consilijs optimè gnari nil magis quàm cunctationẽ ac tempus officere, aliis super alios nuncijs Bartholomæi nomine instant, vt acceleret: primo quoque tempore Bartholomæo redeundum in castra, velle tamen priùs interesse dum optatur templo locus, & baptizatur Regina. Quin adeò agere simul de Arimani Regis institutione velle, quem audierat statuisse fieri Christianum. Non poterant optabiliora nunciari. Iam breui futura Iaponiæ totius ad Christum accessio præcipiebatur animo. Respondit itaque Cosmus die postero omnino se omni victa mora iturum: quod renunciaturus idem, qui primò accersierat, Ludouicus statim profectus est. Ea nocte Cosmus iussit quæcunque opus erant ad iter & ad Sacra Omuræ facienda apparari; tamen quanquam tantum spei alliciebat, & fidem sic obligasse videbatur, nescio quo pacto nunquam extricari ita poterat, quin alia ex alijs impedimenta suborirentur. Consultoque precibus Deo, planè sententiam fixit, tantisper ipse subsistere, & Iaponem Christianũ Alexandrum nomine cum mandatis ad Bartholomæum præmittere. Quod cõsilium haud dubiè diuinitus immissum est, ne Iaponica Ecclesia immatura orbitate percelleretur. Nam cõiurati, siue veriti ne fraus erumperet, si diutiùs coqueretur; siue nihil dubitantes, quin Cosmus cum Ludouico ipso veniret; ita partes ad perpetrandum facinus diuisere, vt Dynasta quidam notæ audaciæ Fariuus nomine viam insideret, qua venturus erat Cosmus: cæteri tempore eodem vrbi subiectis facibus de medio Bartholomæum tollerent. Stetêre vtrique cõuentis, sed neutri facinus, quantũ animo conceperant, prohibente scilicet Deo, perpetrarunt. Fariuus impetu in Ludouicum facto innocentissimũ virum immanissimè mactat, Cosmum nusquam reperit. Qui in vrbe subsederãt, subdito tectis igni, luctu omnia lamentisque, & miserabili clade miscuerunt. Bartholomæus quanquam ægrè, incolumis tamen vicinam in arcem euasit. Decimo sexto Kalendas Septembris interemptus Ludouicus, & incensa Omura est. Erat sanè vir probus Ludouicus diuinæ gloriæ perstudiosus, Bartholomæo intimus: dumque vltro citroque commeat, optima ipse quidem mente, religionis propagandæ studio, cùm etiam ad extruendum templum suasimet destinasset ædes, vitam haud dubiè pietatis causa amisit. Promptum est cuique subijcere animo, qui sensus animorum Vocoxiuræ fuerit, vbi tantæ cladis postero die nuncij allati sunt. Sed impendentium adhuc

153

Cosmus periculo iuuenio liberatur.

154 *Grauissima pericula Christianorum.*

metus

Digitized by Google

metus malorum auertebat aliò curas, nec sinebat præsentia deplorare. Haud dubium erat, quin hostes protinus in eum vicum facturi impetum forent. Itaque hortatu Christianorum Cosmus in iuncum (genus nauigij est) Consalui Vazij, & Ludouicus Froës graui æstuans febri cum Ioanne Fernandio in maioris formæ onerariam alterius nauarchi: in easdem Lusitani omnes cum rebus suis, adhæc multi neophytorum cum familia item ac facultatibus secessérunt. Nihil tamen præter metum atque tumultum in præ-
155 sentia passi sunt. At in Bungum, vbi & Ioan. Baptistæ, & Almeidæ aduentu quàm cùm maximè efflorebat religio, fama, vt solet, in maius res attollente, repentè nunciatur, Bartholomæum cõfossum, Iacatam eius fratrem regno spoliatum, naues Lusitanas Vocoxiura fugisse, templum vicumque igni, Patres ac neophytos ferro deletos. Qua fama Bungensibus Christianis supra modum fracti ac deiecti animi, Ethnicis arrecti inflatique: vt palàm insultarẽt exprobrarentque, si quæ vires Christianorum Deo essent, protecturum sanè Bartholomæum fuisse. Apparere vetus & commune dictum, quò noua hæc religio peruadat, celeriter exitium rerum omnium insequi: ita Amangucium, ita Facatam pulcherrimas totius Iaponiæ vrbes, postquam Christiani irrepsissent, euersas. At Socij, quamuis immensum haurirent animo dolorem, tamen spe in Deo locata, ad omniaque parati, nihil intermittebant omni ope solari & confirmare perculsos Christi tirones. Almeida non dubitauit Vocoxiuram versus, vt opem, si quam posset, tanta in calamitate afferret, raptim inire viam. Eunti, quòd assiduas propter peregrinationes valdè erat notus, eadem passim ingerebantur, contemptimq; interrogabant, quò pergeret, quorsum inanem laborem sumeret, cùm omnia funditus euersa essent. Tacaxim oppidũ regni Fingensis Arimano finitimũ cùm venisset, nomihil respirauit, cognito hostes Vocoxiuræ pepercisse: quòd statim neophyti seruientes tempori rebellium se protestati tradidissent, Patres abessent: porro & ipsos & Bartholomæum viuere. Ximabaram progressus propè desertam reperit. Christiani tamẽ ad suum excipiendum magistrum officij memores accurrunt, non passi descendere, ne quid in eum tanto in rerum motu committeretur: totaque nocte cateruatim nauigium, quo vehebatur, mœstissimi frequentarunt. Quæ illi constantia non mediocre summa in calamitate leuamẽtum erat. Inde Cocinocum prouecto alia ac re-
156 liquerat species rerum occurrit oculis. Crucem ab se modò statutam non aspicit. Incolarum demissi, & quasi ignotorum vultus. Vix vlli, nec qua priùs hilaritate occurrebant. Insuper ne descendat, admonetur. Quòd Xengandonus Bartholomæi, & Iacatæ Arimani pater antè inimicùs Christianæ fidei iam palàm eam insectaretur; non aliunde dictitans tantas filijs calamitates incidisse. Eum iussisse excidi crucem, & populum omnem renunciare Christo, capitis proposita pœna, si posthæc Almeidam recepissent. Hoc illi carmen eo tristius accidit, quòd palàm, magnaque voce pronunciatum est, præsertim cùm audirent Bungensium quidam mercatores, quos non ignorabat ad contemptum Christianæ pietatis, quippe idolis deditos, famam eius rei cupidè vulgaturos. At vbi tandem intendêre se tenebræ, succesitque lugubri diei solicita nox; mœrore afflictus omnis expers quietis iacebat, cùm intempesta iam nocte nauigium propè admouet sese nauigio eius. Christianis refertum erat, qui veluti miserrimum circa parentem miserrimi filij pleni lacrymarum affusi inter gemitus & singultus calamitates suas, & tristia iussa Principis memorabant. Alij dicebant, Si deserimus Deum, ad quem ibimus? Nisi in nostris ærumnis à Deo petimus opem, à quo petemus? Alij autem, Numquid ligneis statuis & lapideis, vt adhuc fecimus, honores diuinos tribuemus? At alij, Quis porro amorem cælestem, qui nostris in animis est, extorquebit? Visus esses audire illa Apostoli, *Quis nos separabit à caritate Christi?* Ad Rom 8. Almeida de tam insigni constantia innumeras Christi Domini gratiæ gratias agens, qua potuit ope mœstos consolatus, adhortatusque ad perseuerandum, Vocoxiuram tandem, per summa incommoda & pericula duodecimo Kalendas Octobris peruenit. Idem sub tempus nuncius affertur Riosogium, quicum Arimanus Rex bellum gerebat, pacem cum eo certis cõditionibus facere: atque vtrumque ad restituendum Bartholomæum contra Gotondonum conspirare. Quo nuncio Centurio, qui Gotondoni nomine Vocoxiuram occuparat, aufugit: eaque re Patres ac neophyti respirarunt. Acceptæ sunt à Bartholomæo litteræ per hominem grandem natu, insignemque pietate Christianum, quem ad consolandum Regulum miserat Cosmus. His lit-
157 teris nunciabat vehementer ab suis, in primisq; à Xengandono parente solicitari se, vt susceptam Christi religionem abijceret: nimirum quòd eorum mentibus nondum veritatis splendor affulserit. Verumtamen animum suum in dies magis in Domini veri cultu obfirmari ac figi. Hic status erat rerum circiter Idus Nouẽbres, quo tempore scriptæ sunt de his in Europam litteræ. Paucis pòst diebus cuncta rursus turbata certũ est. Causa, seriesque rei non extat, quòd scriptis iam litteris, dato vni è Socijs negotio, vt adderet, id, quantum assequi coniectura datur, non præstitit. Sed ex litteris postero anno datis constat, turbatis iterum rebus impetum in Vocoxiuram à Bar-
158 barisfactum, Patrum in oculis vicum templumque hausta flammis, vexatos dissipatosque neophytos. Cumque Ludouicus Froës iam Firandum abijsset, Cosmum, Almeidam, Consaluium ægrè nauigijs duobus à Leone Ximabara peropportunè missis, fugisse Tacaxim in Regis Bungensis portum. Qua in miserabili fuga intentis in fumantia tecta oculis, dum confusæ flammarum crepitu, hostium insultantium, & complorantium Christianorum voces ferirent aures; dolore attoniti non tam tot suos labores in irritum cecidisse, tam præclaras interruptas spes dolebant, quàm neophytos miserabantur, qui cum vxoribus, paruisque liberis sine tectis, sine cibarijs, sine vllo humano perfugio tanquam sine pastore grex feris immanibus præda relinquebantur. Neque hic Ludouico Froï finis ærumnarum fuit. Æger in Tacaxumam Antonij insulam delatus cum

Bartholomæi constantia.

Vocoxiura flammis delatur.

Digitized by Google

159 cum Ioanne Fernandio ibi dudum agente, quòd ingens accurrebat multitudo, templum amplificare, & sacrarium atque ædificium ad hiemem traducendam adornare aggreditur. Opus impigrè festinatum est, ac breui tectum impositum, sed ad nutrimentum ignis, non commoditatem vsus. Dum Christianus Iapon fingendis candelis ceram ad ignem liquat, fauilla in aridam palearum materiam, ex quibus parietes constabant, fortè illapsa, sensimque propagata peste, id repentè exarsit incendium, vt quanquam interim effusè ningeret, hospitium Patrum, sacram ædem, & quindecim præterea Christianorum domos penitus hauserit. Neque ea parum miserabilis species fuit. Incensis domibus, domesticoque consumpto instrumento, omnium rerum egeni, tempestate perfrigida, densaque (vt dictū est) cadente niue, expelluntur ad auras miselli parentes vnà, cum coniugibus ac liberis, qui nonnullos septeni octoniue circumstabant; tanta inter hæc æquitate animi, & patientia, vt nostrorum Patrum magis, quàm suam ipsorum dolerent vicem. Ex incendio sacrorum apparatus Dei beneficio seruatus est, & nonnihil orizæ, vestiumque, quæ Patres inopi illi turbæ, cuius omnia conflagrauerant, miseratione commoti, diuisere. Ioannis verò Fernandij volumen, in quod Dominicarum totius anni feriarum conciones, & catechismi explicationem Iaponicè contulerat, sanè magno cum incommodo perijt. Pater Ludouicus, vt decumbebat, in summo periculo summo vsus conatu ad Christianum vicinum prorepsit. Ibique summa in egestate stoream pro lecto, lignum pro ceruicali habuit: omnia summè aspera, nisi quòd sensum ærumnarum omnem adimebat eximia caritas Christianorum. Eius cladis nuncio Firandum vicinasque in insulas perlato, confestim Fideles cum fabris, paleis, funibus, arundinibus aduolarunt: eorumque auxilijs breui sacra ædes, domicilium Patrum, etiam incensæ neophytorum domus magno omnium gaudio sunt refectæ.

160 *Meacensis Ecclesia status.*

Hos inter fluctus dum res Christiana in Ximo prouehitur, in Meacensi prouincia placidiore vsa est cursu. Sedatis belli tumultibus, Meacum Villela reuersus, ibi ad ferias vsque Paschales mansit. Itaque vt anno superiore primùm Meaci diuinissimum conspectum est sacrificium, ita hoc quadraginta dierum ieiunium, & sanctioris hebdomadæ solennia ibidem primùm vsurpata incredibili cum profectu & lætitia eius nouelli cœtus. Exactis Paschalibus solennijs, cùm rursus fama belli percrebesceret, Sacaium redire Christianorū precibus, qui in eius capite salutem locatam suam habebant, coactus est. Sacaium 161
vix redierat, cùm ex vrbe Nara ab duobus nobilibus accersitus, qui perdocti, & aduersarij acres Christianorum erant, quamuis ad necem accersiri se suspicaretur; tamen ad vtrumque vel morte, vel vita Dei legem contestandam paratus accessit: ac Deo volente vtrumque diuino fonte lustrauit, multosque præterea cum primis nobiles; quanquam Bonziorum formidine, quorum ditioni indigenarum plerique subiecti sunt, multi baptismum distulere. Bonzios autem nulla ferè de causa christianismi propagatio cruciabat, nisi quòd largitionibus peramplis, quas in mortuorum auxilium facere Ethnici cōsueuere, postmodum ipsi carebant. Ad hæc cùm pecuniam afferentibus schedulā quamdam syngraphæ instar tribuerent, qua fidem faciebant, eos in locum quemdam voluptatibus redundantem, quem Gocuracum vocant, post mortem recipiendos; statim vt vera cæli felicitatisque æternæ lux apparebat, opima illa mercatura cessabat. Ita lucri perituri fœda cupidine gaudijs æternis se pariter & populos fraudabant.

In Brasilia hoc anno retardauit nonnihil Euan- 162
gelij cursum pestilentia; quæ ex insula Taparica *Pestilentia in Brasilia.*
ad vrbem sancti Saluatoris transgressa, inde per maritimam fusa plagam Pernambucum versus sanctorum Pauli, Ioannis, Michaëlis pagos alioque miserrimè depopulata est, vix quarta incolarum parte superstite. Visus est Deus, vt sunt ingenia eius gentis inconstantissima, ab recenti baptismate optimè præparatos, antequā mutarentur, occupare voluisse. Latum tanta in calamitate Sociorum caritas quantum liberet excurrendi campum inuenit, non modò, ne suprema neophytis Sacramenta deessent, verùm etiam ad exhortandos erudiendosq; moribundos Ethnicos, & vitæ immortalis tessera muniendos. Quorum sanè ingens numerus ad magni Patris familias vineam hora duodecima vocatus accessit. Pernambuci die sanctæ Annæ sacro ædificari stabile domicilium Præfecti aliorumque piorum sumptibus cœptum est. Adeò missi anno superiore Patres operam cunctis suam probabant.

HISTO-

Digitized by Google

HISTORIÆ SOCIETATIS IESV

LIBER OCTAVVS.

1564. HInc iam quartum supra sexagesimum euntis sæculi, & vltimum Generalatus Lainij annum ingredimur. Quarto Idus Decembris anni superioris vnà cum Salmerone & Polanco, itemque Natali, qui sub id tempus Germaniæ inspectis rebus eò venerat, Lainius Tridento profectus, Natalē ad visenda Italiæ Collegia cogitabat dimittere: eamq; ob rem transigendis cum eo, quę reliqua Germanię erāt, aliquot Patauij dies substitit. Sed cùm otium multa requirerent, consultius putauit Romam simul contendere, vt quæ Natalis statuerat, diligentiùs ibi cognoscerētur, & obuia Collegia interim ipsemet Lainius inspectaret. Rebus itaque Patauij compositis Venetias transtulit se, vbi ipse & comites, cùm Christi Domini Natalis ageretur, verba ad concionem fecere: præque cæteris eam Salmeron approbationem tulit, vt Duce, multisque ciuium flagitantibus in proximum ingens ieiunium relinquendus hortator fuerit. Lainius persecutus iter cum reliquis, per quas incessit vrbes, in singulis fermè confertissimas conciones in principibus templis, & Collegiorum nostrorum affari coactus est. Priuatis quoque sermonibus plurimùm vbique profecit; quòd pro fama rerum in Gallia Concilioque gestarum; pro persona, quam sustinebat; multoque magis, quòd diuinæ bonitati placebat viri ministerio vti, dicta eius vel pauca vim ingentem habebant. Foro Cornelio (Imola hodie est) vt Episcopus eius Hieronymus Guerrinus Tridenti rogarat, locum Collegio, de quo Antistes cogitabat, inspecturus, pertransiit. Foro Liuij nil propè magis admirati sunt ciues, quàm modestiam atque simplicitatem, qua exceptus in Collegio est. Multi cùm spectatum venissent quo vestita peripetasmate, quo cæterarum apparatu rerum ornata essent conclauia, vbi nihil eiusmodi reperere, oculis ægrè credebant suis; vixq; vt id viri dignum maiestate censerent, adducebantur: parum videlicet memores, postquam paupertatem Deus adsciuerit & consecrarit, augustio[illegible]m illa cultum non esse. Anconæ Ludouicum Codrettum obuium habuit, quem pro re monitis instructū ad Collegij ponenda initia vnà cum aliis, qui Roma paulò antè discesserant Auenionem misit. Periculis nonnullis perfunctū ex fœditate viarum (vt tempestate hiberna) maximè inter Senogalliam, Fanumque fortunæ, summum in alio genere Laureti discrimen excepit. Namque territus & consternatus bubalorum conspectu, quo vehebatur, mulus cùm sessorem haud satis validum ferociter excussisset in solum, deinde stratum superuasisset; singulari Dei ac Deiparæ patrocinio haud dubiè factum omnes interpretati sunt, vt detrimenti admodum nihil acciperet. Iam pridem Camerinum & Berardus Bonioannes Episcopus, & ciuitas publicè inuitarat, & nouissimè nuncio Maceratam misso Vmbriæ Præfectus, qui sedem ibidē habebat, ad capiendum Collegio locum acciuerāt. Ergo Natali Perusiam ad Collegium visendum prægresso Camerinum Lainius cum Polanco flexit; & sub meridiem repentinus peruenit aliquanto maturiùs, quàm ciues ac Præfectus opinarentur, ac voluissent. Quippe prę occupati egregia equitum turma, quam ad occursum instruxerant, & alijs magnificæ benignitatis documentis honestare aduētum nequiuere. Publica ad concionem verba per amicam vim ibi quoque expressa, & Collegij promissio, transactione cum Episcopo Romam reseruata. Cęterū nescio quo pacto euenit, vt complures ciuitates, quæ Collegia inter primas & summis & continentibus studijs expetiuere, vel admodum serò rem, vel ne ad hanc quidem diem perfecerint. Ita neque hoc, neque Imolense, (vbi tandem inchoata Tironum est Domus) ad id loci perfectum est: tametsi pia nobilisque Sodalitas Camerini, quæ Misericordiæ dicitur, in cæteris quæ tractabat, muneribus pijs, Collegij quoque extruendi negotium vrgebat.

1 *Lainij iter Tridento Romam.*

2

Romam demum Lainius pridie Idus Februarias peruectus, continuò ad ordinandam Societatem cura adiecta, in primis Franciscum Borgiam, quem pridem designauerat, in locum Ludouici Consaluij Assistentē substituit. Lectionem cuncti Prouinciales, vti Constitutionibus sancitum est, admoniti suffragijs approbarūt suis. Dilata subrogatio erat, tum quia sperabant fore, vt Ludouicus tandem ab Regis institutione se expediret, tum etiam, quòd peregrinatio Lainij, & publicorum tractatio negotiorum nil interim in Societate moliri magnum permiserāt. Prouinciarum inter Assistentes hæc est facta partitio: Borgiæ Hispaniarum, adiuncta etiam Lusitania; Natali Superioris Germaniæ, & Austriæ; Madridio Italiæ, & Siciliæ; Polanco Inferioris Germaniæ, Galliæ, Brasiliæ, Indiæque commissæ prouinciæ. Simulq; Natalis Romano Collegio, Madridius Domui Professorum, Polancus Collegio Germanico, Borgia Amerino, Tiburtino & Tusculano Superintendentis nomine prępositi. Nouitij, qui ferè promiscuè domi Professorum adhuc egerant, quo commodiùs institui & exerceri apposita sibi disciplina possent, cùm iam & nōnulla maior operarum copia tempus institutioni eorum maius cōcederet, secreti à veteranis sunt cunctiq; in certam domus partem semoti. Sexto

4 *Franciscus Borgia Assistens creatur.*

Nonas

Digitized by Google

Nonas Maias Rodulphus Pius Cardinalis Carpensis de cuncta Ecclesia, deque Societate meritus optimè ad bonorum laborum mercedem excessit. Is fuerat Societati nascenti patronus à Pontifice Summo datus: amanterque & commodè patrocinium exercuerat; tamen eo demortuo consultandum visum est Patribus, .esset ne supplicandum Pontifici, vt nouum sufficeret, nec ne. Nam ex vna parte non modò vtile esse id præsidium exempla cæterarum fermè omnium Religionum suadebant; sed necessarium etiam præcipuè Societati esse demonstrabãt vexationes, quibus illa super alias alijs vbiq; locorũ agitabatur. Ex parte tamẽ altera deterrebant exẽpla peruersitatis humanę paratis ad salutem præsidijs in perniciem abutentis. Cùm satis appareat leuissimos quosque Religiosorum hac illac non rarò extra disciplinæ cancellos per vmbram patronorum effluere; & aulicorum interdum quosdam inferre se Religiosorum negotijs, & minimè expertos ea tractare, quæ prudentiam vsus requirunt. Cæterùm vtcunque aliarum habeat Religionum res, cùm inter diuersas adeò earum ac nostræ huius disciplinæ vias comparatio haud omnino cadat: certè Societatis structura cùm exobedientia apta sit propè tota, adeò vt nisi obedientia vigeat, ipsa frustra sit (quomodo enim aliter munerum tanta varietas in rem pietatis publicam bene & ordine sustineri & exerceri possit?) Quidquid laxando imperio, minuendæque vnius Præpositi auctoritati ac remittendo Ordini sit, planè constat esse ei maximè periculosum. Eo etiam necessaria minùs videbatur patroni cura, quòd, cùm ordinariam sedem Præpositio Romæ apud Pontificem leges nostræ decernant; per sese dubijs in rebus, cùm ad ipsum Sanctissimum Dominum, tum ad quoscunque Patrum amplissimorum vsus ferat, perfugium promptum habet. Quin adeò quoniam aliorum alijs locis & causis opportunior est opera, satius videbatur omnes patronorum numerare loco, omnes pro tempore causaque appellare, quàm vni nominatim esse affixos, per cuius tutelam cæteri se quodammodo cura exemptos rati, minore studio cùm opus foret, causam susciperent. Hæc aliaq; Patres cùm secum, & inter se reputarent, ea sterit sententia, nequaquam postulandum patronum, sed rem omnem ingenuè Christi Vicario simpliciterque aperiendam: quodque is decreuisset, id placida bonaque mente complectendum. Commodùm Lainius ex graui morbo explicitus in Tusculanum ad valetudinem confirmandam secesserat, vbi & Pontifex aderat. Ei Collegium fortè visenti, adstantibus Cardinalibus Sabello, sanctæ Floræ, Vitellio, & Gonzaga, breui significauit excessu Cardinalis Carpensis orbatam patrono Societatem, simulque dubitationem Patribus incidisse, vtrùm præstaret certum ac destinatum adsciscere, an Cardinales omnes, sicut experiebantur, pro patronis habere: cupere id arbitrium eius Sanctitatis esse: eiusque mentem ac nutum sequi. Pontifex cùm vehementer probasset, ne quis vnus nominatim patronus assumeretur, clementer adiecit, Patrocinium vestrum ipsi nos recipimus, nos erimus vester Protector. Quæ benigna Sanctissimi Patris voluntas ingens Societati gaudium peperit, & multum animi ad res gerendas addidit. Verum enim vero propensionem eam grauissimæ mox obtrectationes quemadmodum principio concusserint, nec modicè immutauerint, ac singulari tandem beneficio Deus clementissimus restituerit, quoniam res omnino digna est, hinc exequar cum cura ac fide. Post confirmatum Concilium Tridentinum Pontifex ad eius inducendum vsum intentus, ante omnia dimittẽdis ab Vrbe ad diœceses suas Episcopis, & Seminarijs Clericorum instituendis, quemadmodum præscriptum in Synodo erat, curam impendit. Magni momenti, sed & magnis impedita difficultatibus Seminariorum inceptio censebatur. Ergo cæteris Ecclesiis ad salutare institutum vt Ecclesia princeps exemplo præiret, Pius in publico Cardinalium consessu de Romano quamprimùm Seminario condendo, deque via pecuniæ, quæ satis ad tolerandas impensas foret, conficiendæ decernit. Cardinales decem, ac Præsules præterea quatuor designati; quibus cùm cætera commissa, tum præcipuè, vt quinam institutioni ac disciplinæ Seminarij præficiendi essent, viderent. Hi summo omnes consensu delegandum id munus Societati censuerunt; quòd eam vltrò versari in iuuentute instituenda viderent, & abundare operosis hominibus, expertaque cùm docendo, tum moribus formandis industria non dubitarent: denique vtilem eius doctrinã esse & Romani Collegij & aliorum per omnes terræ propemodũ oras gymnasia fidem facerent. Itaque Cardinalis Sabellus patronus Seminarij destinatus, suo ac cæterorum ei curæ præpositorum nomine Lainium totius negotij ignarum scripto rogat, quam summa ipsi voluntate & consensione ad Societatem prouinciam deferant, pari ipse alacritate ad Apostolicæ Sedis obsequium, vrbis Romæ adiumentum, ac Dei Domini laudem suscipiat. Lainium haud fugit inuidiosam ingeri ac plenam laboris procurationem; tamen vbi cum Deo, cumque Assistentibus suis accuratè deliberauit, item scripto respondit, gratum Patribus fore, quacunque via possint, Romanæ Ecclesiæ, Deique gloriæ, cui se totos deuouerint, inseruire. Tum quatuordecimuiri quid egissent, ad Pontificem deferunt. Is quanquam non ea alacritate, qua solebat antè, nostris rebus studeret, tamen iudicium eorum probauit. Ergo Cardinalis Sabellus P. Generalem admonet, vt instituta, quibus regenda ea iuuentus esset, condi iuberet. Condita accuratè ac properè sunt mirè ad sensum Cardinalis, iamq; eiusdem iussu apta quærebatur domicilio sedes, cùm tempestas erupit. Concitatores quidam è Clero, & Professoribus litterarum fuerunt. Causa nulli erat obscura. Cardinalis Sabellus Pontificis in Vrbe Vicarius plurimùm Societatis vtebatur operâ. Quotquot vel sacros Ordines, vel munus ab eo Ecclesiasticũ peterent, interrogari probariq; ab hominibus nostris volebat. Eorumdẽ nuper ministerio tum ipse, tum Cardinalis Alexander Farnesius, cuius curæ ad quadraginta parœciæ S. Laurentio in Damaso contributæ commendatæ erant, ad parœciarum cognitionem ac reformationem vti cœperant. Erat hæc plena periculis inuidiaque procuratio, quanquam

5 *Societatis patrocinium Pontifex sibi reseruat.*

6

7

8 *Societas grauissimè Romæ exagitatur.*

9 *Romani Seminarij procuratio ei traditur.*

10 *Concitata procella causa.*

Digitized by Google

quanquam publicè salutaris. Nemo enim censorem libenter patitur: perraruſque est, qui monita quamuis probet, monitorem audiat sine morsu. Ergo, quod necesse erat, nonnullorum animi Clericorum abalienati ab nostro sunt nomine, quasi vltrò intruderent ipsi se Patres in ea munera: & architectarentur sponte sua, quę ingrata illis, ignominiosa & damnosa prouenirent. At Professores litterarũ, Collegij Romani fama magis in dies inclarescente, pluribusque eò ad disciplinas confluentibus, dolebant videlicet vel scientiæ laudem sibi, vel doctrinæ quæstum præripi; & aditum ad multorum gratiam, vnde olim crescerent, intercludi. Igitur ex his atque è Clero impotẽtissimi quique vbi cognouerunt Seminarium quoque Societati committendum, rem intolerandam rati, modis omnibus interuertere aggrediuntur. Homines è Clero præter commemoratas causas, insuper illa vrebat, quæ plerisq; potissima videbatur, quòd, si institueretur Seminarium, conferenda in sumptum certa ipsis quotannis pecunia esset: nec rem facilè processuram existimabant, nisi procuratio Societati committeretur. Atque hanc ob causam altioris quidam dignitatis, qui Abbatias intra fines eos habebant, ex quibus contribuendum erat, auctoritatis suæ vmbram accommodasse coniuratis dicebantur. Hæc causa minimè palàm explicabatur, sed initio id modò iactabatur, non esse è Romani Cleri dignitate sobolis in Clerum educandæ institutionem alienis tradi. Similes à similibus optimè institui: matrumque eas maximè laudari, quæ per se ipsæ suos liberos educarent. Non deesse in Ecclesiarum parente Ecclesia sacerdotes ad formandam moribus nouam prolem satis paratos, nec viros præstantes ad litteris imbuendam affatim instructos. Quod vt planè ostenderent, quos ad eam rem censebant aptissimos, nominatim in tabellam referunt, atque Pontifici tradunt, difficillimo enimvero rerum articulo; quòd is ipse, qui adhuc in omnibus tempestatibus fuerat Societati perfugium ac portus, ac modò patrocinium eius peculiare susceperat, haud modicè auerterat inde animum ob ingentem Cardinalis Borromæi vitæ commutationem. Etenim Carolus Borromæus, quem iam inter Cælites à Pontifice Paulo Quinto relatum merito excellentissimæ sanctitatis tanta propensione humana gens colit, morum quidem semper fuerat optimorum; sed, antequam ad clarissimum eum statum, ad quem necessitudo Pontificis euexit, & summas veniret opes, super virtutem hominum bonorum communem non admodum eminebat. Cæterùm vbi ad summam eam felicitatem, & amplissimum gradum ascendit, vt æquum erat, ex donis diuinis ad Dei cultum proficiens, pariter ad omnia virtutum decora progressiones admirabiles fecit. Excelsitas enim loci vt degeneres animos vertigine agit in præceps, ita generosos admouet cælo, humana quanto magis ex alto, tanto minora, infraque se despectantes. Illud præ cæteris in sanctissimo viro illo singulare animaduersum est, quòd vbi semel ad virtutum perfectarum seriò cœpit culmen incitare gradum; ita cursum arripuit, ita tenuit, vt, quoad vita comes fuit, altiùs semper enixiusque contenderit. Erat Romæ hoc tempore negotiorum Societatis Procurator Generalis Ioannes Baptista Ribera Hispanus, is, quem anno millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo missum in Vrbem congregationis generalis causa annali suo narrauimus. Is per humanorum casuum necessitates ad Carolum Borromæum, à quo pleraque pendebant, frequens habebat accessum, ac veluti Religiosum procuratorem, cupidumque salutis alienæ (qualis reuera ipse erat Ioannes Baptista) decebat, pios in loco sermones inferebat. Quos auidè Borromæus audiens, ac demum per Beati Ignatij exercitationes penitus in diuina ingressus, paulatim in virum nouum conuersus est. Domesticorum plerique, quorum fixis humi consilijs tanta in opulento ac iuuene Principe seueritas parum commodabat; sæpè illum cum Ioanne Baptista vsum per varias artes vel fictis in pudicissimum Patrem fœdissimis criminationibus tentarant dirimere. Sed frustra ceciderant omnia Nam & probrorum vanitatem ipsemet comprehenderat Cardinalis, & Ioannem Baptistam cæco ad se aditu admittebat. Hoc verò anno siue aliorum suasu, cum quibus præterea sanctus Carolus multùm agebat, siue sua sponte, aut diuino instinctu ad perfectissima quæque euolans magis, quàm gradiens, in longè austeriorem, quàm vel Ribera, vel quispiam de Societate auctor fuisset, sese disciplinam immisit. Oblectamenta quædam honesta suoque consentanea loco laxamenta abdicare: non ad exercendum auramque captandam egredi: rarò apparere in publico: totos dies inter litterarum ac pietatis latere studia: de astringenda quin etiam rigidiùs domestica disciplina mensaque; de eleëmosynis largè distribuendis; nonnullis item, quibus oneratus sibi videbatur, ponendis vectigalibus, deque profectione ad Archiepiscopatus sui sedem agere. Eas res perpauci tum probare: plures ægræmentis tristitiam, ignauiam, insaniam vocare. In summa Pontifici nepotem ipsius, ac præcipuum in sustinendo terrarum pondere adiutorem, & vnicum agendarum rerum administrum eneruatum ab Iesuitis, infatuatum, de mente deiectum persuadent: cùm reuera Patres non nisi moderatiora quotidie inculcarent. Verùm quis lubricas vulgi prurientesque cohibeat linguas? Spargitur rumor inductum Cardinalem, vt Societati immensam vim auri donet; vt vectigalibus peramplis Romanum Collegium locupletet; vt denique posito galero abdere se intra Iesuitarum Ordinem velit. Quas res nec ipsi, nec Sociorum cuipiam in mentem vnquam venerat cogitare. Qui sagaciùs consilia hominum venari, aut fortasse maligniùs interpretari solebant, suspicabantur ab nonnullis, quibus exemplũ Cardinalis Borromæi graue esset, quòd eo sibi legem vitæ longè diuersam ab ea, quam ipsi ducerent, tanquam præscribi putarent, sermones eiusmodi progenitos & exaggeratos. Quidquid sit, Pontifex permolestè tantam mutationẽ ferens, demissaq; in animum opinione ab familiæ huius ortam hominibus;

11 *Abalienatur à Societate Pontifex.*

12 *S. Caroli Borromæi insignis ad summam virtutem processus.*

13 *Ficta in Societatem fabula.*

14

Digitized by Google

Lainio interdici iubet, ne ipse, neu Ribera, priusquam se conuenissent, in Borromæi congressum auderent venire. Hac offensione impigrè, qui Seminarij disturbare cœpta moliebantur, vsi, obtrectare liberiùs, & interpretationes malitiosissimas comminisci. Non esse è Iesuitis solidè doctum quemquam: è Seminarij adolescentibus præstantissima quæque ingenia præcerpturos: nihil eos agere aliud, quàm vt sacerdotiorum reditus suis Collegijs sine vllo fine modoue adiungant: denique paræcijs etiam Romanis imminere. Quæ omnia in exulcerato Pontificis animo, domesticoque dolore subacto ita penitus insederunt, vt incommoda inde in Societatem multa & grauia, (si cubi clementia consueta Beatissimi Patris necessaria foret) in Vrbe ac prouincijs redundarent. Lainium ne coràm diuere pestiferam calumniam posset, cùm alię frequentes infirmitates, tum ex podagra dolor pedum acerrimus strato affixum tenebat. Fama pro suo ingenio cuncta in maius ferens, interdictum Iesuitis omnibus ad Pontificem accessum vulgabat: atque adeò agitare eum de natione illa funditus ex Vrbe pellenda. At Lainius Dei plenus fiducia de more ad opem inprimis cælestem implorandam conuersus, cùm interim nullum propitiandi Numinis cessaret genus; vnum tamen præcipuè deligi tota in Societate mensem iubet, quo mense in eam rem studiosiùs insistatur. Vt quisque eo mense præter consuetas & ordinarias, & quas vltrò cum assensu Moderatorum præterea obiret pietatis actiones, ob eam nominatim causam quinquies verberaret se, ac tribus sextis ferijs ieiunaret: sacerdotes decies sacrosanctum offerrent sacrificium, decies laici pro quadam portione orarent: vnaque omnes ad vesperam Liranias quotidie pronunciarent. Iulius mensis Romæ quasi piacularis hisce officijs & placamentis delectus est. Mira res fuit, & quanta sit Deo suorum famulorum cura, precumque ac sacrificiorum quanta vis, clarissimum pignus. Cùm Patrum quidem ipsorum rogatu nemo vnus mortalium quidquam apud Pontificem egisset, sub Idus Iulias Cardinalis Sabellus nunciari Lainio iubet, Sanctissimum Dominum nequaquam alieno ab Societate animo esse, nec de ea malè sentire: idque Patres re propediem cognituros. Dein octauo Kalendas Sextiles Lainium iam meliùs habentem idem Cardinalis accersit, refertque deliberatum Pontifici omnino esse Seminarij procurationem Patribus demandare: postridie ipsum Pontificem id significare Lainio velle, quod fecit in ædibus sancti Marci, in quibus tunc Pontifex agebat: valdeque beneuolum ei se, rectèque de cuncto Ordine sentientem ostendit; addens postero die esse sibi in animo domum Professorum, Collegium Romanum, atque Germanicum visere, vt palàm omnibus faceret cordi sibi eam familiam esse. Eo die subortis impedimentis non venit: insequenti autem, qui fuit quintus ante Augusti Kalendas, in Cardinalium frequenti conuentu retulit de Seminario, si videretur, Societati tradendo: cunctique nemine discrepante, etiam qui antea dissenserant, consensere. Pridie Kalendas Augusti venit Pontifex Cardinalibus sex, multisque Præsulum, & virorum principum comitantibus ad Professorum templum; inde post fusas preces domum ingressus cuncta diligentissimè explorauit, magnam rerum approbationem omnium præ se ferens, paremque verbis ac vultu benignitatem, vbique munditiem inter cætera aptamque compositionem collaudans. Vbi hîc omnia per otium vidit, ad Collegium perrexit; atque in gymnasij atrium ingressus, cùm vnam partem conuestitam scriptis carminibus conspexisset; quid ea res esset, rogans, & audiens carmina esse super eius aduentu raptim sexdecim scripta linguis, quot nationum in Collegio homines erant, gauisus est: ibidemque posita sella, primùm à Petro Perpiniano ea oratione, quæ edita extat, & omnibus valdè placuit, nomine omnium salutatur. Tum accesserunt lecti pueri, ita vt aptum erat, ad varias disciplinas, quæ in Collegio tradebantur, referendas ornati: ac præter insignia & ornatum affixus ad pectus index, quam quisque doctrinam ac personam referret, rudioribus loquebatur. Doctrinæ erant hæ, Grammatica Latina, Hebræa lingua, Græca, Arabica. Tum facultates Rhetorica, & Dialectica: mox Mathematicæ disciplinæ, Arithmetica, Geometria, Musica, Astronomia: deinde Philosophia de moribus, & de natura: postrema princeps ac regina omnium Theologia. Singuli autè pueri, vbi proximè accessissent, breui ac venusto carmine suam quisque Pontifici scientiam dedicabant: qui visus est plurimùm ea re delectari, dicens multò se plura pro Collegio, proque Societate, quàm fecisset adhuc, facturum. Ingressus in sepia Collegij cùm cætera, tum nominatim domum in eo insitam, quæ Pauli IV. fuerat, videre voluit. Ad Collegium inde Germanicum tendit; ac versus ad excipiendum paratos, quòd diei iam multum processisset, placuit omitti. Quædam contubernia, & cænaculum iam stratum instructumque vidit. Quotque, & quo ordine in eo Collegio, quaque disciplina instituerentur, cognouit. Domum inde reuersus, vt domestici renunciarunt, eo die non nisi de Societate egit, summè laudans eius instituta & labores; eosque qui tam iniustè eam vituperauerant, graui oratione perstringens. Hæc res Dei famulis multis modis grata accidit: & notauerunt ante exactum, quem destinauerant precationi mensem, Deo suorum vota præueniente, pridieque Kal. Augusti cecidisse, eo prorsus die, quo anno antè octauo ad feliciorem vitam B. Ignatius emigrarat. Equidem placati Pontificis, tametsi auctorem Deum, ac B. Ignatium haud pro dubio pono, quia tamen molles viæ Domini sunt, quibus id effectum adminiculis putem adijciam. Simulac ad Pontificis pedes Lainius venit, quidque cum Cardinali Borromæo egisset exposuit, illico in pristinam gratiam ac benignitatè ipse est restitutus. Peiore loco causa erat Riberæ, qui tamen Pontifici, totique Vrbi solidam suam virtutè testimonio euidenti ac certo probauit. Cùm enim, quod iam diu flagitarat, enixeque contenderat, profectionem ab Lainio Indicam impetrasset, idque per Vrbem vulgatũ esset; aperuit quã non gratiam mortalium, & caducam Ribera gloriam quæreret, si potentiorũ interdum limina, prout deman-

Visit Romana Societatis domicilia.

18 *Quomodo exceptus in Romano Collegio.*

15 *Adhibita ab Societate Dei placamina.*

16 *Pontifex placatur.*

17

19 *Causa placati Pontificis.*

Digitized by Google

demandata sibi procuratio exigebat, subiret. Hæc igitur profectio Pontificem solicitudine liberatum haud mediocriter affecit, vt Patrum cæterorum animaduertere innocentiam posset. Quod verò ad Seminarij negotium pertinet (de quo minimè laborabant Patres, nisi quòd, cùm vltrò vocati essent, iam per affictam infamiam dolebant velut indignos contumeliosè repelli) cùm hominum, quos nominarant æmuli aptissimos, explorata facultate nihil magis, quàm priuatæ quædam rationes, nec obscura cupiditatis liuorisque vestigia deprehensa essent; haud grauatè sententiam quatuordecimviri ac Pontifex in concilio priore confirmauere. Vt verò Societatis domos ipsemet Pontifex viseret, optima fuit via, qua fieret satis parti vtrique. Nam Societas pro benignitatis eam rem argumento accepit: alijs quæstionis ac pœnæ videri genus potuit. Ad hæc obtrectatoribus, postquam oculis cuncta suis lustrasset, promptiùs erat Pontifex responsurus, & minorem ad maledicendum relicturus ansam. Nequaquam tamen ita euenit: sed ex incendij restincti cineribus nouum tetriusque multò exarsit. Vbi tandem placatum Pontificem, & Seminarium Societati traditum boni illi viri, qui litèm nequidquam intenderant, cognouerunt: tum verò non euersa modò consilia sua, spesque succisas perdoluerunt, sed ignominiam, tanquam victi missique sub iugum essent, ferre non potuerunt. Et, quia noua iudicia non restabant, nec quidquam ampliùs rectas inire proderat vias, malis artibus impetu cæco grassantur. Ducem se Episcopus præbuit ex ijs, quibus nulla diœcesis est, spurius ipse ortu, & luscus, nec optima fama Venetijs diu versatus: quem proprius etiam vrebat dolor, quòd, cùm operâ eius Cardinalis Sabellus ad visendas vteretur Vrbis paroecias, iam posthabito illo, Patris Vsmari Goissonij Belgæ, per quem etiam initiandorum facultatem explorabat, adhibebat industriam. Is nimiùm dolori indulgens duos composuit libellos, & inter Cardinales in Vrbe, lateque per prouincias extra Italiam inter Proceres ac rerum potentes sparsit; vtrumque enimverò famosum, & impudentium refertum probrorum, & sanè pestilentem: nisi quòd, vt quidam Poëtarum de femina memorant, quam exoso marito, cùm vnum propinasset venenum, haud eo contentam alterum miscuisse aiunt, quod antidotus & remedium prioris fuit; ita is nimio nocendi studio abreptus pleraque tam enormiter ab vero aliena congessit, vt tota se ipsa destrueret moles: vnumque altero venenum exarmaretur. Nam primùm vel mediocriter incorruptis ac rerum peritis perturbatus criminatoris animus, & portentosa mendaciorum vanitas apparebat ex eo, quòd si vllius rei bonæ studium, ac non infamiæ dumtaxat inurendæ libido hominem incitaret, ne aduersus vnum quidem è vulgo, nedum aduersus Religiosum Ordinem debuit libellos absque auctoris vulgare nomine, perque varias ciuitates & prouincias disseminare. Verùm si quid minùs in Societate probaret, æquum erat ex Christi Domini præcepto priuata primùm admonitione vti: cumque id minùs processisset, tum ad eos, quorum erat partium cognoscere, & ad Pontificem ipsum causam deferre, præsertim quòd non in angulo, aut in solitudine agebatur res, sed Romæ, sed in luce meridiana, in oculis Cardinalium, supremique sacrorum Antistitis. Deinde nihil poterat clariùs impotentem animum prodere, quàm verborum intemperantia. Societatem appellabat Religionem diabolicam, nationem execrandam, barbaricam sectam. Quæ, aliaque criminosa vocabula vix Lutheranorum petulantissimus effudisset. In quo sanè non modò parum se consideratum præcipitemque ac temerarium demonstrabat, sed suspectum etiam faciebat parum castæ religionis. Nam cùm omnium hæreticorum prima labes sit auctoritatem sacrorum Conciliorum, & Apostolicæ Sedis potestatem pessundare, cuiusnam videri indolis poterat, Sodalitatem à multis Romanis Pontificibus, nuperque à Tridentina Synodo comprobatam, non damnare solùm, sed nationem execrandam, sed Religionem vocare diabolicam? idque tum ipsum, cùm Cardinales & Pontifex in mores ritusque Catholicos ad Cleri supplementa adolescentes optimè ei committi instituendos censerent? Nempe vt hoc diceret: ab Senatu Reipublicæ Christianæ, & ab Christi Vicario, quos Ecclesiæ Christianæ soboli præficeret, Magistros lectos esse execrandos & diabolicos. Apparebat etiam ad ferenda odia, & Clerum æquè ac populum in Societatem concitandum classicum eum canere, cùm ad Cleri euersionem aiebat eam tendere, & sectam esse Barbarorum natura hostium Romani nominis, filijs, puellis, vxoribus, domibus insidiantem omnium. Quæ profecto non nisi diaboli dissidiorum parentis incepta sunt: nam filij Dei pacifici: Spiritus sanctus non simultates, sed pacem serit. Fac aliquem tandem de Societate alicuius compertum criminis (nam dum hanc vitam viuimus, quanquam Religiosi, tamen homines sumus) num debuit totus Ordo damnari? tam equidem, quàm tota Ecclesia militans, in qua tantus sceleratorum est numerus. Iniquum est deriuare culpam in cœtum omnem è crimine priuatorum, nisi ad id fortè crimen societas, vt prædonum ad rapinas, inita sit. Hoc enim spectari debet, quam in rem sit conflata societas, vt eius rei pars deriuetur ad socios, non aliarum. Si ad rectè agendum multi conuenerint, quæ rectè fiunt ab aliquo vno eorum, participes iure cum cæteris, quippe quorum consilio & voluntate & conspiratione sint facta: quæ verò perperam fiunt, cur communices? cùm ea neque communi consilio fiant, neque comprobent cæteri, neque eius rei societatem vnquam coiuerint: imò oderint, insectentur, vindicent? Verùm conditor ille probrosorum libellorum, vt, quando cœperat, nauiter esset impudens, quod in Societate, hoc in præstantissimis quoque nationibus summam per iniuriam faciebat. Quoniam plerique tum huius Ordinis Romæ doctrina & virtute præstantes ex prouincijs erant externis, ferendum nequaquam aiebat, vt educatio Romanæ iuuentutis Germanis crederetur & Hispanis, hoc

20 *Noua in Societatem tempestas.*

21 *Libelli de ea famosi vulgantur.*

Cæca malitia.

22 *Maligni animi signa.*

23

24 *Quarum rerum communicanda laus, vel infamia inter multos.*

25

Digitized by Google

est, (ita ipse interpretabatur) hæreticis, & Marranis. Ad hæc multos nominatim quasi neophytos vituperabat, (tanquam vel suscepisse Christi religionem fœdum sit, vel quòd olim maiores susceperint, noxa sit posterorum.) Sed sit vulgi hic error. Ille verò conijcere in eum numerum nominatim multos non erubuerat, quos vetustæ non modò religionis, sed etiam nobilitatis constabat esse. Videbatur ex quopiam naufrago inaudisse, quas in Hispania suprà prodidimus turbas, inde machinatus contumeliam, confidentissimè pronunciat scissam esse barbaricam sectam in duas partes Christianorum veterum ac nouorum: atque caput illius Roseum esse Cantabriæ Prouincialem, cùm neque prouincia Cantabriæ, nec qui nominaretur Roseus Prouincialis vnquam fuisset. Sic igitur, vt appareret planè cæca improbitas; famosi libelli haud dubiè plus obfuturi, si minùs nocere auctor voluisset, quanquam apud populum haud modicam excitarunt flammam, tamen apud constantes viros & graues se ipsi aperta vanitate, & perturbati animi documentis clarissimis iugulabat.

26 Itaque Cardinalis Sabellus vbi primùm fœdissima scripta vidit, detestatus hominis importunitatem ad se accersit; grauiterque iubet quò lapsus sit, quò excesserit, animo reputare: longè plus infamiæ sibi, quàm quibus iniquissimè vellet, conciuisse, sisteret suum, sisteret publicum probrum antequam latiùs euulgaretur. Ille verò confidentia incredibili nihil ab se scriptum editumúe respondet, quod paratus non sit in æquo iudicio testibus idoneis comprobare. Ne tum quidem putauit Sabellus Lainium, aut quempiam Sociorum admonendos, vt iudicio adessent, & intentatam criminationem depellerent. Calumniator interea satagere, conquirere, coacteruare vndique testes, adornare, instruere. Idoneum verò genus testium erat, profugi, vel electi hisce sacris è castris, qui ignominiæ suæ dedecus alienum obtentum ibant: item adolescentes aliquot, qui suorum coactu inter Germanici Collegij conuictores aliquamdiu versati, vel quòd cæteris consuetudine noxij essent, segregati fuerant; vel se ipsi, rectæ institutionis impatientes irati infensíque Magistris ac Rectoribus proripuerant. Apud Cardinales Reformationi ex Concilio Tridentino faciendæ recèns præpositos iussu Pontificis quæstio instituitur. Eorum, quæ dixi, generum testes haud pauci seuerè interrogantur. Patribus nunquam citatis, non modò auditis, acre in eos iudicium exercebatur. Verùm Deus, cui derelictus est pauper, qui orphano est adiutor; pro suis famulis excubabat: ipse rem ita totam rexit, vt accusationum summa indignitas, & innocentium impudentissima vexatio per se liquidò appareret. Itaque perfectis quæstionibus Cardinales suo & Pontificis nomine Patribus hæc nunciant, nunquam neque Sanctissimum Dominum, neque ipsos de sinceris studijs, innocentiaque Societatis dubitauisse: non potuisse tamen non magnopere gaudere, quòd post tot tamque accuratas impugnationes, non modò nihil de existimatione eius imminutum esset, sed probatior etiam & conspectior integritas euasisset. Quapropter hoc nomine vehementer Patribus gratulari cùm sanctitatem Summi Pontificis, tum ipsos de Reformationis concilio Cardinales: pariterque hortari, vt pergerent bono animo: qualesque hactenus præbuerant se, tales in futurum præstarent. Prouisum esse, nequid ampliùs, à quo oppugnabantur, timerent: nunquam gratiam Sedis Apostolicæ, nunquam benignitatem desideraturos. Huic verborum honori atque liberalitati addebant: quædam capita (tametsi probata non essent) quia tamen fieri potuisset, vt inter tam multos, qui sub obedientia Societatis viuerent, aliquis per simplicitatem, vel per inscitiam alicubi ab disciplina deerrasset, familiariter consideranda proponi: vt viderent, si qua opus emendatione esset: neu quid ignaris Præpositis, quod communi totius Sodalitatis bono obstare posset, committeretur. Capita ea scripta traduntur. Quibus Patres respondendum etiam scripto libello ad hunc modum putarunt: Quod semper adhuc Christo Iesu propitio, experti sumus, Clarissimi Domini, solere aduersus Societatem nostram oppugnationes existere, vbi Dominus velit nouis illam clementiæ & gratiæ suæ donis augere; id nobis hoc tempore confidimus euenisse, vt ex hac leui exagitatione pietatis prouentum aliquem capiamus. Non potuimus tamen, vt ingenuè dicamus, de existimatione eiusdem, bonoque nomine, quod vt sacræ Litteræ, & Sanctorum exempla docent, negligere haud quaquam debemus, non esse soliciti. Videbamus enim primùm acerbissimam toti Ordini quæsitam per malas artes infamiam: audiebamus deinde causam agi, testes appellari, interrogari, nobis nec monitis, nec vocatis. Sciebamus esse desertores aliquos disciplinæ & consuetudinis nostræ: non deesse, qui nobis alioqui parum æqui essent; nunquam etiam defuisse calumniatores. Notus erat fons & caput criminationis totius. Postremò veteratoris dæmonis inuidiam, & pessima consilia nequaquam ignorabamus. Itaque, si minùs nostra priuatim, publica certè causa (cùm recta opinio & auctoritas nobis ad institutæ disciplinæ rationem, hoc est, ad iuuandas animas apprime necessaria sit) vacare solicitudine, siquidem diuinæ gloriæ zelus tangeret, non licebat. Verùm in his cogitationibus sustentabat spem nostram testimoniũ bonæ conscientiæ in Christo; seueritas & accuratio disciplinæ, quæ in Societate per Christi opem viget: ad hæc perfectio ipsa instituti. Lux verò illa sapientiæ & iustitiæ Beatissimi Patris, quam quasi deriuari sentiebamus in sacrum Reformationis Collegium, cui causam nostram dederat cognoscendam, vsque eò recreabat animum nostrum, vt demum solicitudo in gaudium euaderet: non solùm autem, sed & (vt hoc etiam simpliciter dicamus) in Domino confidentes gloriaremur, quòd tribulatio patientiam, patientia probationem, spem, perfectionem operatur. Vtinam caritas Dei sit in cordibus omniũ infusa, per quam & viuant, & operentur in Christo coram Deo in eius gloriam: Hæc ita cùm essent, opportunè

27 *Summum periculum famæ Societatis.*

28 *Pontificis, & Cardinalium de Societatis innocentia iudicium.*

29 *Patrum responsio.*

Am-

Digitized by Google

„ Amplitudines veſtræ nos admonent peractam
„ cauſam. Et quanquam nunquam de innocentia
„ noſtra dubitatio ſeu Pontifici, ſeu vobis fuerat,
„ tamen vtroſque gauiſos, probatiorem eſſe illu-
„ ſtrioremque factam; adhortantes vt pergeremus
„ in rectè cœptis, nunciantesq; iam oppugnatorẽ,
„ ne ampliùs timeremus, prouiſum eſſe: ad extre-
„ mum nunquam Sedis Apoſtolicę gratiam ac be-
„ nignitatem nobis eſſe defuturam. Quæ teſtifica-
„ tio & cohortatio, vt omnium quæ poterãt nobis
„ in mortalitate hac euenire grauiſſima & honori-
„ ficentiſſima eſt, ita nobis tantum animi addidit,
„ vt quanquam putabamus ad voluntatẽ illam &
„ alacritatem, qua ex inſtituto Apoſtolicę Sedi ſer-
„ uimus, acceſſionem fieri non poſſe, tamen expe-
„ rimento ſentiamus quãplurimum acceſſiſſe. Deo
30 „ itaq; primùm, è cuius indulgentia ſingulare hoc
„ donũ agnoſcimus, deinde ſecundũ Deum Sãctiſ-
„ ſimo Domino noſtro, & vobis, Patres Ampliſſi-
„ mi, gratias quantaſcunq; capere humani poſſunt
„ animi, agimus & habemus. Præter hæc, quòd
„ capita quædam conſiderãda nobis propoſuiſtis,
„ ſi fortè quis quid per inſcitiam & ſimplicitatem
„ in eorum aliquo commiſiſſet, in eo quoque pa-
„ ternam caritatem ac prouidentiam veſtram, gra-
„ te pieque agnoſcimus. Quippe nos planè fate-
„ mur non per imprudentiam modò, & incautam
„ bonitatem homines noſtros, ſed alio quouis no-
„ mine, & in nominatim deſcripta, & in alia quęuis
„ vitia labi poſſe. Recordamur enim maiores no-
„ ſtros, quibus non meliores nos, ſed longè infe-
„ riores agnoſcimus. Tres erant in recèns condito
„ terrarum orbe viri, & vnus fuit Cain: quatuor in
„ arca, vnus Cham: duodecim Apoſtoli, vnus Iu-
„ das: ſeptem Diaconi, in his Nicolaus. Nec verò
„ mirum, neque nouum eſt, ſi ad Religioſos quoq;
„ cœtus aliqui irrepant ſubdoli; euadant etiam
„ quidam in ijs ſecùs, quàm pro diſciplina. Quæ
„ cùm ſibi etiam euenire poſſe Societas animad-
„ uerteret, nuſquam in Conſtitutionibus maius
31 „ ſtudium, maioremque diligentiam poſuit, quàm
Cura Societatis in conſeruãda ſua integritate. „ in ſecunda parte: in qua de poteſtate, de cauſis,
„ deque ratione ſegregandi emittendique non
„ ſolum Nouitios, & Scholaſticos, ſed Profeſſos
„ etiam agitur. Itaque cùm multa ſunt, quæ ſpem
„ bonam in nobis alunt, perpetuam, aſpirante
„ Chriſto, integritatem in Societate manſuram;
„ tum illud eſt inter prima, quòd expellendi vitia,
„ ſeſeque expurgandi, atque in diſciplinæ perfe-
„ ctionem vindicandi vim habeat. Hactenus cùm
dixiſſent, ad propoſita ſingillatim capita reſpon-
derunt. Pleraque ad confeſſionum audienda-
rum rationem pertinebant: vbi, poſtquam quid
in ijs recepti mores legeſque Societatis ferrent,
explicauiſſent, ſimulque negaſſent quidquam ſe
ſcire à quopiam contra ea peccatum; impenſiſſi-
mè inſtiterunt Cardinales rogare, vt nomina-
tim indicarent, qui earum rerũ alicuius inſimu-
larentur. Nam tametſi intelligerent, ſe homun-
ciones nihili eſſe, ſolere tamen in obſeruandis
ſuæ curæ alumnis vigilantiam ac diligentiam ad-
hibere; nec leuiter vindicaturos, ſi quid compe-
riſſent extra diſciplinã admiſſum. Ad hæc quam-
uis accuſationẽ ſcirent probatam non eſſe, tamẽ
niſi reorum nomina ederentur, vel indefenſam
innocentiam, vel impunitam noxam haud ſine
aliqua rei communis nota ac fraude manſuram.
Cardinales cumulatè ſatisfactum affirmantes ni-
hil vltrà quęrendum cenſuere. Inter hæc per Ita-
liam, extraque ſparſi libelli varios ciebant mo-
tus: verùm in Germania continuò immanem, ni-
mirum diabolo hæreticiſque fomenta impigrè
aggerentibus, ſuſcitare cœperunt flammam. Et 32
certè nihil fieri hæreticorũ Miniſtrorũ non mo- *Societatis infamia quàm pernicioſa Catholicis, & opportuna hæreticis.*
dò magis ex optatis, ſed etiam vltrà vota potuit.
Quippe cùm Ieſuitas vel ſolos, vel ante alios fu-
roribus obſtare ſuis dolerent palã, & quererẽtur;
vt eos & apud Catholicos auctoritate ſpoliarẽt,
& penitus inuiſos hæreticorum gregi redderent,
ſi vota fingere voluiſſent, nunquam, opinor, id
auſi eſſent optare, vt ex ipſa vrbe Roma, vnde ro-
bur hæc acies vimque ac vitam trahit, probra
talia vulgarentur. Itaque illico geſtientes arri-
piunt; Germanicè vertunt, quàm poſſunt latiſſi-
mè fundunt. Ad Imperatorem Maximilianum
(is enim Ferdinãdo parente mortuo rerum potie-
batur) ad alios Principes, & præ cæteris ad Otho-
nem Cardinalem Auguſtanum tùm Auguſtæ a-
gentem peruenerunt. Is rei indignitate commu-
nique detrimento commotus, quid ſtragis ea fœ-
ditas in Germania edat, quàm Catholicis vni-
uerſis à Patrum maximè doctrina pendentibus
fracti animi, hæreticis verò quàm inflati ſint,
Pontificem edocet, hortaturq; vt maturè Apo-
ſtolica ope ſuccurrat. Pontifex id vt cognouit, ve-
hementer excanduit. Auctorem libellorum mu-
neris, cui antè præerat, adminiſtratione priuat, &
ſportula, quæ è Pontificio penu dabatur: iubet
comprehendi darique in vincula, ac ſeuerè puni-
ri. Nec ſanè graue effugiſſet ſupplicium, niſi ad- 33
nitente ſummo ſtudio Societate, Pontifex ad *Societatis fama Pontifex ſuo teſtimonio conſulit.*
agendum clementiùs flexus eſſet. Sed vt infamiæ
flammam inhiberet, litteras in Germaniam ad
Cardinalem Auguſtanum, treſque Eccleſiaſticos
Imperij Electores, ad Bauarum Ducem, & Im-
peratorem Maximilianum dedit ex formula, quã
cauſæ cognitores iudiceſque Cardinales proba-
rant. Eiuſdem propè ſententię erant omnes. Itaq;
ſatis habebo duarum hîc dumtaxat ad Cæſarem,
& ad Moguntinum Antiſtitem datarum exem-
pla prodere.

PIVS PAPA QVARTVS

Cariſſimo in Chriſto filio noſtro Maximiliano Vngariæ ac Boëmiæ Regi Illuſtri, electo Romanorum Imperatori.

Cariſſime in Chriſto fili noſter, ſalutem, &c. „ 34
Ad aures noſtras peruenit extitiſſe nonnullos, „
qui diuini timoris immemores, & conſcientiæ „
ſuæ negligentes, inuidia ſcilicet, & prauis qui- „
buſdam ſtudijs occæcati libellos quoſdam „
contumelijs, probris & maledictis plenos „
diſſeminauerunt aduerſus Ordinem totum So- „
cietatis Ieſu, & quoſdam eius Profeſſores no- „
minatim, qui ſunt cæteris notiores. Sanè mo- „
leſtè tulimus lædi famam, & violari exiſtima- „
tionem eius Ordinis, cuius tam multa & inſi- „
gnia conſtant erga religionem Catholicam of- „
ficia & merita. Qua in re non modò eis iniu- „
riam fieri putauimus, ſed id agi intelleximus, vt „
pia opera, quæ per eos in diuerſis orbis terrarum „

Digitized by Google

» partibus effici consueuerunt, talibus calumnijs
» impediantur. Quia verò eos libellos non per Ita-
» liam modò, sed per Germaniã etiam diuulgatos
» fuisse, & in tuæ quoque Maiestatis notitiam per-
» latos esse accepimus; eam ignorare noluimus
» Nos cùm ad explorandam certiùs veritatẽ nego-
» tium dedissemus quibusdam fratribus nostris de
» Collegio Cardinalium, viris admodum graui-
» bus, vt de criminibus, quæ illi Societati, & qui-
» busdam de Collegio huius Vrbis obiecta fuerãt,
» quærerent; eos re diligenter quæsita comperisse,
» atque ita nobis renunciasse, ea probra & crimi-
» na, falsò illis & temere admodum, à maleuolis,
» ad conflandum ei Societati odium & infamiam
» obiecta fuisse. Qua in re non confirmata fuit mo-
» dò nostra, & ipsorum Cardinalium opinio de hu-
» ius Collegij, ac Societatis vniuersæ pijs & lauda-
» bilibus institutis, vitæque ac morum integritate;
» sed etiam non parum aucta, cùm diligens de ijs
» rebus inquisitio innocentiam eorum magis pa-
» tefecerit, in lucemque protulerit. Hæc eò ad te
» scripsimus, vt veritati & innocentiæ testimo-
» nium debitum impertiamus, & ipse scias nullam
» omnino fidem contumelioſis illis & impuden-
» bus scriptis habendam esse: hortantes Maiestatẽ
» tuam, & petentes, vt cùm non ignoret ijs, qui-
» cunque piè & religiosè viuere volunt, nunquam
» deesse solere vexatores & obtrectatores, quip-
» pe qui ne ipsi quidem Domino & Saluatori
» nostro defuerint, eorum qui in ea Societate sunt
» innocentiæ faueat, sicut iustum & Catholicum
» & sapientem Principem decet: prohibeatque ne
» obtrectatoribus eorum vlla facultas detur ad im-
» pediendos eos quo minùs Dei honori, & anima-
» rum saluti, sicut ad hoc tempus fecerunt, sedulò
» inseruiant: Collegiaque eorum omnia in Ger-
» mania, & in alijs ditionis suæ prouincijs cùm
» pro sua in Deum pietate, tum etiam pro Sedis A-
» postolicæ reuerẽtia studiosè tueatur atq; defen-
» dat. Pro quibus erga eos studijs Maiestas tua tan-
» to maiorem à Domino mercedẽ accipiet, quan-
» to illi liberiùs & commodiùs tuo defensi patro-
» cinio & fauore adiuti Deo seruire, & curationi
» vacare animarum potuerint. Datum Romę apud
» S. Petrum die 29. Decembris, M. D. LXIV. Ponti-
» ficatus nostri anno quinto.

PIVS PAPA QVARTVS

Venerabili fratri nostro Danieli Archiepiscopo Moguntino, Sacri Romani Imperij Principi Electori.

35 » Venerabilis frater noster, salutem, &c. Non
» sine magna admiratione cognouimus libellos
» quosdam maledictorũ, probrorum & contume-
» liarũ plenos nuper dissẽminatos per Germaniam
» fuisse ad odium infamiamque conflandam vni-
» uerso Ordini Societatis Iesu, & quibusdam ex ea
» præcipuè, qui sunt cęteris notiores. Sanè id mole-
» stè tulimus. Intelleximus enim id antiqui hostis
» instinctu actum fuisse, vt, quoniam ab eius So-
» cietatis Collegijs, quæ sunt in Germania & alijs
» prouincijs, magna & multiplex his miseris tem-
» poribus ad Ecclesiam Dei vtilitas peruenit, eo-
» rum bona opera per maleuolorum hominum
obtrectationes & calumnias impediantur. Etsi »
autem rem ita se habere credidimus, tamen ad »
veritatem certiùs explorandam, & ad obstruen- »
dum os loquentium iniqua, delectis quibusdam »
Cardinalibus, grauibus viris mandauimus, vt in »
Collegij, quod in hac alma Vrbe est totius Socie- »
tatis caput, mores, vitam & instituta diligenter »
inquirerent. Qui quidem mandatum nostrum »
qua debuerunt fide & diligentia executi renun- »
ciarunt, se nihil omnino comperisse eorum, quæ »
huic Collegio in criminum loco obijcerentur: »
sed cùm Ordinis totius recta & pia instituta esse, »
tum eorũ qui in hoc Collegio essent, mores & vi- »
tam castissimã ac probatissimã, & planè Religio- »
sis hominibus dignam: satis autem sibi constare »
quosdam iniquo odio impulsos, & inuidia ob- »
cæcatos ea crimina & probra commentos esse, »
propterea quòd angerentur & dolerent, nec pa- »
tiæquo animo possent ipsius potissimùm Colle- »
gij quasdam ad res antea pia opera, & fideli obse- »
quio vsos nos esse: & curationẽ nuper ac regimen »
Seminarij, quod nos in alma hac Vrbe ex Conci- »
lij Tridentini decreto institui iussimus, omnibus »
Venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ »
Ecclesiæ Cardinalibus approbantibus, vltrò ei- »
dem delatum fuisse. Quam rem quoniam illi im- »
pedire non potuissent, nec vllum eorum crimi- »
num, quæ illis libellis obiicerent, se probare »
posse scirent, suadente diabolo ad tam demens, »
tamque prauum, & nefarium consilium descen- »
disse. Quia igitur obtrectatorum calumniæ in »
tam graui iniuria hoc saltem attulerunt commo- »
di, vt, quanto illi magis huius Collegij, & Socie- »
tatis vniuersæ famam atque existimationem læ- »
dere voluerunt, tanto magis ipsius Collegij in- »
nocentia, & vitæ & morum honestas patefacta »
sit, nostraque & fratrum nostrorum de eius So- »
cietatis pijs & laudabilibus institutis non con- »
firmata modò, sed aucta etiam opinio; ad offi- »
cium nostrum pertinere duximus his litteris ve- »
ritati & innocentiæ testimonium impertire. Pro- »
inde fraternitatem tuam hortamur, vt Collegiũ »
Societatis eiusdem, quod in ciuitate tua Metro- »
politica est, tanto posthac studiosiùs tueare, »
quanto iniustiùs & impudentiùs istos obtrecta- »
tores de ea Societate detrahere conatos fuisse re- »
perimus; ipsumque Collegium omni fauore & »
benignitate, sicut adhuc feciſti, prosequi, atque »
vt quàm plurimùm Dei honori, & animarum sa- »
luti inseruire possint, adiuuare perseueres. Da- »
tum Romæ apud sanctum Petrum, die trigesimo »
Decembris, anno M. D. LXIV. Pontificatus no- »
stris anno quinto. »

Hunc exitum grauissima propè omnium, quæ 36
conflatæ vnquam huic Ordini sint, infamia ha- *Prouentus ex tentatione.*
buit; ex qua Societas non solùm patientiæ fru-
ctum gloriamq; apud Deum ex Christi Domini
sancta imitatione tetulit, sed etiam virtutis suæ
lucem quasi euentilata fax clariùs longiusque
diffudit, edocta per infamiam, & bonam famam
Deo freta, eoque secura, rectè faciendi tenere
cursum. Lainius quidem, primoresque cæteri
Romanorum Patrum media in tempestate sic a-
nimati erant, vt dicerent exercitationem hanc
esse, qua opus haberet hæc planta cùm propter
alia Deo nota, tum maximè vt ingens eius incre-
mentum

Digitized by Google

mentum auctori ipsi Deo, non opibus humanis tribueretur. Ac proinde profitebantur idem sibi animi à diuina bonitate donari cùm hominum deijcerentur linguis, & cùm extollerentur.

Gymnasium Romani Collegij nunquam antè florentius fuit. Ad explicationem causarum conscientiæ ita multi conueniebant auditores, vt Professorum in templo explicari cœptæ sint, nec pauciores octingentis existimabantur perpetuò adesse: permultiq; Curiones in ijs, & animarum rectores. Quæ cœpta superiore anno Sodalitas discentium erat, ea Beatissimæ Virginis subiecta hoc anno tutelæ est, ijsque constituta legibus, quibus magnam partem hodieque regitur. Finis propositus in pietate litterisque progressus. Sodales ad septuaginta numerabantur. Quaque hebdomada noxas confiteri: quoque mense Sanctissimum Christi Corpus sumere: singulis diebus Sacro interesse, Virginisque vel rosaria, vel preces è libello iussi percurrere. Vesperi è schola dimissi congregati quartam horæ partem meditationi, alterum tantum partim excipiendis capitibus, quæ die postero meditarentur, partim conferendo breuiter quæ agitauerant, consumebant. Diebus festis à prandio post decantatas vespertinas preces, alij ad visendos in nosocomijs ægrotos, alij ad salutandas Diuorum reliquias, alij ad alia piâ munia mira ibant alacritate. Omnibus vnus è Societate præerat, qui cùm cætera moderabatur, tum diebus Dominicis adhortationem piam habebat. E Sodalibus vnus, qui præesset cæteris, lectus est, cui Præfecti appellatio indita: duodecimque præterea, inter quos cura reliquorum distributa, vt nullus negligeretur; quoque paucioribus quisque intentus esset, hoc absolutiùs cuncta procederent. In cæteris cõmoditatibus huiusce Sodalitatis illa non fuit è postremis, quòd inter sese agentes pari animo & pietate adolescentes vitabant improborum consuetudinem; qua molli improuidæque ætati exitium nullum est certius. Iam gymnasij faustus adeò rumor increbescebat, vt Archiepiscopus Tarentinus postea Cardinalis Marcus Antonius Columna de more periculum fieri doctrinæ suæ ab Societatis Magistris, & ab ijs in Collegio Doctoris insignibus ornari voluerit.

37 *Congregationum B. Virginis progressus.*

38 *Prima in Romano Collegio præmiorum distributio.*

Hoc primùm anno Romę Latinas Græcasque litteras, & eloquentiam discentibus præmia publicè distributa. Ea fuere selecta veterum monumenta certatoribus conuenientia, eleganter & sumptuosè compacta liberalitate Cardinalis Farnesij. Transacta res celebritate nonnulla est. Proximo Kalendis Nouembris Dominico die productum in scenam drama, multa nobilitate, & aliquot Patrum Purpuratorum spectantibus. Argumentum erat, diuinum cultum, reique publicę vtilitatem, non inanem ostentationem, curiositatem, aut aliquid eorum, quæ perperam vulgus sectatur, esse studiorum finem debere. Dramate peracto, proposita in pulpito mensa cum præmijs. Ad eam iudices, qui certantium probarant scripta, consederant. Tum vnus è pueris præconis vice functus post solennem præfationem, Quod bonum ac felix eueniret, initio ab Rhetoribus ducto nomina citat victorum. Vt quisque vocatus erat, progressum in scenam pueri excipiebant duo: alter destinatum ei porrigens præmium, distichio ad id commodè facto gratulabatur, alter protinus versiculis item binis acuta grauique sententia ab insolenti gloriatione deterrebat. Insignem id spectaculum & Proceribus voluptatem, & discentibus alacritatem attulit. Præmiorum maximam abstulere partem, qui in Collegio Germanico conuictores educabantur. Florebat id Collegium (tametsi pauci erant alumni Germani) vt cùm maximè frequentia, ac nobilitate, & disciplina adolescentium aliorum. Ducenti quindecim numero erant ex varijs nationibus, plerique Cardinalibus, alijsque viris Principibus necessitudine arctissima iuncti. Duo præterea Turcæ, vnusque Armenius ingenio præstanti: quibus è patria vltrò, vt Christiana sacra susciperent, profugis Pius Pontifex necessaria vitæ, & educationis adiumenta suppeditabat. Efferatiores initio cæterorum consuetudo, & exempla, tum clemens institutio breui mansuefecit. Vt omnia vsu dieque perficiuntur, multa hoc anno ad rationem domesticæ disciplinæ adiecta, contubernijs accuratiùs pro ætatum varietate discretis Patris Iosephi Corteſoni inuento. Eo cuncta regebantur ordine, vt nemo putaret meliùs consuli posse suorum ætatibus, quàm si honestissimo illo inconuictu collocauissent, & fortunatos se crederent, quibus inter tam multos petitores aditus patuisset.

39 *Conuictorũ in Collegio Germanico disciplina floret.*

Ad commune bonum multa alia, sed duo in primis curata sunt. Alterum, vt Tridentinum Concilium Arabicè verteretur, excuderetur que: ac tum primùm Arabica Romæ chalcographia hominum Societatis cura, Pontificijs sumptibus instituta. Concilium Ioannes Baptista Elianus is, qui in Ægypto fuit, conuertit. Alterum, vt quoniam multi per Italiam, aliasque prouincias hæreticorum opinionibus deprauati per studiorum occasionem aut speciem furtim pestiferos errores spargebant; moxque vbi in Academijs Catholicis doctrinæ & auctoritatis tela comparassent, in patrias oras reuersi contra ipsos Catholicos vim & arma vertebant; nemo ad litterarios honores, vel ad docendum admitteretur, quin priùs Catholicam fidem ex formula, quæ cum diplomate ipso proposita est, profiteretur. Præcipuus auctor sanctionis huius Petrus Canisius fuit. Mentionem eius Posseuinus quoque ad Lainium Tridenti agentem per litteras fecerat. Rei grauitatẽ Lainius Pontifici declarauit: Pontifex probatam diplomate sanxit. Plurima circa Romam oppida concionibus & catechesi exculta, multis inimicitijs, superstitionibus, vitijsque alijs perpurgata, cõtraq; moribus pijs, & Sodalitatibus præcipuè Sanctissimi Christi Corporis ornata & communita sunt. Veliterni quadragenarum horarum precationem habituri, cùm ab Lainio postulassent, qui totum negotium regerent, missi duo sacerdotes ita rem ordinarunt. Ciuitate in quadraginta partes distributa, horam cuique ad precandum suam attribuere. Deinde, antequam precatio inchoaretur, ad vniuersos alter Patrum concionem habuit: in qua cùm exposuisset, quàm necessaria, quamque vtilis orandi Dei cura sit, enucleatiùs pro populi captu quas eadem, vt fructuosa euadat, cõditio-

40 *Tridentinũ Concilium ab Eliano versum Arabicè.*

41 *Indicta professio fidei Doctoribus Academiarum.*

42 *Supplicationis XL. horarum commoda forma.*

Digitized by Google

nes requirat, est persecutus. Tum supplicatio instituitur è Clero, & populo, quam trecenti circiter pueri puellæque in amiculo candido præcedebant. Precatione cœpta intromissis, qui destinati erant, paucis verbis initio ex Domini cruciatibus acerbissimis proponebatur locus; pariterque modus tradebatur, quo accedere ad Dominum verecundè, eumq; adorare ac precari deberent: tum voce sublata cuncti simul sanctissimum Iesu nomen inuocabant. Post hæc semihoræ spatio taciti cum Domino meditando orandoque agebant. Circa semihoram ad excitandos animos rursum sanctissimum Iesu nomen vocibus elatis inuocabatur. Inde repetitis nouo impetu secretis precibus ad horæ quadrantem in ijs perseuerabant. Suprema horæ parte alter sacerdotum (sibi enim post aliquot horas alternis succedebãt) pauca subijciebat, sed fortia & flammantia verba cum monitis, quibus imbuta & incensa pectora domum referrent. Interim quidam Sodales cum aliquot pueris ad vrbis designatam regionem prælata cruce, & sanctissimum Iesu nomen inclamantes, & misericordiam implorantes pergebant, & in horam sequentem deducebant precaturos. Is ritus interdiu noctuque tenuit. Ingens fuit in cuncto populo motus animorum, multi multas horas continuabant supplicia: lacrymarũ, gemituum, implorantium misericordiam, præsertim inter Patris adhortationem is erat strepitus, vix vt verba dicentis exaudirentur. Multi, antequam è sacello vbi orabant, efferrent vestigia, qui antè grauissimè dissidebãt, in mutuos vltrò ruêre amplexus: & hac potissimùm re cunctæ vrbi inueteratis inimicitijs ac factionibus laceræ, ita vt sexaginta iam cædes ex vna simultate patratæ numerarentur, commodatum est plurimum: quanquam addita est & seorsim ad pacificationes industria, & ad cognoscendas piandasque confitentium noxas eo euentu, vt Præposito Generali ciuitas accuratè gratias egerit, & impensè Collegium postularit.

43

44 *Christophori Rodericij res.*

Christophorus Rodericius per quædam Neapolitani regni oppida, in quibus Valdensium vetus, nouæ Lutheranorum admixta hæresis simulatione callidissima furtim colebatur atque serpebat; id iussus ab Collegio sanctæ Inquisitionis exequi, quod Vulturariæ superiore anno fecerat; dum initio anni eò regreditur, ex itinere Aquilam in Vestinis principem vrbem flexit, inspecturus, quo statu res essent Collegij, quod ciues misso etiam Romam legato Archipresbytero perstudiosè postulabant. Quas cùm bono reperisset loco, suaque virtute ac sapientia meliore reliquisset, præsidium etiam Hispanorum homologesi purgasset, in Apuliam porro contendit. Rebus Vulturariæ confirmatis, in oppido, cui Motta Montis Coruini nomen est, diœcesis eiusdem haud longo tempore ducentos septuaginta ad profitendos errores ac detestandos adduxit, & orthodoxa imbuit disciplina: tum alios atque alios expiauit, quoad omnes errorum excisæ fibræ. Inde in Montem Acutum ex Episcopatu Bouini transgressus rogantibus sindicis, vt in Proregis responsum, ad quem ingenuè fatebantur eam se rem detulisse, opus differret; ad Montem Leonem transiit, oppidum diœceseos Arianensis. Hîc magnas inter difficultates, quæ præclara omnia incepta, & talia maximè circumstant, dum sanctum laborem vrget, indignamte nimirum Satana tantum suæ tyrannidis nihil grauius moliente se, asseri in libertatem; Regius administer postridie Idus Maias adest, & ipsum P. Christophorum, vnaque Petrum Marcellum, qui postea nomen Societati dedit, tumque Patri Christophoro scribæ vicem nauabat, ad vrbem sanctum Seuerum, vbi ea tempestate iurisdictio Apuliæ erat, abduxit. simul acta, diplomata, & quidquid Patri litterarum erat, ablatum est. Abducti sunt magna custodia imperatis ex Monte Leone militibus. quæ planè superuacanea cura fuit. Nihil enim gloriosius ignominia illa, nihil vexatione iucundius, ac proinde optatius euenisse sibi Dei famulus duxit, haud quidquam metuens magis, quàm ne leuior breuiorue auiditate sua foret. Erigebatur testimonio rectæ conscientiæ, quòd gnarus nihil à se commissum, nullam præbitam vexationis ansam, vnicam videbat relinqui tolerantiæ causam, obsequium Apostolicæ Sedi, & saluti animarum impensum. Itaque ad Lainium scribens precatur, vt sinat se pauliſper iustitiæ causa exerceri. Et vbi prope sanctum Seuerum ventum est, quia satellites id honoris vtrique habuerant, vt vincula nulla iniecissent, cupiens aliquo modo catenarum Christi & Apostolorum particeps esse, ita eos affatur:

45 *Datur in vincula.*

46 *Quantum amarus vinculo Christi causa.*

Mihi quidem, fratres, nequaquam fugere est animus; &, vt spero, nihil mouebo: tamen, quia vrbem ingrediemur satis frequentem, atque vbi multæ occasiones inuitant, ac multa euenire insperata possunt, vobisque, si quid fortè eueniret, fraudi esset, suadeo vobis, vt qua fide cæteros, quaque cautione ducitis, ea me quoque ducatis, & manicis de more iniectis vinciatis. Quam orationem referebat postea scriba minimè sibi gratam accidisse, verenti ne satellites postulata concederent, atque vtrumque vincirent. Sed homines tantam virtutem (quanquam parum huiusmodi rerum intelligentes) admirati, quo paratiorem viderunt ad vincula, eo minùs necessaria putauerunt. Optabat præterea sanctus amator crucis in carcerem trudi, sed Apuliæ Præfectus comiter apud se honorificeque habitum, breui ad Proregem Neapolim misit. Res vbi perlata est Romam, minimè dubij Patres virum illum & extra culpam & bene ferendo esse, haud alio quàm ipse animo, hoc est, pro Dei munere acceperunt. Borgia etiam litteris, quales omnino sacerdotem amantissimum crucis, dum ad comparem scribit, decebant, ei est gratulatus; cognouisse ait se quàm carus Deo esset, qui tam impensè, dum in eiusdem laborat vinea, asperis ab eo casibus dignaretur: operariorum id bonorum stipendium esse, sicque geminari opus & horas; vt duplex inde præmium rependatur. Dignum esse, qui ea, quæ desunt passionum Christi (tametsi adeò copiosa apud eum redemptio) adimpleret in corpore suo. Gaudendum & spe vberioris annonæ, velut pluuijs, quibus educantur segetes, gaudet agricola, fulguret licet tonetq;. Cæterùm vt sæpè animus arduis deest temporibus, ita hîc animum materia defecit. Haud liberaliter

47

raliter minùs, quàm Præfectus Apuliæ Rodericium habuerat, habuit Neapolitanus Prorex, præsertim vbi & virtutem hominis, & qua potestate, quaque ratione rem administraret, comperit, professus dolere se, quòd nequidquam interturbatus esset. Etenim rem Pater ita administrabat, vt præter delegatam Romæ potestatem ab sacrorum Collegio Quæsitorum, Episcopi, quorum in ditione ageret, Vicarium sibi eum summa cum potestate in rebus ad fidem spectantibus substituerent. Atque eam potestatem ille sic temperabat, vt si fortè vis, aut quid admouendum terroris esset, per ordinarios Episcoporum Vicarios admoueret, ipse religiosi Theologi, sacrique concionatoris tantùm sibi partes reseruans, pia monita, hortatus, errorum confutationem, sanę doctrinę explicationē, & solennia Societati alia munera vsurparet: illud semper intentus, vt negotij inuidiam atque austeritatem quanta posset maxima suauitate, commiseratione, indulgentia mitigaret. Potentissima ad effectum tela erant duùm generum. Primùm, quæ assiduè offerebat Deo susceptarum à se pœnarum, & precum, & sacrificiorum placamina: tum sanctissimæ vitæ exempla; quæ in oculis omnium versabantur, & potissimùm abstinentiæ, quam haud immeritò vulgus inter prima miratur. Tantaque Rodericius vtebatur, vt non modò pro summis laboribus stipendij aut mercedis quidquam, quantumuis vltrò deferretur, sed nihil omnino, ne poma quidem, & alia id genus minutissima; quæ propemodum inurbanè reiici existimantur, muneris aut eleëmosynæ oblata nomine acciperet. Quod ipsum publicis litteris populi Vulturariæ ac Mottæ testabantur. Quas litteras vbi Prorex, alijque administri, simulque quas Iulius Gentilis Vulturariæ Episcopus, & Ferdinandus Annius Archiepiscopus Amalphitanus, idemque tum Bouini Episcopus, in cuius diœcesi est Mons acutus: deniq; & quas Donatus de Laurentijs Ariani Episcopus, cui Mons Leo subest, dederant, Vicarium eum sibi substituentes viderunt: ad hæc quanta vis animarum erepta esset diabolo, quàm periculosæ errorum stirpes exciderētur, atque hæc omnia quàm pacatè tranquilleque fierent, & ad regni felicitatem, tranquillitatem ac fidem quātopere pertinerent, animaduerterunt; collaudatum Patrem remittendum ad cœpti operis perfectionem, hortandumque & muniēdum etiam regijs litteris putauere. Testabatur itaq; Prorex, quoniam delatum ad se esset Christophorum Rodericium de Societate Iesu in prouincia Capitanatæ, & Comitatu Molisio (quæ loca veteres in Apulis & Irpinis numerabant) tanquam Quæsitorum Romanorum administrum quæstiones exercere se mandatorum inscio, iussisse hominem Neapolim deportari vnà cum litteris, quæ penes eum essent: ijsque perspectis constare id quod agebat non aliò pertinuisse, quàm ad regionum earum animas in sancta Catholica fide instituendas. Quòd si quid iurisdictionis in Episcopatu Bouini visus esset attingere, id velut Vicarium Præsulis eius facere: vtque tam bonum opus, quod Pater inceptarat, procederet, auctorem se ei & hortatorem fuisse, vt ad persequendum illud in Arianensi diœcesi, & Bouinensi rediret. Deinde Ecclesiasticos viros adhortans, & laicis Dynastis ac Magistratibus mandans vt omnem opem & auctoritatem ei accommodent, multam etiam laicis imponit, si quid impedimēti obtulerint. Auctus his litteris, alijsque, quas populorum eorum Antistites addidere, tum vehementer animo roboratus ex Christi calicis gustu Pater vbi reuertit, inopinato aduentu hæreticos eos perculit, qui ex turbine illo spem erant ingressi non rediturum, suamque sibi impietatem impunè mansuram. Ille verò statim admota operi manu primùm in Monte Leone, tum in Monte acuto agrum Domini pestiferis zizanijs perpurgat. Iamque perfunctus munere Barium excurrerat, vt de Collegio, quod ea quoque ciuitas moliebatur, cognosceret, (superat enim propè fidem quā multa per id tempus certatim Collegia flagitarētur) cùm nouas ab Vrbe litteras, tum ab Alexandrino Cardinali, tum à Scipione Rebiba item Cardinali, administratore Troiani Episcopatus accipit, vt in Troiana diœcesi idē muneris exequatur. Ergo & à Prospero Rebiba Troiæ Episcopo Vicarius constitutus in oppidis duobus quorum alteri Cellæ, alteri Faito nomen est, ministerium sanctum adoritur. Atque ita adfuit religiosæ Deus industriæ, vt quingenti viginti præter pueros & puellas non solùm ad fidem orthodoxam reuocati sint, sed etiam ad vnum omnes generalem suorum scelerum confessionē fecerint. Itaque si omnium summa ineatur, plus mille quingenti ad Catholica sacra in eo tractu se recepere. Vnde pronum est intelligere quàm contagiosum vlcus exsectum sit, quàm fœcunda excisa pestis, & latè circà loca, totumq; regnum quanto periculo liberata. Neque id modò, sed etiam, qui religione integra populorum erant, graui inscitia & corruptela morum liberati sunt, ac promiscuè vniuersis tanta erga Societatem ingenerata caritas, cuius in Rodericio, atque etiam Francisco Mercato, & alijs, quos interdum Rodericius habuit adiutores, specimen adeò sanctum perspexerant, vt nihil optarent auidiùs, quàm perpetuo eius disciplinæ subesse.

49 *Plurimos ab hæresi liberat.*

In Iaponiam destinati Ioannes Baptista Ribera, ac Petrus Riera Hispani, & Alexander Valla, Italus ex Regio Lepidi: vt ætatem traducerent classiarijs iuuandis, Garziæ à Toleto classi Hispanæ præfecto, qui litteris & ad Pontificem, & ad Patrem Generalem datis aliquot è Societate in eam rem postularat, concessi sunt. Qui sic operam suam Garziæ, Proceribus ac vulgò classiarijs omnibus in toto cursu, in stationibus, & in expugnatione ipsa Pignolij (arx apprime situ operēque munita in maritima Africæ ora erat) probauerunt, vt multùm Garzias expeteret semper nonnullos eiusmodi secum viros habere.

50 *Classiarijs nauata opera.*

Venetijs inter hæc Salmeron totam ciuitatem concionibus ad sui admirationē, & (quod agebat solùm) ad nouum pietatis studium excitauit. Præcipui Senatorum ac ciuium, & Dux assidui erant auditores: cæterorum verò frequentia, quātam capere summam poterat templum, cùm loca certatim occuparentur, parsque maxima festinantium minùs accessum non inueniret. Vix licebat viro re ac verbis Euangelistæ apparere in vicis,

51 *Res à Salmerone Venetijs gesta.*

48 *Remittitur ad cœptum opus perhoc verificè.*

Digitized by Google

vicis, & publico vti: continentibus adeò occurſantium & ſalutantium officiis, & puerorum ſæpè vocibus acclamantium, Ecce Salmeron, pudore confundebatur. Tantum aberat ab Oratoris Attici leuitate, quem ſuſurrus delectabat aquam ferentis mulierculæ, alteriúque inſuſurrantis, Hic eſt ille Demoſthenes. Eloquentiæ haud inani tinnitu ſonantis, ſed efficacis ac fructuoſæ argumenta præ cæteris duo fuere: vnum, quòd cùm inuectus in habitum feminarum indecorè nudantium pectus, ipſas, quòd id agerent; viros, quòd paterentur, acriter caſtigaſſet; decem è primarijs matronis eo ipſo die, quas multæ dein ſecutæ ſunt, veſtitum decentiorem, qui collo tenus nihil intectum relinqueret, aſſumpſerunt. Alterum, quòd cùm paulò impuniùs quàm Catholicam illam piamque Rempublicam deceret, hæreticos tolerari dixiſſet, decretum confeſtim in eos ſeuerum Reſpublica fecit ac promulgauit, quo ſuis finibus hæreticos continuò excedere iubebat. Multíque eam ob rem fugerunt: alii rectiùs ſaltem cœperunt agere; nec iam propalàm audebant dictis factiſque ſe pro hæreticis ferre.

52 Rebus hac proſperitate Venetijs Salmeron geſtis Romam venit, vbi altero die Pentecoſtes in S. Petri baſilica (quoniam per valetudinem Lainio, ad quem delata concio erat, non licuit) coram ingenti nobilitate, & quatuordecim Cardinalibus ita duas propè horas dixit, vt eius concionis fama ad Pontificem quoque peruenerit, qui Salmeroni eidem commeatum petenti, vt ad prouinciam ſuam rediret Neapolim, de ea gratulatus, eum magnæ cum ſignificatione benignitatis dimiſſum, etiam Nuncio ſuo per litteras ſtudioſè commendauit: iam tum Prorege Neapolitano, & Ferrarienſi Duce, vt eum in anni inſequentis ieiunia tractatorem haberent, certantibus.

Neapolitanę prouinciæ Catacęſe Collegium, Rheginum Siculæ, Sardiniæ Calaritanum, Longobardiæ Mediolanenſe cum Seminario addita,

53 *Mediolanẽſ. ſis Collegij exordia.* pleriſque colonorum ex Vrbe miſſis. Mediolani dum ſedes Collegio ſtudioſiùs, quàm feliciùs quæritatur, ſanctum monuerat Cardinalem Borromæum Palmius, ne Collegas, antequam ipſemet tempus eſſe ſignificaret, mitteret. At Cardinalis, cuius caritas non modò tarda molimina neſciebat, ſed etiam legibus prudentiæ humana cura potioribus regebatur, inſtat & euincit, vt Socij triginta partim Collegiũ, partim Seminarium, quod ex Concilio Tridentino moliebatur, inchoaturi mittantur. Iamque propè ad portas aderant, cùm Palmius neque domicilio, neque alia, quam talis vſus poſtulat, præparata re, nuncio deprehenditur improuiſo. Præſtò fuit venerabilium Clericorum Regularium, quibus Barnabitæ vulgò eſt nomen, minimè noua noſtris hominibus, hoſpitalitas. Valetudinarij apud eos, & grauiùs de via languentes collocati, habitique ſingulari pietate. Cæteros partim germani tres fratres Ioannes Baptiſta, Hieronymus, & Franciſcus Pecchij, partim Benedictus Alemannus, genere ciues & virtute nobiles, meritiſque erga nos memorabiles, ad ſe recepere: adeò cumulato officio, vt quidquid domi feminarum erat, rus ſummouerint, quò ſacris incolis vacuum hoſpitium maiore decoro præberent. Et quidem quam primis Collegiorum hoſpitibus Murinæ Nolæq; in Italia, & vrbis Portus in Luſitania diuinitus repenſam gratiam narratũ eſt ſuis locis: vt viciſſim ſua Ieſus liberos eorum Societate reciperet, eam ſanè vberem Benedicto Alemanno rependit. Quinque enim poſtea liberos eius omni re ornatiſſimos ad ſui Numinis obſequia in eam vocauit. Interim conducuntur ædes in Carrobio ſitæ, quæ Lucij Cauanagi erant, raptimque concinnatis in altera earum parte ſeorſim Collegium, in altera Seminarium inchoatur. Collegiũ Franciſcus Adurnius in paucos menſes, Seminarium Iacobus Caruaialius, in qua procuratione deceſſit, primi rexere. In Seminarij negotio non abſimiles Romanis turbæ calumniæque exortæ: quas Patres & docendo, quàm moleſta laborioſaque exercitatio auerſanti potiùs, quàm ſe obtrudenti Societati imponeretur (quod Palmius etiam pro concione præſtitit) & patientia maximè ſuperarunt. Nec modicè præclarum valuit ſpecimen, quod orationibus publicis Lælius Biſciola, & Ioannes Dominicus Bonacurſius edidere, hic Humanitatis, ille Rhetoricæ artis profeſſores. Quarto Idus Decembres Latina oratione in primario templo Lælius proluſit. Gabriel à Cueua Dux Albuquercius, qui Conſaluo Ferdinãdo à Corduba Duci Sueſſano in Mediolanenſi adminiſtratione nuper ſucceſſerat, tum Archiepiſcopi Vicarius vnà cum Clero, cuncti Religioſorum Ordines, tanta demum ciuium multitudo interfuere, vt eius ampliſſimi templi vaſtitas ægrè caperet. Secundùm orationem agmine incedentes, iucundo omnibus ſpectaculo, in deſtinatas ędes introducti clerici: quarum valuas ac parietes ingens multiplicium carminum Græcè, Latineque & Hebraicè conditorũ apparatus diſtinxerat. Poſtridie tribus in auditorijs Rhetorica, Humanitas, Grammatica tradi cœpta, ea ſolùm re plauſum minuẽte ciuitatis, quòd diſcentium plurimos gymnaſii excluſerunt anguſtiæ. Proxima ſancti Viti parœcia vſui fuit ad munia ſacra. Ineadem. Iacobus Paëzius quæſtiones de Chriſtianis officijs explicare aggreſſus.

Catanzarium quinque tantùm miſſi cum Pantaleone Rodino Rectore. Ioſephus Blondus per Quadrageſimam ibi concionibus mirè claruerat, vnde ciuium ad maturandum Collegium ſtudia incitata. 55 *& Catacenſis.*

Calarim in Sardiniam miſſi decem. Ea ferè Proregis ſedes erat. Abundat nobilitate & frequentia ciuitas, etiam ornata portu. Commorat Societatis deſiderium memoria rerum à Petro Spiga olim geſtarum, multoque magis earum fama, quæ tum maximè ab Saſſaritano Collegio gerebantur. Itaque Conſulum accitu, Proregiſque Aluari Madrigalis, tum ſacri Quæſitoris, P. Balthaſar Pinna, qui Saſſaritano Collegio præerat, ad conciones ſacri Aduentus cùm adiiſſet, habito conſilio, ſummo omnium conſenſu ad Collegij initia ducenos aureos nummos ſpopondere, quatuor petentes Magiſtros, Grammaticæ tres, & præterea qui elementaria rudimenta traderet, conditionibus quibuſdam appoſitis: litteraſque ad Lainium dedêre, per quas magnopere petebant, vt pia omnium vota, & 56 *& Calarit. tani.*

publi-

Digitized by Google

publicam respicere necessitatē vellet. Quibus literis cùm respondisset Lainius, multa exigi, nec paria oneribus promitti subsidia, denique & conditiones imponi graues, nec vsitatas; illi protinus de integro institerunt, missam faceret conditionum curam, verùm primo quoque tempore Collegas mitteret, curæ fore Calaritanis, ne quid Societati onerosum imponeretur: cæterùm commoda eius semper auctu ros. Tum Lainius cognito coràm statu rerum ex Pinna, quem Romam aduocarat, recepto Collegio, eidem, postquam Romæ solennia vota emiserat, deducendos, quos dixi, Socios tradidit. Interim præparandis rebus Calari Petrus Spiga detinebatur. Pecunia præstò erat è stipe, quam Prorex ipse, & Quæsitor cum vno Consulum, & aliquot nobilium vltrò circumeuntes vrbem corrogarant, relatis in album nominibus conferentium: vnde facilè aureorum nummûm sexcentorum confecta summa: quam exegit Bartholomæus Foresius inter ciues de Collegio bene meritos nulli secundus. Domus prope templum sanctæ Crucis coëmpta, & ipsum templum Antonius Parragies de Castillegio Archiepiscopus cùm sponte sua, tum precibus omnium impulsus concessit. Iam Pinna ineunte autumno cum Socijs in Sardiniam secundissimo cursu relatus, difficile cogitatu est, quanta Sassaritanorū omnium lætitia exceptus sit. Appellabatur vulgò Angelus, Apostolusque Sardinię. Ad triginta millia passuum honestissimi iuuenum obuiàm redeunti processere. Alij deinde atque alij se, vt magis appropinquabat, adiungebant. Itaque Sassarim eximio equitum facilè sexaginta comitatu, tum Canonicorum, aliorumque sacerdotum, ipsiusque Proantistitis, & Prætoris Sassaritanæ omnis ditionis, qui ad portam opperiebātur, intrauit; turbis vias complentibus, & ad fenestras effusis, & Patres laudibus faustisq; precationibus sine fine modoúe cumulantibus. Vnde recentibus colonis tam paratum spectantibus solum, ad exercendā pro virili culturā mirè alacritas incitata. Progressos inde Calarim haud alijs studijs omnium ordinum ciues Deo grates agentes, sibi inuicem gratulantes, nihil in Religiosos colonos honoris officijque prętermittentes, exceperunt. Idus Nouembres natales Collegio fuere. Scholæ quatuor, quot numero, qualesque erant Sassari, constitutæ. Prorex cum aula & nobilitate exordia honestarunt. Nouo Collegio Georgius Passius Rector præesse iussus. Balthasar autem, qui Sassaritanum regebat, ei quoque Superintendens præfectus est. Quòd si insulanorum pietati votisque indulgeri potuisset, iam per omnem Sardiniam Societas sparsa esset: adeò Oristanenses, & Algueritani, alijque populi nominatim Collegia flagitabant.

58 Rhegium Calabriæ, cùm Prorege in primis
& Rhegini, Neapolitano Perisano Ribera, tum Archiepiscopo etiā Rhegino Gaspare de Fosso, & ipsa ciuitate vrgente susceptum esset Collegium; missi vnus & alter, qui simul res ad Collegium necessarias prospicerent, simul quæ paucitas eorum ferret, inceptarent munia. Causa suscipiendi eius Collegij super flagitantium auctoritatem fuit populi summum discrimen. Nam præter valdè corruptos mores, etiam hæresis mittere inter eos radices incipiebat. Quam ob causam cùm Rhegium Prorex Commissariū misisset Petrum Antonium Pansam, is coacto ciuitatis concilio Proregis nomine Collegij auctor condendi fuit: quod summa cum propensione ciues complexi vectigalis etiam aliquantum tradidere: & cum Archiepiscopo egerunt, vt ei parœciam S. Gregorij, translata ad S. Sebastianum procuratione animarum, ad diceret. Prouinciæ Siciliæ, ab qua Rhegium exiguo dirimitur fieto, ob administrationis opportunitatem, contributum id Collegium est.

Sed rarò alia tanto cœpta ardore, statimque 59
perfecta Collegia sunt, quanto eodem hoc anno & Parmen-
Parmense, origine ipsa memorabili. Alexander sis.
Cardinalis Farnesius haud semel de Collegio Parmæ constituendo egerat. Verùm Octauius Dux eius frater falsis præoccupatus sermonibus, eoque ab tota Societate alienus, acerrimè semper obstiterat. Sed, vt sunt admiranda Dei consilia, Iubartus sancti Vitalis, Comes Salæ, Duci Octauio vnicè carus, sub initium veris in morbū grauissimum incidit: ex quo tametsi tandem emersit, qui tamen curabant medici, sine dubitatione pronunciauerant moriturum. Is, vbi se depositum vidit, Ioannem Gurream Mutinensis Collegij Rectorem Parmam accersijt. Qui illicò profectus cùm omni officiorum genere, quibus emigraturos Christianæ caritatis industria iuuare docet, Comiti dies noctesque præstò esset; ea virtute ille commotus, edito iam testamento codicillum adiecit, quo Mutinensi Collegio certum argēti pondus legabat. Familiares continuò ad Gurream rati se læta nunciaturos, accurrunt. Haud lentiùs Pater ad Comitem properat: atq; ita contendit, vt neque codicillo, neque alia occultiore, qua Comes cogitabat, via quidquam omnino Societati legari passus sit, ne Gurrea ipse eius confessarius auctor haberetur. Hæc res perpulit Comitem, vt nunciari Duci iuberet, esse sibi, quæ priusquam moreretur, vellet eum non ignorare. Vbi adfuit: Ego, inquit, quàm verè „
Excellentiam tuam ac sincerè coluerim, certio- „
rem testem nullum habeo, quàm te ipsum: item „
me super merita mea benignè habitū abs te scio „
atque profiteor. Itaq; cùm fides erga te mea, tum „
merita in me tua cogūt id supremis verbis effari, „
quod ne ignores, tua plurimùm referre puto. De „
Societate Iesu multa apud te iactata esse comper- „
tum habeo: quæ cùm ego falsa esse certò sciam, „
nolui moriens permittere, vt diutiùs bonæ tuæ „
menti imponerent illuderentúe imperitorum „
hominum aut maleuolorum sermones. Hîc „
multas pro animi sui studio Societatis laudes 60
cùm recensuisset, adiecit: Hæc ego, quia planè „
penitusque perspexi & comperi, loquor: tuque „
ipse intelligis, nec mei moris vnquam fuisse fin- „
gere, neque hoc tempus esse mentiendi. En vi- „
des vt supremum meum spiritum horum mani- „
bus totum permiserim. Et sanè maximum illud „
summo hoc rerum articulo solatium habeo, „
quòd talem mihi Deus adiutorem largitus est. „
Cætera, quæ apud te iactata sunt, quàm longè à „
vero absint, hinc pro tua sapientia argumentum „
cape. Quòd cùm vsque eò decantari audieris „
hosce homines in morientium insinuare se testa- „

menta,

Digitized by Google

„ menta, ego cùm sponte mea nescio quid Muti-
„ nensi legarem Collegio, id Rector simul ac in-
„ audijt, nullo modo fieri est passus. Itaque si in-
„ corrupta vnquam fidi hominis apud fidentem
„ studia quidquam momenti habuere, valeant
„ apud ingenuum ac nobilem animum tuum po-
„ stremæ hæ voces, & hoc mihi nihil fortasse aliud
„ vnquam petituro concede. Da operam, vt hu-
„ ius Societatis familia Parmæ statuatur. Con-
„ firmo tibi ex optimis id quæ facere aliquando
61 „ possis, factis futurum. Mirum Deus huic oratio-
Ducis Octa-uij mira in Societatem mutatio.
ni pondus adiecit. Continuò aduocatum Gur-
ream Dux perbenignè complexus in cubiculum
secretum deducit. Hîc aperto capite, vultu eo,
„ vt appareret valdè esse commotum, Tametsi, in-
„ quit, doleo Pater, quòd morbus Comitis mihi
„ carissimi causa tibi Parmam veniendi fuerit; ta-
„ men aduenisse te summè lætor, quòd in salutem
„ animæ meæ, meiq; huius populi aduentum istum
„ video destinatum à Deo fuisse. Ac priusquam
„ alia dico, ex te, totaque vestra Societate veniam
„ ex animo precor, quòd adhuc ne Parmam Re-
„ ligio vestra veniret, obstiterim: deque ea secùs ac
„ debui opinatus sim. Nunc, quando per hunc Co-
„ mitis acerbum casum sapientiæ diuinæ placuit
„ aperire mihi oculos, vestramque innocentiam
„ facere manifestam, toto vos animo complector
„ ac veneror: teque etiam atque etiam rogo, vt me
„ ad Collegium hac in vrbe vestri Ordinis insti-
„ tuendum adiuues. Nam, quòd ad hanc diem re-
„ pugnarim, tantumque huic populo boni per me
„ interuersum sit, nequaquã petenda solùm venia
„ expiari potest, nisi & amore erga vos, & sedula
„ Collegij procuratione præteriti vsuram tempo-
„ ris, quantum fas est, resarcire coner. ego quidem
„ quoniam prior repuli, repulsa dignus sum: sed
„ vos confido quid vestra virtute & professione
62 „ dignum sit, potiùs respecturos. Hæc, multaque
alia nudo capite, summa benignitate atque con-
stantia dum Princeps clarissimus eloqueretur,
Gurrea ægrè animi sui temperabat motui, ne fo-
ras per vberes lacrymas emanaret. Respondet
Societatem Illustrissimæ Farnesiorum genti om-
nia debere. Quòd ad id loci ipse alienior ab ea
fuerit, nihil inde Patrũ in animis genitum, nisi ex
vna parte studium intentius pro Excellentia eius
videntem & regentem mortalium corda Deum
rogandi; ex altera miserationis affectum, quem
pariter erga omnes Principes habent, quòd haud
rarò hominibus, à quibus vera audiant, carent.
„ Noti sunt (inquit) mores aulicorum. Simul ac
„ vnam in partem acclinatum Principem vel suo
„ nutu, vel ipsorum impulsu viderint, in eam om-
„ nes incumbunt, eam premunt. Itaque mihi ego
„ persuadebam, posteaquam sensus tui indicia
„ quædam elicuerant, eos se perbeatos existimare,
„ qui de nobis pessimè loquerentur: adeò vt dum
„ tales homines, quales describebamur, Parma
„ excludebas, videreris tibi rem acceptissimã Deo,
„ populo commodissimam facere. Post hæc præ-
cipua singillatim capita, quæ Duci falsò credita
screbat, diluere cœpit: ac postremò de Collegio
respondit. Quamuis penuria ingens operariorũ
Societatem premeret, cùm tam multæ in dies no-
uæ coloniæ in omnes partes, præsertim in Gal-
liam ac Germaniam, quò summa aduocabat ne-
cessitas, mitterentur; tamen haud dubitare se,
quin pro eo quantum Societas cuncta Farnesiis
debet, eosque obseruat, Lainius voluntati Ducis
quidquid liceret, esset posthabiturus: præsertim
quòd Parmæ ipsemet P. Generalis, multique
primorum fuissent Patrum: Parmæ multos egre-
gios viros Societas deberet: præque cæteris ab ea
Benedictum Palmium Prouincialem, eumdem-
que tantum diuini verbi præconem; ab ea pri-
mitias suorum Martyrum Antonium Crimina-
lem accepisset. His verbis Dux magnopere de-
lectatus, tanto ardore suscepit peregitq; Colle-
gij rem, vt postea inter Patres, vbi frigidiùs eius-
modi negotia tractarentur, velut prouerbium
increbuerit, Parmensis Ducis pectore opus esse.
Sexto Nonas Octobris missi Roma Collegę sunt
omnes vnà cum ingenti manu, quæ alias in oras
dimittebatur, Pontifici pedes exosculati. Ad vi-
ctum parandamque domum necessaria Dux cu-
rauit. Erat Parmæ Sodalitas à Patribus olim Fa-
bro & Lainio instituta, quæ memoris animi ergò
Fratres Societatis Iesu assumpserat nomẽ. Huius
erat oratorium sancti Rochi: quod cùm dice-
rent Sodales propè de industria se Societati præ-
parasse, atque ex illo ipso, quod sibi optarant
nomine, ominatos iuris tandem eius fore, perli-
benter Ducis postulatu cessere. Ioannes Gurrea
primus id Collegium rexit, qui optimum docu-
mentum præbuit, abstinentia, & instituti obser-
uatio quàm quæstuosa sit. Pecuniam enim haud
magnam dum bono ad Christi gloriam nomine
posteriorem ducit, Collegium ab Duce repen-
sum, & Dux ipse (quod nihilo minoris intererat,
nec paulò maioris operis erat) ab opinione falsa
deductus ac reconciliatus est.

Porro cùm multa hoc anno præclara examina
Roma prodierint ad varias Italiæ plagas, in Gal-
liam, in Germaniam, in Indiam, felicissimũ fuit
quod in beatam (vt spes est) cæli sedem migrauit.
Decem quippe viuendi vitam mortalem fece- 63
runt finem. In his fuit adolescens Gallus egregiæ *Mors Ionæ Galli,*
bonitatis & patientiæ, qui cùm Ionas vocaretur,
eoque die, quo Ionæ Prophetæ consignata in sa-
cris fastis memoria est, incidisset in morbum, eo-
dam prorsus die anno circumacto decessit: & Ca- *& Camilli Vannutij,*
millus Vannutius ascetes idem & ecclesiastes
bonus, qui cùm sementem verbi diuini strenuè
multis in vrbibus, proximeque in sancti Petri ba-
silica fecisset, in cælum abijt messem facturus.
Sed nullus desiderium sui maius, quàm Leonet- 64
tus Gagliardus ex tribus germanis natu medius, *Leonetti Gagliardi.*
reliquit. Erat in eo adolescente incredibilis ani-
marũ sitis: erat mira erga suum Ordinẽ pietas: ea
verò morum iudicijque præstantia & maturi-
tas, vt iam tum vel cunctæ regendæ Societati viri
graues idoneum iudicarent: cælestium medita-
tio rerum adeò continens, vt valetudini eius nõ
parum offeciisse creditum sit. Duobus annis in
Collegio Montis Regalis Latinas Græcasque lit-
teras cum rara professus laude, Romamq; inde
reuersus Theologiæ studijs nondum plenè ab-
solutis, necdum sacerdos, sed Diaconus tantum
produci ad populũ exhortator cœperat Profes-
sorum in templo, ingentiq; plausu audiebatur,
cùm exemptus mortalitate est. Quamdiu ægro-
tauit, hilaris semper, nutibusque Moderatorum
obtem-

Digitized by Google

obtemperantissimus, nulla alia ex re, quàm ex sermonibus rerum diuinarum solatium capiens; Dei bonitatem & clementiam semper loquens, corporis dolores calicem suauissimũ appellans, solatio consolantibus erat. Aderant tum Romæ fratres eius Achilles & Ludouicus, vnaq; Franciscus Zabarella ex matre germanus, qui duobus antè annis tres secutus Societati adiunxerat sese. Rarum spectaculum erat dolore mistum & gaudio, & commiseratione iucundissima plenum, contemplari quàm ille hos lætus relinqueret, quàm hi constantes dimitterent illum. Cùm sacro inungeretur oleo Achillẽ in corona circumfusa videns, Bono, inquit, Pater (erat enim iam Achilles sacerdos) bono esto animo: Christus Dominus valdè amat me. age meo nomine illi grates. Id ipsum à Ludouico quasi gestiens ea nocte, quæ fuit suprema, sæpè postulauit, vt sibi ad agẽdas pro tanto beneficio gratias adiutor esset, quòd tam maturè solueretur vinculis corporis, & spiritum vltimum in gremio sanctæ Religionis efflaret. Animaduerterunt fratrum eius constantiam extrarij quoque non in funere solùm, sed etiam in consuetis litterarum exercitationibus. Quippe hora fermè post obitum fratris Ludouicus ad audiendum, Achilles ad docendũ Philosophiam discesserе, perinde ac si nihil noui euenisset. Hæc antiquitas inter constantiæ Philosophicę miracula celebraret, quę in Christiana Philosophia sic vsitata ac propè obsoleta sunt, vt vix notẽtur. His alijsque ex Vrbe redditis cælo, Ricciardus Ceruinus Marcelli Secundi Pontificis ex fratre nepos, cùm Laureti rationes officij explicaret, omnibus supra modũ acceptus inde viam ad immortalitatem iniuit, proximè eam domum relictis mortalitatis exuuijs, in qua Deus nostra causa suscepit. Exemplo innocentiæ singularis, sanctissimęque consuetudinis, columen habebatur eius Collegij; tamen cùm præter opinionem ereptus esset, obseruarunt Patres præ certa spe eius beatitudinis, ad quam recta eum subuolasse quisque sibi persuadebat, miram in omnibus animi quietẽ, ac potiùs iucundum quemdam sensum, quàm mœrorem extitisse. Magnæ spes eius obitu, quemadmodum & Leonetti Gagliardi ignaris futuri mortalibus interruptæ. Sed Deus quid præstet intuetur, non conijcit. Maceratense quoque Collegium ad societatem cælestem submittere emeritos cœpit. Angelus Douitius primus eius Collegij Rector secuturis præiuit. Angelus prorsus & morum innocentia, & caritate in Deum atque homines, ac demũ contemplatione diuinarũ rerum, & conuersatione in cælo. Meditationi Domini excessus maximè erat deditus; vnde sic incendebatur diuino igne, vt linqui interdum sensibus videretur. Aqua intercute Iulio mense sublatus est.

65 *Ricciardi Ceruini,*

66 *Angeli Douitij.*

Glorioſior Petri Venusti Bibonensis Rectoris exitus in Sicilia fuit: cui non inter hæreticorũ furores aut Ethnicorũ, sed inter Catholicos pioſque populos, martyrij (vt omnes crediderunt) palma obuenit. Nec vulgarium quisquam è numero, sed è Clero sacerdos, cui nomen Rogerius Valentius sacrilegi auctor facinoris, tamque insperatæ seges gloriæ fuit. Hunc à Patre Venusto oblatũ inter familiares Dux Bibonensis cùm accepisset, vt sibi esset à sacris, haud multò pòst vitijs eius, aleæ præsertim intemperantia, offensus domo emisit. Eiectus & inops presbyter ad P. Venustum confugit; nouamque spondens vitam assiduè fatigat, iterum se Duci commendet: id sibi vnicè saluti fore, quippe cùm inde emẽdationis non stimulus modò, sed necessitas ventura sit. Pater, qui ex suis moribus alios æstimabat, & nunquam de quoquam benemerẽdo satiabatur, rursus commendat hominem Duci; nec ille cunctanter recipit. Sed nimirum rarò bona fide vitium mansuescit, quod humanarũ rerum respectus, non timor Dei curat. Breui reuertitur ad ingenium aleator, ac rursus expellitur. Nec Pater Venustus idcirco eius animæ curationẽ abiecit; sed hortari, monere, obsecrare, vt vitia, quæ non Deo solùm, sed hominibus quoq; exosum ipsum facerent, tandem eijcere, ad frugem se recipere, ac mores sacerdote Christiano dignos suscipere animum induceret. Interim Duci venit in mentem curare, vt homo daretur in vincula, vt vel pœna corrigeret, vel certè multitudinis è conspectu sublatus desineret publicè offensioni esse. Id subodoratus miser, auctorem eius consilij P. Rectorem sibi persuadet: nec vltrà quidquam explorans tollere eum de medio statuit. Decimo quarto Kalend. Nouembres ad Collegij vineam haud procul Bibona Pater inspiciendam egreditur. Id cùm obseruasset Rogerius, ad locum, qui vocatur Pons magnus, viam insedit cum ferro. Duabus circiter ante tenebras horis Pater humili iumento insidens, lento gradu, & psalmos fortè recitans, reuehebatur. Ad locum, quem dixi, in Rogerium incidit, & perbenignè salutat. At enim cùm nescio quid turbidè perfidus respondisset, vti ex ipso rescitum est postea, vix præteruectum à tergo adoritur, tribusque vulneribus altè scisso capite dat sese in fugam. Corruit præceps in terram Dei famulus perexiguum retinens spiritum, quantum ad sanctissimum Iesu nomen inuocandum sat esset. Nec multò pòst quidam Bibonensium in eum humi iacentem, suoque natantem in sanguine incidunt. Qui, vt P. Venustum agnouere, attoniti insistunt interrogare, nosset ne facinoris auctorem; qui cùm respondisset se nosse, nunquam tamen exprimere potuerunt, quis esset, cùm aliud nihil responderet, quàm, Sinite illum: Deus ei ignoscat. Iterumque atque iterum Iesu nomen suauissimè proferens expirauit. Sed quamuis non prodiderit Pater, continuò tamen vulgatum est interfectoris sacrilegi nomen. Extemplò oppidum indignissimæ talis viri necis fama implet. Cohorrescere primò omnes, tum ad corpus accurrere. Hîc verò in gemitus ac lacrymas solui. Erat enim tot annorum vsu in magna apud omnes veneratione. Miserorum solatium, pauperum subsidium, perditorum remedium, magister, tutor, pater dulcissimus omnium habebatur. Accurrunt etiam è Collegio Socij, qui vbi venerandum Patris optimi corpus adeò miserandum in modum prouolutum humi, cruoreque perfusum, & altissima capiti vsque ad cerebrum impressa vulnera inspiciunt; cohibere nequaquam potuerunt pia pectora, quin dolore & commiseratione commouerentur. Delatum

67 *Petri Venusti martyrium.*

68

69 *Laudes Venusti.*

Digitized by Google

corpus in Collegij templum, ægrè post multam noctem è turbæ venerantis manibus ereptũ piè curarunt. Postero die Proepiscopi iussu in templo principe ab omnibus Religiosis, vniuersoq; Clero, ordinum omnium concursu maximo, & incredibilibus lacrymis, cùm omnia oppidi totius æra campana lugubri personarẽt tinnitu, exequię celebratæ sunt. Quanquam multi negabant peragendum mœsta cerimonia funus, sed potiùs cum gratulatione persoluendos honores. Consentiens vox totius populi erat, & propter iustitię zelum extinctum, & Martyrem haud dubiè esse, & alij causam necis cum S. Domini Præcursore Ioanne Baptista, alij cum S. Petro Martyre Dominicanorum ex Ordine comparabant, nec deerant, qui palmam ei in manibus collocarẽt. Volebant Principes in eodem templo sublimi loco recondi: sed Patres haud passi tale pignus eripi sibi, in templo Collegij ligneo inclusum loculo condidere. In extrema Italiæ ora Grisonum ditioni subiecta ortus, Societatem anno M.D.XLVI.
70 ingressus est: postque aliquantũ operæ in studijs Patauij positũ, in Siciliã anno M.D.XLIX. missus Panormi docendis infimę classis pueris aliquamdiu est versatus, magna semper domi foriscq; documenta edens perfectæ virtutis. Tum factus sacerdos, maioremq; ad res gerendas quàm initio præferret, indolẽ prestans, Nouitijs præfuit instituendis; ac monasterio quoque virginũ Rollionensi, quod ex vetere non satis bene audiẽte Ioannes Vega de integro nouum formari Panormi iussit, instituendo primus delectus tanta efficacia & pietate rem administrauit, vt ex egregijs illis initijs excellens deinde sanctitatis eius monasterij fama emanarit. Missus inde Bibonam annos paulò minùs octo Collegium sanctè accurateque rexit, interim in principe templo per ferias penè omnes ad concionem dicens, & octauo quoque die tum domesticos ad Religiosam perfectionem, tum gymnasij pubem ad Christianam vitam instituens. Vinctis in carcere, ægris siue publico in valetudinario, siue priuatis in tectis, inopia pressis, omni denique calamitosorum generi præstò erat. Amoliebatur flagitiorum & facinorum causas: lites ac dissidia componebat: haud Clero minùs, & hominibus Religiosis, quàm populo salutaris erat. Ducum quoque confessionibus præerat: apud quos cùm auctoritate plurimùm valeret, gratiam omnem in pietatis incrementa & commoditates populi
71 conuertebat. Porro domesticis non potestate magis, quàm exemplo præibat: nec de alieno magis, quàm de suo erat profectu solicitus. Feria tertia proximæ Pentecostes inter votorum trium Professos adscriptus, vir humilis indignum se illo gradu cùm duceret, interpretabatur id factum, vt Moderatores prò sua incredibili cura erga subiectos, omnia experirentur si qua possent via torporem suum excutere. Itaque iam nullum omnino sibi nisi seriò profeciisset, excusationi locum relictum. Feria quinta maioris hebdomadæ inter alia pietatis munera etiam Christi Domini exemplo Socijs lauarat pedes; vt quo opere tum Dominus, quo postea B. Laurentius sese ad martyrium præpararant, eo videretur ipse ad certamẽ idem non sentiens præmuniri. Nam tantum ille decoris (quanquã minimè opinor eo loci, nisi fortasse diuina præsensione sperabat) mẽte versabat tamẽ, & habebat in votis. Ac pridie quã cæderetur, quo die S. Lucæ colebatur memoria, Socios domi dum cohortatur, sermonem super ijs Domini verbis instituerat, *Ecce ego mitto vos, sicut oues in medio luporum*: pauciscque antè diebus cùm Socios eosdem interrogaret, quodnam maximè necis genus, si Deo placeret dignari martyrio, præoptarẽt, alijs alia prę-
ferentibus, ipse ad id potissimũ affici se dicebat, vt capite imminueretur; quòd hoc genus necis præstantissimi principes S. Ioan. Baptista, & Paulus insigne feciissent. Quæ ostendunt cùm cætera vitæ ratione, tum etiam assidua martyrij cogitatione à Deo fuisse ad eiusmodi gloriam præparatum: neque omnino voti fuisse expertem, cui si non recisum, certè scissum est caput. Metuerant 72
Bibonenses, ne Patres ob adeò tetrum facinus indignati oppidum deserendum putarent, ex communi eos hominũ imbecillitate metientes. Cæterùm deuotis pietati pectoribus non ita parum aut sapientiæ inest aut roboris, vt priuatum crimen Communi imputent, vel longè non malint vincere in bono, quàm vinci à malo: cùm, vt sanctus Paulinus eleganter pronunciat, Vicem iniuriæ reddere humana vltio sit: at inimicum etiam diligere vindicta cælestis. Qua sanè vindicta nihil fingi pulchrius, nihil rapacius cordiũ humanorũ potest. Itaque Bibonenses vbi veros Christi asseclas conspexere caritate pristina comitateq;, atque adeò intentiore ac suauiore ijsdẽ ac priùs pro cõmuni bono fungi muneribus; & simul illud allaborare, vt quàm fieri posset leniissimè cum reo ageretur; vehemẽter admirati, & arctiùs Societati obstricti sunt. Omnes præcipuè cõmouit Petri Belueri, qui Calatabellottæ præerat, pia solicitudo: qui statim vt rem cognouit, pedibus aliquot milliaria cucurrit ad Ducẽ Bibonensẽ, rogaturus nequid grauius, vnde ad quempiam innoxium vexatio pertineret, decerneretur. & vtilis prouisio atq; celeritas fuit. Incredibili enim dolore cùm Ducem, tum coniugem, quam post Isabellã Vegã duxerat, vt summa veneratione P. Venustum colebant, atrocitas casus perculerat. Prorex quoque vehementissimè cõmotus est, & tota Sicilia per prẽconem proposito quingentorũ aureorum præmio indici, & occultanti omniũ fortunarum damno, parricidam insectatus est. Aiebat enim, Si nos tacuerimus, sanguis Iusti huius, vt Abelis clamabit. Et quanquã Ribadeneira statim excepit, Abelis sanguinẽ iustitiã, Christi verò sanguinẽ misericordiam implorare; tamen ad Pontificem scripsit insigne aliquod ad hominum impios comprimendos furores statuendum exemplum. Cæterùm quanquam Venusto amisso, subsidium erat ingens subtractum, tamen animaduersum est posterioribus annis minore labore vberiorem animarum è Bibonensi vinea prouentum extitisse: & in P. Venusti è cælo benignè respicientis opem fertilitas insolita referebatur.

Epist. 3. ad Sen.

Hinc iam festinanti trans Alpes è multiplici 73
rerum copia, quæ tacita breuitati donatur, quod sub ipsis montibus Ioan. Baptista Velatus Collegij Montis Regalis Rector gessit, delibandũ offertur. Sub anni principium Ludimagister hæreticus,

Insignis hæretici conuersio.

Digitized by Google

ticus,qui Benij (id oppidum & præsidiũ est Ducis Sabaudi) magna cum auctoritate amplius viginti annos errores litterasq; docuerat, vnà cum vxore in Montẽm Regalem eam ob rem, quòd hæresim latè spargebat,perductus est vinctus.Sacrorum pro Episcopo curator(Suffraganeum vocant)omnium Religiosorum capita conuocauit, vt eius quæstioni interessent. Hæreticus inueterata audacia non confidenter modò, sed etiam ferociter in medium blasphemias suas euomuit, addens se consignaturũ sanguine, quod dixisset. Velatus,cùm cæteri tacerent, ne tam secura pertinacia in perniciem cuiuspiam Catholicorũ verteret,locũ existimauit hominis castigandi: quod ita præstitit non verborũ contumelia & probris, sed rationum acrimonia & aculeis, vt ille quanquam satis perfricta fronte, tamen paulatim pudoris molem haud ferens, os primùm opposita manu texerit,dein proclamarit sibi afferri vim,& 74 Dialecticorum præstigijs fucum fieri. Tum Velatus placidè, & ex caritate Christi nequaquã eius sibi infamiam cordi esse, sed animam;& miserari adeò manifesto errore deceptum, vt si attendere animum velit, & verè verum cognoscere, planè ipsemet perspecturus sit, quantum adhuc à recta via deflexerit.Hæreticus priuatim se aures præbiturum ita spondet, si vicissim Pater eius rationes patienter audiat; atque ingenuè, si veras deprehenderit,probet. Inde priuatim cum conueniens Velatus paulatim aspirante Deo sic reuicit permouitque, vt in Ecclesia principe,in frequentissimo populi conuentu errores recantarit. Opportunè mox cecidit, vt idem Velatus Benium per Quadragesimam cõcionaturus se ferret,quò litterator post errorũ publicam detestationẽ redierat. Nemo ferè oppidanorũ erat, qui bona fide damnatã ab eo, quam tamdiu tantoq; opere fouisset doctrinam crederet, sed temporaria simulatione redimere pœnã voluisse. Ergo cùm multi eo in oppido essent ab ipso inducti, Velatus pro concione hæreses omnes,ac præcipuè capita, quę tum dominabãtur,grauiter execratus,ipsum Ludimagistrũ nominatim compellandum ratus interrogat, num ipse quoq; damnanda ea comperisset, vereque damnaret. Cumq; ille confestim è medio surgens auditorio, damnanda omnino affirmaret,magnus in vniuersa multitudine extitit motus.Hæreticorum multi conuersi: nonnulli,quorum peruicacior improbitas, frendentes è concione subitò elapsi. Velatus alacrior factus successu,frequenter deinceps inter Euangelij explicationem errorum aliquem confutandum assumpsit,tam prospero euentu, vt demum nullus cuncto in populo reliquus fuerit,qui non ab nouercali meretricis Babyloniæ sinu ad maternum se Romanæ Ecclesiæ gremium receperit.

75 *Aquitania, & Francia constituta prouincia.* In Gallia è simplici duplex constituta prouincia est. Aquitania, & Francia nominatæ. Aquitaniæ Tolosanum, Rhutenense, Turnonense,quæque Lugduni, Auenione & Camberij inchoabãtur Collegia attributa, & Prouincialis sub autũnum post editam quatuor votorum solennem professionẽ præpositus est Edmundus Augerius. Francia complexa est Parisiense, Billomæum,& Mauriacense, quodque Virduni instituebatur, & Oliuerio vnà cum potestate Commissarij in omnem Galliam,reseruata huius quoque prouinciæ administratio est. Exitu anni superioris recipere se quamprimùm Oliuerius Parisios cogitabat,vt initijs publicè docendi interesset. Verùm mors Patris Ioan. Pelletarij Tolosam coẽgit priùs 76 ire, fundamẽta Tolosani Rhutenensisque Collegij ne simul ruerent, prouisurum. Vltra fidem Tolosates Pelletarij mors perculit. Veluti communem omniũ parentem luxerunt, magnificisq; exequijs decorarunt. Erat in eo ardens religionis zelus, animus imperterritus & constans. Cumque in ea incidisset tempora, quibus hæreticorũ exultabat furor, non audentibus alijs causam religionis tueri liberè, nullas ipse minas, nihil vnquam discriminis formidauit. Quæ constantia cum egregio animi candore iuncta,cùm grata esset,& animos adderet bonis, angebat acriter aduersarios. Itaque & traditũ in carcerem suprà demonstraui,& veneno appetitum. Quin adeò suspicio fuit, qua cõsumptus est, tabem veneno inductam. Alij zelo religionis, & assiduis pro ea propugnanda laboribus adscripsere languoris causam, vt posset cum regio Vate dicere, *Tabescere me fecit zelus meus.* Decessit anni huius initio ea de se apud ciues opinione relicta, vt non facilè crederent in Societate esse parem, qui substitui posset. Eaque causa fuit cur Oliuerius maturandum sibi Tolosam putaret. Pertenue reperit Col- 77 legij initium. Habitationẽ in deserto olim monasterio perangustam,locoq; non salubri; auctoritatem in docentibus minimè magnã. Quare continuò operam dedit tum apud Præpositũ Generalem,vt experientẽ virum,cui ad cœpta promouẽda facultas ac robur ineset,eò destinaret; tum apud ciuitatem, vt opportunũ domicilium,& ad Collegas alẽdos subsidia attribuerẽt. Edmundũ Oliuerius ac Tolosates summè optabãt; nec abnuit initio Lainius.Sed cũ Lugdunenses,vbi rem odorati sunt,studio incredibili ab Magistratibus separatim, & ab omnibus ordinibus, ab Canonicis,ab primarijs quibusque viris adeò grauiter scriptis litteris,quasi eo abeunte collapsura penitus religio foret,obsisterent, & necessarium eum contra Vireti fallacias & auctoritatẽ contenderent, & pariter cum eo Catholici demigraturos sese profiterentur; Annibal Codrettus, qui Collegium Turnonense curabat, interim missus est. Nec à ciuitate quidquam in præsentia Oliuerius impetrauit. Quarę quàm cõmodissimè per operariorum & subsidiorũ penuriam licuit, Tolosæ ac Rhutenis, vbi Ioan. Rogerius præerat, compositis rebus,in Aruernos retendit.

Tolosani Collegij status.

Parisijs hoc tempore diligenter Pontius quid- 78 quid ad pium cautumque docendi exordium opus foret, prouidit. In primis litteras à Rege, Regina, & Cardinali Lotharingo impetrauit, ne quis negotium facesseret. Senatorij ordinis Præsidem primarium conuenit, animum Academiæ Rectoris pertentauit: vnum è regijs Aduocatis Societatis perstudiosum consuluit, quid fieri oporteret, si quis fortè sub ipsa initia contrà veniret. Multò autem studiosiùs cùm ipse, tum cæteri fausto exordio ab diuino Numine impetrando, precibus, sacrificijs, pœnis multiplicibus vltrò quæsitis institere. Eam etiam ob rem vniuersi ad diui Dionysij Areopagitæ quarto

Prima Societatis schola Parisijs.

Digitized by Google

ab Lutetia lapide oratum profecti: vt inclytus ille Martyr, & Galliarum Apostolus patrocinio suo felix auspiciũ faceret. His demum cum Deo, cumque hominibus sedulò procuratis, admonitisq; Præceptoribus, vt Religiosæ modestiæ memores cauerẽt, ne cui materiam vllam offensionis aut querelarum præberent; octauo Kal. Martias, proposito de more celebribus locis librorũ explicandorum indice, duo viri insignes magno auditorum concursu, Ioan. Maldonatus, & Michaël Vanegas publicè Humanitatẽ ac Philosophiam profiteri exorsi. Vanegas ob argumẽti iucunditatẽ Alciati Emblemata, Maldonatus Aristotelem è Græco interpretanda suscepere: breuique ambo omnium propè ad se oculos varietate excellentiaq; doctrinę, Latinæ elegantia linguę, ac singulari via docendi conuerterũt: adeò vt Vanegas haud multò minùs trecentis, Maldonatus plus trecentos ordinarios haberent auditores.

79 Præcipui quique, maximeq; Catholici Collegio impensè fauebant. Supremus id Senatus cæteris adnumerauit Collegijs: Rex immune ab pendẽdis vectigalibus fecit: parte quoque earum pecuniarum, quas in militũ stipendia, qui propter turbulenta tempora in præsidio vrbis tum habebantur, vnaquæq; domus & Collegia conferebant, leuauit. Studia pietatis neutiquam pari plausu tractabantur, quòd necdum templum habebãt, nec qui Gallicè ex suggestu ad populũ agere pro celebritate vrbis ac nobilitate posset. Tamẽ duobus in sacellis, altero domi, altero in S. Germani, quo ex Cardinalis Borbonij liberalitate vtebantur, non paucis diuina mysteria impertiebãt; Italis præcipuè & Hispanis, qui cum legatis erant. Sub id tempus Annibal Codrettus, quem deinde missum Tolosam dixi, Turnonij Collegij Rector, Valentiæ concionatus secundissimo euentu. Numerus eorum, qui nutantes in orthodoxa fide confirmati sunt, sanè ingens: nec vllus fuit dies, quo non eximlapsis multi erigerentur.

80 Lugdunum Idibus Iunij Rex Carolus ad res
Caroli Regis benignitas. eius vrbis statuendas venit: vbi salutatus ab Edmundo non dubitauit Christianissimus Rex, de susceptis pro religione laboribus agens gratias, & ad nouos incitans, Patris ruere in amplexum. Nec solùm publico regni, sed etiam propriè Societatis bono consulturũ se perbenignè recepit: quod ipsum etiã Regina Mater præstiterat. Multa ambo cùm institutis optimis, tum vitę suæ forma religiosissimis digna Principibus edebant ac moliebantur, cùm pestifera suborta lues maturare discessum coëgit. Suspicio fuit, & frequens rumor id malum ab hæreticis, qui ferre non poterant totam eam ciuitatẽ adeò feliciter ab erroribus perpurgari, sanitatiq; restitui, veneficijs vel inuectũ vel propagatũ. Sanè strages edita dira & immanis est; vt quosdã cùm colloquerẽtur peste repentè ictos, & concidisse extinctos ferant. Nequaquam tamen vt volebant hæretici, euenit. Quippe animaduersum est in ipsos potissimùm hæreticos incubuisse, ac debacchatam luem: quâ fortasse operâ triticum eradicare ipsi tentauerãt, Deo zizania ad comburendũ in fasciculos colligente. In ea calamitate Edmũdi virtus supra modum enituit. Sustinere vnus omnia putabatur,

81 non diuina modò ægris, sed humana quoque auxilia ex piorũ liberalitate subministrans; idem confirmans consolansq; incolumes; idem ægros docens & expians; mortuorũ demum consulens sepulturę, cum incredibili approbatione Catholicorum & admiratione, Edmũdum passim suarum animarum parentem, conseruatorem fidei, salutis restitutorem, millies bene precando, prædicantium. Vsque ad Regis discessum egregium se Edmundo adiutorem Posseuinus præbuerat. Is, cùm apud Italos verba faceret, qui plerique omnes mercatores erant, animaduertit haud ita salutem eorum ab hæresi, ab qua innato quodam odio refugiebant, vt ab negotiorũ iniquitate periclitari. Itaque huc potissimũ dirigenda sibi tela ratus, ne iacularetur in irritum, simulq; eam vmbram quę solet interdum obtendi, Theologos ea non intelligere, vt remoueret; primùm omnium totã negotiandi rationẽ, formulas contractuum, conditiones cuiusque, voces quoque vsitatas, & quæcunq; ad eam rem pertinent, non modò diutina cura Doctorum è monumentis, sed etiam ex ipsis mercatorũ peritissimis, tabulis quoque eorum dari & accepti diligenter inspectis, perquisiuit & didicit. Tum ita & doctrina instructus & auctoritate octoginta concionibus ad fœnus, & permutationes fœnebres nominatim, quas depositi nomine exercebant, extirpanda incubuit. Multùm in præsens promouit, egregiè cùm alijs iuuantibus, tum Rinuccino Florentinæ nationis Consule, atque Laurẽtio Capponio nobili vtroque ac locuplete homine, & acri iudicio; quique penitus in animũ demisisset, Nihil prodesse homini si vniuersum mundũ lucretur, animæ verò suæ detrimentũ patiatur. Nec postea Posseuinus quieuit, quoad Pontifex Pius V. proprio diplomate, quod Bullam depositi vocant, negotiationem eam damnauit ac sustulit. His Posseuinus curis perpetuã illam interserebat suam siue scriptitandi salubres libellos, siue ab alijs editos longe lateque disseminandi. Egerat cum bibliopolis, vt magnam vim eorum in nundinas, quæ quater in anno Lugduni fiunt, promptam haberent. Tum mercatores aduenas, vbi ad concionẽ venerant, hortabatur his verbis: Cupere mihi videmini cognoscere quemadmodum hæc, quæ ex diuinis Litteris verbo audistis, possitis domũ ad propinquos affinesque & amicos vestros deferre. Dei misericordia huic etiam vestro studio obsecundauit. Egressis è templo pueri bibliopolarum cum libellis tum de hoc argumento, tum de pijs alijs, & quidẽ bene compactis occurrent. Ne parcite paucis assibus: emite, legite, ad vestros afferte. Nullas pretiosiores è nundinis reportabitis merces. Dum adeò multa in corporum paratis vtilitates, id exiguum comparate animis. Credite: non id impendium erit, sed pignus diuinum in tutelam mercium cæterarũ, & lucrum animæ, quod humana etiam negotia quæstuosiora faciat. Quibus vocibus excitata auiditate, tum opportunitate illiciente, numerus sanè ingens diffundebatur librorum, fauente etiam Deo, vti existimatum est, mirabiliter. Namque in suburbio apud Rhodanum cùm fortè ignis in mulionum illapsus stabulum cæteras absumpsisset merces, sarcina, in quam erant fasciculi aliquot eorum libellorum impositi, medias

Augerij labores pestilentia tempore.

82 *Posseuinus iniquas negotiationes tollit.*

83 *Disseminat salubres libellos.*

inter

Digitized by Google

inter flãmas prorsus intacta cum libellis permansit. Interim cùm iam Rex Lugdunũ venisset, mitiore etiam num pestilentia, Petrus Viretus idem
84 S. Francisci castrorum & Christi desertor, vt copiam hancisceretur teterrimo suo halitu quem-
Hæreticorũ summa impietas. piam Catholicorum afflandi, spe suæ ad Catholicos reuersionis Regem, Reginam, & Pontificiũ Nuncium lactans, eidẽ Nuncio (Prosper Sanctacrucius erat, qui deinde in Collegium Cardinaliũ cooptatus est) clàm indicat cupere se cum aliquo è Pontificijs de dogmatibus, quæ agitabantur, colloqui. Posseuino Nuncius congressum defert. Posseuinus eò potiùs, ne vulgaretur fama detrectasse Catholicos pugnam, quàm spe proficiendi, obtemperaturũ se, & subesse haud dubiè dolum præfatus, manum conseruit. Viretus, qui primò pro colloquij regula, & norma veritatis consenserat in verbum Dei, quatuor prima Concilia, & veteres Patres; vbi testimonijs eorum (volumina ipsa proferebãtur) premi est cœptus, primò distorqueri, mox eludere, tum vbi exitum alium non inuenit, abrogare ijsdem fidem, quos ipsemet probarat. Intererat disputationi Aquensis olim Archiepiscopus, iam Hugonottus teterrimus, habitu militari, ferro succinctus: nam ferro & sanguinaria immanitate caluinismum protrudebat. Is vbi Viretum hærentem, & præsenio
85 etiam titubantem vidit, certamen excepit. Explicante autem Posseuino pulcherrimam aciem testium in omnes sæculorum deinceps ætates distinctam, ac deinde adhortante, vt maiores suos respicere Galli vellent, eamque tenere religionẽ, quam sanctissimi doctissimique eius regni seuissent, aluissent, posterisque tradidissent viri; cùm enumerando ad S. Bernardum descendisset, perfuga Archiepiscopus interpellans, Ne sexcenti quidem sunt anni, inquit, cùm iste viuebat. Cui Antonius, Obsecro, mi Domine, Caluinus, quò vos nitimini, quamdiu natus est? Qua voce nimirum vera & ineuitabili sicarius Hugonottus acriùs opinione perculsus, admota manu telo, nos ne tu irrides? inquit. Inde frendens in maledicta & minas excedit, vt Sanctacrucio interposita sua auctoritate fuerit contẽtio dirimenda haud alio exitu, quàm quem Posseuinus prædixerat. Qui mox seuocatum amicè Viretum ita compellat, Quousque tandem Virete procrastinas? En, Deo iuuante, in manu tua positum est, vt senectam istam nobili ad S. Ecclesiam receptu condecores, & salutem tibi parias æternam. Age, aude, potes vnica hora è suggestu, quę intulisti sarcire damna. Tum ille, vt baculo nitebatur, modicè erectus, stolideq; subridens displodit contemptim digitos, Et perinde est, mi Domine, inquit. Ad quam vocem Posseuinus, intelligens Hugonottũ ne, an Catholicum esse apud delirum senem perinde esse, planè cohorruit; quemque hæreticũ modò crediderat, atheum compertum, quasi insanabi-
86 lem miseratus destituit. Eodem hoc tempore & Gallicè concionari Posseuinus cœpit, mira quadam nescio vnde iniecta cupidine. Nam linguæ eius facultatem atque præstantiam haud dum assecutus, cùm velut difficilem, nimisq; contrahentem voces amare non posset, quiescenti visus homo est caput manibus apprehensum in alteram partem vertere: moxque experrecto impatiens subijt cupido perdiscendæ linguæ, & Gallicè cum populo agendi. Ergo cùm iam esset à catechesi tradenda exorsus, breui leuique negotio ita profecit, vt nobilissimis postea in vrbibus ad concionem commodè egerit.

Interim cùm acerbissimè sequente lue Lugduno Itali diffluxissent, Auenionẽ ad Collegij ibi exorientis fouenda cunabula descendit. Est Auenio Comitatus Venassini vrbs primaria in ditione Romani Pontificis. Ea cum reliquo Comitatu inter tumultus Hugonottorũ graue discrimẽ adibat cùm religionis, tum libertatis. Quã ob rem ad pellendam vim hostium Pontifex patruelem suum Fabritium Serbellonium cum exercitu miserat. Quo verò munitior aduersus hæreticorum impietatẽ esset, Alexander Farnesius, qui eam legationem obtinebat, Collegium ex hac cohorte valiturũ existimauit; præsertim cùm iam ciuium studia Ludouicus Codrettus quadragenarijs cõcionibus mirum in modum excitasset. Itaque auctoritate Cardinalis ad opus inchoandũ aliquantum annui census ex Legationis & Archiepiscopatus vectigalibus destinat. Tum Ludouicus & Socij quatuor adiuncti, primũ in ædibus Archiepiscopi, dein in parte cõducta domus, quæ Mottæ vocabatur, tenuia, vt plerumq; vsu venit, initia Collegij posuere. Dum ciuitati verbo diuino & Sacramẽtis plurimùm commodant, multa ab rerum inopia, alijsque asperitatibus fortiter passi. Scholæ hoc anno tum propter pestilentiam, tum quia sustinendis, quos vsus gymnasij postulabat, necessaria deerant, nequiuere induci. Interim & Camberiense Collegium oritur. Quo tempore Carolus Rex Auenione fuit, fortè etiam Emmanuel Philibertus adfuit: qui memor rerũ olim cũ Posseuino gestarũ de Collegijs Societati duobus fundãdis, eiusq; successu, quod iam in Monte suo Regali condiderat, excitatus, v. Nonas Octobris diploma ibidem Auenione edidit, quo parem ac in Monte Regali decrerat, decernebat stipem ex ærario suo ad Collegiũ Camberij, quæ princeps in Sabaudia eius ditionis est ciuitas, ordiendum. Eo cum diplomate, & alijs ad ciuitatem litteris Ducis rem vehementer commẽdantis profectus Camberium Ludouicus Codrettus summa cum voluntate accipitur, & concilio publico (nemine discrepante) Collegiũ approbatur. Nec vltrà res sub Lainio progressa. Billomæi Collegij templo vere huius anni dedicato, corpus in illud Guilielmi fundatoris honorificè delatum est. Interfuit Oliuerius ab Tolosa reuersus, qui in exequijs verba fecit. Habita Latina quoque, & Hebraica, & Græca laudatio: atque insuper drama, in quo patroni sui mortem poëtico artificio Aruernæ Musæ lamentabãtur. Fuit tota celebritas siue ad Præceptorum doctrinam, siue ad gratum Societatis animum declarandum insignis; nec tamen superata sunt merita Collegiorum trium conditoris, & ignotæ dum Societatis in summa temporum difficultate tam amantis, tamque constantis patroni. Inde Oliuerius Lutetiam Iunij Kalendis ingreditur, motis ab Academia controuersijs occursurus; quæ vsque ad autumnum crebras inter dimicatiunculas tractæ tum demum foras tota velut acie prodierũt. Non longè post publicatas scholas dum causas inuidiæ clàm

87 *Auenionẽse Collegium inchoatur.*

88 *& Camberiense.*

89 *Parisiense Collegium vexatur.*

Digitized by Google

palàm religionis vel deprauatæ, vel nullius mortales ferunt fouentque, cœperunt Academiæ ordines ægrè ferre felicem noui gymnasij progressum. Additis autem ad Maldonatum & Vanegam Magistris duobus, quorum alter Porphyrianam Isagogen, alter Græcas litteras, & Orationes Tullij egregia facultate explicabat; cùm auditores amplius mille iam Collegium, ijque adulti omnes, ingenioq; præstantes frequentarent; omnem vim curamque admouendam putarunt, exoriens vt ille (quemadmodum inuidiosè appellabant) opprimeretur ignis. Dederunt in primis operam, vt Sorbonæ Prior, qualem ipsi optabant, præficeretur. Is ad Rectorem Academiæ, & designatos quosdam iussit Oliuerium adesse, quaque potestate Societas publicè doceret profiteri. Oliuerius addiem dictam adfuit, protulitque quod quærebatur. Sed ita Collegia cætera, ita sacri viri è Clero pariter ac cœnobijs cõspirarant, vt nihilominus Academiæ Rector interdixerit, ne vltrà docerent. Verùm non adeò academici aduersabantur, vt Senatus regius, & primi quique fauebant. Quam ob rem Senatum Oliuerius per supplicem libellum rogauit, vt auctoritatem interponeret suam: atque interim, ne fortè nouarum calumniarum præberet causam, tantisper scholis abstinendum putauit. Id verò simul primùm auditores persenserunt, grauissimè indignati libellos in multis per vrbem affigunt locis, quibus se inuicem adhortabantur, & ad certum locum ciebant consultaturi, quid consilij capere ipsos deceret. Res haud dubiè ad seditionem ac tumultum spectabat. Itaque Oliuerius ne, siquid eueniret, Societati reique publicæ damno fraudique esset, vnum ex ijs libellis ad regios administros raptim defert; quoque loco res sint, exponit. Illi consuetum edi scholarum signum & doceri de more iusserunt. Quod factum cùm esset, haud quaquam sedati illicò auditorũ sunt animi: quin adeò iactabant, se tamen velle rem totam cognoscere, & iniuriam, vt vocabant, vlcisci. Verùm & Oliuerij, & Præceptorum prudenti allocutione, pijsque monitis impetratum est, vt quiescerent. Illis quiescentibus haud multis intermissis diebus academici rem de integro vel agunt, vel agi simulant, adscisendum nec ne esset in Academiæ corpus Collegium Claromõtanum. Aliquid spei obortum inde Socijs, vt quibus & Senatus, & plerorumque bonorum conspecta studia erant. Dictis in Academia pro more sententijs, Iuris Pontificij Doctores omnino fauerunt. Sorbonici, & pars Philosophorum rem ad certorum hominum, qui designarentur, arbitrium reiecere. Medicorum natio, quorum maximam partẽ ægra religio, atque (vt leuissimè) ab Hugonottis minimè abhorrens habebatur, pugnacissimè contrà stetit: nec modò nõn in Academiam recipiendos, sed omnino extrudendos Lutetia Iesuitas contendit. Ita Rector, quiitem medicorum è cuneo erat, prœcisè eos ab Academia excluſit. Qui medicorum in Societatem animus non disciplinæ, sed tempori tribuendus est, quia tum Parisijs, vt dixi, ita euenit, vt plerique eorum religione dubia essent. Cæterùm Patres non minore cum approbatione publica perstiterunt in cœpto, quod nouarum controuersiarum molem anno insequenti maxima cum celebritate exciuit, vti eo annali, Deo beneiuuante, reddetur. Sub autumnum Edmundus Haius virtute, quàm Religionis ætate maturior Parisios noui Collegij Rector aduenit in Pontij locum, vt is ad forenses tricas, ac rei domesticæ procurationem, ad quæ munera etiam plus facultatis habebat, expeditiore animo esset.

90

91

92 *Nona Prouincia Rhenana.*

Germaniæ quoque inferioris prouincia hoc anno diuisa est in duas. Alteram Rheni nomine, Treuirense, Moguntinũ, Colonienſe amplexam Collegia Antonius Vinckius administrare iussus, Hermanno Tyræo in locum eius Collegio Treuirensi præfecto. Alterã cum veteri nomine inferioris Germaniæ, cui Louanium, Tornacum, Cameracum relicta cum inchoatis Antuerpiæ & Dionanti domicilijs, Euerardus Mercurianus obtinuit. Dionantum oppidum est in Leodiensi diœcesi studio pietatis, quàm mœnium magnitudine commendatius. Singulari enim pietate ordines instituere omnes ab Euerardo, vt Magistros de Societate concederet, quo longiùs ab hæreticorum fraudibus tenerior abstineretur ætas. Nec minore mox benignitate ijs, quos impetrarant, opportuna ad humanos vsus de tenuitate sua suppeditarunt. Singulis autem diebus sub vesperam cùm Præceptores discentium agmen in templum ad Cælites nominatim quemq; solenni carmine inuocandos deducerent, conueniebant mira oppidani frequentia, miro sensu. Henricus Somalius indidem ciuis Collegiolum, seu stationem potiùs (nihil enim ratum Præpositus Generalis habuit) initio rexit, inchoatam, vt tam dubijs periculosisque temporibus, vbicunque fas esset, obuiàm hæreticorum cœptis iretur. Louanij per hoc tempus ad salutem publicam præcipua collatæ curæ exercitatrices animorum meditationes. Ingens exercentium fuit numerus, ingens profectus. Nicolaus Gaudanus, alijque duo sacerdotes aliquot pædagogia accommodatis exhortationibus, & explicatione catechismi ita excoluere, vt longè alios (quod Rectores, Præsidesque eorum Collegiorum professi sunt) cùm ad studia litterarum, tum ad domesticã ac ciuilem quietem, tum demum ad pietatis cultum adolescentes reddiderint. At Eleutherius Pontanus Cameracensis Collegij Rector nobile castrum, cui Cameracesium nomen est, ieiunij magni tempore longè præclariùs immutauit. Id castrum Galliæ finitimum ob frequentia bella, & vndique confluentes hæreticos non contaminatum modò erroribus, sed efferatum etiam præter modum erat: adeò vt hæreticis audacia numeroque pollentibus, nec qui Catholicorum superarant, prodere sese auderent, neque Archiepiscopus eò sibi tutum fore accessum putaret. Is tamen pro ingenti studio sui explendi muneris, cùm ei quoque sui ouilis tam affecto consulere gregi vellet, Eleutherium misit, qui feras prauasq; hominum mentes Catholicæ lenitate ac norma doctrinæ mitigaret ac regeret. Pontanus in monasterio Benedictinorum diuersans diuersoribus in primis suis, cùm id sciret ad plurimorum mox vtilitates manaturũ, & hospitij gratia postularet, laborum suorum dedicat partem. Vt erant seruorum Dei bonæ mentes

93 *Dionanten-se domicilium.*

94 *Cameracesium castrũ optimè excultum.*

ac

Digitized by Google

ac ſtudioſæ profectus, per exercitationem ſpiritus, per priuatos congreſſus, per homilias publicas longè plurimum ad ſanctitatem proceſſere. Itaque ſub Paſchæ ſolennia vt ſpiritu
95 mentis planè renouati nouo impetu perfectionis redintegrarent curſum, ſinguli apud Abbatem generali confeſſione ſenectam exuêre. Porro Abbas mirè ſucceſſu lætus, vt auctoritate præſtabat, ita quid ſuarum partium eſſet, planiùs ab Eleutherio edoctus ſalubria monita accuratiſſimè omnium in opus conuertit. Iamq; & actione vitæ, & optimis inſtitutis, & habendis in monachorum conuentu Dominico quoque die ingenti feruore ſermonibus munere ſimul ſuo cumulatè defungebatur, ſimul efficiebat, vt floridus ille cæleſtis iuuentæ vigor in omne tempus vernaret. Nequaquam euentu diſſimili cum populo actum eſt. Turbę, quibus dies ac noctes omnia miſcebantur, ſublatæ. Seditioſorum ita compreſſa inſolentia, vt vix iam publico vterentur, & in conſpectum reliquorum venirent, qui intolerantiſſimè modò ſe iactantes neminem vſquam pacatum ſinebant conſiſtere. Ampliùs centum ad religionem reuocati orthodoxam: veterum Catholicorum erectus animus: denique mitigata vulgò barbaries, feriq́ue mores manſuefacti. Neque hæc Cameracelii modò, ſed in circumiectis etiam pagis effecta, ex quibus cateruæ populorum maximæ accurrebant. Neque hæreticos æquè aliud terruit atque hic populorum ſenſus fauorq́ue, nomen vbique Ieſuitarum fauſtis vocibus prædicantium. Treuiros, Moguntiam & Coloniam peſtilentia diuexauit, quæſtuoſior,
96 quàm optabilior eorum Collegiorum Patribus operæ nauandæ materia. Treuiris, vbi vulgata contagio eſt, certatim Socij ad Rectorẽ ſchedulas detulerunt, è quibus alij adeſſe ægris, eorumq́ue curare vlcera, atque expurgare ſordes optabant, alij emendicare inopibus victum, alij mortuos ſepelire, alij demum animarum propriæ curationi dediti pijs eas hortatibus præparare, & myſteriorum opibus præmunire. Quibus vſque eò feruentibus votis magna ex parte cùm Rector ſatis feciſſet, Deus liberalitatem expoſitorum periculo fratrum ea etiam mercede remuneratus eſt, quòd Treuirenſes eximiam caritatem admirati non ſolùm pluris æſtimare Societatem cœperunt, ſed multi etiam eam vehementer expetere. Ad vicinas quoque ciuitates proferendæ operæ, cùm publicos ſtudiorum labores peſtilentia interrupiſſet, otium fuit. Franciſcus Coſterus Virdunum, quò Epiſcopus aduocabat, de Collegio inſtituendo acturus excurrit. Alij Francfordiam, alij Spiram, & in oppida alia tanto cum bono incolarum digreſſi, vt non ex inſalubri aduenire patria, ſed ſalubritatem quocumque pergerent, ſecum viderentur afferre.

Ardor peſtilentes inuandi.

97 In Friſiam tentatus ingreſſus hoc anno eſt, & P. Andreas Boccatius inde oriundus, multa in ea expeditione perpeſſus. Is anno ſuperiore cùm in ea prouincia fuiſſet domeſticorũ negotiorũ cauſa, & neceſſitates populi perſpexiſſet, rem ad Lainium nondũ Tridento digreſſum detulit. P. Generalis iuſſit experiri, ſi quid poſſet adiumẽti ferre, Patribus Colonienſibus rei totius inſpiciẽdæ exequendæq́ue cura commiſſa. Hi quoque Andream mittendum cenſuerunt. Quare ſub initiũ anni huius per Senatus regij Præſidem Viglium Zuichemum, & Ioachimum Hopperum ſecreti concilij conſiliarium Friſios genere ambos, litteras primùm à Gubernatore commendatitias ad Senatum Friſium; moxq́ue, cùm ę nihil proficerent, à Bruxellenſi curia regiæ Maieſtatis nomine diploma, quo poteſtas ei fiebat, vbi vellet ſcholam aperiendi, & Magiſtratus iubebantur opem ferre contra impedientes, impetrat. Eoq́ue munitus docere in ciuitate Snecana incipit. At hæretici criminantes hac via Hiſpanienſem de rebus fidei quæſtionem, & (quemadmodum vocabant) crudelitatem in Friſiam Ieſuitas inuectũ ire; Senatum perpulere, vt litteras regiæ curiæ non admitteret, mulctamq́; proponeret, qui ciuium ad Magiſtri Andreæ ſcholam è ſuis quempiam mitteret, vel peregrinum, qui frequentaret eam, tecto exciperet. Quin etiam eò iam res tendebat hæreticorum inſtinctu animis populi ac Senatus exulceratis, vt ſeditio timeri poſſet. Qua de cauſa Andreæ non ſuum, ſed publicum formidanti periculũ, re fortiùs tentata, quàm feliciùs geſta noua quærenda fuit ſedes. In oppido tandem ſex ab Colonia dierum itinere, cui nomen Ilſta, ſubſtitit. Ibi cum quinque Socijs inter ſummas ærumnas aliquot annos in ſtatione fuit.

98 In Hiberniam cum Richardo Creagh Archiepiſcopo Armacano, cui erigendi Collegia, inſtituendi Academias, & quoſuis Eccleſiaſticos reditus, prę̃terquam Epiſcoporũ, ad hanc rem transferendi vnà cum Patre Dauide, qui adhuc multa ad ſuſtinẽdam eius inſulæ religionem faciebat, ferebatq́ue, poteſtas à Sede Apoſtolica permiſſa fuerat, miſſi ſunt Guilielmus Good natione Anglus, & Edmundus Hibernus, qui Archiepiſcopo & Dauidi leuamento eſſent. In Angliam quo- 99
que Thomas Chinge Anglus tranſire ex Inferiore Germania iuſſus, tum vt valetudinem reſarciret, tum vt Catholicos eius regni clanculũ ſolaretur & adiuuaret. Quod cũ ſedulò curat, ſimul è primarijs nõ paucos ab hæreticis deceptos permouit, vt reconciliari per eum Eccleſiæ vellent: ſed valetudine in deterius lapſa, anno proximo terrenam cum cæleſti patria commutauit.

In Hiberniam miſſi.

In prouincia Auſtriæ nonnulli motus fuere, 100
quibus conceſſi calicis promulgatio, Ferdinandiq́ue mors Cæſaris cauſam dedêre. Dudum, vt ſuperiore volumine dictum eſt, Ferdinandus à Concilio Tridenti coacto ſacri vſum calicis permitti enixè poſtularat Germanis ſuis, qui eam rẽ propè conuicio & armis flagitabant. Hæreticoſq́ue permultos erat ſpes eo impetrato cum Romana Eccleſia in gratiam redituros. Tridentini Patres integram rem Pontifici reſeruarunt. Pontifex tandem conditionibus, per quas beneficiũ malone eſſet, appoſitis, Ferdinandi itemq́ue Bauari Ducis ardentiſſimis votis annuit. Lanoius Prouincialis, antequam Lainium conſuleret, ab eoq́ue edoceretur, adduci non potuit, vt Pontificium diploma in ſuæ prouinciæ Collegiis promulgari ſineret. Haud ille quidem per contumaciam, ſed per immodicam prudentiã, cùm videret ſummi rem ponderis, eamdemq́; perplexam, ac difficultatibus plenam, haud magni detrimẽti cenſebat exiguam moram fore: longeq́ue prę-

Turba in Auſtria.

Digitized by Google

ponderaturum emolumentum, quod consilium Lainij afferret, qui coràm Pontificis & Cardinalium cognoscere mentem in dubiis posset: & particulatim præscribere quo ritu, qua cautione rem totam administrari oporteret. Ægrè tamen id tulere quidam è Cæsaris aula: fususque est rumor Iesuitas ex vniuersa Germania amãdandos. Qui rumor quanquã nonnihil Lainij perlatis litteris, quibus & promulgari posse concessum, & promulgandi modũ docuerat, conquieuit: tamẽ Ferdinandi fine cùm Maximilianus Imperio successisset, vehemẽter increbuit. Decimo Kal. Sextiles cùm diu ægrotasset, diuinis mysterijs rite armatus Ferdinãdus vita defunctus est ita, vt optimum virum, & maximè pium Principẽ Quintiq; Caroli germanum decuit. Cùm diligentia quadam eximia supremum sanctæ Vnctionis impendi sibi Sacramentum voluisset, postea Zittardo confessario suo imperauit, ne se iam iam futurum puluerem amplius Imperatorem, sed vt Ferdinandum vocaret. Paruit Zittardus, qui insuper ferebat solitum eum prædicere die S. Iacobi Hispanorũ patroni (quod euenit) sibi esse moriendum. Permultis vbique terrarum eius animam Societas prosecuta sacrificijs ac precibus, tanquam Collegiorum trium parentis. Quanquam enim constabiliti nondum reditus erant, tamen optimus Princeps in primis Imperij vrbibus assignatis etiam commodis vectigalibus, Viennæ, Pragæ, Oeniponti Societatẽ collocauerat: eamque semper apud Germanos externosque Dynastas insigni beneuolentia texerat & ornarat. Sublato Ferdinando haud perinde Maximilianus futurus existimabatur. Quocirca qui id optabant, canebant passim Iesuitas ad vnum occisum iri. Sed, cuncta qui moderatur sapientissimè, Deus, nec causam nec familiam suam deseruit. Maximilianus sub hæc initia, tametsi non perbenignum Societati se præbuit, tamen hæreticorum spes ac prædictiones longè fefellit: cæteris verò annis, vt suo demonstrabitur loco, etiam multa pro re Catholica, proque Societate fecit.

101 *Mors Ferdinandi Cæsaris.*

102 *Labores in Vngaria.*

Archiepiscopus Strigonienſis diœcesanam Tirnauiæ Synodum cogens cùm videret sacerdotes, qui in montanis Vngariæ agunt, minimè adfuturos, quòd neque annis superioribus aduenissent; Patrem Ioannem Zeidelium à Prouinciali impetrauit virum doctrina & eloquentia præstantem, quem ad eos pellicẽdos mitteret. Profectus est ad septem coniuratas ciuitates Pater non sine grandi vitæ periculo: sed Deus tutum securumque præstitit. Effectus nec periculo, nec labori respondit. Magistratus enim nusquam ei concionẽ, agendiq; publicè facultatem dedere: ad priuata verò colloquia magis contumelias ingesturi, quàm salutis audituri monita miserandi & sacrilegi sacerdotes veniebant. Sed nunquam quod pro Deo fit ac scritur, omnino perit ac fruge caret: paxque in Christi nomine nunciata si non recipitur, ad nunciantem redit. In ipsa dein Synodo monitis, concionibus ac disputationibus nec effectu, nec plausu (quem quidem minimè quærebat) Zeidelius caruit.

Pragæ seiuncta ab Collegio Nouitiorum extructa domus, cui Archidux Ferdinandus, quos Cæsar eius pater assignauerat, à Maximiliano fratre prouentus obtinuit. Negotij sat multum proximis annis fuerat, quòd ad Tirocinium quidam admissi præter voluntatẽ parentum essent. Ille turbo fecit, vt aditus in Societatem quanquam antè perangustus, multò iam minùs pateret. Sed Christus Iesus, qui mittere operarios in messem volebat suam, ita rerum seriem vertit, eumque iniecit multis amorem crucis, vt insignium ornamentorũ adolescentes vel ab Lutheranis parentibus consensum ad Iesuitas transeũdi facilè impetrarint: nonnullorum quoque amici & parentes ipsi precatores accesserint ad impetrandam filijs Societatem. Cæterùm prouincia quoque superioris Germaniæ aliquid turbarum perpessa est, vnde minùs debuerat. Alternis quippe sibi vbique succedunt tempora, & mutua se vice confundunt, ne efferamur aut soluamur secundis, ne debilitemur aut fatigemur aduersis: sed vtrobique diuinam nobis, quæ nos regat tegatque, præsentem manum optemus.

103 *Pragensium Societatis patronorum feruor.*

Prosperrimum Augustæ vsque ad hunc diem tenuerant cursum Canisij ac Sociorum labores, nec vnquam nisi ab Catholicorũ hostibus quidquam fuerat obiectum impedimenti. Hoc anno etiam, quos fauere in primis æquum erat, vti adhuc fecerant, callidissimus Satan opposuit. Canonicorum in templo Canisius (vt sæpè scriptum est) ordinarium agebat concionatorem: in eodem ipse cum vno alteroúe socio Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta quamplurimis è prima fermè nobilitate administrabat. Delectabant principio incrementa pietatis nobile illud Collegium; tamen vt in dies celebrari magis Patrum nomen ac frequentari sellas viderunt, vt in omni cœtu diuersitas est sententiarum ac morum, versus quorumdam fauor in dolorem; contumeliam suam interpretantium, quòd Canonicorũ in templo Canonici hospites esse, alieni habitare, regnare ac gerere omnia viderẽtur. Hoc reperto ac potiùs facto aditu homines pacis & pietatis inuidi, qui dudum occasioni imminebant, grauibus calumnijs iritare Canonicos aduersus Canisium pergunt. Quas ille criminationes pro Dei maiore gloria, cùm haud negligendas putasset, haud magno negotio repulit: non tamen id consecutus est, vt animi sedarentur, & turbæ conquiescerent. Dilingani Collegij statum recognoscebat, cùm litteras ab Canonicis non sanè perhonorificas accipit, quibus petebant, vt Guilielmus Elderenus (acceptissimus is quamplurimis Confessarius erat) Augustã concederet: Canisius obtineret quidem suggestum in templo ipsorum, sed confessiones non nisi quarumdam fortè insignium nobilitate matronarum exciperet: priuilegiorum Societatis vsu omnino abstineret. Hæc res vbi emanauit in vulgus, patritij fermè omnes Catholici, qui se Guilielmo multum, Canisio debere omnia existimabant; grauissimè indignitatem rei apud Cardinalem Augustanum exaggerant, & compreçantur, fidem opesque potestatis suæ adhibere ne cunctetur. Cardinalis causam pro cætera sua & in suam Ecclesiam, & in nos pietate suscepit. Quin etiam Pius Pontifex rerum à Canisio superioribus annis Augustæ gestarum memor, audita

104 *Augusta res turbida.*

105

earum

Digitized by Google

earum fama turbarum, commendationem per litteras Apostolicas interposuit. Canonici consultatione habita de totius Collegij sententia Canisio conditiones eas tulere. Primùm obtineret ipse concionem, verùm ita, vt tum Societati id munus deponere, tum Canonicis in alium transferre, vbi commodum alterutris videretur, integrum esset. Deinde ipse ac Socij, præterquam in templo principe, vbi vellent, diuina mysteria suo arbitratu cuiuis impertirent. Postremò dissidij abolitio fieret: interque ipsos ac Societatem sincera pax, & Christiana caritas aleretur. Canisius, cui nihil magis, quàm talium virorum, quos summè colebat, bona gratia pro Dei gloria optabile erat, cùm ad has conditiones libentissimè accessisset, Cardinalis ad concordiæ stabilitatem scripto exceptas signo firmauit suo. Ex hac exercitatione præter patientiæ præmium, id quoque Societas lucrifecit, vt de templo ei proprio Augustæ quærendo seriò agi sit cœptum. Adeò solenne Deo est facere cum tentatione prouentum, & machinamenta Satanæ in ipsummet vertere. Interim in S. Catharinæ sua Patres sacra tribunalia, diuinamque mensam proposuere. Verùm ne ea quidem pacata, aut diutina fuit. Quippe alij quoque Ecclesiastici circumpositi eorum vicinitatē ægrè ferebant: vitio ferè vulgari mortalium, qui malunt ad obtinendum statum industriam præpedire alienam, quàm expedire suam, cùm felix esse posset genus humanum, si quantum gliscit præmiorum certamen, tantum & laborum vigeret.

106 *Redit quies.*

107 *Dilingana Academia Societati traditur.*

Dilingæ Otho Cardinalis Augustanus, qui anno priore partem excitatæ ab se Academiæ Societati tradiderat, perpetuitati eius commoditatique consulturus, totam decimo sexto Kalendas Septembris quàm optimo iure habendam transmisit, cùm iam sat ingens bonorum Magistrorum numerus, & Henricus Dionysius eò Rector accessisset. Nulla superlationis formula exprimi abunde potest Principis eius erga hunc cœtum benignitas. Mense Iunio ex Hispanica & Austriaca profectione (Maximiliani filios in Hispaniam deduxerat) Dilingam rediens, cùm à cūcta ciuitate pompa magnifica, & gratulatione lętissima exciperetur, vbi Sociorum globum, qui pariter certo loco venientem veneraturi constiterant, vidit, ad eos se totum illico vertit: ibidēque fratrum nomine amantissimè compellatis manus exosculādas, spectante interim ac mirante plurimùm nobilitate præbuit: deinde Collegium visens non solùm familiariter conuiuam se dedit, verùm etiam cuncta singillatim cubicula circumiens diligenter spectauit, num satis haberent commodè; multisque repertis haud qualia pius patronus optasset, extructurum se nouum Collegium vltrò est professus. Demum eo, quo dixi, Augusti die magna cerimonia totam Academiam Societati permisit. Post Sacrum solenne in gymnasii templo factum, cùm Ecclesiarum Præpositi ac virorum nobilissimus quisque vnà cum academicis, & familiaribus Cardinalis adessent; ipsemet Cardinalis graui oratione causas explicauit, quibus permotus Roma Socios euocasset, ac potestatem eis Academiæ regendæ omnem permitteret. statim secretarius tabulas rite confectas recitat, quibus cùm laudatione instituti Societatis, translatum in eam Academiæ ius explicabatur. Tum Cardinalis è sella Episcopi surgens hymnum solennem ad inuocandam sancti Spiritus opem exorditur, quem phonasci modulatis vocibus prosequuntur. Inde orator è Societate in suggestum euadit, & orationem in Cornelij Harlemij decedentis Rectoris laudem habet, simul eius decora, & quidem vera persequens (quandoquidem annos ferè quatuordecim ei muneri cum egregia fide & cura præfuerat) simul ei nomine academicorum omnium gratias agens. Secundùm eam orationem Rector ipse Harlemius assurgit: Cardinalique gratijs actis, quòd missione tandem bona se dignaretur, facultatemque præberet viuendi sibi, discentium iuuentutem plurimùm adhortatur, vt aduersus successores Patres obseruantiam debitam præstent. deinde propiùs ad Cardinalem accedit, insignia Rectoris exuit: vnaque cum sceptris, signis & clauibus reddit. Cardinalis vbi ea accepit, continuò ipsum in laborum anteactorum præmium Apostolici Protonotarij dignitate & ornamentis donat. Professores è Societate cuncti ordine considebant, primoque loco Canisius. Ad eos Cardinalis post dimissum Protonotarium, oratione conuersa Academiam tradit, impenseque eam ac nominatim munus Rectoris commendat. Canisius ad ea respondit, cam se rem atque procurationem pro potestate, qua præditus esset, loco ac vice Præpositi Generalis Iacobi Lainij excipere, & Rectorem Henricum Dionysium nominare: quem protinus productum in medium insignibus Rectoris induit, cum admonitione, demandatam vt sibi prouinciam rite ac sedulò administret. Probauit lectionem Cardinalis, & lęta ac benigna fronte Patrem Henricum exceptum gratulatione publica in sedem Rectoris perduci iubet. Inde nouus Rector appositè verba fecit, Cardinali ac cæteris fidem suam, & studium, & operam modesta cum fiducia promittens: orationem eam plausus ac suauis municorum concentus, *Te Deum* alternis concinentium choris excepit. Cantus vbi siluit, solenniter Cardinalis cum bona cœtum omnem oris ac manus precatione dimisit. Cohonestarant ad id loci Academiæ huius exordia grauissimi virtute viri, sapientiaque præstantes Doctores, Petrus in primis Sotus Prædicatorum ex Ordine, cuius operæ, consilio, auctoritati prima deberi fundamenta operis & incrementa vsque eò Cardinalis profitebatur, vt aliter neutiquam processurum in eum locum fuerit: tum Martinus Olauius noster: ad hæc Doctores Louanienses Martinus Rithouius, & Guilielmus Damasus Lindanus, ille postea Iprensis, hic Ruremundensis Episcopus. Nec postea siue cognitione rerum sanctissimarum, siue actione minùs clari habuere è nostra Sodalitate Patres. Denique vt nouum semper Cardinalis è suo facto fructum voluptatis cepit, ita nunquam destitit Academiam atque Collegium ornamentis nouis pro facultatibus augere. In Bauariam inferiorem excursum: & summis laboribus pretium animarum haud impar relatum. Erat quidem eius oræ populus simplex, suaque natura innocens, sed circum-

108

109

110 *Dilingana Academia prima decora.*

111 *Excursio in Bauariam inferiorem.*

Digitized by Google

circumuallantibus vndiquè hæreticis, cùm Pastores vel nulli, vel parum validi instructiquè defenderent, paulatim degenerabat in hæresim. Dux Albertus pro nobili suo pietatis studio tantæ calamitati remedium, quod adhuc nequiuerat, allaturus, ad Societatem, cuius opera nunquam eius fefellerat vota, confugit. lecta sunt duo paria sacerdotum; sed vnius maximè industria memoranda est Georgij Schotichij, eiusque comitis. Namque par alterum
112 inualetudo breui domum reduxit. Discedentibus Dux ad Præfectos ac Magistratus commendatitias litteras dedit, & summam non rusticos modò, sed etiam Ecclesias (quantum ei per sacros Antistites, & sacra licebat iura) monasteria, ludos litterarum visendi, & quacunque visum esset ratione corrigendi potestatem adiecit. Inuenere Christi vineam miserè deuastatam, horrendas vbique enatas adultasque siluas, omnia venenatis colubris, rapacibus lupis, & omni bestiarum dirarum genere plena, inter se quoque rabidis lacerantium morsibus, nec nisi contra Romanum Pontificem, immanitate impetuq; concordium. Infamis Lutherus pro Sancto, Missa pro idololatria, Papa pro Antichristo habebatur. Non terruit hæc rerum facies generosos Dei colonos; sed indignitas rerum, & populorum calamitas oculis subiecta acriùs ad culturam & conatum accendit. Præcepta, quæ à Canisio acceperant, & quæ P. Petrus Faber epistola de via cum hæreticis agendi comprehenderat, diligenter seruantes, opus aggressi; comitate in primis, abstinentia, rectis vitæ totius exẽplis auctoritatem diuino verbo parantes; minas interdum, & permissam à Duce potestatem, vbi mitiora non procederent, in loco adhibentes, cælesti (quod primum & summum est) agricola incrementum dante, admirabilem rerum conuersionem fecere. Placatæ rusticorum mentes
113 olim grauissimè ab Catholico suo Principe dissidentium. Ampliùs tria millia ad Catholici ritus communionem adducti. Obstinatiores è Bauaria eiecti: quorum multi deinde polliciti se in officio futuros, reditum impetrarunt. Maximi fuit momenti eiectio pessimi corruptoris, qui Ortemburgum ad omnem Bauariam à Bipontino Duce Volfango deprauandam missus immanes edebat clades animarum. Sacerdotũ deplorandam reperere insciti am, & fœdissimos mores. Horum qui sanabiles erant, medicinæque patiẽtes curarunt, ereptis hæreticorum libris, edoctos præbendorum Sacramentorum ritus, & fallaciarum refutationem; per quas illusores hæretici rusticorum simplicitati fucum fecerant. De cæteris Dux Albertus & Episcopus Patauiensis admoniti, qui de substituendis melioribus statim agitare cœperunt. Sex menses ac dimidium saluberrima hæc peregrinatio tenuit.

114 *Polonia regnum Societati aperitur.* Hoc item anno Poloniæ regnum Societati cœptũ est aperiri. Cardinalis Hosius Tridento in diœcesim suam Varmiensẽm reuersus locupletissimos quosque, ac Senatores ante alios rerũ nouarum cupidos deprehendit, contraq; religionẽ Catholicã multa apertè, multa occultè molientes. Quare, quod diu cogitauerat, minimè prolatandũ ratus, aduocare præsidium ex hac cohorte statim decreuit. Nec Lainius, quanquam nihil fermè prouisum, & difficillima ad iter tempestas erat, tamen populorum miserijs stimulantibus quidquã interponendum cunctationis putauit. Sedes ab Cardinali destinata Collegio Bransbergæ est. Vrbs ea Prutliæ modica, verùm nec ignobilis, nec inelegans, & cælo salubri prope Fraumburgum, seu Varmiam, vbi sedem Episcopus & Collegiũ Canonicorũ habent. Assignatum pro domicilio cœnobiũ iam vacuũ, quod Franciscanorum Conuentualiũ fuerat. Nonnullos Roma colonos Lainius misit: alios vnà cum Christophoro Strombelio, qui cunctis præesset, ex inferiore Germania ire iussit. His iter longè asperrimum & ærumnosissimum fuit. Pestilentiæ lues per omnes fermè prouincias, per quas gradiebãtur, sæuiebat. Qua de causa, cùm neque in pagos, neque in vrbes, neque in diuersoria reciperentur, pernoctare sub dio, vel totas continuare iter noctes, ne gelu obtorpescerent, cogebantur. Nec erat, qui vel piè largiri vellet, vel pretio vẽdere depellendæ necessitati vtilia. Heilsbergam ad Cardinalem sub Nouembris initia peruenere: qui cùm eorum constantiam, tum viam sospitem admiratus, vt erat bonus rerum talium existimator, simplicitati fratrum, virtuti obedientiæ, ac diuinæ gloriæ zelo accepta talia referebat, nec ante initum insequentẽ annum ab se Bransbergam dimisit. Ingens hæreticis Iesuitarum
115 nomen terrorem incussit. fuisse dicuntur, qui ædes amplas funditus diruerint, nequando in eorum habitationem cederent. Crediderim famam vero aliquid adiecisse, haud tamen ex modico natam. Nihilo minore, quàm Cardinalis Hosius studio Franciscus Commendonus Apostolicus ad Regem & Episcopos Poloniæ Nuncius curabat, vt in nobile illud regnum multa eius generis præsidia inducerentur. Is comitem legationis suæ Balthasarem Hostouinum è Societate circumduxit, vt eius operâ, & ad cætera sui muneris, & potissimùm ad fundationẽ Collegiorum vteretur. Et quidem ita hinc apud Plocensem Episcopum, hinc apud Lainium institit, vt ille Collegium Pultouiæ statuere decerneret, hic incolas se missurum anno insequenti reciperet. Itaque & Pultouiensis Collegij origo ab hoc anno censeri potest.

In Hispania status in communi Societatis nec 116
sine progressu fuit. In Præsulibus è Concilio re- *Res Hispa-*
uersis quidam vulgarunt Patres in eo nostros ne- *nia.*
quaquam concitatæ de se expectationi respondisse; verùm ita Pontificis amplexos causam, vt viderentur mercede conducti, perque eos stetisse, quo minùs illâ capita duo de iurisdictione, deque sede Episcoporum, atque alia ad reformationem Romanæ curiæ spectantia decretis sanctæ Synodi sancirentur. Quæ fama cùm apud Principes non parũ obfutura videretur; tamẽ per se partim paulatim refrigescentibus dissentientium studijs, vbi iam frustra erat contrà tendere, partim nuncijs Roma perlatis euersa est. Nam vbi est cognitum alienioré ex occasione, quam retuli, animum Pontificis ab Societate post Patrum è Concilio reditum; facilè intellectum est non fuisse Tridenti mercede conductos, quibus ea tum merces Romæ persoluebatur, docente

hinc

Digitized by Google

hinc etiam Patres Deo quàm sincerè eius dumtaxat gratiæ seruiendum vbique sit. Quin etiam qua in vrbe Societas esset, nullus propemodum tota Hispania Antistitum fuit, quin ad Concilij & promulgationem, & vsum introducendum, vocem eius & industriam adhiberet. Itaque de præsentia sancti Spiritus, qua legitimis Concilijs adest, ac proinde quantum ijs auctoritatis, quantum venerationis & obedientiæ debeatur, quas commoditates afferant; denique quantum his periculosis perditisque temporibus Ecclesiæ suæ Deus per hoc auxilium beneficij daret, perdoctę perque salubres disputationes ad populos habitæ. Vtque nihilo magnificentiora essent dicta quàm facta, quæ res inter Religiosos nouandæ erant (quanquam ob exceptionem nominatim Societatis additam dubitari poterat ecqua res eam teneret) tamen Socij non modò fideliter obtemperarunt, sed etiam tum concionatoribus, & confessarijs Episcoporum iudicio sistendis, tum concionibus in templis Collegiorũ intermittendis, vt Ordinibus cęteris exempli luce præirent, sedulò contenderunt, magna Antistitũ approbatione; qui nullius ferè eorum explorandam facultatem putarunt, tota re domesticorum Præsidum fidei curaque permissa. Nec minor in Parochis comperta benignitas in auxilio Patrum vtendo. Vallisoleti quidem cùm Vicarius Episcopi disertè vetuisset vsquam alibi præterquam in parœcijs conciones haberi, aduocati sunt è Collegio Patres, qui diebus Dominicis verba facerent ad parœcias septem S. Michaëlis, S. Iacobi, S. Martini, S. Iuliani, S. Saluatoris, ad eam, quam Antiquam vocant, ad sancti Nicolai. Quibus locis eodem tempore Euangelicæ tubæ concionum frequentissimarum personabant aures. A meridie autem præter concionem, quam (eo enim tempore licebat) in Collegio P. Petrus Martinius, postea Martyr, habebat, vnus & viginti per parœcias spargebantur, partim sacerdotes, partim laici ad puerilem catechismum, vt non possent sine ingenti gaudio agmina tot innocentium laudibus diuinis operatorum per vicos cerni. Confitentium quoque frequentiam Concilij promulgatio auxit, eò maximè, quòd veterum confessariorum haud paucis, dum pertentatur facultas, sublata potestas est.

117 *Quid gestũ in promulgatione Cõcilij.*

118

119 *Madritani Collegij profectus.*

In Toletana prouincia Madritani domicilij laxatæ nonnihil angustiæ; ac templum, quo Societas adhuc in ea vrbe caruerat, extrui cœptum. Anno M. D. LXI. transtulerat Toleto Madritum regiam Philippus. Ex eo tempore non cum ciuibus modò, verùm etiam cum multis Procerum ac Dynastarum egregiè operam collocauerant Patres. Micabat inter omnes splendidus iuuenum manipulus ex primo flore nobilitatis. Qui diligenter exculti, dum ætas virtutem ornat, vtramque commendant natales & opes, rarum præbebant cùm populo vniuerso exemplum insigni compositione morum, & luce modestiæ; tũ verò cælestium oculis spectaculum, siue cùm intra aurata conclauia lectis instructa mollissimis, stragulisque conuestita pretiosis, in silẽtio noctis pro inerti sopore multas humi abiecti horas in sacris precibus ac rerum diuinarum agitatione ducebant; siue cùm delicato ac prædiuite cultu hispida tegebant cilicia nudo applicita corpori, vt splendor ac mollitudo serici non iactationis materia, atque luxuriæ pompa esset, sed modestiæ munimen, tegumentum rigoris. Hic igitur nobilis, aliusque latè per populum manans profectus, cùm ante oculos omnium versaretur, pij opulentiq; viri ad domesticas Patrum angustias & templum ijs ædificandum vltrò stipem contulere. Præcipuè memorandi fuere Innicus Fernandus Velascus Comestabilis Castellæ, qui pietatem aduersus Societatem ex lectissima femina Ioanna Henricia parente sua hauserat, & Alfonsus Mendoza Comes Gomeræ perspectæ virtutis Dynasta, qui sua omnia manibus pauperum perstudiosè transmittebat in cælum. Is quàm celerrimè ad culmen perduci templum cupiens singulis diebus sub vesperam ædificium inuisens cunctis operis de suo mercedem diurnam soluebat. Toleti quoque inchoatum hoc anno templum. At in Castella prouincia templum Palentini Collegij solenni cerimonia dedicatum.

120 *Templa quædam nouæ.*

Methymnæ publicata primũ Philosophiæ doctrina ciuitatẽ omnẽ exhilarauit. Cæterũ longè exhilarauit magis pulcherrimus pudicitiæ quasi triumphus. Præerat Collegio Hieronymus Ruizius Portillus, is, qui postea in Peruuiam Societatem primus inuexit: idemq; diuini verbi faces sacris è tribunalibus (ad alia enim atque alia vocabatur) vibrabat. Erat Methymnæ femina haud obscuri generis, fama æquè magna ac mala, non ciuibus modò, sed & exteris longissimè nota. Domus eius receptaculum omnium & officina flagitiosorũ & flagitiorum erat. Alea ibi, popina, & omnis forma nequitiæ, ea licentia, vt nihil vspiam visum tale, aut memoriæ proditum vulgus putaret. Pestem amoliri atque infamiam tantam cùm propinqui quà pollicitationibus, quà minis, tum sacri homines nitebantur legatione pro Deo fungentes. Verùm (quę vis ferinarum est illecebrarum) hebetauerant sordidissima probra corruptam mentem, & prorsus obstupefeceerant, vt incassum salutaria verba pulsarent aures; nec adduci misera posset, vt templo se committeret, reique diuinæ aut sacræ concioni præsens adesset: quin adeò in vrbem iam regiam transferre illam turpitudinum palæstram meditaretur. Adextremũ cùm ancillæ victa flagitatu semel ad concionem Rectoris induxisset animũ ire, templum eo vestimentorũ luxu, eaque intemperantiæ pompa intrauit, vt bonorum omnium oculos vulnerarit. Verumenimvero clementissimus gentis humanæ Saluator ita infelicem animam miseratus est, vt vix dum cœpto sermone ferreum cor emollesceret. Singula verba nihil tale agentis oratoris velut tela in se vnam directa excipiebat. Nimirum per os famuli sui dirigebat ea dux ille, cuius est sermo viuus & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionẽ animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum. Tum magis ac magis tenebricoso in pectore diuino inclarescente lumine, pudere suimet, velare faciem, furtim illacrymari, consilia noua fouere. Concione dimissa vbi domũ ita æstuans rediit, moræ & quietis impatiens, cibi perosa conscia; probrorum tecta, & quasi exprobrantium parietum conspectum non ferens,

121 *Insignis euersio famosæ feminæ.*

122

123 ferens, in Collegij templum festinat. Ibi diu tacita ac meditabunda, quoad vespertina concio peracta est, cùm sedisset, properè surgens, nemine consulto mortalium, ad Conuersarum cœnobium aduolat, largoque cum fletu testans adesse se nunquam inde pedem elaturam, impetrato aditu, sæculi retinaculis, quæ operosum alioqui fuisset soluere, vno ictu sectis, vnà cum famula, quæ ad templum deduxerat, admirante ac Deum laudante vrbe sanctitati totam sese deuouit. Mox idem secuta iter nobilissimi parentis filia, perinde perdita mulier: nec multò pòst ad S. Laurentij, vnde non procul lupanar aberat, Rectore eodem verba faciente, ex nouem lupis, quas viri graues auditum adduxerant, in humanam faciem reuocatæ sex; quibus septima statim accessit. quæ surda concionantis vocibus comes in templum Collegij vni sodalium suarum profecta rogante Rectore, vt saltem coram diuinissimo Sacramento Dominicam orationem, & salutationem Angelicam quinquies pronunciaret, simulatque id fecit, erumpente fletu, vitæ sanctioris & ipsa formam suscepit. Quibus omnibus Christiana sanè liberalitate Methymnensiũ pietas, vnde castimoniã tolerarẽt, prospexit: sapienterq; illud curatum, vt implicitis earum consuetudine viris tempestiuè remedium quæreretur, vel mutare solum, si mores nollent, adigerentur. Ita pestilens ciuitatis propè exhausta sentina.

124 *Vis diuinarum precũ.*

125 *Ioannis Ramiry res memorabiles Salmanticæ.* Haud minora Salmanticæ Ioannes Ramirius concionibus, & doctrinæ Christianæ explicatione ante postque meridiem per quadragenariæ seueritatis, & alia tempora diuinæ gratiæ miracula edidit. Venerat eò ab Cæsarauguſta subinuitus, quòd ibi tum miro ipse audiretur successu, tum nullum relinqueret clarioris famæ Euangelistam, cùm tamen aliquot Salmanticam sanè egregij, totiusque Hispaniæ facilè principes perdocerent. Verebatur etiam ne ciuitatis adeò doctrina florentis, & subtilissimis assuetæ disputationibus aures simplicitatem eloquentiæ popularis, quæ vi maximè animi motuque valet, qualem ipse eloquentiam putabat suam, propemodum fastidirent. Itaque parum aberat, quin prudentiam in ea re Superiorum desideraret, qui huc se inde ab certis lucris ad incerta transtulissent. Verùm adeò & exspectationem eius & vota superauit euentus, vt obedientiæ efficacitatẽ agnosceret: discereteque experimento nullam esse frequentandæ concionis aptiorem viam, quàm rectam concionandi rationem, id est, quæ ad auditorum accommodata profectum pietate dicentis acuitur. Vt qui via alia gradiuntur, intelligere possint bis sese peccare, quòd non modò quam vnam sequi deberent auditorum vtilitatem, non assequantur; sed ne id quidem obtineant, quod venantur, vt solidè ac verè placeant. Feracitatem Ramirij concionum illa argumenta probant. Ducenti per quadragenarium ieiunium Apostolica eius voce permoti, academici plerique auditores, Religiosorum secœtibus adiunxere. nec pauci, nec vulgaris indolis Societati nostræ: in quibus & Franciscus Suarius: cuius tam

126 *Franciscus Suarius in Societatẽ receptus & Bartholomæus Petrius.* multa & præclara extant humanæ diuinæque sapientiæ monumenta; & Bartholomæus Petrius de Nueros, qui, cùm primùm hæc conderentur, Præposito Generali Claudio Aquauiuę Assistens erat. Is, cùm domestici moram facerent, eamque ob rem extra limen ferre pedem non sinerent, dũ pueriliter in aula lusitat, missa consultò per fenestram pila, quasi ad eam recipiendam exire permissus, ita, vt erat, sine pallio adolescens nobilis ad Collegium magno animo, & pietatis feruore aufugit: vixque se intra fores penetrauerat, cùm frater maior, & alij insequentes superuenere, incassum defagitati. Velut stadio victor, Christi cursor iam iniecisset brauio dexteram, quamuis potestas abeundi fieret, nequaquam sustinuit domo Dei extrudi, tamque gloriosa victoria, & tam fœcundis nouorum decorum præmijs fraudari. Præter hunc in longum pertinentem Ramirianæ vocis fructum, & suas olim nouas edituram fruges, etiam præsens vtilitas in omni genere pietatis extabat. De vitijs linguæ, deque recta Dei orandi ratione cùm diu populum instituisset, exẽplo S. Ioannis Chrysostomi, qui rem eandem quoad persuasisset, vrgere concionibus nouis haud desinebat; non vnis Salmanticensibus, verùm etiam longè positis profuit: ad quos reuersi academici concionatorum obibant munus. Diebus festis atque Dominicis ea circa sacra tribunalia, mentamque diuinam cernebantur examina rationalium apum, vt perpetui Iobelæi tempus repræsentarẽt. Sæpè mille plus solito in vno Societatis templo cælestes libabant dapes. Nec tanto ex plausu, qui solidus è renouata vrbis totius existebat facie, quidquam sibi Apostolicus orator sumens, ad omne genus hominum operam alacriter proferebat: nec ad tenera puerorum ingenia grauabatur descendere, vt in puro illo paratoque solo prima omnium semina pietatis iaceret. Isque, quantum comperi, primus in Hispania in breues interrogationes ac minuta responsa concidit distinxitque institutionis Christianæ capita ad huius ætatis ac rudiũ vsum. Præterea Rectoris & Cancellarij voluntate in vnum congregatos Academiæ auditores sæpè edocuit, quæ Christianum decerent bonarum litterarum studiosum; qua modestia inter se, qua erga Doctores obseruantia, qua in Deum pietate esse deberent. Quibus hortamentis mirè cuncta pacata ciuitas, sublatis, quæ interdiu noctuque grassabantur, turbis. Adeoq; scholasticorum ceperat animos diuini verbi sitis, vt codicillis oblatis instarẽt à Præceptoribus, cùm Doctor Ramirius esset verba facturus, vt omissis pauliſper scholis audiendi verę sapiẽtię doctorẽ spatiũ darent. Quibus fermè Doctores cùm respondissent, quandoquidem suos auditores Ramirius ita sibi deditos haberet, se quoque velle sub eius disciplina versari, adiungebant se comites: vnde fiebat vt nobilis Magistrorum ferè omnium ac litteratorum corona ab sacro dicẽtis ore penderet. Sed operæ pretium est referre, quas tanto rei Christianę bono transfigurans se in Angelum lucis tenebrarũ pater insidas molitus sit. Quòd haud dum inter Professos adnumeraretur (& causa dilationis vnica erat, quòd is vltra modum seuerè cultum muliebrem, & alia quædam è suggestu incesseret) cœpit bonus Ramirius eam rem ægriùs ferre: dumque incautiùs ægritudinem fouet, eò paulatim prolabitur, vt ab Societate ad

127

128 *Ramirij præclara de ipso victoria.*

Car-

Digitized by Google

Carthusienses adijceret animum. Nutabat, angebatur, propè ab transitione aberat, cùm famulo suo misericors Deus in tempore opem tulit. Adfuit repentè insolita lux, quæ sibi ipsum ante oculos statuit. Qui vbi se tanquam in præruptò ac præcipiti vidit loco, velut ex altissimo expergrectus somno, horrore perfusus, reputare hæc fermè secum cœpit. Proh miserum, vbi es? vigilas ne? Es ne tui compos? Tu quidem, quantum in te est, Dei consilia peruertisti; vocationis gratiam proculcasti, S. Spiritū abiecisti. Tu ausus es cogitare complexionē eam perfectarū virtutum, quæ Societatis Professis inesse debet, esse in te? Ergo, quid tibi propriè, quid Societati publicè expediat tu miser vel curas studiosiùs, quàm Præpositi, vel acutiùs vides? audesq; tot sanctissimorum virorum ac prudentissimorū, qui hanc Societatem fundarunt, & vsque adhuc rexere, iudicio præferre tuum, in causa tua? Tu scilicet professione es dignus, qui eam ambis; qui humiliū præmia superbè appetis; tamque turpiter tibi finis illudi. Nam quid est quod emittenda professione petis? Vota, quæ Religiosum efficiunt virum; quæ totū hominē Deo dedicant obligantque, tria emisisti: Religiosus planè conditione es (vtinam vita sis!) materiam exercendæ virtutis amplissimā habes, adiumēta præstò sunt omnia, per quę fieri vel sanctissimus possis. Quid est, quod professione petis? O indignitatē, ô probrum! Nescio quid plus auctoritatis, quod videtur in ordine illo inesse, perstringit misero oculos. Non sanctitas, sed fœdissima leuitas & ambitio ista est. In schola modestiæ cōtumaciā didicisti. Quò redactus infelix sum? qui sæculum, vt imp roperiū crucis Domini mei portarem, reliqui, iam Religionem propè deserui euocante superbia. Hiccine meus est sensus ille pristinus, cùm postremum haberi me omnium; cùm despici abijciq́ue & proculcari ab omnibus, vt Domini mei dignarer insignibus, erat in votis? Hæc solida Religiosi hominis, hæc professio est velle ignorari, pro nihilo duci, tamquam purgamentum & quisquilias sub mortalium cunctorum pedes subijci. Quantum, ô bone Iesu, quantum interest inter te, & me! Tu in causa capitali & infami posthaberi te auctorem vitæ latroni & homicidæ non indignū maiestate putasti tua. Ego domi tuæ, atque adeò iam tecum in cruce confixus inanes gloriolæ vmbras sector. Quid porrò? Vnus ne ego hoc in Ordine
130 sum, qui solennia haud dum emiserim vota? Frāciscus Villanoua nunquam se ijs dignum putauit, quamuis ab Ignatio censeretur; restitit́que propè cogenti. Antonius Madridius num ideò minùs iucundè sancteq́; est mortuus, quòd non dum erat professus? Quàm multos tu nosti ætate ac virtute magis te idoneos, qui non modò non ambiunt, sed etiam tanquam virtute sua celsiorem gradum refugiunt? At tu vesane tantùm non æterno silentio, æternaq́ue solitudine ac cætera asperitate, quæ solùm Deo placendi, seruandæque animæ gratia bene suscipitur, damnasti te, Satanæ vt placeres; eumque imitarere, propterea te præcipitans, quòd non supra tua merita æstimareris; quòd non melioribus te anteferreris. Disce obedire mancipium nequam: disce iugum pati, terra & cinis, Religiose simulator, bonus. populo suasor, tui deceptor & euersor. Non ne nosti, & prędicas optimū esse gratia stabilire cor? Quid ergo adeò leuiter circumageris? Crucē inscēdisti, noli descēdere. Vero Dei seruo, & Christi imitatori ibi optimè est, vbi minimi est. Huc à Deo vocatus es, hîc moriendū est tibi. Num certiora diuinæ vocationis habere argumēta potes? Hîc, quibus insueueras, quærendarum Deo animarum, quæque semper antè tractaueras, tractas munera. Hunc tibi locū, vt maximè tuo ingenio doniq́; à Deo in te collatis aptum atque accommodatū maximus ille Dei præco & amicus Magister tuus Auila assignauit. Multos ad te audiendum diuina bonitas vocat; vociq́ue tuæ ministerio ad multorum salutem vtitur. Quę te ergo tanta cepit vecordia, vt putaueris vel ad punctum temporis quietum tibi ac tranquillum vsquam alibi futurum animum reclamante conscientia, Deo pœnas defossi talenti exigente, cognitis serò diaboli superbiæque tuæ ludibrijs? Quid? excidit ne esse te mortalem? Infixum iugulo gladium geris: iam iam diuinum te manet tribunal, vbi res ex vero penditur, & nugas agis? Cras moriere, fortè hodie, quid tum proderit professio, si caueris virtutibus Professorum? Has si habueris, illa quid oberit caruisse? Eheu miser, eheu oblitus primum vocationis tuę propositum, oblitus Societatem Iesu, oblitus te Christianum, atque adeò hominem esse. Contumax, inquietus, censor contemptorq́ue eorum, quos loco habere Dei debes, corruptor Religiosæ disciplinæ, perturbator pacis domesticæ, cæcus, nudus, grauis tibimet alijsq́ue, tepidus iam iam euomendus, & forsitan ab facie Dei iam proiectus. Talia Ramirius, atque huiusmodi multa dum ad prælatam è cælo facem attentè animo versat, tantus ex meditatione ignis exarsit, vt magno liberaliq́ue pectore duo sanctè vouerit. Primum, se nunquam primam suam vocationem, quam ad maiorem Dei gloriam pertinere intelligebat, deserturum. Deinde nunquam postulaturum, vt inter Professos adscriberetur. Ex qua nobili victoria tum mira ad obediendum alacritas subijt, tum etiam vnà cum beatissima pace conscientiæ nouus ardor ad redemptas Christi sanguine iuuandas pro virili animas, visq́ue & efficacia solita maior accedere visa est. Itaque ciues pariter Salmanticenses, & studiosos litterarum aduenas, quocunque pietatis ferebat impetus, facillimè adducebat, tanto tractabilem magis ei populum reddente Deo, quanto se Moderatoribus suis obsequentiorem ipse præbebat. 131

Fructus obedientiæ.

At non idem animi constantiæq́; Ioanni Verdolaio fuit. Hunc olim rem animarū per Aragoniæ, Valentiæq́; & Catalauniæ regna nauiter curantē, tantaq́; tum ab sacra facundia ac doctrina, tum à pietate ac magistratibus gestis auctoritate, vt parem ei vix vllum homines eius ætatis recordarentur, inuitauerat B.P. Ignarius ad ineundam secum Societatē, datis ea de re litteris. Quas ille litteras cùm lętissimus accepisset, ac veneratione summa asseruaret; non tamen de Societate quidquam expediit, antequam B. Ignatio alijsq́; velut columnis subductis, vt collapsura propè ipsa videretur, tanquā diuina manu, vt interim auctoritate sua fulciret adminiculi instar admotus est. 132

Verdolaius fit Carthusianus.

Digitized by Google

Quippe adeò factum mirati sunt populi, eaque Societati commendatio accessione eius accessit, vt passim voces audirentur, oportere aliquid sanè Verdolaium in eo cœtu vidisse, in quem tanta prudentia, tantaque sanctimonia vir se suamque ætatem vltimam commisisset. Ille quidem profitebatur tum demum locum se inuenisse aptum sibi, planeque ex animi sui sententia. Ac, tametsi ad labores non parum addiderat, tamen beneficium hoc veluti in exactorum laborum nonnullam mercedem à Deo sibi traditum prædicabat. 133 Cæterùm ætate iam deuexa, cùm scrupulis agitari cœpisset, atque obrepente laborum tædio occupata hac vita distrahi sibi curas quereretur, ne quanta tranquillitate cupiebat in vnius summi boni contemplatione fixas haberet; ad hæc ab gerenda Sociorum præfectura, discursandoque euangelizandi causa abhorreret, nostros homines meritorijs equis, quibus sine vlla requiete huc illucque cursandum est, comparans; his tentationibus paulatim adductus est, vt quietem alibi maiorem, quàm vbi primò summam repererat, quæsiturus, ad Carthusiam, quam Scalæ Dei, in Catalaunia vocant, migraret. Verùm quod ijs euenit, 134 qui, vt ait sanctus Basilius, præ insolentia nauigandi cùm in magna naui nausea conflictantur, magnitudini id nauigij tribuunt, transgressique in lembum, nihilo nauseant minùs, quia secum transferunt in stomacho bilem eius mali causam: id Monacho quoque Verdolaio vsu venit. Interrogatus deinde vt abundaret otio ad rerum contemplationem superarum, cum gemitu respondit, se quidem (de se enim propriè loquebatur) ita octonas quotidie horas fatigari cantando, vt postea otium non ad contemplationem, sed ad quietem requireret. Idem viro nobili secessum ab sæculo meditanti, consulentique vt plures expertum Ordines, ad quem potissimùm accedendum sibi censeret, ijs Societatem suasit verbis, vt nostri pudoris non sit referre. Hactenus tamen iuuit meminisse, vt Religiosi homines hoc etiam tanti viri exemplo edocti consuescant in ea, quam semel complexi sunt, vitæ forma ad perfectionem tranquillo eniti animo, nec à præstigiatore Satana circumscribi se, & circumagi vanis imaginibus sinant: cumque in 135 difficultates occurrunt, non quemadmodum declinent eas, sed quo pacto superent, consilium ineant. Ingruunt enim multiplicatæ in fugientem: contraque fortiter euntem fugiunt. Denique duo velim hoc loco notari: primũ, sapientiam Dei, qui Societatẽ hanc suam per homines parum constantes non rarò prouexit, similes ijs vectibus atque tignis, quæ cùm ædificationi ad fulturam vtilia fuerint, ab ædificio remouentur. Deinde quàm necessaria in hoc vitę instituto obedientia perfecta sit: ac proinde ipsa instituti ratio quàm excelsa & ampla, quam tot virtutũ decora sine illa obsequij perfectione non expleant. 136 Et quidem Granatæ in prouincia Bætica sub id tempus in re haud magna ingens obedientiæ simplicis, quam cæcam vocamus, vis apparuit. Inter Nouitios erat Iuris consultus, & aduocatus antea nobilis, Consaluus Esquiuelius nomine, qui vnà cum famulo in Societatem cooptatus, famulo culinæ ministerijs destinato administer subiunctus est. Insigni alacritate feruens Doctor in sanctæ humilitatis opere versabat manus: verùm quo minùs interim animus in rerum diuinarum meditatione, sicut auebat, quiesceret, gallinarũ quarumdam, quę fortè iuxta culinam erant, irrequieto garritu perturbabatur. Quam molestiam ægrè diu perpessus, tandem Consaluo Consaluio Rectori candidè significat. Rector interrogat, admonuerit ne eas vnquam, vt tacerẽt. Imò absterruisse, & comminatum toties, vt defessus iam sit, respondit; tamen vsque eas cucurire molestius. Tum Rector: Non mirum est, inquit, si recusant parere, quandoquidem imperiosè atque inhumaniter agis. Adito aperto capite, & apposito ad os digito humiliter ac benignè per Dei amorem precare, vt taceant. Subridere hîc Doctor. Atqui, inquit Rector, abi, & hoc pacto roga. Mira profectò res. Gallinæ vt cùm maximè perstrepebant, infert se in medium scienter imprudens Doctor; vtique est iussus nudo vertice appellat, cùm repentè garrulæ aues obmutescũt, protensisque collis cunctæ immobiles conquiescunt. Quin etiam vna, quæ in sublime, quasi chorum ducens, ascenderat, vocalior & molestior cæteris, desilijt in humum, silensque admiscuit sese silentibus. Constitit bonus Tiro paulisper admirans; tum ad spectaculum tres alios è Socijs aduocat: qui eam rem contemplati Deo laudibus persolutis, nouos ad simpliciter obediendum impetus ex obedientia indocilium bestiolarum acceperunt. Hæc indubitata esse, multæ quæ extant eo tempore scriptæ litterę, aliaque certa monumenta testantur. 137

Additum huic prouinciæ Gaditanum Collegium. Eius quod nuper conditum Trigueri erat, 138 latè nomen fructusq; serpebat. Nulla tamen res perinde vulgò vtilis habebatur, atque institutio puerorum in doctrina, vitaque Christiana; quæ vsque eò prosperè succedebat, vt Triguerensium ciuium, qui puerũ in Collegij gymnasio (quarto Idus Aprilis initium docendi factum) haberent, ij sibi perbonum domi concionatorem existimarent esse. Nam pueri, si quos domi, & interdum in vicis iurantes iurgantésue, aut conuitiantes audirent, aut quidpiam parum Christianè molientes cernerent; demissis genibus, ac sublatis manibus per Christi sanguinem, vt abstinerent, obtestabantur simplicitate blandissima potentissimaque. E ludo gregatim suam quique in oppidi regionem ab decurione deducti recedebãt, per vias diuinæ legis primordia, & pia carmina concinentes, quæ res maximè pium vulgo, ac dulcem senioribus præsertim ingenerabat sensum. Cùm enim eodem tempore omnes oppidi viæ puris innocentium vocibus, & Christi Iesu sanctissimo nomine ac laudibus personarent, ipsum cælum, quandocunque illi è ludo prodibant, immundis perpurgari spiritibus, conserenare, fierique nitidius videbatur. Diebus verò sanctioribus cuncti simul prælata cruce duorum ductu Magistrorum è Collegio ordinatim egressi in platea consistebant. Hîc plurimis auditum spectatumque affluentibus pueri de sanctæ legis rudimentis interrogati ita piè scienterque respondebant, vt parentibus suis, cæteræque multitu-

Quies non alibi quàm in suo cuiq; animo quæ-renda.

In difficultatibus quid agendum.

Simplicis obedientiæ mirum documentum.

Triguerensis Collegij successus.

Digitized by Google

titudini admirationem pariter, & ingens ad pie-
139 tatem incitamentum afferrent. Hæc præter conciones, aliaque consueta Collegijs munera nouam Triguerensibus quasi lucem, ac rerum faciem referebant. In vicinis quoque oppidis Ioannes Rodericius Rector, Bustamantius, alijque strenuè desudabant. Et quidem in oppido sancti Ioannis ter in hebdomada per Quadragesimam Rector Rodericius Ecclesiasten tali ritu egit. Quo die habenda concio erat, bene manè pedes profectus (ad quartum lapidem Triguero abest) primùm omnium salutaria ad populum verba faciebat: tum in xenodochium digressus operam confessionibus in multam diem nauabat. Vbi demum soluendi ieiunij necessitas admonebat, ostiatim cum Socio victum quæritabat, nihil ex ijs accipiens, quæ plebis sacri Rectores affatim suggerebant. Qua abstinentia, cæteraque industria cùm præclarissima multa gessit, tum latè patens & inueteratum iurandi temere peierandique vitium, Sodalitate etiam ad id instituta, mirè coërcuit.

140 *Gaditanum Collegium conditur.*

Harum fama rerum magis accensi Gaditani Collegium omnino apud se statuendum decreuerunt. In insula nominis eiusdem applicita Bæticæ continenti extra fretum Herculeum in Oceano Gades sunt, extremus Europæ ad Occidentem limes, vrbs peruetusta ac nobilis, eademque celebre ac locuples emporium. Cæterùm, quæ assolet inter copiam rerum, & promiscuam aduenarum celebritatem, vitiorum quoque copia inerat. Ad quæ tollenda vtilem Societatis operam & ex fama rati, & interdum breues per excursus Patribus eò missis, experti Gaditani, quãuis nulli omnium ad eam diem Religiosorum Ordinum (& multi sæpè tentarant) receptum dedissent; tam eam auidè expetierunt, vt pari consensu Ecclesiasticus ac popularis Senatus tradito templo, & collatis reditibus aduocarint. Duo tantùm sacerdotes initio missi Iacobus Lopius, & Sancius Castillus: quorum labores ea populus propensione in concionibus, & catechesibus, & mysteriorum distributione amplexus est, vt futuri temporis vbertatem initia læta satis pollicerentur.

141 *Alfonsi Zaratis præclara facta.*

Alfonsus Zarates Cordubæ, vbi Collegio præerat, domi ac foris multa præclarè gessit. Eius operâ cùm Episcopus, tum Vicarius, vbicunque disciplina Religiosa ferret, liberaliter vtebantur: eoque suasore & administro Collegium sacerdotum institutum est, vnde, postquam duos annos pietatis ac litterarũ doctrina perpoliti essent, pastores populorum idonei educerentur. Cuius sapientis instituti industriæque suæ specimen per ieiunij magni solennia bini ad conciones oppidatim distributi sacerdotes hoc ipso anno ediderunt. Eiusdem Rectoris suasu optimus Præsul ex tota vrbe doctissimum quemque, primosque Monachos ac Cœnobitas, & ipsos sacratũ familiarum Antistites cùm in vnum aliquoties conuocasset, iussit videre, collatisque sententijs declarare, quid Prætori, quid Vigintiviris, quid administris eorum, quo conscientiæ Christianoq; officio satisfacerent, præstandum, aut prohibendum esset. Quod communi consensu decretum eo valuit maximè, vt omnibus deinde per vrbem confessarijs inter se consentientia responsa edentibus, nemini reorum ad conscientiam liberandam indulgens nimiùm, aut imprudens absolutio, delictorum semen, relinqueretur: eaque necessitate ad officium omnes compellerentur. Nihil enim perniciosius esse moribus, & priuatis, & publicis intelligebant, quàm magistros officiorum, sacrosque inter se iudices dissentire, dum quòd mascula aliorum integritas ædificat, aliorum eneruis lenitas destruit. Idem Rector mercatores, & actuarios, scribasque publicos in sacellum coactos, quæ ad ipsorum statum pertinebant, edocuit, tam felici sanctaque quasi pellacia, vt qui Patrum consuetudinem tanquam nimis ad viuum cuncta resecantium modò horrebant, iam vltrò appeterent. Quibus, alijsque muneribus haud mediocriter totius studia ciuitatis ad virtutem redacta sunt. Porro Curionum numerus, sacerdotumque aliorum tantus ad exercitationes spiritus accurrebat, vt Patrum exercitatorum vires opprimerentur, & copia deesset. In Synodo, & in promulgatione Tridẽtini Concilij haud minùs adhibita Patrum opera concionibus præsertim habendis: neque minùs vtilis fuit. Ita domi foriscque Collegij virtus industriaque florebat cum summo totius ciuitatis bono. Tanti interest validum caput vegetumque præesse, vnde in corpus omne salubritas diffundatur. Benignitate ciuium, & ante omnia Dei largitate, cui seruiebatur, fretus animosus Rector, Cordubensi dignum magnificẽtia inchoandum templum existimauit. Quo die martyris ac virginis Catharinæ anniuersarij honores instaurantur (ea enim Collegij præses est) primarius rite fundamentorũ positus lapis; qui spem optimam fecit eam sedem Martyri, patronæq; sanctissimæ cordi fore. Quippe pridie solennium inclinato in vesperam die Ioannes Corduba Collegij auctor, vnaque Villarius sacrorum Quæsitorum alter, dum spectant apparatum, mirificeque tenentur cùm splendore & opulentia vestium, quibus omnes Collegij parietes collucebãt, tum ornatu altarium, quæ pio certamine discentium ordines in suis quisque classibus excitarant; etiam lapidẽ cura subijt videndi, qui rite consecrandus in titulum sub malleo scalproque tum ipsum gemebat. Quem vbi Quæsitor vidit, nequaquam eo dignum loco, quòd nitrosus esset, existimauit. Prolato altero, ne illum quidem probauit. Tum scrutari orsis in æde quadam, quæ puerorum catechesi destinata erat, lapis peruetustus apparet polito è marmore cum his argumentis. In parte altera quinque cernebantur rotunda foramina ita disposita, vt non inuenustè crucem figurarẽt. Medio partis alterius crux ipsa perpetuo ductu insculpta inerat, circaque eam sanctæ Catharinæ rotæ complures. Fit cum admiratione plausus. Nihil potuisse aptius de industria fingi: oblatum à Deo & fauente suo operi Catharina, auspicatissimum fulcrum, cui æternùm sustinenda totius ædificij moles bene crederetur. Igitur lapidem eum solenni cerimonia consecrauit, posuitque Christophorus de Rojas & Sandoual Antistes, sacro pariter humanoque Senatu, cunctaque nobilitate coràm fauentibus: & ad cumulũ sacræ gratulationis idem protinus Anti-

142

143 *Templi Cordubensis ædificatio.*

144

Digitized by Google

ſtes ad concionem verba accommodatè fecit.

145 *Res ab Auellaneda Hiſpali geſta.*

Hiſpali Rector Iacobus Auellaneda in templo Saluatoris per annum concionatus multa ciuitati, ac duo potiſſimùm bona peperit, negotiationibus ludiſque ſublatis, per quæ vulgò dierum feſtorum partem maximam profanam faciebãt. Eoque Hiſpalenſium ſe iuſta pietas, & Auellanedæ auctoritas prodidit, quòd cùm antè confeſtim à prandio ſtratis paſſim luſorijs tabulis viæ ludentium circulis plenæ conſpicerentur, quo primùm die in eum Chriſtianis indignum morem concionator inuectus eſt, ne vnus quidé vſpiam eiuſmodi cœtus apparuit. Dum verò conſueta carcere vinctis ſiue hortandis, ſiue expiandis ſtudia nauantur, non indigna memoratu res, vnde vigilare vindicem Dei oculum, mortales admonerentur, euenit. Circummiſſus Granata Iudex ad præcipuas Bæticæ vrbes anquiſitum in nefandæ libidinis reos, Hiſpali inter cæteros hominem reperit inſimulatum ferini ſtupri. cumque teſtes duo crimen ſacramento affirmarent, incendio ſontem beſtiamque damnauit. Iamque lictor habitu damnatorum induto reo, etiam reſtim collo circumdederat, protinus tracturus ad rogum, niſi qui aderant Patres, fortiter obſtitiſſent, ne miſer abſque confeſſionis Sacramento periret. Impetrari enim ex eo non poterat, vt, quando perditurus erat vitam mortalem, æternæ conſuleret, quòd ſe innoxium omni aſſeueratione contenderet. Conuenerat ad ſpectaculum, & exitum opperiebatur multitudo populi tanta, quanta non facilè antea vnquam: tamen Patrum duo raptim ad Iudicem elapſi, haud ægrè tenuerunt, vt ſupplicium in diem proximum differretur. Interim alius Pater, qui apud damnatum manſerat, dum multiplici interrogatione pertentat, quam ob rem, à quibus, quo pacto accuſatus eſſet, argumentando, comparandoque omnia, eò venit, vt adhibitam calumniã vehementer ſuſpicaretur. Aditoque & commonefacto Iudice, vt alterum item diem pœna prorogaretur, quanquam ægrè, tamen exorat. Idem poſtero die, vt primùm illuxit, cum bona Rectoris venia ad teſtes paſſuum inde quatuor millibus procul adit: dumque inuentos in agro ſeorſim interrogat, vterque demum fatetur, ſibi nihil eorum quæ detuliſſent, compertũ: quin adeò ſubeunte pœnitentia remedium tanti mali ſupplici-

146 *Diuinæ iuſtitiæ documentum inſigne.*

ter expoſcunt. Igitur alterum eorum in Collegium Pater adducit, qui apud ſcribam ad id à Iudice miſſum, coram idoneis teſtibus ipſo in templo teſtimonium retractat. Tum verò, quoniam cautio erat, ne, quod ab innocente repellebatur, periculum in ſontes recideret; tum is, qui adductus in vrbem fuerat, poſt criminationem retextam ſedulò abditus eſt, vt captato tempore in tutum furtim emitteretur: tum calumniator alter in agro cum cura præmonitus, vt in tempore ſibi conſuleret. Verùm cùm neque is cauere ſibi tempeſtiuè voluiſſet, & alter latebræ diffidens præproperè fugam cepiſſet, ambo comprehenſi, & calumniam faſſi, ſeuera talionis pœna parato immerenti rogo cremantur: illi autem non vita ſolùm & fama ſeruata, ſed donata etiam pecunia honos eſt habitus. Cæterùm vt vno eodemque

147 tempore iuſtitia Dei, & miſericordia palàm fieret, ambo totius vitæ confeſſi noxas, præmunitique immortalitatis ferculo, nunquam deſerentibus Patribus, cum claris pœnitentiæ argumentis conflagrarunt. Pleriſque viſum geminum ei iudicium, quod de Suſanna ac Senioribus diuinæ hiſtoriæ produnt. Iudex gratias agebat Patri, qui tanto ſe diſcrimine liberaſſet: palamque profitebatur, cùm primùm ad ſe ingredientem vidiſſet, Angelum Dei ſibi viſum fuiſſe. Inter has diuinæ prouidentiæ notas dum ſeruerent Hiſpali pietatis ſtudia omne genus, nec minùs litterarium flagraret opus, ſexcentique numerarentur diſciplinarum, quæ ad Latinam locutionem, & Humanitatem informant, auditores, illud accidebat incommodè, quòd per anguſtias inopiamque Collegij multi adoleſcentiũ aditu Scholarum excludebantur: deinde alij, poſtquam ſatis doctrinam, cuius copia erat, perceperant, diſciplinarum grauiorum deſiderio, haud ſine ingenti ſuo, ingenti ciuitatis iactura dilabebantur. Ergo pietatis diuinæ fretus arca Rector Auellaneda ædificanda ſumpſit auditoria quatuor. Et ſuffecit impenſis tametſi non leuibus, arcæ illius inexhauſta vena, propè mirabiliter vndiq; confluente ſtipe. Ciuitas ipſa Senatuſconſulto, quod ratum habuit Rex, dignã æſtimatione per ſeque & præſertim conferentiũ dignitate ſummã contulit. Ita laxatæ ſapientiæ ſedes, & Kal. Septemb. lætioribus adiecta Muſis Philoſophiæ maturitas. Hæc incremẽta per id tempus Hiſpana Societas Deo propitio capiebat in terris, dum ſubinde haud paulò firmioribus amplificaretur in cælo.

148 *Hiſpalenſis gymnaſii incrementa.*

149 *Ioannis Quadræ virtus, & obitus.*

Belmonte Ioannes Quadra patria Toletanus, ex concione in morbum lapſus, die paraſceues ſub horam, quam ſua olim vitali morte Dominus conſecrarat, ad eum piè migrauit. Anno M.D.LVI. Societatem, percurſo iam ferè ſtudiorum curriculo Compluti ingreſſus, tirocinij partem Septimancæ poſuit: tum Burgis aliquamdiu conciomatus, ac bimeſtri catecheſi per montanos circà populos circumlata, Valliſoleti culmen ſtudijs impoſuit. Inde iuuentutis inſtitutionẽ Methymnæ Campi auſpicatus ad Belmontani Collegij ponenda initia profectus, ibidem magiſter in ludo, orator in templo, iudex in pœnitentiæ tribunali ſtrenui & perutilis operarij partes implebat. Rara erat hominis exterioris conformatio ac ſpecies ab natura, ſed gratior ab virtutum animi temperamento, quas illa inuicem, vt aurum gemmas, exornabat. Ille quidem ex induſtria deformare interdum rugis, & obliquo intuitu amœnam illam naturæ indulgentiam conabatur: cæterùm is modeſtiæ tanquam bono in lumine emicabat toto in habitu fulgor, vt vbi domi foriſue appareret, nemo eſſet, quin ad grauitatem quamdam ſe maiorem componeret. Eximia viri erat obedientia, ſubmiſſio, conſuetudo cum Deo. Quàm verò ſibimet auſterus eſſet, poſtremo in morbo perſpectum eſt. Quòd cùm applicandas tergo cucurbitulas medicus cenſuiſſet, nuſquam inuentum in eo locum integrum ferunt, vbi applicarentur: adeò totum lacerauerat proſciderat̃que flagris. Populus omnis quaſi parentem, communemq; paſtorem luxit, eo dolentiùs, quòd in flore virtutis æuique duodetrigeſimo anno ætatis eſt raptus. S. Franciſci

150 Reli-

Digitized by Google

Religiosi, qui & vltrò preces pro ægro de suggestu indixerant, Collegium Canonicorũ, Curiones, Sanctimoniales quoque Dominicanæ suis quique seperatim exequijs magnificè honorarunt, passim diebus multis in ore omnium carmine illo personante, *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.* Agendi cum Deo, precandique studium à puero adamarat; & inde egregia sibi iam tum auxilia adfuisse profitebatur. Voluntariam quoque paupertatem puer vouit: adeò ad perfectum indoles ferebatur. Denique cùm quantum plurimum posset, placere Deo cuperet, & Societatis obseruata caritas ad sese pelliceret; eæ fuerunt causæ cur in eius confugeret sinum, quo benignè exceptus, in eo vt sanctè egit, quantulum concessum est viuendi munus, ita securè peregit.

151 *& Ioannis Pauli.* Placentiæ Collegij Rector Ioannes Paulus (quem & Ioannem Aluarium appellabant) Granatensis origine mortem potiùs, quàm vitam post annos Societatis fermè septemdecim finiuit. Dudum enim cunctis artubus ex acri humore doloribus torquebatur acerrimis. Cuius animi æquitatem constantiamq́; , vt ne ingemiscentis quidem vox vnquam audiretur, Medici cùm stuperent, aiebãt, si quispiam alius id, quod toto perferebat corpore Ioannes Paulus, in vno manus aut pedis articulo pateretur, totam domum insanis vocibus completurum. Nec dissimulauit Pater cùm simpliciter aliquando quæsitum esset, vnde patientia illa, orisque serenitas oriretur, nasci ex interiori vnctione, qua Deus tot inter cruciatus animum suum reficiebat. Summè deditus erat precando Deo, & cælestibus reputandis. Consuetudine lenis ac placidus, omnino factus ad pertrahendas ad suum procreatorem animas administer. In oppido Sanlucari ad ostia Bætis amnis per duos annos domicilio, quod eo loci Societas habebat, præfectus, longum sit memorare quàm multa Apostolicæ sanctitatis documenta ediderit. In templis, in foro, in compitis, in litore tum maximè cùm soluturæ stabant nouum in orbem classes, exaltabat in fortitudine vocem suam, annuncians omnibus regnum Dei, & scelera eorum; eo successu, vt lacrymæ vberes, vt homologeses feruidæ, vt constantes ad honestum reditus sequerentur. Fuit cùm apparata exagitandis tauris in area maximi templi venatione, domus Dei zelo tactus pro templi foribus voce sublata, sic summos infimosque permouit, vt omisso ludo, concionanti operam haud sine lacrymis darent: magno scilicet bono suo ad meliorem venationem traducti, qua non innoxia bellua, sed pestifera vitia, & dira tartari monstra exagitarentur: auditores diuinæ vocis effecti, qui futuri venerant immanis ludicri spectatores; vt dum pernicies imminebat ab oculis, per aures salutem haurirent. Ad hæc indigentium angustijs, ægrotantium doloribus, morientium periculis succurrebat negligentissimus sui. Nam & intempesta nocte ad presbyterum vocatus grauiter laborantem, qui nisi ille extemplò opitularetur, actum de anima sua clamabat; æger ipse, & paulò antè pharmaco epoto, accurrit, & præsens solatium tulit. Adeò alienam animam vitæ anteponebat suæ. Passim autem vrgebatur, vt Euangelium super ægros recitaret, quòd pleriq; continuò leuarentur febribus magnis, nec pauci omnino liberarentur. Feminam quoque à dæmone diuexatam homologesi, & Euangelij pronunciatione curauit. Quas res pari propemodum remunerabatur caritate populus. Nam, cùm morbi ipsum non infrequentes periculosè prosternerẽt (id enim totis in aliena commoda versis consequens erat cũris) non modò precibus & votis, sed vita etiam sua vicaria offerenda valetudinẽ ei precabantur. Summo cum 152
animi sensu de Christo Domino, sanctissimaque eius vita, & immensis meritis texebat priuatim publiceque sermones vsque eò, vt interdum lacrymis obrutus mediam dictionem abrumpere, & concionẽ mittere cogeretur. Ab hinc biennio præpositus Placentino Collegio Rector eam induxerat inter domesticos disciplinę perfectionẽ, vt domiciliũ Angelorum potiùs, quàm hominũ videretur. Sacerdos, qui eius ab vltima ætate reuocatam confessionem paulò ante mortem excepit, cùm alia in eo dona Dei singularia, tum florem illibatũ virginitatis obseruauit. Morienti adfuit Munnonius Ecclesiæ Placentinæ Canonicus, idemque facultatis Theologicæ Salmanticensis Decanus, enixeque roganti, vt sui memor in cælo esset; æger cùm aliquamdiu tacuisset, respondit, si Deus se conspectu suo dignaretur, eius memorem fore. Quod cum fide præstitum dubitare non licuit. Canonicus enim ex eo tempore nouis quibusdam intus in animo stimulis impelli ad omnem honestatẽ cœpit, cum illustriore notitia diuinæ bonitatis, & grauiore dolore peccatorum suorum: repetitaque confessione generali ex ea, quam Romæ olim apud B. Ignatium instituerat, multò seuerius exinde vitæ genus exorsus ad finem vsque pertexuit.

Multas hoc anno vrbes in Hispania quoque 153
vastauit lues, Lucronium præcipuè, & Cæsarau- *Pestilenti-*
gustam ex his, quæ Societati incolerentur. Ap- *bus allatum*
parere & Barcinone cœperat, sed non processit. *auxilium.*
Hieronymum tamen Morillum eximia virtute fratrem Collegio eripuit, cui mysteria vltima Prouincialis Cordesius sua manu adhibuit. Lucronij cùm initio plurimi plebeiorum destituti iacerent nondum contagione clarè vulgata, eos Patres ad nosocomium deferebant: ibique corporibus simul eorum, simul animis medebantur. Cognita dein pestilentia cùm locupletissimi quique vrbem desererent, soliique inopes residui fierent, Pater Petrus Martinius Rector bonam pecuniæ summam prouidè ex migrantibus corrogauit, qua necessitates pauperum leuarentur; præuidens fore, quod euenit, vt digressis ditioribus miseram plebem fames pariter luesque circumuenirent. Principio peste attacti præ verecundia non audebant ad se Patres accersere, ne eos contactu inficerent. Quod cùm Rector animaduertisset, luce sacra Deiparæ Elisabetham salutanti in suggestum progressus concionẽ mœstam digressu aliquot è sacris familijs, qui alijs temporibus valdè vtiles ciuitati erant, consolari instituit, denunciauitque neminem è sex, qui Collegium incolebant (pari numero sacerdotes, & laici erant) abiturum: quin adeò, quanquam malum publicum quàm maximè displicebat, tamen

Digitized by Google

gratias agere Deo, quòd tempus voluisset incidere, quo salutem vitamque suam dedicare ciuium bono possent. Proinde sine verecundia fidenter ac liberè, quandocunque opus foret, adirent, accerserent. Quæ caritas miseris tantam ad summum discrimen sua causa obeundum alacritatem cementibus maximum erat leuamen miseriarum. Tum ipse Rector ac cæteri sacerdotes non modò quò vocarentur, accurrere, sed etiam vicatim vrbem obire, prouidentes, ne quem pœnitentiæ expertem mors raperet. Sacerdotibus autem præcipuè ad animarum curam intentis, cæteri Socij ad nutrimenta corporum stipem indigentibus diuidebant. In sanctis hisce caritatis officijs dum sola & vasta in vrbe cuncti certatim elaborant, primus omnium Rector, dum saucio confiteri aurem commodat, hausta lue, dein alij tres extincti sunt: Thomas Ianguas, & Michaël Montielus sacerdotes, & non sacerdos Ioannes Scuderus. Omnes extra Collegij templum, quòd id nondum dedicatum erat, sepulti. Nec domi sacrum oleum habebant. Quod cùm ad Patrem Rectorem rite inungendum sacerdos nomine Abecia è templo principe detulisset, & pro caritate, qua Patrem amabat, ad eius conspectum in lacrymas erupisset (inuenerat considentem in lectulo in pendentem è cruce Dominum, quem manu tenebat, oculis intentissimè fixis) Pater tantisper obturu in eum traducto, Quid est, inquit, quod fles? Si nosses caritatem, qua propediem copulandi sumus, profectò lacrymis abstineres. Sub ea mœstissima tota ciuitate decedit, & honestissimis exequijs, pheretro etiã pulchrè consperso floribus decoratur; triduoque pòst, vti ille prædixisse visus erat, Abecia quoque est in cæ-
155 lum ad caritatem perficiendam secutus. Is erat Petrus Martinius, de quo Tirone mentio est vltimo annali primæ partis Historiarum Societatis: oriundus ex oppido Ribafrecha diœceseos Calagurritanæ. Acri pollens ingenio, rebusque Philosophicis bene cultus: ad hæc optimam pietatis indolem nactus valdè meditationibus delectabatur, per quas ad Dei cognitionem ex consideratione rerum naturalium ascenderet, cùm cœpit ad Societatem interiore instinctu impelli. Rarò alius grauiorem in tali deliberatione luctatum sustinuit. Sic persuasum habebat: Societatem sibi pro gehenna fore: tantus erat refugientis ingenij horror. Ex altera parte adeò manifestis incitabatur vocantis Dei documentis, vt tandem ita secum decreuerit, satius esse gehennam illam subire, quàm contumacem se Deo declarare. Hanc animi inductionem cùm attulisset, mirum quantum opinione sua falsum se deprehendit. Profitebatur postea dæmonem, cuius tam proiecta audacia est, nunquam tamen tantum contra se ausurũ, vt constantiam suam in suscepta Religione tentaret. Quin etiã, si Deus optionem sibi liberam daret fingendi cogitatione locum ex animi sui sententia, in quo mortalem vitam degeret, eumque ex vniuersa rerum natura siue in terra, siue in cælo deligendi, ne punctum quidem temporis alibi, quàm in Societate futurum. Debent ei multum Lucronienses Collegij primordia, quæ & operæ sedulitate, & præclaris exemplis, atque etiam patrimonij sui parte, denique pretiosa morte posuit, constabiliuit, ornauit. Pater Thomas Ianguas Lucronienses erat satis opulenta domo, recèns creatus sacerdos. Iuerat & ipse Collegium ex patrimonio suo tribus propè millibus aureorum nummûm. Salmanticæ receptus annos tex in Societate vixerat obediens ac piè. Montielo pagus nomine Lobus quatuor Lucronio leucis patria erat. Primus in Societatem Lucronij nomẽ dedit iam sacerdos, in qua quatuor penè annos vixit obedientia mirè simplici promptaque, nec ægriùs quidquam ferens, quàm quòd seueriùs non acciperetur. Scuderus ætate iam matura manuum labore, ac religiosa industria egregiè partes implebat suas, probatissimus Collegio, & ciuitati. His raptis tantùm fratres duo reliqui fuere, Franciscus Pennaserrada, & Ioannes Sancius Patris Martinij sororis filius; quorum tamen illum bis, hunc semel pestilentia tetigit. Ac demum Francisco ad vastitatem Patribus nunciandam profecto, eò processit misera ciuitatis strages, vt iam in Canonicum Medranum tota animorum, & in Ioannem Sancium tota iuuandorum corporum reciderit cura, inter assidua vitæ discrimina, & immensas æruinnas. Ita Lucronienses Collegium non pestilentiæ magis incendium absumpsit, quàm propè totum caritatis flamma gratum Deo sacrificium fecit.

Cæsaraugustæ numerosius Collegium erat: quare placuit Prouinciali Cordesio Rectorem Alfonsum Romanum ad loca integra cum sex alijs sacerdotibus, duobusque laicis migrare; octo autem partim sacerdotes, partim laicos subsidio ægris relinqui. In delectu eorum, qui mansuri in vrbe erant, haud exiguum certamen fuit; cùm quisque sibi eam sortem optaret flagitaretque. Incensi deinde eruditiq; Rectoris adhortationibus, & collationibus mutuis, qui delecti fuerant, magno animo & alacritate vitam suam saluti publicæ consecrarunt. Assidui in templo, vt confluentes, qui multi erant, excíperent: expediti ac celeres ad accurrẽdum, quocunque vsus vocaret (& cum medico pio conuenerant, vt sicubi necessitatem offenderet, indicaret.) In quibusdam etiam parœcijs vel morte, vel fuga Curionum vacuis, expleuere Pastorum vices. Res tam rari erat exempli, tamque populo grata, eademque necessaria, vt cùm quempiam ex eo manipulo, per vias huc illucque festinantem, quò caritas ducebat, cernerent, faustis sine fine precationibus prosequerentur. Sed hîc quoque fidelium seruorum labores cælesti Domino placuit præsenti mercede remunerari. Sex igitur ex octo sublati sunt, æquo numero sacerdotes ac laici, cùm virtutum quisq; insignium viuens ac moriens documẽta præbuisset. Primus omnium decessit Iacobus Torrecilla Patris Petri Torrecillæ frater necdum expleto tirocinio, insigni homo simplicitate, submissione, caritate; obedientia verò tanta, vt, cùm mali vis vsum ei mentis ademisset, & interdum lectulo exurgeret, interrogatus, quid ita surgeret? respõderet, Quia sancta obedientia iussit. Adeò parendi studium cogitationi fixum inhæserat. Hic tamen, quia sub pestilentiæ exortum cecidit, an ex pestilentium obsequio causam traxerit moriendi, non

In pestilentium curatione mortui Lucronij

Petrus Martinius Rector.

156 *Thomas Ianguas.*

157 *Michaël Montielus.*

Ioannes Scuderus.

158 *Cæsaraugustæ pestilentes adiuuti.*

159 *Mortui in pestilentiali obsequio Cæsaraugustæ,*

Iacobus Torrecilla.

con-

Digitized by Google

constat: litteræque eius temporis haud obscurè
160 negant. De cæteris nihil dubij est. Hi fuere Anto-
Antonius Assentius, Iacobus Diazius, nius Assentius item Tiro, sed veterana virtute cę-
lòque matura, & Iacobus Diazius natione Lu-
sitanus; & ipse ad opera manuũ impiger, ad Re-
ligionis munia feruidus. Sacerdotes verò Ioan-
Ioannes Fernãdius, nes Fernandius, qui iam sacerdos, & magno na-
tu cùm tribus antè annis in vineam Domini ve-
nisset, ita operam intenderat, tanquam suprema
hodæ angustias diei laxitati contentione adequa-
turus. Dein Ioannes Paulus Moxica, qui & Tiro-
161 cinibus Magister præfuerat, & Collegij tum erat
Ioannes Paulus Moxica, Minister, ingenio lenis & placidus: ea morum
& oris modestia, quæ pietatem intuentibus
162 quamdam ingeneraret. Denique Alfonsus Loza-
Alfonsus Lozanus. rius vetustus sacræ palæstræ annorum sexdecim,
nobilisque athleta: olimque Valentiæ in eadem
pestilentium cura exercitus. Valentiæ item Vi-
carius Rectoris, & Nouitiorum institutor Cæsar-
augustæ fuerat: clarum industriæ, nec minus
virtutis, quocunque loco egerat, voce, aure, ma-
nu adeptus nomen, Gandiæque maxime: vbi in-
tercætera ferunt feminam sex iam menses è fe-
bribus & doloribus acerrimis decumbentem,
cùm peracto coram ea Sacro, Christi corpore im-
pertisset, postridie, Lozani, vt omnes opinaban-
tur, meritis, desisse decumbere. Nunc maximè
instabat, vt ad Indias mitteretur, cùm domi,
quod longo petebat cursu, reperit, vt pro fra-
tribus animam daret. Omnes rite procurati di-
uinis occubuere: eorumque quatuor, qui po-
stremi cecidere, tumulo dedit Petrus Andreas
tum Vicarius perpetuus maioris Ecclesiæ, postea
sanctæ Mariæ à Columna Canonicus: cui cùm
multum debeamus, quòd cum tanto suo discri-
mine nostris sodalibus & Sacramenta, & sepul-
turam præbuit, æquum fuit & id à nobis gratæ
memoriæ documentum reddi. Interim Socij,
qui ex vrbe secesserant, multa circum oppida
dispertiti lustrarunt, alij in neophytis Mauris, a-
lij in veteribus Christianis excolendis opportu-
nissimè desudantes.

163 In Lusitaniæ domicilijs optimum vbique
Olisipponẽsis Collegij incrementa. pretium laborum constitit. Cardinalis Henricus
ab Eborensi sede ad Olisipponensem translatus
(num tamen si haud pariter locuples est, cam præ-
optauit, vt quoniam administratio regia fre-
quentiùs ibi tenebat, simul rem sacram commo-
diùs coràm proueheret) vt qui satis Academiæ
Eborensis expertus erat commoda in iuuentutis
institutione, & sacrorum copia ministrorum;
cõtinuò cœpit agere de magno Collegio Olisip-
pone quoque fundando, in quo protantæ am-
plitudine vrbis ad priores sex Latinarum litte-
rarum Magistros, quatuor adderentur, & præterea
duo quæstiones conscientiæ pertractarent. Et
additi sunt hoc anno Magistri Latinitatis duo:
difficultates verò officiorum Marcus Georgius
sacerdotum plus trecentorum concursu expli-
care exorsus in templo, donec auditorium multi-
tudinis capax extrueretur. Addidit verò &ne-
164 gotium, & auctoritatem Patribus Cardinalis.
Namque cùm ex recèns promulgato Concilio
concionatorum & confessariorum explorandæ esset facultas, non modò de Societatis homi-
nibus iudicium omne & præsens, & in futurum
Prouincialibus credidit cùm in Lusitania, tum
in Brasilia, & in India, quas in prouincias pote-
stas eius, vt Legati Pontificij pertinebat: sed alio-
rum etiam omnium voluit cognosci probatique
doctrinam à Patribus nostris. Quam onerosam,
vulgoque inuidiosam prouinciam ita Deo iuuã-
te, modestia & sapientia gerentium temperauit,
non modò vt publicè salutaris accideret, sed e-
tiam Societatis nomini gratiosa. At verò Cardi-
nalis dum omnes optimè pascendi sui gregis vias
experitur, iussit etiam ex tota diœcesi quinqua-
ginta de Curionum, aut alioqui sacerdotum nu-
mero legi præstantissimæ ad pastorale officium
facultatis, qui, quoad egregiè præceptis infor-
marentur, Olisippone degerent subsidijs ab ip-
so suppeditatis, quorum in locum, vt quisque
postea in parœcias suas dimitterentur, alij dein-
ceps, alijque succederent. Ita Collegium Oli-
sipponense, quod Lusitanicæ prouinciæ semen
fuerat, & ad hanc diem maiestati vrbis neque
censum, neque molem parem habuerat; paula-
tim ad iustam quasi staturã adolescebat, ad eam
denique amplitudinem, quę hac tempestate cer-
nitur, peruenturum. Inter hæc vix creditu faci-
le est, quantum Olisippone catechesis floreret: 165
eo tamen minùs est mirum, quòd grauissimi qui- *Olisippone floret catechesis.*
que Patrum, & Michaël ipse Turrianus catechi-
starum partes obibat. Diebus ante cineres pueri-
lis catechismi potiùs telis, quàm satellitum vi
miniscque, quod Principes curabant, bacchan-
tium licentiæ modus factus. Quod Regina cùm
animaduertisset, multò plures voluit per vias
& compita spargi catechistas. Itaque alij Profes-
sorum domo, alij Collegio egressi ingentia pue-
rorum agentes agmina, ad ea maximè intendẽ-
re grădum loca, ibiq; constitere, vbi plurima erat
desidum, vel licenter lusitantium turba. Atque
ipsamet Regina de religionis differentes initijs,
inuicemq; interrogantes (iam enim Patris Ioan-
nis Ramirij ita distinctum cùm vidissent, similem
fecerant Catechismum) puellas audire voluit, eo-
que spectaculo mirificè delectata non indonatas
dimisit. Sub annum extremum aula Almerinum 166
translata, Regina Cardinalique instantibus, vt *Almerini domicilium ponitur.*
eò sequerentur Patres, quorum potissimùm vte-
bantur industria, domus instituenda fuit: in qua
Socij numero septemdecim habitarent, omnes
præter Adiutores domesticos, in aulicæ pietatis
cultura occupati. Ad domus ac templi apparatũ
Principes liberaliter contulere.

Bracharæ, & Barcellis, quod oppidum Brachara 167
octo millibus distat, indefessa Ignatij Azebe- *Ignatij Azebedij operosa caritas*
dij caritas cõsueto se extulit more prouentuque.
Postulantibus in quadraginta ieiunij dies con-
cionatorem Barcellensibus Ignatius eum labo-
rem haud alteri demandandum ratus, ipsemet
continuò, & pedes accurrit. Aduenientẽ magna
beneuolentia cives excepere; dumque certatim
alij ad se inuitant, alij ad paratum deducere stu-
dent hospitium, ad xenodochium ille recta di-
uertit: tum ad opus expedit manus. Nunquam
cuiquam nec priuatim, nec publicè vllo impen-
dio grauis, nec è munerum, quæ multa mittebã-
tur, quidquam recipiens, in templo assiduus vel è
suggestu loquens, vel è cella audiens, identidem-
que ad ægrotos, vel vinctos carcere cuadẽs; post-

Digitized by Google

quàm alienis animis consuluerat, raptim quo languidum suum sustineret corpus, emendicabat. Ter in hebdomada Barcellis dicebat, aliis diebus in circumpositos discurrebat pagos, ter interdum in die locis diuersis concionem integrans. Inde ad concordiam, ad condonandas iniurias, cùm se ipse Pater ad læsorum pedes supplicem pro reis interdum abiiceret, ad pudiciam, ad æquitatem, denique ad rectos à prauis reuocati mores tam multi, vt, quamuis vnus pro multis Ignatius esset, aduocandus tamen fuerit Brachara socius, qui absoluendis resipiscentibus ex copiosa piscium multitudine, quam Azebedij sagena concluserat, nauiculam ipse quoque suam compleret. Ad Algarbiorum regnum duo missi Olisippone rem præclarè gesserunt non magis sermone & industria, quàm modestia, & cultu paupertatis, cùm non modò in xenodochio diuersarentur, sed ipsi quoque, vt de Ignatio & aliis dictum est, donorum, quæ mittebantur, attactu puras seruarent manus, eo hi quidem magis, quòd Antistes, qui aduocarat, Hieronymus Osorius desiderari nihil sinebat.

168 *Res Indicæ.* Ad Indos quatuor sacerdotes vnà cum duobus laicis, terni duabus in nauibus vere abierunt: quorum Petrus Ramirius Antonio Noroniæ Proregi, cum quo ibant, viro optimè erga Societatem affecto, confessarius assignatus est. Goæ iam ex baptismorum celebritate Ethnicorum conuersio reflorebat. Huius initio anni additum est aliud non mediocre calcar. Aduenerant paulò antè ab Sebastiano Rege ad Indos neophytos litteræ plenæ benignitatis. Eas litteras cum Lupo Vazio Goano Prætore, omnes circa Goam Ecclesias obiens Pater Franciscus Rodericius diebus Dominicis frequenti populo recitauit. Ea res tum per se ipsa Christianos erexit & confirmauit, tum fama latè celebrata Ethnicos blandè pellexit. Extremo Februario casus incidit, qui

169 *Inconstantia rerum humanarū.* Goanos omnes perculit. Franciscus Cotinius Prorex repentina morte primis tenebris occidit. Diditus rumor est, sed planè mendax, ferro extinctum. Reuera, vt intimi eius familiarium contestati sunt, &, qui eius curarunt corpus, duo de Societate, sine vlla externa vi improuisum symptoma, quibus multis obnoxia est humana mortalitas, rectè valentem oppressit. Eius in locum è regijs schedulis suffectus est Ioannes Mendoza. Is cum face prosecutus erat Cotinij funus: nominatusque de more est, cùm iam situm esset cadauer, iam iamque terra inijcienda. Quo loco maximè patuit, quàm sint mutabiles, nec magni faciendæ hominum voluntates. Versa ad gratulationem, nouaque studia multitudine, ita repentè è memoria excidit demortuus, vt diu, nec qui humum inijceret, nec qui respiceret eius cadauer, quisquam fuerit, donec tandem atrum quoddam & vile mancipium accedens initium fecit.

170 *In Salsettis Goanis Ethnicorū motus.* Idem sub tempus in Salsettis non leuis è tenui ortu motus extitit. Pater Petrus Colatius, qui rem diuinam in ea regione procurabat, dum Christianos inuisit in pago, cui Curtali est nomen, ad nobilem Brachmanem grauiter decumbentem adiit, si posset ad veram vitam per ingruentem mortem compelli. Comites sequebatur officij gratia indigenæ aliquot Christiani. Brachmanis domū ingressus, qui aderant Ethnicorum, ne moram hominis conuersioni offerrent, comiter iussit tantisper secedere. Hi digressi implent clamoribus pagum, vociferantes, Patrem velle per vim Brachmanem Christianum fieri, ac dicto citiùs pagani vniuersi conglobātur cum arcubus & sagittis: quas tamen haud ausi mittere, lapidum imbrem effundunt, adeò vt ægrè in arcem euadendi Colatio & comitibus spatium fuerit; multique Christianorū, dum ad obtegendum pastorē suum intentiorē, quàm ad se ipsos curam adhibent, vulnerati sint. Ethnici non eo contenti facinore, cùm eodem die Christianorum è pagis antè actæ turbæ prorsus ignarus Curtalim vnus è regijs Præfectis fortè venisset; malè sibi conscij, ratique ad cognoscendum de via accessisse, magna manu adoriuntur, & crudeliter enecant. Ad hæc, vt est cæca præceps que malitia, ipsimet nocte, quæ proximè consecuta est, fano cuidam suo subijciunt ignem, & continuò Goam aduersus Colatium querelam, quasi acceptæ iniuriæ deferunt. In Brachmanum terras cum globo eum Christianorum irrumpere, domos inuadere: nec solùm vi pertrahere homines ad baptismum, sed etiam fanis flammas inijcere: ad vltimum etiam sumptis armis impetum in ipsos fecisse: præterque fœdè sauciatos, contrucidasse complures. Verùm incidit mendacij pater diabolus in foueam, quam fecit. Profecto 171
ad rem cognoscendam Goano Quæsitore, diffidentes sibi Brachmanæ direpto pago, capessunt fugam, nec vnquam, quamuis data fide, citati, credere se iudicio ausi sunt. Tum Raciolanæ arcis Præfectus, & Quæsitor, peruersitate hominum planè perspecta, iussere admoueri delubris ignem, & idola comminui; quorum plurima suis ipsi manibus pari cum voluptate & ira contriuere. Neque vlla diabolo, eiusque satellitibus vis aut fraus profuit, quo minùs hoc anno Colatius centum ac viginti neophytorum adiectione Salsettanam Ecclesiam propagaret. Post hæc grauis annonæ caritas sæuire Goæ cœpit ineunte hieme, quæ in ijs regionibus Maio fermè mense obrepit. Ad eam subleuādam calamitatem cùm multos Socij è domestica tenuitate pauerunt, tum re in concionibus commendata eum excitauerunt in locupletioribus ardorem, vt, præter quamplurima, quæ ipsimet distribuêre, duo propè aureorum millia diuidenda ad Collegium miserint. Iam Septembri appropinquāte, quo tempore classis è Lusitania solet appellere, magna erat Proregis, qui post triennium Cotinio succederet, expectatio. Brachmanum arioli varias 172
prædictiones dissipabant in vulgus; &, quoniam *Ariolorum vanitas.*
eum maximè timebant, quamplurimi Constantinum Brigantium vaticinabātur venturum; fuitque qui adeò constanter quinque naues quinto Idus Septēbris appulsuras, & ipsummet Constantinum assueueraret, vt caput obligaret suum, si falleret. Isque comprehensus ad euentum rei exspectandum, datus est in custodiam. Cæterùm eam quoque ob rem vehementer Prorex nouus expetebatur, quòd Malabares multis locis erant infesti Patribus: tum propria erat causa, vt legatio Sinica promoueretur. Quòd is, qui

Digitized by Google

qui ad breue quasi interregnum rem tum administrabat, negotium ab alio susceptum successori integrum reseruabat. Hanc igitur inter expectationem tertio Nonas Septembris Antonius Noronia nouus Prorex quatuor nauiũ classe ad Goanum litus applicuit, ariolo Brachmane cunctis diuinationis suæ partibus falso: cui virgis cæso, vitæ gratia facta est. Nauium principi S. Antonius: cęteris S. Vincentius, Regina & Flos maris nomina erant. Sex è Societate (vti suprà indicatum est) simul aduecti, cum Stephano Cordero, & Gomo Vazio laicis, sacerdotes quatuor, Petrus Ramirius, Petrus Parra, Petrus Mercatus, qui postea Rodericius cognomen assumpsit, & Martinus Eguiquoza. Prospera admodum & salubris nauigatio fuit. Prorex toto nauigationis cursu singulari liberalitate ægris egenisque prospiciens, resq; diuinas antiquissimas habens, viri simul ac Principis exempla optimi vectoribus cunctis proposuit. Apud Ramirium quinto decimo quoque die, quod postea etiam Goæ perseuerauit facere, conscientiæ maculas confessione eluebat. Eidem se viginti dierum spatio exercitationibus Beati Ignatij excolendum præbuit: quas generali totius vitæ confessione clausit. Goanum Collegium die vndecim millibus Virginibus sacro, qui dies Goæ magnifico apparatu, & gratulatione maxima colitur, quoque instaurari litterarum studia solent, sua præsentia honestauit. Patres ex Europa aduecti attulerant Iobelęum ijs, qui Ethnicorum vni baptismum persuasissent. Quo promulgato, ingens in Christianis indigenis Lusitanisque non vnum modò, sed quamplurimos Christo adiungendi certamẽ accensum est. Fuere qui & debitoribus æs alienum ea causa ingens remitterent. Ita renatorum hoc anno apud Societatẽ Goæ summa bis mille septingenti sexaginta. Haud minùs in reliquis Indię oris efficax id Iobelęi genus incitamentũ fuit: quod Petrus Vazius, & Ioannes Consaluus dum Goa Damanum perferunt, extrema inter viam omnia passi sunt. Leucas circiter quadraginta progressi in Saracenos Malabares incidunt. Lusitani, cum quibus nauigabãt, impares ad pugnam viribus descendendum in litus, & fuga consulendum saluti censuerũt. Ergo cunctis hac illacque, vt quemque metus egit, dispersis, Patres in proximæ siluæ latebras deferuntur. Hîc, dum abditi considerent, Saracenorum iam quidem manus effugerant, sed hostes domesticos ac minùs exorabiles famem sitimque inuenere. Ignari locorum, exhaustis viribus per tenebras noctis desperata propè salute, suas Deo commendabant animas, summam illam calamitatem sanctissimæ eius voluntatis consideratione lenientes; cùm inclinata iam nocte, in eos quædam mancipia (Deo sanè famulorum suorum memori deducẽte) incidere. Ab his domum Brachmanæ cuiusdam deducti, ab eo hospitaliter accepti ac recreati sunt. Atque vt prorsus admirabilem Dei consiliorum seriem animaduertas, hospes vbi sacerdotes Christianos adesse videt, narrat ad mille circiter passus quosdam iacere Christianos seruos grauiter vulneratos: ad quorũ excipiendas confessiones Vazius raptim accurrit; haud obscurè rot per ambages eò perductus, vt abituris è terra miseris sacerdotali claue patefaceret cælum.

173 *Sociorum fax in India ex Europa profectio.*

174 *Antonij Noronia Proregis virtus.*

175 *Iobelæum conuertentibus vnum Indis.*

176 *Periculo & erumnæ pro Euangelio.*

177 *Dei prouidentia.*

Bazaini hoc primùm anno ciuium postulatu tres Magistri prima litterarum elementa, Latinamque Grammaticam docere aggressi. Et merebatur id sanè ciuitas, quàm quæ maximè studiosa Societatis.

Christiani oræ Piscariæ magnam partem ex Manaria insula ad continentem rediere. Non est admodum salubre Manariæ cælum. Itaque desæuientes hoc anno, qui superiore grassari cœperant, morbi, cùm neminem propè reliquissent intactum, Christianorum ad quatuor millia sustulere. Inde omnes summo perculsi metu, assiduis precibus antiquas postulare sedes. Georgius Temudius Cocinẽsis Episcopus, cuius in diœcesi sunt, facilè permisit, ac Regis Bisnagæ administri hoc quidem initio haud inhumanè tractarunt. Duorũ pagorũ incolæ in Manaria, & Lusitani in arce substitere: eorumque curæ P. Hieronymus Vazius. Ethnicorũ ibi ad sexcentos ab impietate hic annus abduxit. Verũ præcipuus labor Henrici ac Sociorũ in subleuanda ægrorum calamitate versatus est. Nam, vt est fermè inops gens, & repositũ nihil habent, eoque tantùm, quod in dies quærunt, necessitatẽ propulsant, vbi valetudinẽ perdunt, fundos vnà suos, atque adeò penu omne amittunt. Quocirca Sociorum caritas, asperitate temporum stimulante peropportuna ęquè animis atque corporibus non Christianorum tantùm, sed etiam Ethnicorum remedia conquisiuit. Atq; Ethnicis eo etiam necessarium magis alienum auxilium erat, quo miserabiliùs iacebãt, omnino derelicti ab suis; vt quibus pietatis Christianæ ignota officia, & naturalis quoque caritas segnis est. At verò Sociorum meritis deliniti complures facilè persuaderi sibi etiam passi sunt vt salutis vnda perluerentur. Felices profectò, à quibus beneficiorum ea merces expetebatur, accipere vt maiora vellent. Ita Deus ex nobis, vt ait S. Chrysostomus, nostram salutem emit. Sed bellus quemdàm casus subegit. In prætereuntem vna è crucibus statutis in publico ventis imbribusque labefactata fortè incidit, & vulnus inflixit: ille diuinitus ea plaga admonitum se, vt fieret Christianus, interpretans, continuò vouit, si conualesceret, laturum cereum ad ædem sacram, & baptisma subiturum. Quod vtrumque mox voti damnatus cum fide præstitit.

178 *Res Piscariæ ora.*

Hom. 2. in epist. ad Ephes.

In Molucis prosperè fides, præterquam in Amboino, progressa hoc quoque anno est, & ad Tidorensis conuersionem regni porta ingens est patefacta. Præter Andream, quem dixi superiore anno ad Christi transisse militiam, sex eius regni Proceres altera quadragenarij ieiunij Dominica, Ternate Patres celeberrimo baptismo initiarunt. De sancto horum consilio cùm fama Tidore increbuisset, duo Principes, qui pro Rege vix decimum septimum agente annum res administrabant, Ternatem aduolarunt, si quo modo demouere de sententia eos possent. Verùm hos quoque Patres caritate summa solertiaque aggressi, perpulere, vt faterentur sex Procerum consilium imitatione dignum, seque ipsos vnà cum populo Tidorensi, cùm quosdam regni fluctus composuissent, cælesti lauacro capita subdituros. Nec multò pòst duo Regis fratres natu

179 *Res Molucenses.*

mino-

Digitized by Google

minores baptizati sunt. Hæc cernens Ternatinus Rex Mahometanæ sectæ dilatandæ ad insaniam cupidus, idemque artifex simulandi perdoctus, satis intelligens imminui sibi hoc magis opes, quo plures circà Regulorum ad Christum accederent, eoque magis Lusitani Prætoris gratiam sibi necessariam; inuisentem Patrem Mascareniã insolita humanitate excepit, eidemq; vt postulabat, promulgandi suis popularibus Euangelium ea verborum liberalitate copiam fecit, vt se vnà cum filijs è magis assiduis studiosisque auditoribus fore venditaret. Cùm interim, & quę alibi, & quæ præcipuè in Amboino Christiani perpetiebantur, eius clanculùm fraude & opibus, eiusque fratris Cigilguzaratæ fierent. Sed Cigilguzarata, regni fraterni administer atrox & impotens apertiùs se infestum præbebat. Cuius filius olim Christianus Franciscus nomine Goam hoc
180 anno est missus. Prancudus in excolendis Mauricis, vnde præter cæteras ærumnas, graues semper reuehebat morbos, egregiè laborans, in eam maximè rem incubuit, vt Christiani matrimonij sanctitate neophytos iungeret. Quippe soliti antè, quandocunque libitum esset, emittere domo vxores, & alias ducere, horrebant insolubilem Euangelicarum nuptiarum nexum. Diuersum in hoc genere vitium inter Amboinios inualuerat. Non solùm ex contagione Mahometana plures singuli vxores ducebant, sed etiam veteri gentis more ex parentibus, quas quisque cuperet, virgines emebat pretio: vnde illud fiebat, vt locupletibus plurimas & lectissimas coëmentibus, tenuioribus vel nullæ suppeterẽt, vel quas prorsus nollent. Ad id extirpandum flagitium incumbẽtibus Patribus, quanquam summa vi potentiores obsisterent, continuò cœpit inter populum eo etiam ex capite Christianæ religionis micare decus, & præstantia celebrari, quòd omnibus honestarum nuptiarum præberet copiam. Mira porro, & cum priscorum Christianis sæculorum conferẽda constantia in Amboinijs, & alias antè, & hoc extremo, atque insequenti anno apparuit, suprema omnia Mahometanorum immanitate perpessis, quemadmodum anno proximo fusiùs, si Deo cordi erit, exponam.

181 *Sinica legationis profectio.*

Sinica interim legatio lentè, nec magna cum exitus spe processit, præsertim quòd nulla ob eam, quam dixi, causam auxilia Goa missa sunt. Iamque pro deplorata penè res habebatur, cùm insperata opportunitas, & Iacobi Pereriæ cura de integro excitauit. Bellum paulò antè cum Iaponibus, qui ad prædas abigendas maritimam Cantoniæ percurrebant oram, Sinæ gesserant. Perpetrato bello ad duo militum millia, quibus ob suspectum ducem stipendium non fuerat persolutum, in Cantoniæ suburbia haud dubitarunt impetum facere: eaque Mandarinis inspectantibus, nec prohibere valentibus, quippe quibus nullæ erant in promptu copiæ, cunctaque gens inermis imbelliſque, diripuere. Inde ad piraticam versi, nouem optimè instructis Iuncis, portu ad receptaculum occupato, in eoque veteri vrbe, quam Tocanum vocant, communita, haud longiùs quàm diei vnius iter ab Cantonia sita, terra mariq; assiduè infesti, Cantonios
182 in angustias summas redegerant. Nobile illud emporium ab mercatoribus metu aliò auersis, & ab incolis ora maritima deserebatur. Et erat sanè nonnulla prædonum vis, sed pro reliquæ gentis ignauia vsque eò formidanda. Quare Iacobus Pereria facilè eos à viris deleri posse intelligens, hanc obstringendi Lusitanis Mandarinos, introducendæque legationis occasionem ratus, clanculùm Thomam libertum suum, quo vtebatur interprete, Cantoniam mittit, qui Ciumbo (id est nomen imperatoris suprema cum potestate rem militarem pro Rege administrantis) Lusitanorum ad coërcẽdos prædones operam deferat. Ciumbus vsurum se tam prompta liberalitate respõdit. Quod Thomas Amacaum reuersus haud arcanum habuit. Ioannes Pereria, penes quem erat tunc Præfectura, ægrè tulit tantam rem priuato consilio attentatã. Quanquam nemo erat, qui crederet fore, vt solita prę se gentes omnes despicere Sinarum natio ad peregrinorũ descendere auxilium, suarumq; infirmitatem virium palàm omnibus facere animum induceret. At enim siue necessitate compulsi; siue, vt alieno periculo suum propulsarent, haud multò pòst Ciumbi nomine Mandarinus è primis postulans opem Amacaum venit. Tum coacto concilio Lusitanorum præcipui ad vnum censuere omnes nulla ratione cunctandum. Nam æquum videbatur ijs auxilio esse, quorum essent in patria, nec parum Lusitanis quoque ipsis infesti damnosique piratæ erant. Præterea plurimùm id ad amicitiam arctiùs coniungendam, & conciliandam nomini Lusitano auctoritatem valebat: aditumque eo beneficio legationi atque Euangelio pandi posse spes erat. Ludouico Mello duce trecenti iuere Lusitani optimè ad pugnandum, & ab animis, & ab armis instructi. In Sinarum nauigijs, in quæ suas Lusitani bombardas imposuerant, duas distributi in partes ibant: alteram Mellus, quem dixi, alteram Iacobus Pereria ducebat. Sic enim Ciumbo visum est, vt pars piratas inuaderet, pars occupato freti ostio intercluderet fugam. Suis quique militabant sumptibus: & quoniam Dei præcipuè tractabant causam, expiatis per confessionem animis, cælestique pane confirmatis, pleni fiducia, bonaque spe concendebant. Existimabat Ciumbus difficilem fore pugnam, aut certè diuturnam. Piratæ, vt procul videre Sinarum Iuncos, homines quoque Sinas rati, obuiàm raptim occurrunt. Sed vbi Lusitana clarè conspecta signa, Lusitanorũ auditi bombardarũ fragores, & Mellus inuehebatur infestus; veluti stupore correpti, abiectis armis, magna pars in mare delapsi sine vlla prorsus iactura nostrorum semihoræ spatio in potestatem propè cuncti venere. Ciumbus præ admiratione dixisse fertur felicem enim vero eum Regem, cui tale hominum genus pareret: dignumq; qui toti præesset orbi terrarũ. Præclaram hanc victoriæ gloriam parum abfuit
184 quin incõsiderata quorumdam auaritia corrumperet, captos prędonũ Iuncos tradere postulanti Ciumbo cunctantium. Quam rem & Mellus, & præcipuè Iacobus Pereria euertêre. Is ad amoliendam auaritiæ suspicionem Ciumbum alloquens, non statim redditos dixit Iuncos, quòd qui ceperant, pro eximia Lusitanorum militum erga duces obseruantia, nihil, nisi explorata eorum

Digitized by Google

rum voluntate faciunt. Ad quæ haud minùs ingeniosè & callidè respondisse Ciumbus fertur: Atque ego idcirco postulaui, sciens me paulò pòst rogatum iri à vobis, vt reciperem. Idem dicitur, cùm iussit Lusitanorũ classem diuidi, præterquam quòd id ratio postularet belli, dixisse ea re cognitum iri Lusitanorum mores, quàm ingenio simplici ac bono essent, quamq; fiderent Sinarum genti. Pereria mirè in huius hominis animum se insinuauit. Vtque calentem recentis beneficij contemplatione comperit, vrsit, vt legationis negotium pro suo susciperet: quod cùm se facturum prolixè pollicitus esset, simul Patri Emmanueli Texerię Cantoniam adeundi, vt ipse coràm rem promoueret, potestatem fecit.

185 *Res Iaponicæ.* Dum igitur Sinarum regni circumseptus vndique tentatur aditus, in Iaponia Cosmus Turrianus Vocoxiura profugus, Tacaxim regni Bungensis oppidum, quemadmodum anno priore commemoratum est, petijt, vt inde neophytorum animos epistolis inter eos terrores & discrimina cõfirmans, rei totius exitum expectaret. Damianum, & Augustinum Iaponios exordio anni auxilio Villelæ Meacum milit, & ad Regem Bungi Almeidam, vt ad Præfectum Tacaxianum

186 *Regis Bungensis studiũ erga res Christianas.* commendatitias impetraret litteras. Rex erat ea tempestate in vrbe Vosuqui; cuius cùm aliàs sæpè, tum hoc maximè tempore mirum erga Christianas res studium apparuit. Lætatus Cosmum in suis versari finibus, non solùm protinus Almeidæ ad Præfectum epistolam dedit, imperans vt Cosmo aream ad templum, ædesque ad habitandum daret, fieriq; Christianos, quicunque vellent, permitteret: verùm paulò pòst alias litteras ad cunctos regni sui Proceres, Patrem Cosmum, remq; Christianam impensè commendans, adiecit. Iterumque post duos menses cognito in suis popularibus haud multùm profici, duas edidit tabulas, quarum alterum Cosmus apud se haberet, alterum vnus è Socijs, qui in pago septem ab Tacaxi leucis (Cauaxirim nuncupant) versaretur; easque tabulas egregiè ornatas, auroque distinctas vltrò ad Cosmum transmisit.

187 Tria ijs edicebat: Primũ, licere in suo regno quibus uis fieri Christianos. Deinde pœnę propositę erant, qui quacunque ratione cælestis doctrinæ præcones impedisset læsissetue. Postremò declarabat valdè sibi placere, non in præsens dumtaxat, sed in omne posterum tempus tota sua ditione Euangelium promulgari. Neque tabulis modò, quàm esset erga disciplinam Christianam affectus, sed coràm etiam verbis expressit. Etenim cùm Bonziorum quidam ex Omuranis Arimanisque tumultibus audaciam nacti, ausi essent petere, vt ipse quoque nostros homines è sui regni finibus amandaret; quippe qui deos Iaponios contumeliosè proscinderent, hominum vorarent corpora; &, quocunque accederent, vastitatem exitiumque inueherent; respondisse sic

188 „ fertur: Annus circiter quartus decimus agitur, „ cùm id hominum genus magno vtique meo bo- „ no delatum est in hæc loca. Tribus antè præeram „ regnis, nunc quinque possideo: pecuniæ antè la- „ borabam inopia, nunc Iaponiæ Reges omnes „ diuitijs supero; vnde ad populares quoque meos „ vtilitas pertinet: cùm antea filium susceptssem nullum, iam virili stirpe magna mea voluptate „ auctus sum. Denique omnia mihi ex eorum ho- „ spitio prospera accidêre. Commemorate vos, si „ potestis, religionis vestræ defensio ecquid vn- „ quam mihi crearit commoditatis? Proinde ca- „ uete in posterum hunc ad me sermonem. Hoc „ graui serioque responso Bonzij, & studiosi eorum fracti abiectique cessere. Tabulis regijs ad 189 Cosmum perlatis, Cauaxirim Odoardum Sil- *Odoardi Siluæ obitus.* uam cum earum alteris destinauit. Is, dum incensus pietate, immemor cibi potusque ad Euangelium dies ac noctes prædicandum incumbit, grauem morbum è labore contraxit. Ad eum curandum è Bungo Almeida ingenti labore Cosmi iussu contendit. Reperit hominem diuinorum quidem solatiorum copia abundantem, cæterùm humanis omnibus leuaminibus destitutum: ac vires ita erant exhaustæ, ita vigor succusque omnis absumptus macie, vt quæ Almeida medicamenta attulerat, nihil prodessent. Cupiebat bonus frater, antequam emigraret, Patrem Cosmum videre, cùm alioqui sibi carissimum, tum etiam, vt apud sacerdotem rationes animæ suæ componeret, eumque in supremo spiritu adiutorem haberet. Ita annuente Cosmo, Tacaxim naui transuehitur. Decem superuixit dies. Sumpto bis eo spatio æternitatis pignore lætus abijt, præclaro Socijs relicto cùm virtutum cæterarum documento, tum verò Christianæ humilitatis atque patientiæ. Multas & maximas sui præser- 190 tim aduentus initio difficultates exhauserat. Vir erat in diuexando suo corpore implacabilis, in studio religionis propagandæ indefessus & inexplebilis. Itaque præter cæteros labores non Iaponicas modò litteras, verùm etiam Sinenses multò impediriores didicerat: artemque Iaponicæ linguæ grammaticam, & copiosa lexica primus ipse confecit. Post hæc Cosmus accersitu Regis Arimani volente Bungensi, quem consulendum priùs putauit, Cocinocum abijt. Ibi Rex aream domui temploque donauit. Incolæ propè omnes erant Christiani. Id miraculo simile visum est Cosmo, eum nouellum cœtum, qui non nisi spatio trimestri conuersus ad fidem & eruditus fuerat, nullis hostium minis de suscepta religione potuisse detrudi. At in Firandensibus Antonij insulis florere prorsus & regnare videbatur pietas. Eos Christianos P. Ludouicus Froës, 191 & Ioannes Fernandius excoluere hoc anno. *Firandensium Christianorum pietas.* Quorum cùm ad cætera pia studia, tum præsertim ad se diuerberandos feruore perspecto quidam Lusitani nobiles scripsere planè videri sibi in ijs insulis sedem sancti Spiritus esse. Firandi tamẽ magnum factum est damnum, quòd exorto incendio cum magna oppidi parte etiam pretiosæ vestes, quas ex India ad sacrorum vsum Ludouicus Froës aduexerat, vnaque etiam præclara S. Thomæ volumina conflagrarunt. Attamen tot inter tristia aliquid etiam Christianis lætum euenit. Firugadaquensis cœnobiarcha Bonzius 192 in regno Firandensi eo loco, quo inter Christia- *Bonzius Christianorum hostis exilio mulctatur.* nos Archiepiscopus, acerrimus Christianorum hostis; cuius inprimis operâ olim eiectus Villela fuerat, & fractæ cruces, eò demum prouectus est audaciæ, vt, cùm petijsset ab Antonio nescio quid agri in vsum fanorum, isque negasset; illico

in

in eius quosdam pagos faces immitti iusserit: planeque nonnullas agricolarum villas exusserit. Hac re Antonius, qui cum Rege militabat, cognita, Iam verò intoleranda est, inquit, Bonzij huius audacia, quam nisi ipse comprimas, egomet meis consulere rebus cogor. Tum Rex, cui plurimus in re militari vsus Antonij erat, quid irrogandum supplicii censeat, percunctatur. Ille memor præcipuè Bonzij eius operâ erectos Firando Patres, postulandum putauit, vt ex omni Firandensi ditione, sublata omni vnquam remeandi spe, eius facultatibus in alios distributis exterminaretur. Quod cùm factum esset, par Bonzios ægritudo, & Christianos lætitia cepit. Addita est tandem ad cumulum etiã templi restauratio. Rex (vt sæpè demonstratum est) cùm à ritibus Christianis animo abhorreret, lucri tamen ardebat cupidine. Hoc eius morbo ad multarum salutem animarum vti studebãt Patres: ideò Lusitanos precabãtur nauarchos, vt religioni Deoque id obsequij, & mercium suarum quasi decimam darent. Iniusſu suo Firandensem portum ne adirent. Huiusmodi precibus factum est, vt nauigia duo duas à Firando leucas consisterent: ac Rege precante, vt ad portum applicarent, id se negarent omnino facturos, nisi iuberent Patres. Tum Rex virum nobilem ad Patrem Ludouicũ allegat excusans belli occupationes, quòd eum non antè salutari iusserit; roganſque, vt permittat in portum inuehi naues: se statim cum nauarchis de eo Firandum reducendo acturum. Cumque Ludouicus (quòd ita Lusitani volebant) placere sibi eos Firandum appellere respondisset, exinde Rex promissa, nouas quotidie serens moras, callidè eludebat: cùm peropportunè oneraria, cui nomen Sancta crux, procul apparet. In eius occursum protinus Froës egressus Cosmi Turriani nomine, Regisque Bungensis Petrum Almeidam nauarchum plurimùm orat, ne inuehi Firandum velit. Nauarchus pro insigni erga diuinas res & Societatem studio, inhibito statim cursu, quocunque Ludouicus diceret, iturum recepit. Nequaquam eadem mercatorum pietas omnium fuit. Longiorem multi perosi circuitionem, nec quas Ludouicus afferebat causas pro magnis ducentes, scaphis res suas in Firandensem portum exposuerunt: haud sanè cum eo, quod promittebant sibi, compendio. Latrones paulò pòst impetu in eorum diuersoria facto, iniectisque facibus non exiguam partem mercium vel corrupêre flammis, vel inter incendij tumultum surripuere. At nauarchus Almeida non lentè, & per anfractus, vt simulatio interluceret: sed disertè affirmateq; denunciari Regi iussit, priusquam Pater Ludouicus Firandi esset, nunquam speraret portum se eum intraturum. Rex vbi agi seriò vidit, potestatem Ludouico, cùm primùm luberet, redeundi facit. Tum Lusitani neophytique Firandenses censuere, quemadmodum Villela expulsus cum ignominia fuerat, ita reditum Ludouici apparatu & gratulatione publica celebrandum. Die igitur S. Bartholomæo Apostolo sacro plorantibus præ lætitia, & extollentibus ad cælum manus Christianis, festo personantibus strepitu bombardarum litoribus, Ludouicus Froës, & Ioannes Fernandius exscendêre ad Firandi litus. Inde cum nauarchis, magnoque præterea comitatu adeunt Regem gratias acturi. Accepti subfrigidè. Accepere, quod datum est. Inde Antonio, eiusque matre salutatis, ad instaurationem templi adijciunt animum. Ex onerarijs Lusitanorum tribus pecunia in ædificationem corrogata, opus celeriter ad culmen perductum est: & à S. Mariæ conceptione, quo primùm die sacra in eo facta, nuncupatũ: quanquam lingua gentis, quo Ethnicis verior excitaretur opinio, Tenmongì, id est, porta cæli, dictum est nomen. Nec solùm onerariæ Sanctæ crucis aduentus ad Ecclesiæ Firandensis instaurationem per se vtilis fuit, verùm etiam quòd tres è Societate sacerdotes Melchiorem Ficeredium, Ioannem Capralem, & Balthasarem Acostam, tempestiuum planè subsidium aduexit. Melchior cum mandatis ac litteris, quas afferebat ex India, ad Cosmum profectus est: Capralis, & Fernandius iussi Firandi subsistere: Ludouicum, & Balthasarem ad se Cosmus accersiit, vt hunc in Bungum, illum in Meacum mitteret. Nec multò pòst Ludouicus vnà cum Almeida, vt is Meacensium rerum statu cognito, cuncta explicatiùs, quàm per litteras fit, Cosmo renunciaret, se dedit in viam. Villela interim Damiani Augustiniq; opportuno auctus auxilio in circumiectis vrbi Meacensi oppidis vehementer Christianum populum amplificauit. Missus Imorim vno è Socijs exploratum, esset ne ibi Euangelio locus, ingenti auiditate audiri salutis doctrina cœpta est: ac fermè è nobilibus ampliùs septuaginta primùm, dein alterum tantum veritati cessere; lætisque harum rerum nuncijs excitus Villela Imorim abit: multos sacro abluit fonte, sacellumque concinnat. Inde ab Imorensi arce leucas circiter quatuordecim Nondam profectus multos ibi quoque baptismate initiauit. Sed quoniam totius Iaponiæ princeps Meacum est, dimissis Naram, aliaque circà in oppida Socijs, ad obtinendam arcem, ex qua in alia quoque loca rebus diuinis deriuabatur auctoritas, Meacum retulit se.

Iam cœperat in Brasilia florere Christiana fides, præcipuè circa vrbem S. Saluatoris, quo in tractu vndecim numerabantur populi; & plerique in ijs sacro flumine expiati erant. Nonnullis quoque per singulos annos aduectis ex Europa Socijs, aliqua erat maior copia operarum, quoque plures comparari in dies possent, hoc ipso anno Lusitanus Rex Collegio S. Saluatoris luculentum censum attribuit, vt Socijs vel sexaginta alendis sufficeret. Verùm nihil incertius spe apud Brasilos proficiendi; nihil laboriosius eorum cultura. Neophytorũ quàm plurimos cùm priore anno pestilentia abstulisset, subsecuta, vt ferè fit, fames, quòd non licuerat maturè alimẽta colligere, hoc anno reliquias absumpsit. Ita viciniores vrbis pagi incolis partim se vltrò vendentibus, partim suas operas vrbanis locantibus, planè vastati. Nec defuêre ex Europæis, qui calamitate inopis populi ad auaritiam abusi multis injicerent manus, vel ab iniustè vendentibus iniquè coëmerent. Vnde in tribus ab vrbe remotioribus pagis, inani ab Europæis belli rumore ac metu exorto, quasi ad abducendos in seruitutem ventu-

193 *Restituitur Ecclesia Firandensis.*

194

195 *Tres Patres Iaponiæ accessere.*

196 *Imorensis Ecclesiæ primitiæ.*

197 *Res Brasilica.*

198 *Laboriosa Brasilorum eruditio.*

Digitized by Google

venturis, eamque vanam auram iritantibus è gente maleficis, adijcientibusque idcirco mori, quòd letifer esset Ecclesiarum ingressus; leuissima gens facilè inducta desertis pagis, ad agros siluasque, quò quemque libido rapuit, aut casus vertit, refugit. Ingens hîc Patribus, & præcipuè Ludouico Granæ Prouinciali primùm dolor, quòd diuturnorum laborum fructus in ipsa maturitate euanescens, cultorum eluderet vota: deinde labor in persequendis profugis reuocandisque, & explorando quinam è dilapsis superstites essent, vt quibus coniuges perijssent, nouis copulari nuptijs possent. Haud minus cum Europæis negotium erat, vt vellent sordidissimi quæstus fugacem vsuram animarum, & suarum, & gentis saluti æternæ posthabere, quando cum immenso rei Christianæ impedimento per ipsos fieret, vt iam Brasili præ metu odioque alienigenarum nequaquam auderent se vitæ communi
199 pagisque committere. Cæterùm & Sebastiani Regis, & Mendi Sa in Brasilia Prætoris eximia liberalitate Societatis res paulatim statuebantur, præsertim in vrbe S. Saluatoris: cuius Collegio, quod iam decem sacerdotes, quindecim incolebant laici, certum vectigal hoc anno, vti modò dictum est, addixere. Hîc & Pernambuci cœpta ædificatio procedebat. Apud Illheos quoque templum domusque oppidanorum liberalitate sedulò extruebatur. Ibi tres sacerdotes commorabantur præclaro cum fructu. In oppido quoque S. Spiritus ac Piratiningæ aliqua erat Religiosi cœtus forma. Alibi tanquam in statione singuli ferè cum socio biniue sacerdotes domicilia habebant.

200 *Generalis Lainij excessus è vita.*

Talia gerebat, talibus vbique gentium Societas incrementis adolescebat, cùm Lainius eam terræ subductus orbam reliquit, maiore vi, nulloque suo negotio iam protecturus è cælo. Post reditum è Tridentino Concilio varia vsus valetudine, nec semel ad vltimum adductus discrimen, cùm per sacrum Domini Aduentum meliusculè haberet, Doctoris Euangelici munus repetijt: idque solita cum approbatione & vtilitate obiens, enitebatur virium deficientium infirmitatem sustinere magnitudine animi; vt mors non in lecto iacentem, sed certantem in acie inueniret. Fuit tamen in Assistentiũ potestate, suggestuque post concionem tertiam, vti illi iussere, abstinuit. Kalendis Ianuarijs, qui dies Societati præcipuè ob sanctissimum Iesu nomen honoratus & sacer est, ad solatium commune fratrum in cœnaculo est pransus: ex eoque die aggrauatus est morbus. Affixus iam lecto ita cæli ardebat
201 cupidine, de seque summissè opinabatur, vt audiens quàm multa pro sua valetudine à domesticis & externis Sacra, preces, & pia opera Deo offerrentur, propè conquereretur, quòd tanto studio diutiùs trahere vitam hominem nihili & inutilem vellent; cùm re vera, quam diu spiritum duxit, vel sola eius auctoritas omni hominum generi opportunitates permagnas afferret. Nec sibi ille vnquam pepercit. Postridie Idus Ianuarias Thusciæ prouinciæ Christophorum Rodericium præfecit, Francię Oliuerium Manaræum, prorogata eidem Cõmissarij potestate in Aquitaniam. Decimo septimo Kal. Februarij sacrosanctum Domini corpus in viaticum sibi vt præberetur, precatus, id è templo, quamuis liceret in eius quoq; cubiculo Sacrum fieri, optauit afferri, vt nulla se re non infimis exæquaret. Eo 202
summa cum pietate suscepto, misit, qui benedictionẽ, ac plenam sibi à Pontifice Indulgentiam precarentur: eique Societatem, cuius pro sua benignitate vltrò patrocinium sumpserat, plurimũ commendarẽt. Quibus postulatis clementissimè Christi Vicarius satisfecit. Tum Pater postero die supremæ Vnctionis, quod reliquum erat, beneficio impetrato (quod inter opus singulari pietate ad singula sacerdotis inungentis se dicta respondit) auidè abeundi iam signum expectãs, reliquum diei vsque ad sextam noctis horam exegit in pijs colloquijs, ac precationibus tempori accommodatis. Ea nocte Assistentibus vnà cunctis orantibus, vt ipsis vniuersæque Societati bene precaretur, oculis ad cælum manibusque sublatis ingenti cum animi sensu benedixit, rogans vt Deus ipse è cælo benediceret, suaque dona Societati suæ, & genus omne sanctitatis multiplicaret. Dein oratione ad Patres conuersa, Vobis quoque, inquit, Societatem commendo, illudque in primis, vt ambitioni aditum omnem intercludatis: consentionẽ animorum inter vos omni studio conseruetis, omninoq; eos affectus, quibus diuersarum nationum mortales inuicem dissident, extirpetis. Post hæc rogatus, vt Vicarium loco suo nominaret, siue humilitatis, siue imitandi Ignatij, siue qua alia causa, noluit. Post 203
sex horas noctis cùm paulùm sopori cessisset, ingens grauedinis copia superfusa sensus ei cunctos penè oppressit: ad eumque modum ægrè trahens spiritum quatuor & quadraginta horas, Socijs indidem domo, atque è Collegio visentibus, & flexis iuxta lectum genibus pro eo assiduè per vices Deum precantibus, spectaculum triste iacuit; deque humana fragilitate ac miseria non minùs eo habitu, quàm olim sermone efficax concionator. Consolationem tamen inde Socij capiebant, quòd sperabant id Deum permittere, vt gratissima sibi illa anima, siquid ex mortali imbecillitate labis adhæserat, eo cruciatu purgata protinus ad beatum eius conspectum euolaret. Tandem decimo quarto Kal. Februarias altera noctis hora expirauit, vir de Christiana Republica optimè meritus, rectéque factis onustus, tertium & quinquagesimũ ætatis annum agens. Proxima die ad latus sinistrum aræ maximæ: cùm ad dexterum B. Ignatius iaceret, sepultus est cum publico Vrbis totius luctu: plurimisque deosculari, rosarijs contingere, & quippiam eius reliquiarum habere certantibus. Cardinalis Alex- 204
andrinus, qui mox Pontifex, Pius V. vocatus est, dixisse fertur, Rempublicam Christianam eius morte vnum è maximè præstantibus sui propugnatoribus amisisse. Alius è grauissimis Cardinalibus affirmauit se, cùm ferè quinquaginta annis Romæ fuisset, nullius obitum vidisse nec maioti, nec pari doloris sensu acceptum, præsertim ab sacro Collegio Cardinalium, Summoque Pontifice: qui quidem commendauerat Patribus, vt eius valetudinem curarent diligenter, quòd necessaria sanctæ Ecclesiæ bono esset. Præsensisse 205
Lainiũ obitus sui diem Pater Franciscus Borgia cre-

Sensus Romanæ aulæ ex Lainij morte.

Putatur præsensisse finẽ suum.

Digitized by Google

„ credidit: qui ad Patrem Salmeronem hæc scribit:
„ Noster optimus Pater ab miseranda hac vita ad
„ æternam migrauit, toleratarum hîc ærumnarum
„ mercedem accepturus. Haud dubium, quin
„ damnum faciamus magnum in eo: sed & lucrum
„ speramus magnum cum eo: quòd quanto ei me-
„ liùs fuerit, tanto opitulari nobis poterit magis.
„ Inter alia affirmare id queo, haud nos credidisse
„ breuem adeò eius abitionem futuram: & qui-
„ dam medicorum perbene sperare iubebant: sed
„ ille, vt qui certiores habebat nuncios, præstan-
„ tioresque auctores, cùm die sacro Epiphaniorum
„ vellent ei medicatam potionem dare, distulit in
„ diem posterum, dixitque mihi: Ego hodie volo
„ Sacrum facere, quod pro Viatico erit; ideo diffe-
„ renda est potio. Ita fecit: ita euenit. Vltimum il-
„ lud sacrificauit, quamuis eo tempore haud dum
„ decumberet; & quantum opinor, etiam prodi-
„ ret domo. Deinde morbo ingrauescente, cùm ego
„ Sacra, quæ pro ipso fiebant, referrem; quadam
„ quasi ægrè ferentis specie dixit, Nollem ita pro
„ me fierent Sacra. Retinent enim me ac morâtur,
„ vt item istorum benedictorum fratrum preces.
„ Præterea, cùm sacræ eius vnctioni interessem,
„ commeatum à me petijt eo modo, vt videar mi-
„ hi, quamdiu viuam, recordaturus. Nam vbi finita
„ est sacra inunctio, respexit me; ac statim tollès in
„ cælum oculos inuitabat, vt iremus; se enim iam
„ iteringredi: quod sæpiùs fecit, subinde oculos ad
„ me vertens, atque attollens in cælum blandissi-
„ mo & placidissimo vultu. Exequijs etiã honorifi-
cis extra Italiam quidam eum Principum hone-
starũt. Atque Otho Truchses Cardinalis Augu-
206 stanus in ijs, quas ei apparatu magnifico celebra-
Quas exequias Lainio Cardinalis Augustanus fecerit. uit Dilingæ, cenotaphiũ non pulla veste (vti mos
est) sed purpurea insterni iussit: quòd tanti viri
memoriam, vt aiebat, non luctu, sed gaudio pro-
sequi, æquum esset. Cumque laudationem fune-
brem adijci voluisset, vbi orator finem dicendi
fecit; protinus ipsemet Cardinalis è suo solio fari
exorsus in magna ciuium frequentia, inter cæte-
„ ra: Verissima sunt, inquit, quæ commemorauit
„ orator: sed prætermisit haud pauca. Tria ego su-
207 „ peraddam, quæ gesta sunt mecum. Discessuro in
Humilitas Lainij. „ Galliam cùm equum generosum atque percom-
„ modum ei obtulissem, perpelli bonus Pater vt
„ vteretur, nunquam potuit, atque eius verba hæc
„ erant: Equus quidem optimus est, sed pauperi
„ aptus non est. Deinde cùm crederetur à Paulo
„ Quarto in Cardinalium Collegium cooptandus,
„ ad me adijt lacrymantibus oculis; institítque vt
„ apud Summum Pontificem intercederem, & ni-
„ hil intentatum relinquerem. Quòd si illi certum
„ esset perstare in sententia, sibi quoque certum
„ esse fugam arripere, atque abdere sese. His po-
„ stremò adiecit Cardinalis, quod loco suo retuli,
de subita è Cardinalium conclaui fuga, vbi inau-
dijt de summo honore sibi demandando quos-
dam agere.

Fuit Lainius statura modica, colore candido,
208 sed aliquantum exangui, facie hilari amœnaq;,
Figura oris, & statura. ore amabiliter subridenti, amplis naribus, naso
leniter curuo, magnis oculis, & apprime viuidis
ac nitentibus, constitutione corporis apta, ve-
rùm imbecilliore. Ingenium sanè erat excellens,
velox, altum, perspicuum, forte; cui infinita le-
gendi sitis, ac perseuerandi in studijs summa con-
stantia accedebat. His instructus naturæ curæ- *Scientia.*
que præsidijs, ac præterea lumine, quo comple-
batur diuinitus, cùm omnium propè disciplina-
rum peruolutasset compilassetque auctores,
admirandam illam in omni genere scientiam
consecutus erat. Idque eo est admirabilius, quòd
occupationibus distentus grauissimis, assiduisq;
pro Republica tanquam errabundus peregrina-
tionibus, nec vnquam domo certa vtens, sed
plurimùm in xenodochijs diuersans, ad hæc
maximis ad iuuandos mortales incumbens la-
boribus, in librorum ac rerum inopia nihil mi-
nus, quàm quæ litterarum studia requirunt, ad-
iumenta otij & facultatum habuit. Nec modò 209
scientia ab actione remota, sed etiam prudentia *Prudentia.*
in deliberationibus, agendisque rebus excelluit.
Menti lingua quoque par obtigit. Cælestis enim *Eloquentia.*
Paterfamilias sapientissimus donorum suorum
distributor, cuius in pectore tam copiosum do-
ctrinæ consiliorumque thesaurum condiderat,
vt in familiæ suæ depromi vsum posset, perido-
neam ei eloquendi facultatem, quasi fidelem ad-
ministram, & sedulam promam adiunxit. Erat
eius oratio sincera, clara, solida, pressa eadem, &
partitionibus diuisionibusq; aptè & iucundè dis-
tincta: tum apud quoscunq; qua de re cunque a-
geretur, vt locus postularet, non ad docendum
subtilior, quàm vehementior ad mouendum. In-
de vsque à puero à vitijs omnibus abhorruit, præ- 210
cipuè ab obscenis, adeò vt illibatum pudicitiæ *Pudicitia.*
florem ad supremum spiritum conseruarit. Riba-
deneira narrat Romæ iuuenem concionantẽ ad
flagitium à femina sollicitatum, quam ipse perin-
de ac si statua esset, sensus omnis expers, graui
minacique oratione deterruerit; tamen ipsum-
met postea solitum dicere, cõsultius futurum fui-
sse quamuis expertæ virtuti minimè fidentem è
vestigio, gloriosa in re tali se fuga eripere. Hoc
mihi in eo videtur insigne fuisse, summa innocẽ-
tia, & spiritus vsquequaque rectus; quodq; non
admodum frequenter euenit, planè consentiens
actio vitæ cum scientia. Quemadmodum è sa-
cris libris disciplinisque didicerat vel secum a- 211
gendum, vel cum Deo, & proximis, ita planè a- *Actio vita cum scientia consentiens.*
gebat. Carere perturbationibus dixisses, neque
in eum cadere metum, neque cupiditatem hu-
manarum rerum. Apud quosuis ageret, quod
loquendum sentiebat, candidè excelsoque ani- 212
mo pronunciabat. Præterq; ea exempla, quæ suis *Libertas simplex.*
commemorata sunt locis, multa in eius quoque
epistolis extant. Cùm ad viros Principes scribe-
ret, salubria addebat monita, præsertim ad fre-
quentem vsum sacræ confessionis & communi-
onis exhortans; vtque, si non suppeteret otium
ad prolixas preces, saltem breuibus ac crebris
erigerent ad Deum mentem: eumque in consi-
lijs capiendis dandisq;, & agendis rebus adstare
sibi ante oculos existimarent: viros bonos, Dei-
que famulos magni facerent: humanam felicita-
tem pro nihilo ducerent: ac rebus ramsecundis,
quàm aduersis, vt via & gradibus ad æternitatẽ,
vterentur: ad eamque familiares suos & popu-
lares dirigerent. Eadem ingenuitate, si quid
petebant, quod minùs concedendum putasset,
negabat. Rogatus nõ multis ante excessum mẽ-
sibus,

Digitized by Google

sibus, vt aditum ad sacerdotiũ & curiam puero è sibi coniunctis sanguine per regressum, vti vocant, nõ inusitatam eo tẽpore corruptelã impetraret; Comiti Montis Acuti, qui id rogarat, respondit, consanguineorum postulata sæpè talia esse, vt Christi verbis respondendũ sit eis, *Nescitis quid petatis*: cumq; attulisset causas quare per illam viam sacerdotia quæri non deberent, addidit, cùm ad annos triginta priuatim ac publicè ore ac stylo, in Concilio & alibi apud summos & infimos docuisset, eiusmodi res depravationem esse, corrigiq; oportere, nequaquam se commissurum (quamuis multa peccaret) vt inter dicta sua & facta tantum dissidium esset: vt quos laqueos, Deo iuuante, nunquam sua causa inciderat, in eos senem iam causa nepotum indueret. Suæ verò sororis viro, qui per accumulatas litteras haud sine querimonia instabat, vt qua apud potentes valebat gratia, suæ respiceret domus tenuitatem, post dilatum
» diu responsum, ad extremum ita rescripsit: Vt
» me tibi purgem, superuacaneum reor. Videor
» mihi id præstare, quod & possum, & debeo. Speroque olim fore, cùm id ipse quoque pernoscas
» ac velis, vt in quo quisque à Deo collocatus est
» ordine, ex eo viuat, miles è militari, mercator è
» suo, itemque Religiosus è religioso. Nec dubito,
» quin, si ego ita me gesserim, benigniorem vos
» quoque istic experturi Deum sitis, quàm si limites meos transiliuerim. Germanum suum Christophorum, quem, vt suprà dictum est, ab Societate secreuerat, instantem postea, vt reciperetur, cùm præcipui Patres enixè commendarent: Ita, inquit, accipite, si mores mutauit, eaq; affert merita, vt alienum quemuis ob ea recipi oporteret. Dux quędã Hispana rogabat, ne Ægidium Consaluium ante absoluta Theologiæ studia Cõpluto remoueret, idque Ægidio ignorante cognatorum eius postulatu egerat. At Lainius sua vsus simplicitate, hanc potissimũ causam cur omnino remouendus Compluto Aegidius sit, adducit; ne consanguinei adhibita grauium personarum auctoritate, expressuros se credant, vt de viris Deo dicatis pro arbitrio statuant. Apud viros Principes, cùm res ferebat, vt quidpiam negaret, formula tali ferè vtebatur, se interpretari voluntatem petentium, quemadmodum interdum fit in legibus, in quibus non tam verba spectantur legis, quàm mens legislatoris. Credere enim se eos velle, quod ex maiore Dei gloria esset. Atque huic honestissimæ voluntati vt satisfaceret, se quod petitionis verba videbantur velle, interim minùs attendere. Habebat frequenter in ore malis initijs malos exitus comitari. Cùm quid aduersi incideret, Non esse mirum: in hanc enim calamitatum vallem homini propter peccata eiecto, quid expectandum nisi animaduersionem ac pœnam? Boni ad virtutem ducis signum esse, si Mosi esset similis, & ex Ægypto extractum in solitudinem eum, quem ducit, per illam ad terram sanctam proueheret: hoc est, illud curaret, in eoque iuuaret susceptum, vt corporis & humanarum rerum curam abijceret, suas frangeret voluntates, & ita ad perfectionem progrederetur. Profecturum verò multùm aiebat, qui apud animũ suum statueret velle quouis loco, quouis tempore, quidquid ageret, diceret, cogitaret, demum cunctis in rebus maximè Deo placere: & huc studia sua cõferret. Qui magna quædam Dei causa appeterent, vel recessum ad Religiosam vitam, vel profectionẽ ad Indos, & horum similia, si minùs assequi possent, vetabat inde argumentari ne mentem quidem illam diuinitus sibi immissam esse. Nam Deum non nunquam operis voluntatem ijs inijcere, à quibus non rem, sed voluntatem dumtaxat illam & conatum velit. Ita laudatum Dauidis extruendi templi consilium, sed effectum Salomoni filio reseruatum, Obedientiam artificiosum Dei vocabat inuentum, per quod, dum parati essemus quæcunque imperarentur, exequi, lucra meritorum faceremus etiam rebus, quas non efficeremus. Vt forte quisque sua loco quę contentus esset, iubebat cogitare in Ecclesia militante ordines & gradus distingui ex donis, quæ gratis data vocantur; in triumphante ex ijs, quæ gratum faciunt. Itaque longè aliam visuros ibi superiorum atque inferiorũ, quàm nunc videamus distributionẽ; & hanc veram, & sitam in nobis præstantiam esse, neque de alia laborandum. Inter Nouitiorũ tentationes numerabat si quis primo ad Religionẽ aditu parum ad tentationes armatus ad quietem se, & velut ad suaues epulas existimaret accedere. Inter conciones liberalitatẽ ac misericordiam commendabat: aiebat tamen illud ante omnia dicenti spectandum, vt animæ adducerentur ad Deum: tum enim consecuturam sponte misericordiam, & sanctum Spiritum cuique ostensurum eleëmosynarum genus ac modum. Prætermissę correptionis fraternæ peccatum tanti faciebat, vt omissionem hanc & impudicitiam duo esse vitia diceret, propter quæ quàplurimi mortales perirẽt. Ambitionis illecebram quàm procul habuerit, repudiati honores testimonio sunt. Episcopatũ Maioricensem, Archiepiscopatum Pisanum ac Florentinum, postremò Cardinalatum constantissimè repudiauit. Ea nocte, cui dies illuxit, quo factus est Generalis, vt scribit Ribadeneira, gemens ploransque ad Deum, vt id à se onus auerteret, flagellum ter subijt. Quantum deinde abdicare magistratum conatus sit, suo loco demonstratum est. Cùm intimè intelligeret vna ex parte quàm creata omnia ex se nihili sint, quamque ab diuino nutu & auxilio pendeant; ex altera verò quàm æterna illa Maiestas studiosa sit laudis & gloriæ suæ, quamque (vt ęquum est) res à se conditas rationis compotes sibi subiectas atque obnoxias velit esse, idque profiteri; ex hac cognitione Lainius duo præcepta colligebat, diffidere hominem penitus sibi debere, & fiduciam in Deo omnem locare: atque ita vitam suam priuatam, ita publicam instituebat, vt in his duobus quasi cardinibus verteretur. Hinc est quòd in legenda Societate, cęterisque Christianæ Reipublicæ negotijs summo studio preces & Sacra ad diuinum auxilium demerendum indicebat: & quoniam Dei nitebatur fiducia, magno & constanti animo obuiàm ibat difficultatibus. Consilijs tamen plurimùm vtebatur: & hominum per prouincias quamuis priuatorum exquirebat sententias: & si qui vltrò quidpiam suggererent, perlibenter audie-

213 *Formula qua res negabat grauibus viris.*

214 *Lainij quædam frequentiores voces.*

215

216 *Quam maximè ad regulam vitam suam dirigeret.*

Digitized by Google

audiebat. Insectationes Societatis eo ferebat animo, vt diceret certum se habere eam Dei opus esse, atque adeò non vereri ne hominum aut diaboli vlla vi disturbari posset. Quod Araozio quondam respondit, qui ita periclitari nunciauerat in Hispania rei summam, vt propè actum videretur. De malè contra eam loquentibus, illud Beati Ignatij habebat in ore, Deus faxit ne

217 *Comitas in consuetudine.* vnquam malè loquantur, & vera dicant. In consuetudine grauiter comis, & supra modum amabilis, è locupletissimo scientiæ multiplicis instrumento aptissimè, quod ex vsu præsenti esset, depromens, mirè sibi eorum cum quibus ageret, animos adiungebat. Peccãtium paternè miserebatur; ac palàm confitebatur quemuis quotiescunque vellet, posse sibi imponere. Vt enim erat ipse innocentissimus, ita ad eum placandum satis erat, vel simulare pœnitentiam, & emendationem polliceri. Cumque esset Prouincialis, & quidam esset ab Societate dimittendus; iamque & viatico, vt domum rediret, instructus, & pransus; tantum dum Lainio Vale dicit, quia significauit molestum sibi esse domum redire: si que permitteretur, manere, vitam mutaturum, commotus illico est bonus Pater, ac cessit: dein scribit ad Ignatium ob eam facilitatem se minimè ad

218 *Proximos libentissimè adiuuabat.* regendum aptum. In iuuandis proximis quàm iucundè exerceretur, ex eo manifestum fit quod ipsemet referre solitus erat. Aiebat enim cùm Italiam Apostolico ritu peragraret, quamuis sæpè laboribus, æstúue aut gelu, fame ac siti confectus esset, nihil tamen habuisse iucundius, quo reficeretur, quàm sua peccata deplorantium gemitus & lacrymas. Duo tamen crimina grauissimè oderat. Vnum eorum, qui per malas artes sacerdotiorum reditus inuadunt, & ex patrimonijs pauperum, & pretio sanguinis Christi quocunque modo studeant rem facere. Alterum eorum,

Duo maximè peccata oderat. qui simulato zelo, specieque religionis religionem ac pietatem oppugnant. Munus boni concionatoris tanti æstimabat, vt cùm ad Franciscũ Stradam scriberet, quem Prouincialis munere,

219 *Concionatoris munus permagni faciebat.* vt dare operam concionibus posset, expediebat; illud quoque adscripserit. Si copiam eorum, quos commodè posset sufficere, nactus esset, quicunque ad concionandum essent idonei Prouinciales, eos omnes cura prouinciæ exempturum, quò diuini verbi spargendo semini toti vacarent. Beato Ignatio vix credibile dictu est,

220 *Beatum Ignatium quanti faceret, & quanti Lainium Ignatius.* quantum tribueret: quantum eius ductu velut diuinæ interprete voluntatis confideret. Nec validè modò illum, sed & dulcissimè amabat: cui etiam, quamdiu superfuit nunquã destitit totum se, quidquid eueniret, quidquid rectè, quidquid secùs videretur gessisse, mirè candido simplicique ingenio siue coràm, siue per litteras aperire. Iacebat ipse moribundus cùm Beatus Pater terras reliquit. Quod cùm Patres ita laboranti nũciare parcerent, per se coniectans, Ergo mortuus est Sanctus, inquit, mortuus est Sanctus? Vtque affirmatum est, oculis in cælum manibusque sublatis, eius se precibus supplex commendauit. Vicissim Ignatius, quanti alumnum faceret, multis modis ostendit. Primùm quemadmodum Christus Dominus è Collegio Apostolorum Petrum & Iacobum cum Ioanne fratre, ita ipse primis è Patribus Petrum & Iacobum suos, Fabrum & Lainium maximè apud se habebat. Deinde cùm grauissima quæque munera ei demandaret, haud tamen ratò dictis ac factis adeò tractabat seuerè, vt cæteri mirarentur. Gnarus nimirum quantum virtus, cui tutò creditur, exercendo augeatur, dabat illi certamen forte, vt vinceret. Postremò Ribadeneira refert se de Ignatio audiuisse, cùm diceret, neminem esse primis è Patribus cui plus quàm Lainio Societas deberet. Quod, opinor, aiebat, non solùm ob cętera tanti viri merita, ac nominatim ob Collegiorum siue inuentam, siue ordinatam ratione; sed potissimùm, quòd instituta, quibus disciplina hæc magnam partem nititur, cùm possent ob nouitatem admirationem cuipiam mouere, solidis ipse reconditioris doctrinæ firmamentis constabiliuit. Et sanè veram esse laudem minùs ambiget, qui tempus id etiam respiciat, quo is Generalis fuit, si quàm multa in Societatis disciplina, quæ rudia erant & inchoata, formarit atque perfecerit, reputet: quàm latè eamdem propagarit, quàm constanter defenderit. Sex per eum additæ sunt prouinciæ, Neapolis, Longobardia, Toletum, Aquitania, Rhenus, Au-

221 *Prouincia à Lainio institutæ.* stria; plurima Collegia vel omnino instituta de nouo, vel reditibus stabilita, & Academijs instructa. In Italia certè Collegia olim, cũ Prouincialis esset, vel inchoauit ipse omnia, vel perfecit. Eius maximè auctoritate in Galliam recepta Societas, & aditus in Poloniam patefactus. Nam profectò fidem propè superat quantum Lainio maximi quique & sanctissimi viri tribuerent. Cumque ter in Concilio Tridentino fuerit, locum nactus est opportunissimum in amplissimo illo Antistitum ac Principum theatro Societatis nomen, Deique gloriam longè lateque fundendi. Quodque caput est, nomen doctrinæ, summamque auctoritatem, qua semper Romę apud Cardinales, Summosq; Pontifices Societas floruit, ab Lainio potissimùm accepit. Abeo multùm se profeciſſe Salmerõ profitebatur. Eius scripta per totam Societatem spargebantur, præsertim disputationes morales, & conciones ad populum, & ijs velut fontibus suos quisque agellos rigabat. Multi purpuratorum Patrum eius regebãtur consilijs, nec secùs ac si de Societate essent, eum Nostrum Patrem appellabant: locoque exempli satis habeo pauca verba referre ex epistola, qua super grauissima re Stanislaus Hosius Cardinalis Varmiensis doctrina æquè ac sanctitate pollens, eum consulit. Tantum hoc iterum atque iterum, inquit, à Paternitate vestra peto; vellit mihi consilium suum impertiri, num petenda mihi sit facultas permittẽdi calicis in diœcesi mea, nec ne: nec fidelius, nec salubrius, nec prudentius à quoquam alio, quàm à Paternitate vestra consiliũ dari mihi posse persuasum habeo. „

FINIS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
RERVM MEMORABILIVM,
QVÆ IN HAC SECVNDA HISTORIÆ
SOCIETATIS IESV
PARTE CONTINENTVR.

Prior numerus librum indicat, secundus numeros ad marginem positos: vbi verò vnicus ponitur, ad priorem libri numerum refertur.

ABassina Ecclesia status anno M. D. LX. 4. 330.
Abrahamus Syrus missum se legatum asserit ad Pontificem à Patriarcha Cophthorum. 5.135. Quàm benignè Romæ habitus. ibid. Quid obsequij illi Patres Societatis inter nauigandum exhibuerint. 140. Eius impudentia. 6.124. Qua intentione Romam venerit, & litteras attulerit. 132. Eius simulatio & fallacia. 135. Eius blasphemia. 136. Vide Christophorus Rodericius.
Academia Eborensis ab Henrico Cardinali erecta Societati traditur. 3.108. Vide Henricus.
Aceni Lusitanorum capitalissimi hostes in India. 5.261.
Achilles Gagliardus ad Societatem Patauij accedit. 3. 35.36. Primus in Collegio Romano Ethicam docuit. 7.5. Eius in morte fratris Leonetti animositas. 8.64.
Adamas Saquedus in Abassia regnum sufficitur. 3.151. Eius in Lusitanos ingratitudo. ibid. Insectatur Catholicos. 152. Episcopum Ouiedum vexat. 153.
Admonitor in Societate quis sit. 2.44.
Adolescentis perditi mira conuersio. 1.138.
Aegidius Goës mittitur ad Sinas, vt legatus Regis Lusitaniæ. 7.127.
Aegidij Montani mors, & oblatum ei visum. 5.65.
Aenigmatum explicandorum certamen Conimbricæ propositum. 2.164.
Aethiopica prouincia status mortuo B. Ignatio. 1.13.
Albaizinia domus Granatæ. 3.98. Eius fructus. 4. 180.
Albertus Arausius Damiani cùm consedisset, & mala vtens valetudine Goam reuertisset, demoritur. 3.113.
Alberti Ducis Bauari litteræ de Monachiensium Sociorum feruore. 4.123.
Aldus Manutius P. F. Salustium à se illustratum in Romani Collegij nomine euulgauit. 7.8.
Alexandri Ceruini de Ricciardo filio littera. 4.34.
Alexander Episcopus Cariatensis quàm Societati amicus. 5.8.
Alexandri Farnesij in Societatem benignitas. 8.146.
Alexander Valla in Iaponiam destinatus, classiariis in Africam tendentibus auxilio est. 8.50.
Alexius Fontana Societatem passim apud Carolum Cæsarem & Philippum Regem commendat. 3.78. Cælebs moritur. 81. Eius testamentum. ibid. Pro eo preces & sacrificia in Societate indicta. 82.
Alfonsus Brauus Christophoro Rodericio & Eliano comes additus in legatione Memphitica. 5.135.
Alfonsi Castrij modestia. 1.156. A Xauerio in Societatem in India adscribitur. ibid. Eius pretiosa mors. 2.175. Quæ eius necis occasio. 178. Mortem eius mira consecuta. 179. Eius percussores miserè interiere ibid. Eius vita. 180.
Alfonsus Cyprianus Meliaporæ moritur, eius vitæ compendium. 3. 114. Eius testimonium de virtute B. Martyris Criminalis. 115. Eius zelus acerrimus. 116. Eius vaticinatio. 117. Diem mortis prædixit. ibid. Melchioris Nunnij de eo testimonium. 118. Cypriani de Romana domo iudicium. 119.
Alfonsus Deza Societati accedit Complut. 2. 154. Quis quantusue esset. ibid.
Alfonsus Lozanus moritur Cæsaraugustæ. 8.162.
Alfonsus Mendoza Comes Guerreræ in egenos benignus. 8.120.
Alfonsus Petrius Gusmanus Dux Metinæ Sidoniæ, Collegium Triguerense fouet. 6. 111.
Alfonsus Ramirius Vergara quid de Francisco Villanoua sentiret. 1.135.
Alfonsus Salmeron è Belgio Romam redit. 1.36. Rursus in Belgium cum Cardinali Carolo Carrassa abit. 99 Ad Pontificem accedit post comitia, diem regaturus quo adire illum vniuersi Patres, eiq; se coram tradere possent. 2.37. Vicarius Generalis decernitur. 5.134. Designatus Duci Sabaudo in rebus fidei difficilioribus consultor. 150. Cur mitti in Sabaudiam non potuerit. ibid. Quàm amicè à Socijs Romæ Neapoli veniens exceptus. 154. Vanissimus de eo rumor sparsus Neapoli. 156. Eius honor scriptis à Pontifice Neapolim litteris propugnatur. ibid. Mittitur Tridentum vt Theologus Apostolicus. 6. 74. Eius ibidem auctoritas, & de doctrina eius opinio. 86. Venetias suis concionibus in sui admirationem & in studium pietatis excitauit. 8.51. Quis ei honor ibidem habitus. ibidem. Eius eloquentiæ efficacis argumenta duo ibid. Concionatur Romæ magna celebritate. 52. Pontifex suo eum Neapoli Nuncio commendauit. ibid. Expetitur à varijs per quadragesimale ieiunium concionator futurus. ibid. Per Lainium se fatetur multum profecisse. 221.
Alfonsus Zarates Cordubæ præclarè rem gerit. 8.141.
ad Algarbios missi Socij bene rem gerunt. 8.167.
Almadraua Baticis quid sint. 1.118.
Amacai vrbis initia. 7.128.
Amaronus Amaronius quomodo Macerata mimos populerit. 6.18.

Digitized by Google

Amboiniorum pietas & in fide constantia. 7.118. *Diuina tutela eos protegit.* 120. *Eorum mores in deligendis vxoribus.* 8.180. *Eorumdem constantia comparanda cum primis Christianis.* ibid.

Andreas Acosta socius Consalui Silueriæ in expeditione ad Cafres. 3.148

Andreas Boccatius Friso Societatem Snecam inducere conatur. 8.97. *Sed inde emigrare coactus Ustam migrat, vbi cum arumnis luctatur.* ibid.

Andreas Fernandius Consalui Silueriæ comes in expeditione ad Cafres. 3.148. *Eius virtus.* 4.215. *exotat.*216. *Eius inter Cafres extrema patientia.* 6.158. *Mozambicum venit macie confectus suprema.* 160

Andreas Frusius, Rector Germanici Collegij Romæ moritur. 1.34

*Andreas Galuanellus eximius operarius moritur.*2.69

Andreæ Iaponij Christiani constantia. 3.160

Andreas Ouiedus Episcopus in Aethiopiam destinatur. 1. 50. *In Aethiopiam abit.* 140. *Excipitur honorificè.* ibid. *Regem Claudium alloquens comperit eum à religione Catholica alienum.* 141. *Eius gesta in Aethiopia.*142. *Frustra in Aethiopia tempus terens, & de Abassinis conuertendis desperans, animum adscribendum appellit.* 3.149. *E regia abit.* ibid. *Prædicit Regi cladem.* 150. *A nouo Rege vexatur.* 153. *Relegatur, & occidi cum socio iubetur.* ibid. *Eius arumnæ inter Abassinos.*4.234 *In eum iniurius Turca vindicem Dei manum experitur.* 6.157. *Ab hostibus indemnis præteritur.*ibi.

Andreas Pintus ad Sinas mittitur. 7.127

Andreas Stanga Socios naufragos in Cypro benignè excipit. 6.155

Andreas Valckenburgius Treuiris in Archiepiscopali templo concionatur. 4.102

Aneßij strenuè laborat Ludouicus Codrettus. 3.74

Aneßiani Collegij res non procedit. 4.74

Angelus Douitius primus Rector Collegij Maceratensis. 5.86. *Moritur, eius elogium.* 8. 66

Angelus Iustinianus Minorita à Lainio designatus, qui Duci Sabaudo in fidei difficultatibus adesset consilijs. 5.150

Angelus Sibilla alium Angelum Sibillam ad Societatem pertrahit. 2.107

Angolæ situs & descriptio. 4. 203.205. *In eam Socij primi penetrant.* 208

*Angronia vallis variorum hæreticorum colluuies.*4.67

Angronienses hæretici rebellantes rursus, à duce Sabaudo compescuntur. 5.87

Animi maligni signa. 8.22

Annibal Codrettus concionatur Turnone. 6.41. *Principi Turnonio quid responderit Sociorum nomine, quoad mortem oppetendam.* 60. *In locum Pelletarij Tolosæ suffectus.* 8.77. *Valentiæ secundissimo euentu concionatur.* 79

Annibal Firmanus Perusino præficitur Collegio. 7.17

Antiochi Belliti Sardiniæ Prætoris in Societatem amor. 6.28

*Antonius Araozius cur ad congregationem generalem non venerit.*2.14. *Eius ingenium & sententia in Societatis administratione.* 4.184. *Prouincia sua commodis temporalibus nimis inuigilat.* 185. *Cur Lainio non planè faceret satis, nec olim B. Ignatio fecisset.*ibid. *Curà Borgia dißideret.*187. *Quid in eo desideraret.* ibid. *Natali suadet vt Borgiam è Lusitania in Castellam reuocet.* 5.1. *An ipse turbarum in Hispania earum causa.* 36. *A Natali placatur Generali Præposito & Polanco.* 44. *Pro eo vehementer laborat Rodericus Gomius apud Natalem.* 46. *Creatur à Natali Commissarius.*6.65

Antonius Assentius moritur Cæsaraugustæ. 8.160

Antonius Caiadus Consalui Silueriæ apud Manomotapium Regem interpres. 5.221. *Huic Silueria necem suam prædicit.* 230. *Cur hanc ipse non impedierit.* 232

Antonius Cordesius Aragoniæ Prouincialis ab Lainio constitutus. 4.171. *Eius virtus.* 5.53

Antonius neophytus Firandensis rem Christianam in pagis vicinis promouet. 2.187. *Eius zelus.* 8. 192.

Antonius Fernandius in Amboinum venit. 7.120

Antonius Fontoua moritur Murciæ: eius religio atque prudentia. 2.152

Antonius Genua Philosophiæ professor Patauij Auerroem sectabatur. 3.39

Antonius Hercules Ordinis desertor monastici, Mahometanorum fautor, quàm teter post mortem apparuerit. 6.168

Antonij Legæ mors & virtus insignis. 4.38

Antonij Madridij efficacissimæ conciones Compluti. 2. 142. *Eius singularis vita & mors.* 7.72. *Vocatio ad Societatem.* 73. *Sui contemptio.* 74. *Studium mortificationis & afflictandi corporis.* 76. *Erat ei donum lacrymarū.*78. *Qualis ipse prædicator.*79. *Effectus verborum eius & lacrymarum.* 80 *Dicta quibus se excitabat.*81. *Eius postrema concio quantopere celebrata.* 82. *Quomodo se ad mortem comparauit.* 83

Antonius Noronia Prorex in Indiam appellit. 8.172 *Eius pietas.* 174

Antonius Paëzius Lusitanorum dux prædones Mahometanos debellat. 7.120

Antonio Perenotto Cardinali Granuelano Societatem in Belgio commendat Pius IV. 5.159

Antonius Pinerius Mirandensis Episcopus Brigantinæ Collegij fundationem vrget. 5.31

Antonij Posseuini ad Societatem accessus, eius studendi ardor. 3. 38. *Eius honores.* 39. *Quomodo ad Societatem vocatus.* 42. *Mittitur ad Ducem Sabaudiæ vt ei Catholicam religionem commendaret.* 4.61. *Eius sapiens cum Duce colloquiū.* 62. *Cum hæreticis Angronienſibus disputat.*69. *Hæreticis fidem eiurantibus Vercellis præit.* 71. *Alia etiam plurima in fidei augmentum iis in locis agit.* ibid. *Honores ne sibi conferrentur instat.* ibid. *Quid in expurgationem vallis subalpinæ excogitarit.* 5.87. *Eum quomodo expugnare tentarint hæretici.* 151. *Eiusdem Cherij & Taurini labores.*ibid. 152. *Lainio concionum suarum rationem reddit.*152. *Eius res Camberij.* 153. *Præclarè Lugduno auxiliatur.* 6.44. *Eius libellus de Eucharistiæ Sacramento hæreticos mordet.* 47. *Periclitatur Lugduni.* 50. *Eius in periculis constantia.*51. *E periculis eripitur.* 53. *Eius gesta Cherij.* 56. *Lugdunum reuocatur.* 7.62. *Lainio auctor est Pontifici suadendi, vt Doctores Academicos fidem profiteri iuberet.* 8. 41. *Iniquas negotiationes Lugduni tollit.* 82. *Disseminat salubres libellos.*83. *Cum Vireto disputat* 84. *Eum clàm adhortatur, vt resipiscat.* 85. *Ad linguam Gallicam quomodo animum applicarit.* 86

Antonius Quadrius Eques Pontanus Collegiū in Valle Tellina condere meditatur. 2.82. *Quis, qualis hic esset.*

Digitized by Google

esset. ibid. Suas facultates in eam rem assignat. 3.52. Eius latitia vbi primùm Socios Ponte conspexit. 4.57. Ad conciliabulum Helueticum proficiscitur Collegij Pontani causam coràm commendaturus. 59. Eius mors. 5.106

Antonius Quadrius Indiæ Prouincialis loco Silueriæ. 3.144. Qua industria Goanos Christo lucratus sit. 4.246

Antonius Trancosus Physicam & Metaphysicam Turnone docet. 5.190

Antonius Vazius Regulum Baccianensem Christo parit. 1.155. Ambitione laborat, Alfonsum Castrium exagitat, ab Societate segregatur, iterum admittitur. 156

Antonius Vazius alius magna spe aeterna salutis moritur. 6.181

Antonius Vinckius Perusiam abit Romæ. 1.87. Cum Socijs sex missus in classem. 4.40. Creatur primus Rector Collegij Treuirensis. 4.103. Constituitur Prouincialis Rhenanæ prouinciæ. 8.92

Antuerpiensis Collegij initia. 7.55

Arabica chalcographia Romæ instituta à Pontifice Pio IV. 8.40

Aragoniæ prouinciæ status mortuo B Ignatio. 1.11

B. Archangelæ Panicarolæ de Societate vaticinium. 7.36

Archiepiscopatus institutus Goæ. 3.142

Argentoratensis ciuitatis status eò veniente Canisio. 2.9

Arias Auila Episcopus Segobiensis pecuniam legat in nosocomij vsum. 3.91

Arias Brandanus Damani octoginta Mahometanos Christo parit. 5.252. Eius res Armuziæ gestæ. 4.280 Eius in Lusitanos agros caritas & sedulitas. ibid.

Arias Sancius in Societatem in Iaponia adlegitur. 6.193

Arimæ Rex ad fidem propendet. 7.137. Eius in Almeidam benignitas. 141

Ariolorum Indorum vanitas. 8.172.

Arx memorabilis Exandoni, & Christianorum in ea pietas. 6.182

Asisij Pontius Gogordanus gnauiter rem gerit. 1.88

Assistentium munus. 2.45 Qui primi creati ex nationibus quarum copia fuit, non ex formula. ibid. Quomodo Societatis prouincia inter eos distributa. ibidem. Inter eos prouincia quomodo diuisa anno M. D. LXIV. 8.4. Eorum verba ad Lainium de generalatu obtinendo. 4.17

Auaritiæ quanta vis. 4.59

Auenionense Collegium inchoatur. 8.87

Augusta Vindelicorum Canisij opera respirat. 5.160 Res Societatis ibi turbidæ. 8.104. Sed redit quies. 106

Augustinus Marloratus hæresiarcha interest conuentui Posiaco. 5.198

Aulicorum adolescentium Madriti pietas. 8.119

in Austria turbæ exoriuntur. 8.100

Auxinus pagus circa Goam totus Christo ascriptus. 4.250.

Baccianus insula describitur. 1.155. Eam Socij in rebus fidei excolunt. 2.183

Badagæ quinam sint. 4.260. Ioannem Mesquitam captiuum abducunt. 263

Baticæ prouinciæ status mortuo B. Ignatio. 1.10

Balthasar Acosta in Iaponiam mittitur. 8.195

Balthasar Gagus Facatæ rem Christianam auget. 2.185. Ab Ethnicis Facatæ exagitatur. 3.155. Exspoliatur cum suis. 156. Mirus modis vexatur. 157. à Ioanne neophyto neci eripitur & periculo. ibid. Ingens latitia Bungensium ex eius liberatione. 158 Quare in Indiam è Iaponia missus. 5.286

Balthasar Hostouinus Poloniam cum Nuncio Apostolico obit. 8.115

Balthasar Loartes Placentiæ factiones tollit. 6.115.

Baltasar Pinna in Sardiniam missus. 383. E morbo conualescit viro quodam bono Deum rogante, vt in se morbus transferretur. 6.126. Romæ solemnia emittit vota. 8.16. Quo plausu in Sardiniam redux exceptus. 57. Fit Superintendens Collegij Calaritani, & Rector Sassaritani. ibid.

Baptismatis sacri vis. 5.248. 270. & 6.174. Eius vis ad corporum & animi morbus tollendos. 4.257. Baptismus maximus Goæ peractus. 4.247. Et in Diuare & alibi. 256. Baptismorum sublata pompa Indorum conuersio refrigescit. 5.246. Baptismorum celebritas Goam reuocatur. 7.116. Baptismus primus in pago Boni Iesu in Brasilia. 5.288. Baptismorum apud Brasilos frequentia. 6.197. 201. Primus in pago S. Petri. 199

Barcinon cur nonnullis Patribus deligenda visa sit ad congregationem celebrandam. 1.69

Barcinonensibus Socius auxilio sunt in rerum penuria monachi Montis Serrati. 2.147

Barcinonensium in Societatem caritas. 5.52

Barnabitarum Clericorum in Socios Mediolanenses caritas. 8.53

Bartholomæus Bustamantius Carolo V Cæsari vnde notus 1.115. Hæreticos Hispali deprehensos ad Quæsitores defert. 117. Cur adesse congregationi non potuerit. 2.15. Toletum ad initia ponenda Societatis abit. 139. Pueros Mauricos quomodo instituendos curarit. 3.98. Quanti eam faceret epistola missa ad Lainium declarat. 103. Quàm disciplinæ Religiosæ tenax. 4.182. Sermones aduersus eum sparsi. ibid. Quid de Societatis institutis sentiret. ibid. remittitur in Baticam à Natali, cùm eius fuisset comes. 5.9. Prouinciam suam eiusdem iussu ordinat & componit. 45. 47. Creatur ex Prouinciali Superintendens Collegij Hispalensis. 50. Triguerenses excolit. 7.101. Hueluam euocatur, vbi dissidia sustulit. 103. Trigueri quomodo turbas in concione ortas composuerit. 104. Remiges agros Hispali quomodo iuuandos curarit. 108. In vicinis opidis laborat. 8.139

Bartholomæus Carranza Archiepiscopus Toletanus Societatem Toletum aduocat 2.139. In carcerem coniicitur, ad Borgiam appellat vt ad testem omni exceptione maiorem: vnde Borgiæ orta infamia. 4.189.

Bartholomæus Fernandius Rector Salmanticensis quid egerit Compostellæ. 7.89

Bartholomæus Foresius inter Calarienses optimè de Societate meritus. 8.56

Bartholomæi de Martyribus Archiepiscopi Bracharensis humilitas, scripta, amor in Societatem. 4.150

Bartholomæus Petrius in Societatem Salmanticæ receptus. 8.126. Eius ardor. ibid.

Bartholomæi Regis Omurani in fide susceptæ constantia. 7.157. Vide Sumitanda.

Bartholomæus Torres, dein Episcopus Canariensis, quid de Francisco Villanoua sentiret. 1.135

Digitized by Google

Bartholomæi Trunci Coadiutoris opera artificiosa in templis. 6.4

Bauara domus pietas erga Societatem. 5.162

in Bauariam inferiorem excurrunt Socij. 8.111

Beanismum ponere quid sit in Germanicis Academijs. 5.181

Beatrix Cotinia Consaluum Silueriam vtero gestans, eum triduo ante partum audiit vagientem in vtero. 5.239

Bellimarensis domus initia. 4. 172. *Eius auctor Benedictus Vguccionus Canonicus Burgensis. ibidem. Collegio inditum nomen Bethleem: mira res in eius ædificatione contigit.* 173. *S. Crucis particula in æde Bellimarensi reposita.* 175

Bella inter Abaßinos. 4. 233. *Bellum inter Pontificem Paulum IV. & Philippum Regem Hispaniarum.* 1.60. *Bellum Ternatinum.* 1.157

Benconem Tarcarum Abaßini proceres in Adama locum sufficere molientes, profligantur, & Tarcarus capitur. 4.233

Benedictus Alemannus Societatem domi sua excipit Mediolani. 8.53. *Eius quinque liberos ad Societatem vocauit Deus. ibid.*

Benedicti Palmij eloquentia Romæ celebris. 1.39. *Eius facundia Collegium Patauinum refloruit.* 2.71. *Quos pietatis motus Patauij excitarit.* 72. *Multa Venetijs optimè gerit.* 73. *Prouincia Longobardica primus præficitur.* 3.28. *Eius concionibus permoti Gagliardi fratres Societatem ineunt.* 3.55. *Nec non alij.* 43. *Nouocomensis Collegij res ordinat, & ciues edocet quæ Collegij futura sit ratio.* 5.94. *Venetas turbas eloquentia sua pacare satagit.* 115. *Duci Veneto satisfacit.* 116. *Eiusdem vigilantia atque constantia.* 118. *Eius de Lainij Generalatu opinio.* 121. *Designatus qui Duci Sabaudo in fidei difficultatibus consilijs adesset.* 150. *Ob eius nomen benignè in Cypro habiti Patres naufragi.* 6.154. *Pauperibus succurrit Bononiæ.* 7.34. *Mediolanum abit ad inchoandum Collegium.* 35. *Eius ibidē canciones magno omnium plausu audiuntur.* 37. *De iisdem iudicium S. Caroli Borromæi. ibid. Aduocatur ab Gubernatore Mediolanensi ægro: quid apud eundem egerit.* 38. *Quo eum Gubernator loco duxerit.* 4.39

Benedicti Pereriæ Romæ existimatio. 5.61. & 6.7

Benedictus à Tocco Abbas Benedictinorum in Monte Serrato, Societati Barcinone difficili tempore succurrit. 2.147

Benedictus Vguccionus Burgensis Canonicus à quo tempore amare Societatem cœperit, Bellimarensis ipse domicilij origo. 4.172

Bengaici Regis filius Christiana sacra, optione data, Mahometanis præfert. 7.126

Benignitatis efficacia. 6.12

Bernardus Cantaber sanctitatis opinione clarus moritur. 1.139

Bernardus Odescalckus Societatis rem Nouocomi promouet. 5.93.95

Bibonensium P. Venusto necato panicus de Societate timor. 8. 72

Billomæi Collegij templi dedicatio quomodo celebrata. 8.88

Billomensium ciuium studium pro suo Collegio. 5.195

Billomensium Sociorum dispersio. 6.68. *Rerum laborant angustiæ.* 5.194

Blasius Rengifus Theologiam docet Vallisoleti. 7.92

Bonum commune magis præferendum minùs latè patenti. 2.90

Bonsignorij Cacciaguerra libellus de Eucharistiæ frequenti vsu, Possevino ad pietatem contulit. 3.40

Bonzij Socios Meaci exagitant. 4.283. *Ximabara insolentes in Christianos.* 7.144. *Cur iniquè ferant christianismi propagationem.* 161. *Bonzij, eruditione præstantes diuinitate quadam donant.* 4.284. *Illorum impostura.* 285. *Immanitas.* 7.151.

Bos, (Collegij Patauini id nomen est) anno M. D. LIX. *florebat.* 3.35

Boum pretium in Manomotapa. 5.222.

Bracharam Societas venit. 4.150. *Quas ibi passa difficultates.* 152.

Brachmanes eximius Goa Christo adiungitur. 3.125.

Brachmanes ditione Lusitana pelli iubentur. 7.115 *Eorum dogmata confutantur.* 3.127

Bransberga Societatem prima in Polonia recipit. 8.114

in Brasilia res fidei quomodo anno M. D. LVI. *procederet.* 1.47. *Brasilia secundum accipit Episcopum.* 3.109. *Brasilica prouincia status mortuo B. Ignatio.* 1.16. *Eius descriptio. ibid.*

Brasili neophyti in vrbe S. Saluatoris paulatim cicurantur, 2.165. *Eorum leuitas.* 6.198.

Brasili Christiani contra Ethnicos pugnant. 6.203 *Paulatim humanitatem induunt.* 4.201. *Eorum eruditio laboriosa.* 8.198

Breuiarium barbari Cafres vt animal intuentur. 4.215

Bungensis Rex Christianos tuetur aduersus Ethnicos. 6. 194. 195. & 8. 186. *Christianorum aduentui suum ascribit incrementum* 8. 188. *Ipse cur fidem detrectaret admittere.* 1.158. *Quàm in Patres benignus. ibid.*

Bungensium neophytorum ardor. 5.271.

CAciles Aerius rex Ternatinus acerrimus Mahometanorum propugnator & mystes. 1.155. *Bello à Lusitanis exagitatur.* 157. *Capitur à Lusitanis.* 2.174. Vide Ternatinus.

Cadamessanus, Surrati dominus, in fide Christi amplectenda tergiuersatur. 5.251

Cades prudenti consilio impedita. 5.254

Cæsaraugustæ pestilentes à Socijs adiuti. 8.158.

Cæsar Brancatius Prætor agri Piceni Collegium Maceratense promouet. 5.83

Cæsar exlegem significat. 5.229

Cafres ad labores itinerum patientissimi. 4.214. *Eorum impietas & crudelitas.* 6.158. *Adeos expeditionis qua occasio.* 3.145

Cafraria situs ibid.

Calaritani Collegij initia. 8.56

de Calice laicis vulgando quàm in Germania grauis exstiterit contentio. 7.52

Camberiense Collegium incipit. 8.88

Cameracesium castrum ab hæresi purgat Eleutherius Pontanus. 8.94

Camerinense Collegium petitur, sed non perficitur. 8.3

Camillus Vannutius Romæ demoritur. 8.65

Camisama vxor Bartholomæi Regis Omurani à marito ad fidem incitatur capessendam. 7.150.

Cangoximanus Rex petit aliquem de Societate 6.181 183.

Canissium idolum in insula Diuare. 4.251

Canonici Augustani cur Canisium in primario templo Sacramenta administrare non paterentur. 8.104.

Cap-

Digitized by Google

Capuccinorum insignis erga Socios Rom. hospitalitas. 6.14.
Carambolitani circa Goam quo pacto ad fidem conuersi. 4.248
Carcer Goanus iuuatur. 3.138
Cardinalis Alexandrinus iussu Pontificis Pauli singulari prudentia controuersiam domesticam Societatis cognoscit. 1.85. *Eius laus.* ibid.
Cardinalis Ferrariensis Borgiam Romam euocari quare à Pontifice petierit. 4.194
Cardinalis Lotharingia cur Collegij Metis instituendi ergò Socios à Lainio peteret. 4.83. *Eius in Societatem studium.* 5.195. *Iubet hæreticos in conuentu Poisiaco expromere à quo missi essent, & alia.* 198. *Cur Lainio aliquando subiraſceretur.* 74
Cardinalis Paciecus verba facit ad Patres in congregatione congregatos, Pontificis nomine. 2.28
Cardinalis Sabellus quomodo se Romæ in Societatis infamia gesserit. 8.28. Vide *Iacobus.*
Cardinalis Turnonius Collegium suum tradit Societati. 4.84. *Moritur, adest ei Ioannes Polancus, vitæ longiorem concessionem rogat abrumpi, exuerat erga cognatos amorem.* 6.38
Cardinalium Concilij Tridentini Præsidum de Lainij modestia testimonium. 6.79
Caritas Firandensium neophytorum. 5.274
S. Carolus Borromæus post celebratas primitias, in Domo professa Romana pernoctauit. 7.11. *Eius insignis ad summam virtutem processus.* 8.12. *Instat vt Mediolanum quamprimum Societas mittatur.* 53. *Collegium Romanum visit.* 6.6
Carolus Grim ad initia Oenipontani Collegij ponenda missus, moritur. 5.171
Carolus V. Societatem quo loco haberet. 1.112. *A Borgia de rebus Societatis edocetur.* 114. *Quo audito aliam mentem induit.* 115. *Eius mors.* 2.134. *Borgiam inter procuratores sui testamenti designat.* ibid. *In hæreticos iubet animaduerti.* ibid. *Eum pro funere Borgia laudauit, eius studium erga meditationem* ibid.
Caroli IX. Regis Galliarum benignitas in Edmundum Augerium. 8.80
Caroli Sagerij naua sedulitas. 7.67
Castellana prouincia status mortuo B. Ignatio. 1.9
Casus humani quomodo ferendi. 3.106
Catanenses scholæ inchoantur. 2.103
Catechismi Canisij à Posseuino in subalpinis locis magna copia sparguntur. 5.87
Catechismus Edmundi Augerij quàm fuerit Parisiis venalis. 7.61. *Illustratus is est à Francisco Antonio.* ibid. Vide *Edmundus Augerius.*
Catechesis quomodo floreret Olissipone sæpè præsente Regina, & præmiola distribuente. 8.165
Catecheseos ratio Compluti à Sociis inita. 2.143
S. Catharina Senensis apparet Iacobo Ledesmæ Brixiæ. 1.65
Catharina Fernandia à Corduba Collegij Montellani parens. 2.135. *Eius in Societatem studia.* 136
ad Celebes insulas religio propagatur Christiana. 7.122
Cetaria quid sint in Batica. 1.118
Cha Iaponica potionis genus. 4.282
Chalcographia prima India, Goa. 1.52
Chorum cur in Societate introduci iusserit Paulus IV. 2.58. *Quas is difficultates habeat.* 64. *Roma haberi cœptus.* 84. *Intermittitur mortuo Paulo IV. Pontifice.* 3.30
Christo vnam tantùm naturam dantium error Memphi confutatur. 6.123
Christophorus Acosta Malacæ Rector. 5.265
Christophorus Carualius in Cocinense Collegium beneficus. 7.116
Christophorus Lainius à fratre, quòd mereretur, dimissus, sed deinde secundò in Societatem receptus, in eadem exspirat. 3.12
Christophorus Madridius propemodum puer, nec dum Professorum ex ordine à B. Ignatio iussus Societatem cum alijs duobus regere. 1.22. *Creatus Assistens.* 2.46. *Quatuor vota profitetur.* 3.1. *Prouincia ei attributa.* 8.4
Christophorus Madrutius Cardinalis in Maceratense Collegium beneuolus. 5.85
Christophorus Rodericius duos in Societate germanos habuit. 4.115. *Eius studia, munia, gesta.* 116. *Mittitur ad Imperatorem à Ioanna Principe Lusitania, quid apud illum & filium Maximilianum egerit.* ibid. & 117. *Mittitur à Pontifice Memphim in Aegyptum.* 5.135. *Eius dotes.* ibid. *Monita ei data.* 136. *Quomodo ad eam missionem se pararit.* 137. *Eius pia industria inter nauigandum.* 138. *Patriarcham Cophthorum salutat nomine Pontificis.* 142. *Quid cum eo tractarit & petierit.* 144. *Eius apud Cophthos labores.* 6.121. & *seqq. Eius prudentia in negotijs gerendis.* 126. *Qua pietate cum sociis in suum munus incumberet.* 127. *Eius constantia in irrito conatu.* 133. *Incidit cum socijs in latrones.* 134. *Quomodo se ipse consolaretur.* 136. *Noui eiusdem conatus.* 137. *Memphim repetens quid egerit.* 138. *Captiuis Christianis Memphi succurrit.* 139. *Alexandriam commeat.* 141. *Quomodo hæreticum ibidem Christo asseruerit.* 143. *Quo astu librum hæreticum igni adiudicarit.* ibid. *Romam tandem reuertitur.* 156. Vide *Ioannes Baptista Elianus. Vulturariam hæresi purgat.* 7.13. *Eius ibidem industria.* 14. *Et obedientia.* 15. *Quomodo pietatem, & fidei negotia ibidem promouerit.* ibidem. *Quomodo pacem inter dissidentes conciliarit.* 16. *Quàm omnibus gratus exstiterit.* ibid. *Aquilam in Vestinis vrbem adiit.* 8.44. *In Monte Leone dum laborat, datur in vincula.* 45. *Quantum amaret vincula Christi causa.* 46. *Gratulatur ei Borgia in aduersitatibus.* ibid. *à Prorege Neapolitano benignè habetur.* 47. *De eius innocentia testimonia variorum.* ibid. *Remittitur ad cœptum opus perhonorificè.* 48. *Plurimos ab hæresi liberat.* 49. *Troianam diœcesin lustrat.* ibid. *Quàm multos hæreticos Ecclesiæ restituerit.* ibid. *Creatur Prouincialis Tusciæ.* 202
Christophorus de Rojas Episcopus Cordubensis templi Cordubensis primum lapidem posuit. 8.144
Christophorus Strombelius in Poloniam missus Socijs eò mittendis præesse iussus. 8.114
Christophorus Vasius Rodericius in Molucum mittitur. 7.125
Chrysostomus Abbas monasterij S. Iacobi Epidaurii tria Ordinis sui monasteria in optimam formam redigi cupiens, opem à Lainio exposcit. 4.55
Cioranо in insula permulti Christo accedunt. 3.128 *Omnes eius incolæ ad Christum transeunt.* 4.252. 255.
Ciumbus quis magistratus Sinis. 8.182
Cizilguzarata regis Ternatini frater à Lusitanis com-

Digitized by Google

prehenditur. 1.157. *Amboinios diuexat.* 8.179. *Eius filius olim Christianus Goam mittitur. ibid.*
Claromontani Collegiũ apud se exstrui volunt. 5.194
Classiarijs Socij operam nauant. 8.50
Claudius Aethiopia Rex Catholicũ Patriarcham non recipit. 1.49. *Eius virtutes, sed animus à fide Catholica alienior.* 141. *In sua perfidia obduratus, scripto Romanum primatum ab Andrea Ouiedo assertum, oppugnat.* 3.149. *Occiditur in prælio.* 150. Vide *Andreas Ouiedus.*
Claudius Matthæus Logicam Turnone docet. 5.190
Clemens in Cyprum nauigans morbidis vectoribus auxilio est. 4.50
Cocini institutus Episcopatus. 3.142
Cocinocensis Ecclesia ortus in Iaponia. 7.142. *Templo ibi & domui aream Arimanus Rex concedit.* 8.190. *Huc venit Cosmus Turrianus. ibid.*
Collegiorum minimorum numerus quis esse debeat. 3.8. *Collegiorum initia qualia vellet Canisius, qualia Euerardus.* 5.174. *Collegiorum fundandorum formula à Natalĩ inuenta.* 5.7.

Sequuntur variorum Collegiorum & domorum ortus, progressus, incrementa, gesta.

Almerinense domicilium instituitur. 8.166
Antuerpiense promittitur. 6.71. *Inchoatur.* 7.55. *Eius initia quàm altè repetenda. ibid.*
Apamiense Collegium destinatur Societati. 3.70. *Eius labores.* 4.175. *Apparata ibi docendi initia.* 76. *Quid ibi pro re Catholica gestum.* 77
Argentense dissolutum est. 1.93
Auenionense inchoatur. 8.87
Balearici exordium. 5.54
Bellimarensis ortus. 4.172
Billomai initia ponuntur. 3.65. *Eius difficultates.* 5.191. *Eius templi dedicatio.* 8.88
Belmontanum Collegium inchoatur. 2.140. *Eius status.* 5.49
Bononiensis incrementa non vulgaria. 6.22. *Dei in id benignitas.* 7.32
Bracharense fundatur. 4.150. *Difficultates in eius institutione obiecta.* 152. *Quomodo ea superata.* 154. *Quomodo id regeret Azebedius.* 5.12
Brigantini Collegij principia. 5.31. *Eius Rector primus Leonellus Lima. ibid.*
Calaritani initia. 8.56
Calatabellottæ sedes inchoatur. 2.100. *Quam ea vtilitatem attulerit.* 101. & 102
Camberiense inchoatur. 8.88
Cameracense promittitur. 6.71. *Eius principia.* 7.56
Catacensis primordia. 8.55
Cocinense inchoatur. 5.248
Colonienſis Collegij status & progressio an. M.D.LVII. 1.103. *Conuictorum eiusdem pietas & doctrina. ibid. Illorum exemplo reliqua collegia ibidem ad modestiã composita.* 104. *Quos ibi in templis suggestus Socij obtinuerint.* 106. *Socij se in eo gerunt pro magistris, non Religiosis.* 4.107. *Cõmendatur id Senatui & Archiepiscopo à Francisco Cõmendono Nuncio Apostolico.* 5.179. *Quàm ex leui re ibi orta perturbatio.* 180. *Disciplina eius domestica paulatim ad Religiosam redacta.* 183
Damanense instituitur. 3.111
Dilinganum postulat Cardinalis Augustanus. 2.10 *Acceptum est.* 4.124. *Eius initia.* 7.43
Dionantense domicilium ponitur. 8.93
Foroliuiense instituitur. 2.75. *Eius progressus.* 6.20
Gaditanum conditur. 8.140
Goani Collegij quanta moles anno M. D. LVI. 1.51. *Baptismus anno* M. D. LVIII. *in eo institutus.* 2. 169. *Conuersio Ethnicorũ ab eo facta insignis.* 124. *Goanorum Sociorũ labores in curandis ægris recèns ex Europa aduectis.* 140. *Collegij Goani templum exstruitur.* 4. 235. *Academia Goana Europæis equars incipit. ibid. Quanta multitudo ibidem ad Christum transeuntium.* 245. *Collegium id cohonestauit sua præsentia Antonius Noronia Prorex.* 8.174. *Quàm multi Goæ per Societatem anno* M. D. LXIV. *Christo renati.* 175. Vide *Goa.*
Hispalensis Collegij incrementa. 2.129. *Eius florens status.* 7.105
Ingolstadiense petit Dux Bauarus. 2.10
Lauretano Deus opem mirabiliter fert. 1.94. 96. *Patrum eius Collegij salutares labores, existimatio, feruor.* 97. *Eius per omnem agrum Picenum fructuosi labores.* 3.53. *Eius incrementa.* 5.119.
Lucronienſis primordia. 3.87. *Eius per pestilentiam vastitas.* 8.157
Maceratense inchoatur. 5.83. *Eius incrementa.* 6 18
Madritani initia. 4.176. *Eius profectus.* 8.119
Mantuani origo. 7.1
Mauriacense inchoatur. 7.66
Mediolanense inchoatur. 7.35. *Eius initia.* 8.53
Methymnense Collegium perficitur à Petro Quadrato. 1.116
Moguntini initia. 5.177
Monachiense inchoatur. 3.64. *Eius incrementa.* 4. 122
Montellanum incoli cœptum. 2.135
Collegium in Monte Politiano inchoatur. 1.92. *Vexatur infamia multiplici.* 5.108. *Dissoluitur.* 7.20. *Quanta deliberatione id remotum.* 21. *Quomodo ex eo discedendum docent Superiores.* 24. *Diuina animaduersio in auctorem infamiæ huius Collegij.* 25
Montis Regalis in ditione Subalpina. 5.90
Murcianum ab Episcopo Carthaginensi Stephano Almeida instituitur. 1.116. *Confirmatur, & ad Castellam prouinciam refertur.* 4.165
Nolanum instituitur à Maria Sancta Seuerina. 2.76
Nouocomensis initiũ, & qua ratione fundatũ. 5.91.92
Ocanienſis origo. 2.137
Oenipontanum acceptatur. 4.124. *Eius exordium.* 5.170
Olisipponensis incrementa. 8.163
Palentini ortus. 3.97. *Periclitatur.* 5.157
Parisiensis difficultates. 5.191. *Ipsum præparatur.* 7.64. *Vexatur.* 8.89
Parmense fundatur. 8.59
Patauini incrementa. 2.71. *Eius pars maxima ad ædem S. Luciæ transfertur.* 73
Pernambucensis sedes inchoata. 6.201
Perusini Collegij incrementa. 6.17
Placentinum perficitur. 1.116
Portuense domicilium inchoatur. 4.156
Pragensis Collegij res gestæ. 1.107
Rhegini initia. 8.58
Romanum migrat in ædes Saluiati. 1.91. *Eius lectiones & magistri, numerus. ibid. Eius gratulatio litteraria in creatione Præpositi Lainij.* 2.25. *Eius splendor & species anno* M. D. LVIII. 3.26. *Eius feruor*

Digitized by Google

feruor in Ecclesia necessitatibus propulsandis. 33. *Eius praceptores eximij* 34. *Quàm vtile Ecclesiæ.* 43. *Ei certa sedes attributa.* 5. *Eius fundatio Gregorio XIII. reseruata.* 6. *Eius apparatus in supplicatione circumlati Christi corporis.* 27. *Cultus Sanctorum in ipsum introductus.* 28. *Missiones & repetitiones studiorũ.* 29 & 30. *Eius vbique memor est in visitationibus Natalis.* 5.25. *Huic præbita auxilia quàm bene collocarentur.* 40. *Subsidium ex Hispania accipit.* 60. *Eius laus.* 62. *Eius industria in iuuandis proximis.* 69. *Eius feruores in gratitudinis signum.* 6.2. *Templum eius ædificari cœptum* 3 *Inuisitur à proceribus, & inprimis à S. Carolo Borromæo.* 6. *Quot nationum in eo degeret varietas ibid. Auctum anno* M. D. LXIII. *disciplinis duabus.* 7.5. *Et Arabicæ linguæ doctrina.* 6. *Existimatio huius Collegij* 8. *Ipsum inuisit Paulus Manutius. ibid Eius Collegarum ardens pietas.* 9. *Quomodo id inuisens Pontifex Pius IV. receptus fuerit.* 18. *Eius celebritas.* 36. *Prima in eo distributio præmiorum* 38

Ruthenense fundatur. 6.67. *Eius exordia.* 101

Sassaritani origo. 3.81. *Ipsum absolutur.* 6.24. *Schola ibidem aperta.* 29

Segobiensis initia. 3.91

Senensis incrementa. 5.119. *Laborat inopia.* 7.17

Tirnauiense acceptatur. 4.124. *Inchoatur.* 5.169

Toletani domicilij initium. 2.139. *Eius incrementa.* 6.112

Tolosani initia. 6.100. *Eius status anno* M. D.LXVI. 8.77

Tornacense Collegium à Lainio admittitur. 5.184. *Eius subsidia. ibid. Eidem præficitur Ioannes Mortagna. ibid.*

Treuirensis occasio. 4.100. *Eius incrementa.* 5.172.

Tridentinum statuere vult Cardinalis Tridentinus. 2.10

Triguerense inchoatur. 6.111. *Incolitur.* 7.104. *Eius successus.* 8.138

Turnonense instituitur. 4.84. *Inchoatur.* 5.189. *Ab hæreticis exturbatur.* 6.59. *Dei cura in eo tutando.* 7.69

Tusculanum domicilium inchoatur. 3.48

Collegium in Valle Tellina paratur. 3.52. *Inchoatur.* 4.56. *Et à Grisonibus tollitur.* 58. *Eius exitus.* 5.95

Colloquia priuata de fidei rebus parum apta ad hæresin tollendam. 1.102

Colloquium Vormatiense in Germania Ferdinandus Imp. indicit. 1.79. *Eius successus & exitus.* 101.

Colonia. Vide *Collegium Coloniense.*

Comes Allifanus nudus pedibus ad supplicium ire volebat. 5.75

in Commentarijs suis philosophicis Petrus Fonseca magis ingenio indulsit quàm vsus seruiuit. 2.164

Commissariorum munus mortuo Generali an maneat. 1.29. *Decretum est non debere esse ordinarium.* 2.48 *in Commissario perpetuo quæ essent incommoda.* 4.187. *Quare Commissarius initio non fuerit inutilis* Laynez *id exhibetur Lusitanis.* 6.65. 193.

quarum rerum Communicanda laus vel infamia inter multos. 8.24

Communicationem mutuam inter prouincias Lainius indicit, & quare. 3.9

Communio quotidiana laicis sæcularibus non permittenda. 3.7

Complutensis Collegij æstiuus secessus paratur. 2.140

Compostellæ gesta à Bartholomæo Fernandio. 7.89

Conchensis Collegij varius status. 5.2

Concilium Tridentinum quanti Societatem faceret. 7.4. *Eius auctoritatem propugnat apud Imperatorem Canisius.* 7.44

vnde ad Concionandum vtiliter prompta vena. 2.4

Concionatoris boni signum. 5.153

Conclaue, vbi congregatio Patrum prima Romæ habita, quod fuerit. 2.24

Conditiones alienæ ab instituto Religiosis non imponendæ. 5.6. *Tales nec iniungenti, nec suscipienti conueniunt.* 6.64

Confessariorum feruor Messanæ. 2.106

Confessionis sacræ vis. 5.159. & 6.11. *Confessionis beneficium magni faciendum.* 5.269. *In Confessionibus audiendis diuinum auxilium Laureti eluxit.* 1.98. *Confessionem retegere crimināta Societas: vnde ea fabula orta.* 2.130. *Quomodo ea retegi posset.* 131. *Quæ inde secuta turba per Hispaniam, quæ commoda. ibid.*

Congregatio generalis indicitur ad creandum Generalem. 1.23. *Cur diu dilata.* 44. *Polancus notat, qua in ea disceptari oporteret.* 45. *Quis ei locus designandus, variatum in sententiis. ibid. Romæ eam fieri iubet Pontifex.* 46. *Plerique Patres Romam ad congregationem veniunt.* 67. *Eam vellent Patres haberi extra Romam, multis de causis* 69. *Differenda potiùs videtur quàm transferenda.* 71. *Petitur à Pontifice venia eius transferendæ in Hispaniam.* 72. & 90. *Eam non alibi quàm Romæ habendam is pronunciat.* 91. *Quid ad eius integritatem decretum à Lainio.* 2.16. *Inchoatur.* 17. *Eius auspiciis Pontifex bene precatur.* 18. *Nihil in ea ante Præpositum creatum tractandum.* 19. *Eius rationem iubet Pontifex à quatuor Cardinalibus expendi.* 20. *Absentium in ea suffragia non obseruanda.* 21. *In ea censuris abstinendum censent Cardinales.* 22. *In quonam conclaui habita.* 24. *Quinam ei interfuerint Patres.* 25. *Quis ordo seruatus in consessu, danda sententia. ibid. Quis ritus in congregatione inchoanda seruatus. ibid. Ad Patres concionem habet Canisius.* 26. *Patrum tacita cuiusque secum deliberatio qui maximè idoneus sit.* 27. *Suffragandi ratio.* 29. *Quàm citò ea peracta.* 30. *Lainius in ea in Præpositum eligitur. ibid. Quid in ea amplius statutum.* 44 & seqq.

Congregationum B. Virginis initia. 77. *Progressus.* 8.37

Conimbricensis Collegij magnitudo, docendi ratio, præceptores. 2.163

Conimbricensium Sociorum duorum patientia. 4.148 *Conimbricenses Socij vnde ad feruorem mentis excitati, cùm nonnihil intepuissent.* 5.19

Consalui Esquiuelij obedientia Granatæ. 8.136

Consaluus Fernandius Corduba Dux Suessæ recipit Natali se de Collegio Mediolani fundando acturũ. 5.8

Consalui Silueriæ feruida caritas. 1.53. *In expeditionẽ Ciaulanam cum Prætore Indiæ proficiscitur. ibid. Eucharistiam asseruandam collocat Bazaini & Tanaæ.* 55. *Aegris inseruit.* 149. *Eius studium augendæ pietatis erga Ven. Eucharistiam.* 152. *Eius in Socijs recreandis industria.* 2.172. *Quomodo & animis eorum consuluerit. ibid. Eius gesta Damani.* 3.112. *Reliquias sacras per India opida dispersas*

Digitized by Google

dispertit. 120. Illi expeditio ad Cafres decreta. 145. Eius in eadem socij. 147. Eius industria inter nauigandū. 4.211. Eius in Deiparam studium. ibid. & 5.244 Eiusdem virtus. 4.212. Magnus & strenuus animus. 213. Ad Inhambanem peruenit. 214. Illic agrotat. 217. Excitatur magnopere se mercatorem sacrum cogitans. 222. Sedat precibus tempestatem. 223. Sacrificat in summo aestu. ibid. Ad Manomotapium cur festinaret Regē. 225. Qua pietate eius ditionem ingressus. 226. Quomodo fluuios traiecerit plurimos & profundos. 229. Regem Manomotapæ adit. 5.219. Regia dona remittit. 220. Perhonorificè à Rege tractatur. 221. Eum instituit Christiana disciplina. 223. Eius in pauperes munificentia. 226. Eius vita aspera. 227. Præsentit necem sibi imminentem. 230. Parat se ad eamdem. 231. Eius martyrium. 233. Præsensit se Martyrem fore. 235. & suum cadauer abiiciendum. 236. Eius elogium & vita breuiarium. 238. Ortus & indoles puerilis. 239. Educatio. 240. Mironis de eo adolescente testimonium. 241. Eius vota cùm Societati se dedit. 242. Aptior ad parendum quàm imperandum. 243.

Consalui Vazij Melli eloquentia. 4.127. Lusitania Prouincialis creatur à Natali loco Turriani. 5.26. In eo munere moritur. 7.112. Eius exequiæ, & virtutes. ibid.

Constantia concionatoris. 5. 4. Constantia in Religiosa vita quomodo tenenda. 2.120

Constantis modestia vires. 7.97

Constantinus Canonicus Hispalensis Carolum V. concionator secutus in Germaniam, deprauatur, & pestem in Hispaniam inuehit. 2.127. Quomodo populum Hispanum inescaret, quomodo se ei Patres Societatis obiicerent. ibid. In Societatem cur tentaret ingressum. 128. Eius mores per alios explorat. ibid. Datur in vincula vt hæreticus. ibid.

Constantini Brigantij Proregis India pietas. 3.111. & 4.253.270. Quomodo Brachmanes Christo lucrifecerit. 4.245. Ora Piscaria Christianos in Iafanapataniam transferre cogitat. 4.260. Eius abstinentia singularis. 270. Terrori fuit Ethnicis & Brachmanibus, 8.172

Constantinus Rex Tongensis baptizatur. 4.218

Constantinus neophytus Goa mirabiliter à Deo conuersus. 3.124

Constitutiones Societatis quo in statu B. Ignatius moriens reliquerit. 1.24. Nolebat eas ratas haberi priusquam eas Societas per experientiam comprobaret. ibid. A Cardinalibus quatuor recognita, nulla tamen improbata re. 1.89. Quanti apud Patres essent. 2.7. Eas seruari volunt. 27. Iis summa manus imposita. 49

Conuersio insignis hominis nocentis. 2.173. Iuuenis hæretici Ingolstadij. 6.104. Famosa femina Methymnensis. 8.121

Conuersiones Ethnicorum quorumdam insignes. 1.147

Morum insignes duæ Hispali. 5.55

Conuersiones nobilium in Molucis. 7.126

Conuersiones Romæ duæ insignes. 6.9. & 10

Conuictorum Colonensis Collegij pietas. 1.103. Sponte sua se votis Religiosis adstringunt. ibid.

Cophthorum errores. 6.122. Baptismum puerorum differunt. 129. Vide Christophorus Rodericius.

Cordubensis templi adificatio. 8.143. Res mira quæ in eius primo lapide seligendo contigit. 8.143

Cornelius Harlemius Rector Dilinganus laudatur. 8. 108.

Cornelius Vishaueus moritur. 3.55. Eius post mortem color, eius profectiones. ibid. Dicta quædam eius notabilia. 56. Per obedientiam factum ne dæmonis præstigijs illuderetur. 61

Cosmi Annij Quæstoris Regij Goæ mors. 4.244. Ei adfuere morienti Socij, & pro eo oratum vt pro Socio. ibidem.

Cosmi Turriani virtus. 1.57. Bungensem Ecclesiam regit. 5 266. Bungenses quomodo interdum solaretur. 271. Villelam monet vt Sacaium abeat ad fundandam Ecclesiam. 279. Vocoxiuram adit. 6.190. Eius itineris causa. ibid. Ingenti periculo defungitur. 194. Quàm honorificè Firandi à Lusitanis exceptus ibid. Eius Vocoxiuræ labores. 196. Sumitandam Regulum Omuranū inuitat ad conuiuium Lusitanorum. 7.134. Inuitatur à Rege Arimano vt in eius regno fidem doceat 137. Lacrymatur, conspicatus adesse noua in Iaponiā missa subsidia. 146. Summo periculo liberatur. 152. Solemnia vota emittit. ibid. Tacaxim adit. 158. & 8.185.

Crux visa in aëre Vocoxiuræ quid portenderet. 6.190

Crucem auream gestat Sumitanda Rex Ethnicus adhuc. 7.136

Cuama è maximis Africæ fluminibus è lacu oritur. 4.224.

Cubosama Iaponijs quid significet. 4.282

Custodiis publicis Romæ quomodo consultum. 7.10

Cynthia Ceruina de filio Roberto Bellarminio littera. 4. 53.

Daemon Christiana sacra vt obscuret, effecit vt paëtæ iis similia multa confingerent. 2.170

Dambes Angola missos ad se Patres Lusitanos, velut in custodia habuit. 4.209

Damianus Iapon ludum pueris in Iaponia aperit. 5. 267. Facta rem Christianam amplificat. 6.187. Mittitur Meacum ad Villelam. 8.185

Daniel Brendelius Moguntinus Antistes Collegium Societati fundare pergit, nequidquam calumnijs aliorum deterritus. 5.177

Danielis Paeibruck vita & obitus. 2.93. Præsciuit diem mortis. ibid. Montis Regalis in Sicilia Collegij post eius obitum incrementa ibid. Eius gestæ, itinera, missiones, doctrina, eius scrupulus in morte è studiis. 94

Danid VVolfius in Vallem Tellinā mittitur, ad Collegij negotium statuendum. 352. In Hiberniam destinatur. 4. 45. Potestatem accipit Apostolici Nuncij. 46. Quid haberet à Pontifice in mandatis. ibid. Eius in Hibernia labores. 5-148

Decreti Parisiensis in Societatem calumniosi moti præiudicio Louanienses Societatem admittere detrectant. 1.109

Decretum regij Senatus in Castella, quo vetabatur pecunia ad externa regna deferri, & homines docti, vel docendi vel discendi gratia abire. 5.36. Id decretum refellitur. 40.

Decreta quædam Christiana, quibus Regulorum animi imbuendi. 3.17

Dei erga Societatem difficillimo tempore benignitas. 132. Eius cura in tutando Turnonienſi Collegio. 7.69.

Descriptio India propriè dicta. 1.17

Desiderij Galli virtus & mors. 5.120

Dictum

Digitized by Google

Dictum pulcherrimum neophyti Goani. 4.258
in Difficultatibus quid sit agendum. 8.135
Dilingana Academia Societati traditur. 8.107
Dionantense domicilium inchoatur. 8.93
Dionysius Vasquius è Lusitania Antuerpiã missus. 7.55
Disciplinæ Religiosæ vis. 6.11
Diuaris insulæ conuersio. 4.250
Domesticarũ turbarum narratio quam afferre vtilitatem debeat. 1.73. *Quomodo iis in Societate Romæ excitatis Lainius occurrerit.* 78. *Illarum exitus.* 86. & 89. *Quod ex ea Deus commodũ elicuerit.* 89
Dominicanorum Eborensium caritas in Socios & modestia. 4.136
Dominicus Rosas hæreticus in Hispania. 4.189
Dominicus Soto cum Borgia Romæ in Collegio prandet. 5.154. *Eius de Francisco Toleto iudicium.* 2.153

Eborẽsis Academia instituta Societ. traditur. 3.108
Eborensium Sociorum feruor. 4.142. *Nec non pietas discipulorum.* 143. & 145
Edmundus Augerius Rhetoricam Patauij docet. 2.73. *Venit Apamiam ad docendũ & concionandũ.* 3.70. *Docet anno insequenti.* 4.76. *Fuxi per Quadragesimale ieiunium concionatur.* 80. *Eius præclari labores Apamiis.* 5.186. *Turnonem abit ad initia Collegij.* 189. *Ibidem concionatur & docet Theologiam.* 190. *Valentiã it. ibid. Eius ibi gesta. ibid. Præficitur Collegio Turnonio. ibid. Eius zelus & eloquentia.* 6 42. *Capitur ab hæreticis.* 57. *Ab summo discrimine liberatur.* 58. *Euadit carcere. ibid. Billomum venit post dispersionẽ* 68. *Eius inter Aruernates gesta.* 87. *Eius præclarissimi labores Lugduni.* 7.58. *Etiam fidei aduersarijs gratus fuit.* 59. *Quid de Christiana modestia sentiret.* 60. *Eius Catechismus.* 61. *Eius excellens fama.* 65. *Eius labores.* 68. *Prouincialis primus prouinciæ Aquitaniæ.* 8.75. *Lugduni eius in amplexus ruit Carolus Galliæ Rex, cumq; ad nouos labores incitat.* 80. *Eius Lugduni labores pestilentia tempore.* 81
Edmundus Haius in Scotiam cum Gaudano abit, hæreticis exosus est. 6.106. *Romam ad Tirocinium abit.* 110. *Parisiensis Collegij Rector constituitur* 8.91
Educationis bonæ fructus. 5.168
Eleonora Mascarenia Madritano Col. domũ emit. 4.176
Eleonora Toletana Dux Florentiæ moritur. 7.19
Elephantorum venatio. 4.220
Eleutherius Pontanus primus Rector Collegij Turnonij. 5.189. *Sed inde submotus in Montẽ Regalem cis Alpes remittitur. ibi. Cameracesiũ ab hæresi purgat.* 8.94
Emerius de Bonis rem præclarè gerit Lauelli. 5.78
Quàm vtiliter Macerata elaborarit. 7.18
Emmanuelis Aluarij opera quàm vtilis & industria erga naufragos. 5.257
Emmanuelis Attiuensis Amboinij feruor. 6.169. & 176. *Eius pietas.* 7.119
Emmanuel Lopius Rector quid Compluti egerit per geniales dies. 6.116
Emmanuel à Monte Maiore missus in Cyprum vnà cum Philippo Mocenico Archiepiscopo. 4.48. *Eius feruor.* 49. *Labores in Cypro.* 52. *Senensium pietatem concionibus suis excitat.* 7.17
Emmanuel Nobrega ex Prouinciali Socius Vincentianis in Brasilia præficitur. 3.110
Emmanuel Penedus Cantonem missus, vt legationis Sinicæ negotium apud Mandarinos vrgeret. 7.130
Emman. Philibertus Sabaudiæ dux à Posseuino ad religionis Catholicæ propugnationẽ erigitur. 4.64. *Duo petit Societ. Iesu Collegia.* 66. *Hæreticos vallium domat.* 69. *Duo in ditione sua excitat Collegia.* 8.88
Emmanuel Texeria Goæ veteris incolas Christo aserit. 4.254. *Ad Sinas mittitur.* 7.127. *Ad Sinas penetrat opera Iacobi Pereriæ.* 8.184
Episcopi cuiusdam titularis in Societ. Romæ malignitas 8.20. & 22. *Eius impudentia.* 26. *Punitur.* 32
Episcopi in Polonia malè audiebant auaritiæ nomine. 2.121
Epistola præfixa Constitutionibus, cur omissa, dum illæ excuduntur. 2.51
Ethnici è factis Christianorũ de religione iudicãt. 5.247
Euangelij recitatione paralytico sanitatem reddidit Deus. 4.279
Euangelio quanta porta in Indiis aperiatur. 3.134
Euerardus Mercurianus Prouincialis strenuè rem Societatis in Germania inferiore promouet. 4.93. *Treuiros venit.* 102.
Europæorum in Brasilos sæuities. 8.198. *Eorum turpissimi in Brasilia quæstus.* *ibid.*
Eusebius monachus Seruita rem Collegij Maceratensis promouet. 5.84
Eustachius Bellaius Parisiensis Episcopus Societatis aduersarius. 4.89. *Edidit censuram in Apostolica diplomata pro Societate, Constitutiones eius probat, quo pacto eam in Galliam admittit vellet.* 5.192
Exandonus Dynasta de Christiana fide quid sentiret. 6.186.
Exempli vis. 1.42. & 4.285. & 5.167. *Exempli & opportunitatis efficacia.* 6.21. *Exempla mutua caritatis quàm acria sint.* 6.119
Exemplũ humilitatis. 1.25.70.129.133.143. 2.167. 3.1.2.5. 4.126.139.142. 5.243. 6.78.95. 8. 207. *Corporis castigationis.* 3.1.2. 5.227.235. 7.76.77. *Caritatis.* 1.53.149. 2.94.181. 4. 40.105.130.143.161.240.280. 5.67. 8.167. *Pacis conciliatæ.* 3.54. 5.12 *Modestiæ.* 1.156. 2.62. 4.164. 7.97. *Religiosæ disciplinæ* 2.27. *Paupertatis.* 1.54. 2.180. 4 49. 128 148.160. 5.2. 90. *Inconstantiæ rerum humanarũ.* 5.72. 8.169. *Despicientiæ sui.* 1.129. 3.1. 7.74. *Benignitatis diuinæ.* 6.13. *Feruoris.* 2.96.106. 3.1.79.146. 4.39.123. 5.56. 6.96. 7.76. 8.96. *Patientiæ.* 1.130. 2.181. 3.4. 4 38.146.147.148. 5. 10.35. 6.15. *Abstinentiæ à pecunia & muneribus.* 2.10. 4.270. 5.222.227. 6.155. 7.16. 8.47.59. 167. *Obedientiæ.* 3.84. 6.16. 8.136. *Mortificationis sensuum.* 1.131. 7.76. 8.64. *Pudicitiæ.* 2.168. 3.2. 4.181. *Constantiæ in fide.* 5.250.268. 7.157. *Orationis.* 1.134.139. 3.1. *Zeli animarũ.* 2.181. 3.116. 4.79. 8.76. *Fiduciæ in Deum.* 1.136. 5.207. *Diligentiæ.* 2.119.167. 4.240. 241. *Dei prouidentiæ* 142. 2.148.169. 3.83.88. 4.47. 5.58.279. 6.67.156. 8.146.177. *Constantiæ in vocatione Religiosa.* 2.120. 4.167. 5. 64. *Diuinæ vindictæ.* 3 90.117.150. 7.25. *Beneficentiæ erga inopes.* 4.39. 7.3.
de Exercitiis B. Patris quid sentiret Canisius. 2.113. *Eorum vis.* 5.56
Exercitus Regis Hispaniæ in Africa casus. 2.162

Fabulæ Ethnicorum de Adamo & Eua. 4.251
Facatæ in Iaponia noua Ecclesia inchoatur. 2.185. *Ea turbatur.* 3.154. *Dæmone instigante.* 161
Fariuus Iapon notæ audaciæ Dynastæ Ludouicum Christianum in via adoritur & mactat. 7.154
Federicus Staphylus interest colloquio Vormatiensi. 1.100
è S. Felicis Nolanorum patroni corpore manna manat prima nocte qua Nolam Patres aduenissent. 2.79

Digitized by Google

Ferdinandus Acunia centum Christo asserit in itinere Indico. 6.160.
Ferdinandus Alcarazius in Societatem adscitus. 2.155
Ferdinandus Aluarius in Bacciano insula egregiè laborat. 6.172. *Eius sanctimonia.* 173
Ferdinandi Beccarij Pratoris apud Grisones iniquitas. 5.102. *Eius infamia, & stropha.* 106
Ferdinãdus Iaën docuit in Rom. Coll. Theologiã. 4.30
Ferdinandi Imp. in religionem Catholicam animus. 4.113. *Eius in Societ. benignitas.* 2.118. & 4.113. *Eius pia mors.* 8.101. *Diem mortis prædixit.* ibid. *Pro eo tota Societate oratum.* ibid.
Ferdinandus Osorius Ioan. Baccianensem Regẽ ad auxilia Ternatinis Lusitanis ferenda exstimulat. 2.182
Ferdinandus Solierus Socios Segobiã mitti rogat. 3.92
Ferdinandus Valdesius Archiepiscopus Hispalensis pro Societate egregium testimonium tulit. 2.124. *Quid in Societate miraretur.* 5.8
Ferianus Comes Societati fauet in Belgio. 4.93
Fidei professio indicta Doctoribus Academiarum. 8.41
Firandensis Regulus haud alienus à religione, eius opidum Firandum oportunum nauibus Lusitanorum. 1.158. *Cur se benignum Christianæ rei præberet.* 6.192. *Eius contumelia in Lusitanos.* ibid.
Firandensium neophytorum pietas. 7.132. & 8.191. *Feruor.* 5.274. *Ecclesia Firandensis qua occasione restituta.* 8.193
Firugadaquensis cœnobiarchæ Bonzii hostis acerrimi Christianorũ operâ Villela Firando exigitur. 2.186. *Exilio mulctatur.* 8.192
Flabellorum vsus in Iaponia. 7.135
Flagellum B. Xauerij prodigia operatur. 6.182
Flores ab amatore donati repentè exarescunt. 4.181
Francfordiam Socij Treuiris excurrunt. 8.96
Franciscus Adurnius primus Collegium Mediolanense rexit. 8.54
Franciscus Baccodius Genuensis Episcopus suas Possessuino vices demandat. 4.70
Franciscus Barretti Prorcgis India pietas, & de Idalcane victoria. 1.145. *Quid ad religionis profectum decernat.* 146
Franciscus Borgia etiam mortuo Generali in sua Commissarij potestate confirmatur, aliis sponte sua cedentibus. 1.29. *Cur ad congregationem generalem venire non potuerit.* 68. *Ab ea abesse cur vix posset.* 69. *Romam cur non libenter veniret.* 70. *Carolo V. rationem reddit sui in Societ. ingressus.* 114. *Eius apud illum humilitas.* ibid. *In Lusitaniam abit, & missu Caroli, & Societ. inuisenda, & consolanda Reginæ causa: agrotat, & prædicit se non moriturum.* 122. *A Cæsare modica donatur pecunia, dicente plus dedisse cùm plus haberet, pauca nunc à paupere pauperi dari.* ibid. *Ei quid scripserit Lainius de dando suffragio.* 2.2. *Eius de congregatione cura.* 6. *Quare ad congregationẽ non venerit.* 14. *Eum in Hispania iactatum est ob hæresin in carcerem coniectum.* 123. *Eum inter procuratores testamenti sui Carolus V. designat.* 134. *Hunc is profunere laudauit.* ibi. *Adest morienti Ioanni Vegæ olim Siciliæ Proregi.* 161. *Eius libellus ab sacris Quæsitoribus interdicitur.* 3.104. *Quàm ipse calumniam hanc æquo animo tulerit.* 105. *Scribit ad Mariam Maximiliano Austrio nuptam: quanta illi esset in veneratione.* 4.114. *Eius morbus & humilitas.* 126. & 133. *Eius conciones Eboræ.* 136. *Cardinalis Henrici Eborensis de eo dictum.* 137. *Collegij Bracharensis fundationẽ difficiliorem facilitat.* 152. *Domum in vrbe Portuensi inchoat.* 156. *Eius itinera.* 157. *Eius studium paupertatis.* 160. *& laboriosa caritas.* 161. *In eum excitata procella.* 183. *Araozio non satisfacit.* 187. *necilli Araozius.* 188. *Aduersus de eo sermo vnde ortus.* 189. *Regem Philippum aduersantem habet.* 190. *De eo testimonium Antonij Corduba.* 192. *Romam à Pontifice euocatur.* 194. *Cur se in Lusitania contineret.* 5.1. *Scribit ei Natalis vt rediret, & quare.* ibid. *Eius lætitia in mala valetudine.* 10. *Natalis aduentus quã illi fuerit gratus.* ibid. *Confessionem generalem cum eo instituit.* ibid. *Romam iter capessit.* 21. *Eius simplicitas & integritas.* 22. *Per Castellam pergere vult, cùm nauigatio non succesisset.* ibid. *Eius iter prosperè cedit.* 28. *Eiusdem innocentia.* 38. *Romam venit.* 154. *Perhonorificè à proceribus & Põtifice excipitur.* 155. *Creatur Vicarius Generalis per absentiam Lainij.* 6.1. *Ven. Sacramentũ sacello domestico Romæ intulit.* 5. *Eius Romæ auctoritas & pij labores.* 7.11. *Creatur Assistens in locum Ludouici Consaluij.* 8.4. *Credit Lainio finem suum præsignificatum.* 205.
Franciscus Butironius ad Societatem venit. 3.44
Francisc. Capralis Bazaini multos Christo parit. 6.166
Francisci Carrillij caritas. 5.67
Franciscus Commendoncus Legatus Pontificius Societ. commendat per Germaniam. 5.159. *In Poloniam missus, illius Regi Societatem commendat.* 8.115
Franciscus Costerus Coloniæ tradendis disciplinis adolescentes excolit. 1.105. *Quomodo Ogerium Dauantianum ad diligentiam & pietatem excitarit.* 4.108. *Virdunum quò Episcopus aduocabat, de Collegio instituendo acturus excurrit.* 8.96
Franciscus Cotinius India Prorex. 5.252. *Quomodo cædes impedierit.* 2.54. *Repentina morte Goæ occidit, quem qui sepeliret nullus inuentus, nisi vile mancipium.* 8.169
Franciscus Foglianus Tellinus impensissimè studiosus SS. Trinitatis. 3.49
Franciscus Goueanus in Angola moritur. 4.209
Franciscus Henricius moritur Eboræ. 5.33
Franciscus Mendoza Cardinalis, ac Præsul Burgensis, Societatem Burgos introducere conatur. 4.172
Franciscus Mercatus Christophoro Rodericio missus adiutor in Calabria & Apulia iuuanda. 8.49
Franciscus Odescalchus rem Collegij Nouocomensis promouet. 5.93
Franciscus Palma Trigueri Collegium ponit. 6.111
Franciscus Palmij Bononiæ Rectoris in Deo fiducia, in homines benignitas. 7.33
Franciscus Petrius in ora Piscaria pacem inter populos conciliat. 1.153. *Ad Sinas mittitur.* 7.127
Franciscus Pinna Meliaporam missus. 7.114
Franc. Rodericius rem Christianã in India promouet. 1.144. *Goæ Conscientiæ quæstiones explicat.* 4.235
Franciscus Rodericius cur nomen mutet. 6.168. *Eius gesta in Amboino.* 176
Franciscus II. Galliæ Rex à patre Henrico moriente monetur defendere Catholicam fidem. 3.69. *Eius in Societatem studium.* 4.87. *Moritur.* 90
Franciscus Scipio Antuerpiam missus. 7.55
Franciscus Sonnius deinde Episcopus Antuerpiensis, interest colloquio Vormatiensi. 1.100
Franciscus Strada Prouincialis cur adesse ad congregationem non potuerit. 2.15. *Romam ex Hispania venit, & coràm laborare earum prouinciarum res docet.* 4.196. *In Montem Politianum missus, vt turbas*

Digitized by Google

turbas in eodem exortas componeret. 5.111. Adest morienti Duci Hetruriæ. 7.19
Franciscus Suarius Salmanticæ Ioannis Ramirij concionibus in Societatem ingreditur. 8.126
Franciscus Toletus Societatem ingreditur Salmanticæ, anno ætatis tertio & vigesimo publicus Philosophiæ interpres: de eo quæ fuerit in Hispania opinio, dictus naturæ prodigium à præceptore. 2.153. Mittitur Romam. 3.34. Docet Dialecticam. ibid.
Franciscus Viera in Molucas mittitur. 1.155. Alfonsum Castrium Olisippone in Indiam mittit, quem deinde in Moluco reuisit. 156. Eius virtus in obsidio Ternatino eluxit. 2.182
Francisci Villanoua natale solum, ad Societatem vocatio, in exercitijs colluctatio: quomodo tentationes superarit, eum quomodo B. Ignatius exerceret, & huius de illo iudicium. 1.127. Mittitur in Lusitaniam, Complutensis Collegij parens fuit, eius in subigenda voluntate animositas. 128. Eius humilitas. 129. Patientia in iniurijs. 130. Eius mortificatio curiositatis, commodorum despicientia. 131. Quibus se verbis exstimularet & increparet. 132. Eius animi demissio in sacerdotio. 133. Inter Professos cur noluerit asscribi. ibid. Eius orandi studium & vigilia. 134. Cum Deo colloquium inter opera manuum. ibid. Eius prædictiones 135. Existimabatur magni à doctoribus. ibid. Eius fiducia in Deum. 136. Moritur Compluti. ibid. Eius gloria Martino Guterrio reuelatur. ibid.
B. Franciscus Xauerius B. Ignatij nomen gestare solitus in theca reliquiaria. 3.120
Franciscus Zabarella quàm latus in morte Leonetti Gagliardi eius ex matre fratris. 8.64
in Frisia statio Societati inchoata. 8.97
Fulgentius Freires de Societate capitur à Turcis in mari, Cayrum deportatur. 4.232. Eius patientia in seruitute. 6.140. Liberatur cum alijs octo. ibid. Moritur Olisipone dum pestilentibus inseruit. ibid.
Fulginates curat Bobadilla. 1.88
Fuluij Cornei Cardinalis in Societatẽ propensio. 3.11. & 6.17. Eius mors. 6.17
Funaium in Iaponia conueniunt Patres extorres. 3.161
Funes auis Angolana reliquarum velut regina. 4.206
Fyenoyama quis locus in Iaponia. 3.167.

GAbriel à Cueua Dux Albuquercius Gubernator Mediolanensis Latina orationi Lalij Bisciola interest. 8.54
Gabriel Patriarcha Cophthorum salutatur à Christophoro Rodericio nomine Pontificis. 5.142. Eius responsio. 143. Quàm lata spondeat initio. 144. Quàm segniter dein ageret. 6.121. Eius simulatio & fallacia. 131. & 132. In solitudine finire vitam decernit. 137. Quomodo se suis ad Ponticem litteris excusaret. 142
Gabrielis sacerdotis Cophthi importunitas. 6.131
Gaditanum Collegium conditur. 8.140
Gagliardi fratres tres ad Societatem veniunt. 3.35. Illorum dotes. ibid.
in Gallia quis esset status Societ. mortuo Ignatio. 1.8. In ea religionis res perturbatissima an. M.D.LXI. 5.185
Gallica prouincia in duas diuisa, Aquitaniam & Franciam. 8.75
Gamba rex Tongensis. 4.214
Ganzares quinam sint Goa. 4.248
Gaspar de Fosso Archiepiscopus Rhegium vrget rem Collegij Rhegini. 8.58
Gaspar Fonseca post multam morborum patientiam latus ex hac vita migrat. 5.35
Gaspar Oliuianus hæreticus Minister Treuiros turbat. 4.100
Gaspar Villela Firandi rem Christianam promouet. 2.186. Inde exigitur. 187. Facata Funaium abit. ibid. Meacum mittitur. 3.164. Eius pericula pro Euangelio. 165 Meaco Bonziorum operâ eiicitur. 5.278. Sed occultè eôdem redit. ibid. Sacaium abit Ecclesiam fundaturus. 279. Meacum sedatis bellis redit. 6.180. Sacaium redire coactus est precibus Christianorũ. 7.160. Nara complures Christo parit. 161. Ad eum mittũtur Damianus & Augustinus neophyti. 8.185. Quid cum illis gesserit. 195
Gelioli reguli de morte Alfonsi Castrij testimoniũ. 2.179
Gerardus Amontanus Carthusiæ Colonien sis Prior, Patribus Colonien sibus subsidio est. 1.106
Generalibus Societatis non licet magistratũ abdicare: 4.18. Quæ inde sequerentur incommoda, si liceret. 19
Generalatus perpetui conseruandi rationes. 5.123
Georgius à S. Lucia primus Episcopus Malacensis. 3.142 Præficitur Ecclesiæ Goanæ, interim dum Archiepiscopus ex Europa aduehitur. 143
Georgius Gardinalis Armeniacus Collegium Tolosæ fundat. 6.100
Georgius Passius primus Rector Collegij Calaritani. 8.57
Georgij Scorichij industria in Bauaria inferiori. 8.111
Georgius Temudus Episcopus Cocinensis primus. 3.142 Eius feruor. 146
S. Germani nomen litteris subscriptum multis salutare fuit. 3.123
in Germania inferiori status quis esset Societ. mortuo B. Ignatio. 1.6. Quis item in superiore. 7
Germanici Collegij conuictorum Romæ doctrina pietas, modestia, numerus. 8.39
Glanensium hæreticorum insolentia. 5.89
Goæ quæ instituta ad Christianam religionem promouendam. 1.146. Templum à Constantino Brigantio Prorege S. Thomæ Apostolo construitur. 3.113 Conuersio ibi facta insignis Ethnicorum. 124. Instituitur Archiepiscopatus. 142. Magnæ ibi calamitati succursum. 6.162. Laboratur ibi magnâ rerum penuria. 8.171
Goanum Collegium. Vide Collegium.
Gotondonus nothus à Bonzijs incitatur vt fratrem Regem Bartholomæum Christianũ de medio tollat, & Cosmum Turrianum. 7.151
Grammatices perpetuos magistros conquiri iubet Latinius. 2.91
Granatẽsis Collegij præclara opera misericordiæ. 4.177
Gratiarum actio indicta pro Societatis incremẽto. 2.88
Gratulatio Patrum Romæ ex creatione Lainij. 2.51. Nec non litteraria. 55
Gregorius Cabedus moritur Laureti. 1.125. Patri eius mors Mutinæ diuinitus nuntiatur. 126
Gregorius Virneburgius vir simplex Archiepiscopi Treuirensis Suffraganus quid de Soc. prædixerit. 4.104
Guidus Roiletius primus Rector Collegij Foroliuiensis. 2.75
Gulielmus Auansonius Archiepiscopus Ebredunensis Ludouicum Codretum Glanum mittit. 5.89
Guilielmus Crittonius Nicolao Gaudano in Scotiam misso auxilio est. 6.106. Redit in Belgium. 109.
Guilielmus Damasus Lindanus Academiam Dilinganam

Digitized by Google

nam cohonestauit. 8.110
Guilielmum Elderenum cur Canonici Augustani in Canisij locum audire confessiones in templo suo vellent. 8.105
Guilielmus Good Anglus in Hiberniam missus cum Richardo Creagh Archiepiscopo Armacano, qui magna cum potestate eò mittebatur. 8.98
Guilielmus Murdoceus Scotus Societ. ingreditur 6.110
Guilielmus à Prato Claromontanus Episcopus moritur, eius studia pietatis & in Societatem caritas. . 4.91
Gymnasiorum vtilitas in Germania. 2.116

Haereses vnde natæ. 5.214. Earum remediū. 215 Hæresis in Hispania deprehenditur & opprimitur. 2.15. Eius insimulatur in Hispania Societas. 123. Eam multi Vercellis hæretici eiurant præeunte Possevino. 4.71
Hæretici insignis conuersio. 8.73
Hæreticorum de Canisio fabulæ. 1.107. Et de Societate iudicium. 108. Eorum fraudes. 4.111. Eorum summa impietas. 8.84. Templa iis in Gallia ne concederentur vrget Latinius. 6.32. Eorum pertinaces conatus in Gallia infringuntur. 37. Eorum duces ex aula electi. 40. Eorum Lugduni furor & impietas. 52. Eorum immanitas. 4.68. Stultitia ac perfidia. 70.5 & 202. Rabies & furor. 4.73. & 78. & 81. & 84. Eorū mendaces calumniæ natæ è Tiberis restagnatione. 1.90. Eorū inter se digladiationes in colloquio Vormatiensi. 101. Eorum impudentia mendacia. 4.119. Eorum in Societatem maledicta. 7.54. Etiam Brasiliam tentant. 4.198. In Calabria reuocati ad sanam mentem. 5.81. Eorum in Collegio Pontano submouendo conatus. 597
Hæretici Hispali deprehensi exagitantur. 1.117
Hæreticos Polonos Iesuitarum nomen terrore compleuit. 8.15
Hæreticorum Tornaci insolentia. 5.184. Et in Gallia blasphemiæ. 185. & 186
Hæreticorum Treuiris insolentia. 4.100
Hæretici Vulturariæ quàm occultè se continuerint & simularint. 7 13. & 14
Helias Schoranus Societatem in Belgio ac Louanij præsertim tuetur. 4.93
Heluetij Collegium postulant. 4.105
Henrici Cardinalis Eborensis de Borgia dictum. 4.137 Cur Eboram venerit Borgia ibidem agente. ibidem. Eius cura de Eborensi Academia perficienda. 141. Cum Olisipponensi diœcesi cur mutaret Eborensem. 8.163. Eius in Societatem propensio. 164
Henricus Dionysius quàm esset in Colonienſi Collegio nauus operarius. 1.105. Creatur Rector Academiæ Dilingenæ. 8.109
Henrici Gouea virtus, & in Societatem amor. 4.158.
Henricus II. Galliæ Rex quid de Societate sentiret. 3.66. Miserabili casu perit 67. Quàm piè obierit. 69
Henricus Somalius præponitur domicilio Dionantensi. 8.93
Hercules Gonzaga Cardinalis quantum Latinij consuetudine caperetur. 7.1. Eius mors & testamentum. 2. Pietas in pauperes. 3
Hermanni Tyræi præclari labores Treuiris. 5.175. Treuirensi Collegio in Vinckij locū præficitur. 8.92
Hermes Vinghemius Oeniponti concionatur. 5.171
Hiberniæ status Catholicus commercio Anglorum hæreticorum deprauatur. 4.45 Eam curare satagit Ioannes Moronus Cardinalis, eius protector. ibid.
Hippolytus Estensis Cardinalis in Galliam missus Lainium secum ducit, & quare. 5.133
Hispani Patres venire prohibiti Romam ad congregationem generalem. 1.67. & 68
Hispani Episcopi nonnulli è Concilio reuersi quid de Societate sparserint. 8.116
Hispali scholæ instituuntur. 5.57
Hispalensis Collegij florens status, scholarū eius vtilitas. 7.106. Hispalensis gymnasij incrementa. 8.148
Hieronymi Basij mors, eius vitæ compendium. 6.15
Hieronymus Lopius moritur Hispali in ægris remigibus iuuandis. 7.110
Hieronymus Magnocaballus Societatem Nouocomensem tuetur. 5.94
Hieronymus Malipierius in Socios quantopere afficeretur. 6.153
Hieronymus Natalis iussus ab Ignatio ægro Societatem cum aliis duobus administrare. 122. Eius solida humilitas. 25. Eius res gestæ in Collegio Romano. 59. Quomodo Bobadillam turbas cientem confutarit. 82. Creatus Assistens. 2.46. Ad visendam Societatem in Europa mittitur. 4.23. Mittitur cum summa potestate in Hispaniam. 196. Eius pericula in mari Narbonensi tempestate iactatus tandem Barcinonem peruenit. ibid. Araozium Compluti conuenit. 5.1. Concham excurrit, remq; è sententia gerit. 2. Inuenit formulam condendorum Collegiorum. 7. Toletum proficiscitur. 8. Regem Philippum adit per Araozium, reddens ei litteras & Pontificis & Lainij. ibid. Ad Borgiam pergit in vrbe Portus agentem. 9. Borgiæ est conspectu delectatus. 10. Statuit in vrbe Portus Collegium condendum. 11. Confecit hic formulam interrogationis quæ in visitatione vteretur. ibid. Qua forma visitationis vsus Conimbricæ. 14. Eiusdem exhortationes ibidem. 15. Eius in agendo vis. 19. Quàm benignè Olisipone à regia domo exceptus. 24. Quid in Sebastiano Regulo notarit. ibid. Vbique memor est Romani Collegij. 25. Eius solertia in impediendo nobilium ad domesticos hortos accessu. 29. Placet ei prouincia Lusitania. 30. Eius sinceritas. 36. Eius modestia & constantia singularis. 43. Fiducia in Deo. 44. Quomodo Araozium placarit. ibi. Baticam & Aragoniam prouincias quomodo absens composuerit. 45. Quomodo Gomio responderit pro Araozio laboranti. 46. Quomodo Toletanā prouinciam ordinarit. 48. Eius suffragium de Lainij Generalatu continuando. 121. Venit in Galliam sospes per media pericula. 6.61. Segobiæ quid egerit. 63. Ingenti defungitur in Hispania periculo. 64 Eius pericula in Gallia. 66. Lutetiam abit. 68. Venit Tornacum. 70. Eius monita data Pragensibus Socijs pestilentiæ tempore. 103. Germaniam prouinciam diuidit in Austriam & Germaniam superiorem. 7.41. Eius pia solertia. 42
Hieronymi Ottelli operosa industria Meßanæ. 2.105. Quàm cupidè audiretur. ibid.
Hieronymus Priulus Dux Venetus Societ. fauet. 5.116
Hieronymus Ruizius Portillus Rector Methymnensis famosam conuertit feminam. 8.121.
Hortensius Androsius Foroliuiensis Rector Collegij. 7.17
Hueluam excolit Bustamantius, & Hueluanorum in eum benignitas. 7.104
Humanitatis studia apud Societatem quòd florerent, fama erat Philosophiam iacere. 2.163

Digitized by Google

Iacata nomen commune Regum in Iaponia. 6.188
Iacobus Acosta à Natali Romam è Castella ire iubetur. 5.23
Iacobus Auellaneda rem præclarè gerit Hispali. 8.145
Iacobi Borbani præclara gesta Goæ. 4.239
Iacobus Carillius Ocaniam ad initia Collegij abit. 2.137
Iacobus Caruaialius rector Seminarij Mediolanēsis. 8.54
Iacobus de Corneilhan Episcopus fouet Collegij Ruthenensis exordia. 6.101
Iacobus Diazius moritur Cæsaraugustæ. 8.160
Iacobi Gusmani sententia de Lainij Generalatu obtinendo. 5.120
Iacobus Lainius creatur Vicarius. 1.21. *Rogatus quem ad id muneris deligeret, ad id se respondit accedere quod cæteri statuissent. ibid. Vicarij munus admittit. ibid. Quomodo Iacobum Ledesmam Romæ exceperit.* 65. *Romæ concionatur maximo nomine.* 66. *A Pontifice Paulo IV. cur benignè non sit exceptus.* 76. *Quomodo in domesticis Romæ turbis sese gesserit.* 78. *In ipsum Bobadilla concitatur, & quare.* 81. *Docet Pontificem quas ob causas in Hispaniā transferenda congregatio videretur.* 84. *Rursus idem per Cardinalem Paciecum tentat.* 90. *Monet vt omnium morientium in Societate memoria scripto seruaretur.* 123. *Quid Borgia scripserit de suffragio mittendo.* 2.2. *Eius Romæ labores.* 3. *Eius decreta ad congregationis integritatem.* 16. *Renunciatur Præpositus Generalis.* 30. *In eo nulla cernebantur lætitiæ signa quæ in cæteris Patribus post electionem.* 31. *Quanta domi à Patribus gratulatione exceptus. ibid. Electio eius prænisa.* 32. *Quanti eum vulgò facerent Patres. ibid. Repetit publicas conciones.* 33. *Ad Carpensem Cardinalem dat litteras Societatem ei commendans.* 34. *Eius ad Pontificem verba.* 41. *Pontificem alloquitur quoad triennalem Generalatum & chorum inducendum in Societatem.* 59. *Eius modestia.* 62. *Nouas constituit prouincias, veteres ordinat.* 66. *Ad eius conciones concursus.* 85. *Sodalitas Sanctorum Apostolorum ab eo instituta Romæ.* 86. *Quid ad commissa sibi Societ. bonum ordinarit.* 88. & 89. & *seq. Eius epistola ad Socios Indiæ & Brasilhæ.* 188. *Ordinandæ Societati intentus.* 3.6. *Eius auctoritas.* 11. *Humilitas.* 12. *Societatis instituta inuiolata seruari illi curæ est. ibid. Quæ dederit monita Consaluio futuro Regis præceptori.* 16. *Eius ad Socios Romanos de Societatis disciplina exhortatio.* 25. *Quomodo Romanum ordinarit Collegium.* 27. *Choro intermisso, mortuo Paulo IV. quid egerit.* 30. *Actum de eo Pontifice creando.* 47. *Borgiam in calumnia consolatur.* 106. *Nouum Pontificem Pium IV. adit, eiq; Societatem & Collegium Romanum commendat.* 4.2. *Pontificem monet vt in certamina singularia seuerè animaduertat.* 10. *Eius cum hæretico congressus.* 11. *Eius de deponendo Generalatu consilium.* 13. *Cur ad hoc inductus.* 14. *Eius candor & sincera mens.* 20. *Indicia diuinæ vocationis eius ad Generalatum.* 21. *Quare Commissariorum munus exstinctum vellet & Araozium ab aula abstrahere.* 193. & 194. *Alfonsus Vergara ei scribit de finienda Commissarij potestate.* 194. *Statuit Borgiam Assistentem facere in locum Ludouici Consaluij. ibid. Eius auctoritas & dignitas.* 5.39. & 70. *Ad Iudæos Romæ concionatur ipsorum cum admiratione.* 70. *Iubetur magistratum obtinere.* 121. *Iubetur à Pontifice impositum Generalatus munus obtinere.* 122. *In Gallias quare & quando missus.* 133. & 145. *Communicat cum eo Cardinalis Alexander Farnesius multa ad animum suum spectantia.* 145. *Eius iter per Italiam describitur.* 146. *In febrim Ferrariæ incidit. ibid. E Somascis & Societate quare vnum Ordinem fieri noluerit.* 147. *Eius cum Duce Sabaudo congressus.* 150. *Collegium Tornacense quibus de causis admiserit.* 184. *Parisios venit.* 198. *Concedit ad conuentum Poissiacum. ibid. Indignè fert hæreticos Ministros in eodem sedere, Catholicos stare. ibid. Eius verba in conuentu Poissiaco.* 201. *Petrum Martyrem occultè perstringit. ibid. Monet Reginam Galliæ ne interesit hæreticorum disputationibus.* 204. *Verborum eius successus.* 206. *Eius fiducia.* 207. *Conatus eius pro religione sustinenda.* 208. *Eius conciones Parisius.* 209. *Quid monuerit Collegiorum Parisiensium rectores, nec non Præpositos Religiosorū & Sorbonicos Doctores.* 210. 211. & 212. *Eius verba ad Condaum Principem.* 213. *Hæreticos hortatur vt ad Concilium venirent.* 217. *Eius caritas.* 218 *Eius commentarius ne templa hæreticis cōcederentur.* 6.32. *Eius gesta Lutetiæ.* 37. *Eius iter Tridentum Lutetia.* 70. *Venit in Belgium. ibid. Conuenit Bruxellæ Margaritam Austriacam. ibid. Cameracensi Episcopo Collegium promittit.* 71. & *Lusitanis Antuerpiense.* 72. *Quæ vrbium erga eum benignitas.* 73. *Colonia quid egerit. ibid. Treuiris quomodo exceptus. ibid. Augustæ quid egerit.* 74. *Quid Ingolstadij. ibid. Tridentum venit. ibid. Quis ei locus in Concilio sedendi datus.* 77. *Eius humilitas & modestia.* 78 & 79. *Quàm ei honos extraordinarius habitus in dicenda sententia.* 80. *Quomodo calicis laicis vulgando sit refragatus.* 83. *Pro Pontificis auctoritate contendit.* 85. *Doctrinam de Sacramento Ordinis componit.* 86. *Quanti à Cardinali Hercule Gonzaga fieret.* 7.1. *Mantuam excurrit. ibid. Cardinalem Lotharingum, quamquam aliàs suboffensum, amicum experitur Tridento discedens.* 6. *Eius epistola de Collegio Montis Politiani.* 23. *Eius monita confessario Principis.* 40. *Eius iter Tridento Romam.* 8.1. *Eius pericula.* 3. *Pontificem experitur beneuolū.* 7. *Deum propitiari precibus iubet ab Societate, sibi vt Pontificem pòst subiratum beneuolum reddat.* 15. *Eius de tempestate concitata sententia.* 36. *Quomodo in Austria permiserit promulgari decretum Pontificis de vulgando laicis calice.* 100. *Excedit è vita.* 200. *Ad cælum aspirat.* 201. *Benedictionem Pontificiam precatur.* 202. *Deum rogat vt Societati benedicat. ibid. Vicarium loco suo nominare noluit.* 203. *Ex eius morte aulæ Romanæ sensus.* 204. *Præsensisse finem suum putatur.* 205. *Quas ei exequias Cardinalis Augustanus fecerit.* 206. *Eius humilitas.* 207. *Figura oris & statura.* 208. *Eius ingenium, scientia. ibid. Prudentia, eloquentia.* 209. *Pudicitia.* 210. *Actio vitæ cum scientia consentiens.* 211. *Libertas simplex.* 212. *Formula qua res negabat grauibus viris.* 213. *Frequentiores quædam eius voces.* 214. *Honores amplissimos repudiauit.* 215. *Quam maximè ad regulam vitam suam dirigeret.* 216. *Eius comitas in consuetudine.* 217. *Proximos libentissimè adiuuabat.* 218. *Duo maximè peccata*

Digitized by Google

peccata oderat. ibid. Concionatoris munus permagni faciebat. 219. B.Ignatium quanti faceret, & quanti Lainium Ignatius. 220. Prouincia ab illo instituta. 221. De eo Salmeronis iudicium. ibid. Cardin. Hosius eum consulit. 222

Iacobi Ledesmæ ad Societatem vocatio. 1. 61. Eius doctrina, natales, studia, peregrinationes, scripta, propensio ad Religionem. ibid. Ignatium quanti faceret. 62. Ad Societatẽ applicat animum. ibid. Ribadeneira se concionibus & consuetudine adductum fatetur vt Deo suam dedicaret scientiam. ibid. Diuinis significationibus confirmatur. 63. Carthusianorum illi institutum cur arrideret. ibid. Leonardi Kessellij verbis in proposito confirmatur. 64. De perseuerantia ac castitate dum solicitus est, eiusdem verbis corroboratur. ibid. Christus Dominus Augustæ illi apparet. ibid. Quid moriens suo confessario aperuerit. ibid. Deipara virgo se illi visendam dedit Brixiæ. 65. Vouet castitatem in itinere ab Florentia Romam. ibid. Quomodo à Lainio Romæ exceptus. ibid. Lainius se illi magistrum fore spondet. ibid. In tirocinium se abdit Romæ, sub Cornelij Vishaui disciplina. ibid. Eius doctrina excellens. ibid. Emittit solennem professionem. 4.24

Iacobus Lopius Paciecus Marchio Villenæ Societatem Belmontem vocat. 2.140

Iacobus Lopius Gades misßus. 8.140

Iacobus Magallianes Amboinios excolit. 6.175. Homa Christum annunciat. 178. Ad Celebes mittitur. 7.123. Quot Christo pepererit millia. 124

Iacobus Miro Aragoniæ tantisper præesse in Barma locum iussus, dum alius à Lainio Prouincialis mitteretur. 4.166. Eius de Consaluo Silueria testimonium. 5.241

Iacobus Pereria creatus præfectus Amacaensis. 7.128 Sed alteri præfecturam cessit. 130. Vrget legationem Sinicam. 8.181. 184

Iacobus Puteus Cardinalis censet decretum Pontificis de habendo choro in Societate habere vim solùm mandati simplicis. 2.65

Iacobi Sarauiæ publica in lue defuncti virtutes. 2.146

Iacobus Cardinalis Sabellus Societati permittit initiandorum examen. 4.8. Vbique eius opera vtitur. 9 Vide Cardinalis.

Iacobus Siluester Mathematicam Turnone exposuit. 5.190.

Iacobus Soueralius quare ab Ethnico dynasta malè acceptus & captus. 2.171

Iacobi Suarij virtus, dictus Apostolus. 4.167. Eius peregrinationes & excursiones. 168. Eius cura in instituendis Rosarij ac Nominis Iesu Sodalitatibus. 170. Eius industria. ibid.

Iacobus Torrecilla Cæsaraugustæ ex peste moritur. 8. 159. Eius elogium. ibid.

Iacobus Tyrius Scotus Societati adlegitur. 6.110

Iacobus Ximenius socius Natalis Visitatoris in lustrãda Societate. 4.169

Iafanapatanium bellum. 4.269

Iaponica prouincia status mortuo B.Ignatio. 1.19

Iaponiæ status quoad rem Christianã anno M. D. LVI. 1.56. 158. In ea variis in locis hæc promouetur & crescit. 2.118. Turbines aduersus eandem à Bonzijs concitati. 187. Turbantur eiusdem incrementa ratione bellorum. 3.154. Iaponia dominatus penes quos olim fuerit & nunc sit. 4.282. Octo locis Euangelium in eadem ferebatur anno M. D. LXI. 5.266. Scholarum in eadem initium. 267. Plura in ea templa ædificantur. 275. Res Christiana amplificatur. 6.179. Noui in eandem mittuntur operarij. 7.114. Exagitatur eius Ecclesia. 151.

Iaponum Christianorum caritas erga Patres captiuos. 3.159. Iapones munditiæ studiosi. 5.274. Eorumdem pietas erga prædicatores Euangelij. 277. Eorumdem benignitas. 6.180. Pietas in confitendis peccatis. 196. Eorum studium sacerdotes habendi. 7.148. & grana piacularia. 149. Eorum in calamitate constantia. 156. & 3.160

Iaponij Christiani insigne ingenium. 6.185. Eius præclarum dictum. 186

Ianuarij fluminis prouinciam Lusitani imperio suo adiungunt. 4.197. Eius situs. ibid. In ea arcem habebant Galli, qui plerique hæretici, incolas in Lusitanos concitant. ibid.

B.Ignatius paucos ad professionem quatuor votorum admittebat. 1.20. Tres sibi ager in administratione Soc. substituerat. 22. Quomodò & quare suas Constitutiones noluerit fixas esse. 83. Ioannem III. Lusitaniæ Regem precibus vniuersæ Societatis commendat. 121. Eius de Francisco Villanoua iudicium. 127. Prædixit Lainium sibi in Præpositura successurum. 2.32. Quantum perpetuitati disciplina consuluerit. 46. Quid de eius Exercitiis sentiret Canisius. 113. Eius nomen in theca reliquiaria inscriptum gestat B.Xauerius. 3.120. Per ipsum litteris subscriptum multa fiunt miracula. 123. Eius prouidentia in remouendis perpetui Generalatus incommodis. 5.132. Eius de Paschasio Broetto iudicium 6.98. Quid de obedientia sentiret. 7.28. Lainium magni fecit. 8.220

Ignatij Azebedij feruor. 4.129. Hic deinde martyr factus. 131. Primus Rector Brachara. 155. Simultates Bracharenſium tollit 5.12. Eius operosa caritas Brachara & Barcellis. 8.167

Iesus à monte nomen secessus æstiui Collegij Complutensis. 2.141

Imorensis Ecclesiæ initia in Iaponia. 8.196

India quàm præparata Euangelio. 3.132

India Orientalis limes & descriptio. 1.14.17

India Occidentalis dicta nouus orbis, & America. 1.15

Indicam missionem qui petunt, debent Generalem admonere. 2.92

Indorum conuersio quanti facienda. 3.133. Earefrigescit sublata baptismorum magnificentia. 5.246

Inbambanes portus Regis Tongensis. 4.214

Inbamioris Rex cum suis à Consaluo Silueria baptismo paratur. 4.229

Innicus Fernandius Velascus Comestabilis Castellæ, Societatis amans. 8.120

Inquisitio sacra qua de causa in Indiam introducta. 1. 151.

Insolentia academicorum Colonienſium in quæstionibus quodlibeticis. 1.104

Interregna longa periculosa 1.45. Eorum incommoda. 2.1

Ioanna Lusitaniæ Principis pietas. 4.114. Sororem Mariam consolatur misso ad eam P. Christophoro Rodericio. ibid.

Ioannelli presbyteri Siculi fœda sacrilegia. 2. 109. Mulierculas excolit, sanctitatis famam captantes. ibid. Eius blasphemiæ de suis sectatricibus, ibid. Ex eo in Societatem orta infamia. 110

Digitized by Google

Ioannes Allobrox moritur pestilentia in via. 6.92
Ioannes Andreas Tertius Societatem ingreditur. 3.46
Ioannes Antonius Vulpius negotium Collegij Nouocomensis promouet. 5.93
Ioannes Auila Montellani templi noui encania cohonestauit insigni concione. 2.135. Eius de Societate iudicium 5.59
Ioannes Baccianensis Regulus Mahometanus qua occasione ad Christum transierit. 1.155 Eius feruor & constantia. ibid. 2.183. Eius filia baptizatur. 2.184
Ioannes Balmesius Canonicus Auenionensis Societati sese dicat. 4.74
Ioannes Baptista Barma, pòst Aragoniæ Prouincialis, loco Strædæ ad congregationem generalem venit. 2.13. Eius mors & studia & virtus. 4.164
Ioannes Baptista Carminata sua eloquentia Panormi miros animorum motus ciet, ante ætatem creatur sacerdos. 2.104
Ioannes Baptista Elianus additur comes Christophoro Rodericio in missione Aegyptia. 5.135. Odio Iudæis est Memphi. 141. Eius cum matre Iudæa collocutio. 6.141. Alexandriam commigrat. ibid. Arabica linguæ fuit callentissimus. 142. Eius acta Alexandriæ. ibid. A Iudæis Alexandriæ vexatur. 145. Eius constantia. ibid. Quo eum studio Christiani defenderint. 146. Quomodo Iudæi eum apud iudicem accusarint. ibid. Eius ad mortem obeundam dispositio. ibid. Fuga seruatur. 149. Tempestate iactatur. ibid. Eius naufragium. 151. Magno labore seruatur. 152. Naufragus piorum benignitate recreatur. 154. In Italiam peruenit. 155. Arabicam linguam docet Romæ. 7.6. Concilium Tridentinum Arabicè conuertit. 8.40
Ioannes Baptista Montius in Iaponiam missus. 6.179. Eò peruenit. 7.146. Missus in Bungum. 148
Ioannes Baptista Perusçus Florentino Collegio præesse iussus. 7.17. Adest morienti extremo supplicio Ioanni Carraffæ Ducis Palliani. 5.72
Ioannes Baptista Ribera Genuam appulsus ex Hispania, febri lecto affigitur. 1.68. S. Carolo Borromæo familiaris Romæ. 8.12. Quæ res obtrectandi domesticis eius & alijs ansam dedit. ibid. Quomodo ab eadem se expedierit. 19. In Iaponiam destinatur. 50
Ioannes Baptista Sancij conciones efficacissimæ Granatæ. 4.178. Eo quatuor vota emittente Archiepiscopus Guerrerius concionatus est 179. Quomodo Hispalensium licentiam concionando cohibuerit. 7.107
Ioannes Baptista Viola turbas Romæ ciet in Societate auctore Bobadilla, cur sibi ab Lainio metueret. 1.74. Roma Veronam abit. 87. Romam rursus, sed seriùs, ad comitia venit, inde ad consultationes receptus suo loco suffragium dedit. 2.54. Rem Collegij Bilbomæi vrget. 3.65
Ioannes Bolæus Minister hæreticus in Brasilia à Nicolao Villagagnonio dum sibi metuit, ad S. Vincentij opidum confugiens, doctrinæ nomen venatur, sed hæreticus deprehensus datur in vincula, & proculamandatur. 4.198
Ioannes Borghesius moritur peste. 6.93
Ioannis Caluini in animabus peruertendis æstus. 5.185
Ioannes Capralis in Iaponiam mittitur. 8.195
Ioannes Carraffa Montorij Comes, deinde Palliani Dux inuisit Ioan. Mendozam nouitium, & in eius linteo præcincti ruit amplexus. 143. Cur sanctum nactus finem puterit. 5.72. Eius ad mortem præparatio & constantia. 73 & 75
Ioannes Carrera quomodo ad Societatem vocatus, eius cerebrum ante sexennium demortui integrum apparuit, quod medici inspiciêntes miraculo non carere affirmarunt. 1.137
Ioannis Catalani feruor Macerate, sed non probatus Superioribus. 6.19
Ioannes Cerda Dux Medinæ Cæli in Societatem Siculam beneuolus. 1.110.
Ioannes Couillonius Ducis Bauari iussu ad Concilium Tridentinum abit. 6.74.
Ioannes Cuellar mercator Antuerpiensis B. Ignatium domo excipit, & sua donat stipe. 7.55
Ioannes Dei sustinet nosocomium Granatense collatitia stipe. 4.177.
Ioannes Dominicus Bonacursius professor Humanitatis Mediolani. 8.54
Ioannes Dominicus Romanus auspicatur scholas Maceratenses. 5.86
Ioannes Fernandius Theologiam docet Vallisoleti. 7.92 Alius, moritur Cæsaraugustæ. 8.160
Ioan. Fernandius alius Sumitandam Regulum instruit. 7.137. Tacaxumæ templum molitur. 159. Hoc incenso eius ibidem periit volumen, in quod varias conciones Iaponicè contulerat. ibid. Firandenses insulas excolit. 8.191. Magnificè Firandum introducitur. 194. Sed non benignè à Rege accipitur. ibid.
Ioannes Gambarus Rector Collegij in Monte Politiano criminis iniquè insimulatur. 5.108. Perusiam fugit, inde crimini nata suspicio. 109. Ab Societate propterea segregatur. 110
Ioannes Gesti Rector Barcinonensis lue pestilenti moritur. 2.148
Ioannes Gomius Hispali moritur in remigibus iuuandis. 7.110
Ioannes Gropperus inuitatus à Canisio ad colloquium Vormatiense, cur adesse detrectet, inuitus in Cardinalem eligitur. 1.100. Societati quàm faueret Colonia. 105
Ioannes Gurrea adest ægro Iubarto Comiti Salæ. 8.59. Alienum à legato eius se ostendit. ibid. Quàm amicè à Duce Octauio Parmensi exceptus sit. 61. Quid ad hæc ipse responderit. 62. Primus Rector Parmensis creatur. ibid.
Ioannes Haius Scotus Societati adlegitur. 6.110
Ioannes Iacobus Gabutius Maceratense Collegium vrget. 5.84
Ioannes Leonius orditur Romæ in scholis Societatis congregationes B. Virginis. 7.7
Ioannes Lucas sacerdos Belmontanum Collegium promouet. 2.140
Ioannes Maldonatus Parisiis docendi fecit initium. 7.64.
Ioannes Maria Guizzardus à Pontanis ad Grisonum conuentum legatus, vt Collegij Pontani negotia promoueat. 5.97
Ioannes Mariana Romam è Castella ire iubetur. 5.23
Ioannes Martinius quàm celebre patientia nactus sit auditorium Conchæ. 5.3
Ioannis Mendozæ vocatio ad Societatem & mors. 1.41. Eius humilitas. 43
Ioannes Mendoza India Prorex sufficitur Francisco Cotinio 8.169. Cui dum populus gratulatur, nemo

Digitized by Google

nemo inuentus, qui Cotinij repentè defuncti cadauer sepulturæ traderet. ibid.
Ioannes Mesquita Dienſibus auxilio eſt. 1.154. Captus à Badagis. 4.262. Vulneratus raptatur. 263. Durè vincitur. 265. Liberatur callidè. ibid.
Ioannes Montoia primus Rector Collegij Nolani. 2.77. Quid de Lainij Præpoſitura cenſeret. 5.120.
Ioannes Moronus Cardinalis quanti Lainium & Salmeronem faceret. 7.3
Ioannis Mortagnæ cum ſocio laico Tornaci labores. 4.106.
Ioannes Nunnius Patriarcha in Indiam nauigat. 1.48. Tempeſtate iactatus, aquam conſecratam cùm in mare coniecißet, vis tempeſtatis remiſit. ibid. Quomodo Goæ rem gereret. 1.143. Eius humilitas. ibid. Moritur. 6.164. Eius exequiæ, & breuiarium vitæ. 165
Iacobus Paezius Antuerpienſis Collegij initium ponit. 7.55.
Ioannes Paulus Placentiæ obit. 8.151. Eius vita & mors placida. ibid.
Ioannes Paulus Moxica moritur Cæſarauguſtæ. 8.161.
Ioan. Pelletarius Apamiam venit frendentibus hæreticis. 3.71. Concionatur per Quadrageſimã. 4.75. Vnde dictus Diuæ Mariæ Doctor. 79. Rem gerit præclarè Toloſæ. 81. & 5.187. Apamijs ab hæreticis comprehenditur. 5.187. Deducitur ab Catholicis Toloſam. ibid. Soluitur è vinculis. 6.49. Epiſcopatum Cadurcenſem reſpuit. 7.70. Eius mors & virtutes. 8.76. Quàm eum Toloſates luxerint. ibid.
Ioannes à Petra Treuirenſis Archiepiſcopus Societatem Treuiros introducere ſtudet. 4.100. Eius humanitas. 101
Ioannes Petrus, antè Mahometanus, ad Chriſtianos heri ad Chriſtum conuerſione tranſiit. 1.42
Ioannes Plaza Prouincialis Bæticæ præficitur. 5.50
Ioannem Polancum creat Ignatius cum alijs duobus in Societate adminiſtranda ſibi adiutorem. 1.22. Quàm modeſtè reſponderit ad litteras ſibi è Belgio, de bello inter Pontificem & Regem Hiſpaniarũ miſſas. 38. Quis eius ordo in confeſſu congregationis. 2.25. Quod eius munus in eadem. 29. Creatur Aſſiſtens. 46. Electus à Lainio in Secretarium, à cæteris Patribus Admonitor. 47. Conſtitutiones Latinè vertit, quæ verſio probatur Patribus. 50. Vetitum ne præter eius verſionem alia fieret. ibid. Quomo Robertum Cardinalem Nobilium ad pietatem efformarit. 3.1. & 2. Quid de Generalatu Lainij ſenſerit. 5.121. Eius geſta in Gallia cum Beza, cum alijs nouorum dogmatum ſectatoribus, cum Cancellario. 6.30. & 31. Quid cum Peroſello nobili hæretico. 31. Latinè Pariſiis concionatur. 37. Adeſt Cardinali Turnonio morienti, quid illi perſuaſerit. 38. Eius in Concilio Tridentino auctoritas. 86. Eius deliberatio in Collegij in Monte Politiano diſſolutione. 7.21
Ioannis Quadræ virtus & obitus. 8.149
Ioannis Ramirij Chriſtiana charitas & facundia. 5.51. Præclarè rem gerit in Aragonia. 7.94. Eius res memorabiles Salmanticæ. 8.125. Eius cõciones efficaces. 127. Catechiſmum Hiſpanicè in breues interrogationes & reſponſiones diſtinguit. ibid. Quomodo academicos excoleret. ibid. Eius præclara de ſeipſo victoria. 128. Cur inter Profeſſos non adſcriberetur. ibid. Et illius propterea turbatio. ibid. Eius obedientiæ fructus. 131
Ioannes Regulus Ceilanius inter Socios Oliſiponenſes educatus, quanta eſſet pietate. 5.27. Eius reſponſum haud barbarum. ibid.
Ioan. Rhetius Regens Collegij Colonienſis Rhetoricam docendo admirationi erat. 1.105. Treuiris Collegium fundat cum alijs. 4.102. Ad ponendæ Moguntini Collegij primordia abit. 5.177
Ioannes Rodericius obijt Peruſiæ, eius in morte conſtantia. 1.124
Ioannes Rodericius Rector primus Triguerenſis. 7.104. Per vicina oppida euangelizat. 8.139
Ioannes Scuderus Lucronij è lue peſtifera obit. 8.157
Ioannes Seidelius Tirnauiam venit Collegij poſiturus initia. 5.169. Ab Archiepiſcopo Strigonienſi mittitur ad ſacerdotes Hungaros in montanis degentes, vt Synodo intereſſent Tirnauienſi; ſed irrito euentu. 8.102
Ioannes Silicæus Archiep. Toletanus Societati parum fauet. 2.137. Sedin morte ſententiam mutat. 139
Ioannis Suarij Epiſcopi Conimbricenſis de Societate iudicium. 5.13. Eius induſtria caritas. 55
Ioannes III. Luſitaniæ Rex moritur, 1.120. Eius in Societatem excellentia merita. 121. Ab Ignatio Societatis precibus commendatur. ibid. Eius exequiæ, preces pro eo tota Societate fuſæ. ibid.
Ioannes Triuiſanus infeſtus Societati Venetijs. 5.113
Ioannes Valderauanus Toletanæ prouinciæ primus Prouincialis. 6.65
Ioannes Vega è Prorege Siciliæ Præſes regij concilij Pintiani conſtitutus. 1.110. Eius in Societatem pietas. 113. Moritur: adeſt morienti Borgia: eius dotes. 2.161.
Ioannes Velatus Rector Montis Regalis inſignem hæreticum conuertit. 8.73
Ioannes Verdolaius fit Carthuſianus. 8.132. Eius fama ante ingreſſum in Societatem. ibid. Quando ad eam acceſſerit. ibid. Cur ad Carthuſiam animum applicuerit. 133. Quantopere ipſum mutationis Ordinis pœnituerit. 134. Eiuſdem de Societate iudicium. ibid.
Ioannes Victoria pauperum Collegium Viennæ inſtituit. 2.117. Libros pios excudi Viennæ curat in gratiam puerorum. 4.112. Eius profeſſio. 5.165. Eius pia comitas & pium ludi genus. 166. Tirnauiam profiſciſcitur. 169. Oenipontani Collegij ædificationi præficitur. 171
Ioannes Xauerius Calabriam ab hæreſi purgat. 5.81. Eius conſtantia. 82
Iobelæum conceſſũ conuertentibus vnũ ex Indis. 8.175
Iodocus de Raueſtein intereſt colloquio Vormatienſi. 1.100.
Iogues quinam ſint Indis. 4.268
Ioguis celeberrimi ad Chriſtum acceſſio. ibid.
Ionas Gallus ex hac vita emigrat Romæ. 8.63
Ioſephi Acoſtæ adoleſcentis eloquentia Segobienſes capit. 3.96
Ioſephus Aiala Barcinone quos motus animorum concionibus ſuis fecerit. 7.95
Ioſephus Blondus cum laude Catanzarij concionatur. 8.55
Ioſephi Corteſoni virtus in honorum fuga. 6.8
Ioſephus Riberius Goa ad Naoranos abit, vt eos inſtructos baptiſmo paret. 4.254
Iſabellæ Vegæ obitus & virtus. 2.99
Italiæ prouinciæ ſtatus mortuo B. Ignatio. 1.3
Iubartus Comes Salæ Duci Octauio Parmenſi amorem Socie-

Digitized by Google

Societatis ingenerat. 8.59
Iudæus adolescēs naufragio murabiliter eripitur. 6.153
Iudæorum peruicax Memphi crudelitas. 6.145. *Quibus eos verbis Alexandriæ Christiani allocuti.* 147. *Ioanni Baptistæ Eliano necem moliuntur.* 148
Iudæi iuuandi cur afficeretur P. Daniel à Teneramonda 2.94
Iudicia hominū quàm prona in deteriorē partem. 5.112
Iulius Flugius Episcopus Numbergensis Præses colloquij Vormatiensis. 1.100
Iustitiæ diuinæ documentum insigne. 8.146
Iuuenalis Boterus magna vir virtute Panormi moritur. 3.62. *Repertus mortuus manè.* ibid.

LAelius Bisciola Rhetoricæ professor Mediolanenses scholas auspicatur, & in summo templo Latinam orationem magna celebritate habet. 8.54
Laicis non licet controuersias tractare. 5.203
Lambertus Auerus Moguntiæ concionatur. 5.177. *Eius virtus & sedulitas.* 178. *Disputauit cum Theologis Brandeburgensibus.* ibid.
Lapis prodigiosus positus in fundamentis templi Cordubensis. 8.144.
Latina Constitutionū versio à Polanco probatur. 2.50
Lauellum ab Emerio de Bonis excolitur. 5.78
Laurentius Capponius Lugduni iniquarum negotiationum eradicationi fauet. 8.82
Laurentius Iapon in Societatem adscriptus. 3.64
Laurentius Tristanus Sociorum precibus sanitati restituitur. 6.16
Legatio ad Idalcanem Regem de rebus fidei doceri cupientem irrita cecidit. 5.245
Legationis ad Patriarcham Cophthorum à Pontifice missæ occasio. 5.135
Legatio ad Sinas tentatur. 7.127
Leo Carpanus opes suas abdicat, vt ijsdem pueri eruditerentur ad litteras. 5.92
Leo Iapon ardet rerum diuinarum auiditate Ximabara. 7.138
Leonis Lilij mors & obedientia. 6.16
Leonardus Cardines extremū Romæ supplicium luit. 5.75
Leonardus Kisselius verbo vno Lac. Ledesmiam in proposito vocationeq; confirmat. 1.64. *Romam abit.* 67. *Inde Coloniam reuersus adolescentes conuictores ad pietatem erudit.* 105
Leonardus Marinus Nuncius Apostolicus Societatem consolatur in infamia mota per Hispaniam ex controuersia de confessionis retectione. 2.123
Leonettus Clauonius Lauretano Collegio præficitur. 7.17
Leonettus Gagliardus ad Societatem adscisitur. 3.35.36. *Eius Romæ morientis tranquillitas.* 8.64
Liber pestilens & maledicus in Societatem editus auctore Ioanne Zangero. 7.54. *Hunc Iacobus Paiua Lusitanus refutauit.* ibid.
Libros hæreticos Lugduni Posseuinus flammis iniici curat. 6.45
Librorum bonorum inopia consulit Ioannes Victoria Viennæ. 4.112
Lopus Gomius Abreus Societ. Romæ calumniatur. 4.6
Louanij quàm difficulter admissa Societas. 4.93. *Academia illi fauet.* 98. *Senatus illi hic graues conditiones imponit.* 99. *Eam scholas aperire vult.* 7.56
Louanienses cur in Societ. admittenda difficiles. 1.109
Lucius Crucius hæreticos Calabros ad sanam mentem reuocat. 5.81
Lucronij sæuiente pestilentia Sociorum conatus & industria. 8.153
Lucronienses quomodo Societ. initio habuerint. 3.87
Ludouicus Almeida gratia curationum Ecclesiam amplificat. 1.58.& 3.163. *Mittitur ad Facatenses.* 5.271. *Elephantiacum quomodo sanarit.* 273. *In insulam Tacuximam venit.* ibid. *In Iquicuquin insulā traijcit.* 274. *Firandi quid gesserit.* 276. *Eius labores in itinere ibid. Cangoximam petit.* 6.181. *Quid in Exandonia egerit.* 182. *Quid Tomari.* 183. *Quid Cangoximæ cum Bonzijs.* 184. *Vocoxiuram adit.* 190. *Cur missus in Bungum.* 195. *Ximabaram adit, & quæ ibi gesserit.* 7.138. *Regem Arimanum salutat.* 139. *Vocoxiuram contendit.* ibid. *Omuram abit ad Sumitandam Regem salutandum.* 140. *Cocinocum veniens multos Christo parit.* 142. *Salutat Regem Bartholomæum in castris agentem.* 146. *Vocoxiuram adiens Christianos consolaturus quam stragem in via viderit.* 155. *Mittitur in Bungum.* 8.186. *Cauaxirim ad Odoardum Siluam curandum abit.* 189
Ludouicus Calataiud à Ioanne Ramirio monetur è suis facultatibus Collegium Societatis Ocaniæ constituere. 2.137. *In carcerem iussu Siluæ Archiepiscopi Toletani coniicitur.* 138
Ludouicus Codrettus strenuè operatur inter Allobroges. 3.74. *Ad Episcopatum Lodeuensem curandum abit.* 76. *Multa Narbonensis tractus opida lustrat.* 4.72. *Auenione multa agit præclarè.* 73. *Eius conciones.* ibid. *Sturæ & Barcellonæ quomodo rem Christianam promouerit.* 5.88. *Prouocatur ad certamē fidei à muliercula ne litteras quidem efferregnara* ibid *Euocatur Ebredunum ab Archiepiscopo, & Glanum mittitur.* 89. *Præficitur Collegio Montis Regalis in Pedemontana regione.* 90. *Eius fortis industria* 6.48. *Ebredunum vt venit, hæreticus Minister accedere non est ausus.* 49. *A Lainio Ancona Auenionem mittitur.* 8.2. *Ibidem concionatur.* 87. *Camberij Collegium orditur.* 82
Ludouicus Consaluius Romam venit ad congregationē. 2.5. *Creatur Assistens.* 46. *Designatur Sebastiani Lusitaniæ Regis præceptor.* 3.13. *Miraculosè sanitati restituitur.* ibid. *Quàm à regio magisterio abhorreret.* 14. *Quæ illi monita Regis magistro futuro dederit Lainius.* 16. *Illi quomodo cum populo & aulicis fuerit agendum.* 24. *Conatur ab se institutionem Regis amoliri, sed frustra, obnitente Regina.* 4.237. *Quam eius instituendi inierit rationem.* 134. *Quomodo in aula degeret.* 135
Ludouicus Corbinellus qua occasione ad Societatem animum adiunxerit. 3.68
Ludouicus Froës in Iaponiam mittitur. 6.179. *Eò appellit.* 7.146. *Eius æruinæ.* 158.& 159. *Templum Tacaxumæ molitur.* 159. *Insulas excolit Firandenses.* 8.191. *Quomodo Regis lucro addicti animum demulserit.* 193. *Magnificè Firandum introducitur.* 194. *Sed non amicè satis à Rege accipitur.* ibid.
Ludouicus Gagliardus Iuris studiosus ad Soc. accedit. 3.35. *Præuit fratribus.* ibid. *Eius in morte fratris Leonetti constantia.* 8.64
Ludouicus Granā Prouincialis in Brasiliam mittitur. 3.110. *Hæreticum Bolæum ibidem exagitat.* 4.198. *Eius caritas sedula.* 200. *Hæc ad Brasilo-*

Digitized by Google

rum conuersionem magnum attulit momentum. 5.281. Qui honores illi à Brasilis habiti. 282. Eius patientia. 287. Peregrinationes & labores pro Ecclesia Christi susceptí. 6.197. & 199. & 200
Ludouicus Goez in Molucas mittitur. 7.125
Ludouicus Granatensis Dominicanus cohonestat exequias Consalui Vasij Melli. 7.112
Ludouicus Massellus consulit de ingredienda Societate quemdam virum bonum monachum Benedictinũ, à quo ad Ioannem Marionum mittitur, qui eum dein ad Societatis Patres mittit. 2.68
Ludouici Medina praestantissima virtus. 2.159. In Societ. admittitur, eius in humilibus officijs amplectendis studium & ardor. 160. Eius demortua lingua post annos duodecim rubens ac vegeta inuenta, Deo integritatem eius à mendacio hoc pacto testante. ibid.
Ludouicus Mellus dux Lusitanorum praedones Iapones Sinarum finibus pellit. 8.183
Ludouicus Mendoza rem Societatis Segobiae promouet. 3.93
Ludouicus Montoia Prouincialis Augustinianorum cohonestat exequias Consalui Vasii Melli. 7.112
Ludouicus Omurani Regis Praefectus mittitur ad Cosmum Turrianũ à Rege Bartholomaeo instinctu coniuratorum. 7.152. In via mactatur à Fariuo. 154
Ludouicus Santanderus Mauros in Granatensi Gandiensiq; agro iuuat. 1.116. Constituitur Rector primus Segobiae. 3.94. Eius conciones. ibid.
Ludouicus Seguratus Olisipone decedens obitus sui praedicit diem. 5.34
Ludouicus Vngria Stephanum Tuccium in Sicilia ad Societatem admittit. 2.107
Lugdunum ab haereticis occupatur. 6.50. Restituitur ibi Catholica religio. 7.57
Lusitania prouincia status mortuo B. Ignatio. 1.12
Lusitani Patres ad congregationẽ Romam veniunt. 2.5
Lusitani ad res Abassinorum cognoscendas missi à Turcis capti. 4.231. Lusitani, quibus tanta Goa baptismum expetentium copia improbabatur, mentem mutant, & seriò agi rem comperiunt. 259. Ex Lusitanis mercatoribus pendet Iaponica Ecclesia profectus. 6.192
Lustralis aqua vis. 6.163. & 174

Maceratenses quid deterreret à Collegio fundando. 5.83.
quae ex arbitrio pendent popularium Magistratuum parum firma. 5.85
Magistros perpetuos Grammaticae cur Lainius seligi per Collegia iusserit. 2.91
Mahometani Consalue Silueria necem in Manomotapa moliuntur. 5.228
in Mahometum maledicta coniiciens inter Turcas, plectitur capite. 6.148
Malaca institutus Episcopatus. 3.142
Malitia caca est. 8.21. & 25
Mamertinorum de Soc. integritate testimonium. 2.112
Manarienses mulieres quomodo ab epotando venenore uocatae. 7.116
Mandarini cuiusdam Sinensis de Lusitanis iudicium. 7.130.
Manomotapa regnum. 4.219. Auriferax. 221. Id adit Silueria. 226
Manomotapia expeditio rursus post Consalui martyrium tentatur. 6.60
Manomotapius Rex & Regina baptizantur, Sebastiani ille, hac Maria vocata nomine. 5.225. & 226. Inducitur ille ad necandum Silueriam. 229
Marcellus Salazartus moritur Murcia in iuuandis pestilentibus. 2.151
Marcellus Vazius è Lusitania Antuerpiam missus. 7.55
Marchio Bergensis Societatem in Belgio Senatus Louanienst commendat. 4.94
Marchio Brandeburgicus quid de Lamberto Auero sentiret. 5.178
Marcus Antonius Columna Cardinalis doctrinae suae periculum fieri voluit ab Societatis magistris, & ab ijs in Collegio Doctoris insignibus ornari. 8.37
Marci Antonij Quadrij Curionis Pontanorum in Patrum è Valle Tellina discessu dolor. 5.105. Eius mors. 106
Marcus Georgius explicat Casus in noua academia Olisipponensi. 8.163
Marcus Prancudus Damanum missus ab Goa. 3.113 Eius res gestae Damani. 5.250. & Surrati. 251. Mittitur in Molucas. 252. Eius gesta apud Molucenses. 6.172 & 173. Ad insulas Mauricas abit. 7.124. & 125. Ad sanctitatem matrimonij Christiani neophytes earum potissimùm exstimulat. 8.180
Marcus Salinas moritur Placentiae. 1.138
S. Maria mater Christi Iacobo Ledesmae apparet Brixiae. 1.65 Opes adauget domus Lauretana, cùm tamen impensae crescerent ex alendis Patribus Societ. 196. Adest Colonienst Collegio. 106. Iuuat Iacobum Saraiam aduersus praedones Mauros. 2. 146. Apparet Regi Manomotapio. 5.224. Eam singulari modo colit Consaluus Silueria. 244. Congregationes in eius honorem Romae inter discipulos excitantur. 7.7. Earum progressus. 8.37
Maria Anglia Regina immatura morte demoritur. 2. 134.
Maria Magdalena apparet Iacobo Ledesmae Brixiae. 1.65
Maria Maximiliani Regis vxor quàm gratè habuerit missum à sorore sua P. Christophorum Rodericium. 4.118.
Maria Regina Scotica virtus. 6.108
Maria Sancta Seuerina Nolanum fundat Collegium, scribit ad Lainium de sua mente. 2.77
Mariscs idolum Martium Iaponibus. 7.146
Martini Alfonsi Brasili virtus. 6.202. Eius mors. 205
Martinus Gomius Compluti in Societatem adlegitur. 2.156
Martini Gutterrij res Salmanticae gestae. 6.113. Quid piè Vallisoleti instituerit. 7.91
Martinus Olauius Romae moritur in interregno. 1.33. Eius mortem praedixit B. Ignatius ibid. Pro eo aegrotante assiduae fusae preces. ibid.
Martinus Rithouius dein Episcopus Dilinganam Academiam cohonestauit. 8.110
Martinus Silua Batti pagi iuxta Goam primarios quadraginta induxit vt se ad baptismum paratos Proregi sisterent. 4.254
Martyrium Alfonsi Castrij. 2.175. Seruae Christianae. 3.161. Consalui Silueriae. 5.233
Matthaeus Riccius Maceratensis quid apud Sinas praeterierit in laudem Europaeorum. 5.83
Matthias Cremerius Collegium Montanũ cui praerat Colonia, tradere Societati molitur. 1.104
Mauri

Mauri Granatæ per vernaculas Arabicè conciones iuuantur per Socios. 1.116
Maurici neophyti quomodo iuuandi. 3.99. *In eis iuuandis Patrum sedulitas.* 100
Mauritij Vignæ eximia pietas & mors. 2.149
Maximilianus Imp. creditus ab hæreticis nou futurus fautor Societ. sed hæreticorum spes fefellit. 8.101.
prima in Meacum missio. 3.164. *Quando ibi primũ sacrificium est factum.* 6.181. *Eò Gaspar Villela peruenit.* 4.281. *Prima illic ædes sacra.* 286. *Ibidem domicilium instituitur Societatis.* 4.281
Mealis Regis filia ad Christianos ritus accedit. 1.148
Medici cur Lutetiæ Societ. scholis non fauerent. 8.91
Mediolanum primùm Societas per Carolum Borromæum aduocatur. 7.35. *Vbi primùm ibidem diuersata. ibid. Vbi primùm sacra facta.* 36
Mediolanensium ardor in Societate excipienda. 7.38
Melchioris Carnerij caritas & sanctitas. 1.150. *Consecratur Episcopus Nicenus.* 4.278
Melchior Iaponius Facatam abit cum Ludouico Almzida. 3.272
Melchior Ficeredius Iaponijs Socijs accedit. 8.195
Melchior Nunnius Bungi Regem in Iaponia alloquitur. 1.158. *Aegrotat, in Indiam redit, professione emissa Cocinensi domicilio præficitur.* 159. *Eius gesta Cocini.* 2.172. *Episcopum Armenium captum in Lusitaniam ablegat. ibid. Reliquiariam B. Xauerij thecam ab eo qui habebat precibus extorquet, & eam Cocini aperit.* 3.120. & 122
Meliaporam mittitur Franciscus Pinna. 7.114
Mellitum Calabriæ vrbem iuuari à Domenecco volebat Rodericus Gomius à Silua. 1.87
Mendacij fuga miraculo comprobatur. 2.160
Mendicantium Ordinum pro Societate in Belgium admittenda responsum. 4.97
Mendus Sa Lusitanus Brasiliæ Prætor in Brasilia inspectam de Gallis obtinet victoriam. 4.199. *Rebus Societatis fauet.* 8.199
Meretrices Antonius Madridius aliquot Compluti ad Deum conuertit. 2.144
Michael quidam Indus Patrem Mesquitam è vinculis liberat. 4.266
Michael Barulus in India moritur. 2.171
Michael Capralis Armuziam abit. 7.114
Michael Gouernius Murciæ celebris concionator. 7.86
Michaelis Lætaualij sanctitas. 2.96. *Eius zelus in proximo iuuando. ibid.*
Michael Montielus moritur Lucronij in obsequio morbidorum. 8.157
Michael Turrianus Reginæ Lusitaniæ viduæ cõfessionibus præest, eius prudentia in ea regenda. 1.122. *Ab ea facilè impetrat vt ad congregationem Romam abiret. ibid. Romam venit inexpectatus.* 2.5. *Ad Collegiorum, quàm domorum professarum fundationem pronior.* 4.159. & 162. *Catechizat Olisippone, sæpè præsente Regina.* 8.165
Miracula restituta sanitatis. 2.166
Miraculosè farina & panis in Lauretano Collegio multiplicantur. 1.95. & 96
Michael Vanegas Parisiis Alciati docet emblemata. 8.78
Mingoames coniurationis in Siluerium inita princeps. 5.228
Mingoaxanes Mahometanus Giloæ Rex potestatem facit Siluerio promulgandi Euangelij. 4.225
Missa quomodo sit repræsentatio, & Christus sit præsens in Sacramento. 5.205
Missionũ per pagos & oppida vtilitates. 4.169. & 5.76
Mocadani quatuor Goa Christo aggregati. 3.124
Molucarum descriptio, & quis in iis status Societatis mortuo Ignatio. 1.18. *In easdem noui missi Patres.* 1.155. & 6.168. & 7.114. *Quomodo ibi res Christiana se habuerit anno* M.DLVIII. 2.174. *Eò abit Marcus Prancudus.* 5.252. *Eôdem peruenit, Socios ibidem recturus.* 265. *Cur insulæ ea semper obnoxiæ fuerint tumultibus.* 6.167. *Res ibi Christiana augetur.* 6.172 & 7.118 & 8.179
Monte Regali in subalpinis regionibus Collegium instituitur. 5.90. *Eius paupertas. ibid.*
Moribundos iuuandi opus maximum. 2.97
Morindonus Amangucij turbas ciet. 1.57
Moritur Ioannes Mendoza. 1.43. *Ioannes Rodericius.* 124. *Gregorius Cabedus.* 125. *Franciscus Villanoua.* 127. & *seqq. Ioannes Carrera.* 137. *Marcus Salinas.* 138. *Bernardus Cantaber.* 139. *Andreas Galuanellus.* 2.69. *Philippus Faber.* 70. *Daniel Paiebruck.* 93. *Isabella Vega.* 99. *Hercules Perusinus.* 100. *Angelus Policinus. ibid. Theodoricus Amsterodamius.* 119. *Carolus V. Imperator.* 134. *Iacobus Sarauias.* 146. *Ioannes Gesti.* 148. *Mauritius Vigna.* 149. *Marcellus Salazarius.* 151. *Petrus Cabrera.* 152. *Antonius Fontoua. ibid. Ioannes Vega.* 161. *Michael Barulus.* 171. *Alfonsus Castrius.* 175. *Robertus Nobilius Cardinalis.* 3.1. *Vincentius Belmagius.* 45. *Cornelius Vishauæus.* 55. *Iuuenalis Boterus.* 62. *Ioannes Faber concionator insignis.* 63. *Albertus Arausius.* 113. *Alfonsus Cyprianus.* 114. *Franciscus II. Galliæ Rex.* 4. 90. *Gulielmus à Prato Claromontanus Episcopus.* 91. *Ioannes Baptista Barma.* 164. *Augustinus Azerda.* 203. *Paulus Camers.* 4.236. *Cosmus Annius.* 244. *Simon Corderius.* 5.32. *Franciscus Henricius.* 33. *Ludouicus Seguratus.* 34. *Gaspar Fonseca.* 35. *Aegidius Montanus.* 65. *Ioannes Carrassa.* 74. *Desiderius Gallus.* 120. *Carolus Grim.* 171. *Consaluus Silueria profide Christi.* 233. *Hieronymus Bassus.* 6.15. *Leo Lilius.* 16. *Fuluius Corneus Cardinalis.* 17. *Cardinalis Tarnouius.* 38. *Ioannes Allobrox.* 92. *Otho Briamontius. ibid. Ioannes Borgheses & Paschasius Brocttus.* 93. *Petrus Canalis.* 102. *Fulgentius Freires.* 140. *Ioann. Nunnius.* 164. *Ioannes Lopius.* 166. *Cardinalis Hercules Gonzaga.* 7.2. *Eleonora Toletana.* 19. *Antonius Madridius.* 71. *Stephanus Almeida Episcopus Carthaginiensis.* 85. *Ioannes Gomius.* 110. *Hieronymus Lopius. ibid. Andreas Segura. ibid. Alfonsus Coadiutor. ibid. Rodulphus Card. Carpensis.* 8.4. *Ionas Gallus.* 63. *Camillus Vannutius. ibid. Leonettus Gagliardus.* 64. *Ricciardus Ceruinus.* 65. *Angelus Douitius. ibid. Petrus Venustus.* 67. *Ioannes Pelletarius.* 76. *Ferdinandus Cæsar.* 101. *Ioannes Quadra.* 149. *Ioannes Paulus.* 151. *Hieronymus Morillus.* 153. *Petrus Martinius.* 154. *Thomas Tanquas.* 156. *Michael Montielus.* 157. *Ioannes Scuderus. ibid. Iacobus Torrecilla.* 159. *Antonius Assentius, Iacobus Diazius, Ioannes Fernandius.* 160. *Ioannes Paulus Moxica.* 161. *Alfonsus Lozanus.* 162. *Iacobus Lainius Generalis.* 200
Mors Sociorum quomodo ferenda. 1.34

Digitized by Google

Munnonius Canonicus Placentinus mutat vitæ genus post mortem Ioannis Pauli, cui morienti se commendauerat. 2.152

Murciæ in pestilentium obsequio mortui tres è Societate 2.105.

Naufragij tristis descriptio. 4.273. & 6.152 *Naufragorum misera calamitas.* 5.256. & seqq. *Nauigatio Petri Arboreda periculosa & pia.* 4.271 *nauigatio longa & periculosa Nauis S. Pauli.* 5.255. *Naufragium eiusdem.* 256. *Eius ster & fortuna.* 259. *Tandem Malacam venit.* 264

Neophyti Manomotapij periclitantur post necem Siluerij. 5.237. *Neophyti Iaponij, Brasili, Goani* Vide *Iaponia, Brasilia, Collegium Goanum.*

Nestorianum Episcopum è Malabaribus Melchior Carnerius pellit. 1.150. *Eum deinde Cocinum venientem captum in Lusitaniam ablegat Melchior Nunnius.* 2.172

Nicolaus Bobadilla ager Neapoli in creando Vicario suffragium suum Polanco permisit. 1.21. *Erat liberior in caritate, quàm regularum tenacior.* 74. *In Laynium Vicarium concitatur, & quare. ibid. Eum socij tumultus deserunt.* 80. *Eius ratio contra Vicarium.* 81. *Quomodo à Natali confutatus.* 82. *Iubetur à Cardinali Alexandrino nulli mortalium quàm illi de causa sua verbum facere.* 85. *Fulginium à Cardinali Sfortia amandatur.* 86. *Missus in Vallem Tellinam.* 2.81. *Eius ibidem labores.* 3.49. *Eius in fide profitenda libertas.* 50. *In Illyricum mittitur.* 51. *Bobadillæ Collegia dicebantur quæ leuiter admissa citò dissoluebantur. ibid. Epidaurum in Dalmatia excurrit.* 4.53. *Monasteriis Benedictinis ibidem operam nauat.* 55. *Eius de Laynij Generalatu sententia.* 5.122. *Eius gesta in Calabria.* 7.27

Nicolaus Gaudanus Romam ad congregationem venit. 1.67. *Dimittitur ad colloquium Vormatiense.* 79. *In eo pro re Catholica aduersus hæreticos rem nauiter gerit.* 100. *Eius gesta cum Clero & Catholicis Vormatiæ.* 102. *Iudicatus medicorum iudicio tabe consumendus, in diuturnis studijs, valetudini est restitutus.* 107. *In Scotiam à Pontifice mittitur.* 6.105. *Quid ibi egerit.* 107. *Quid cum Regina Maria.* 108. *Quomodo Louanium excolucrit.* 8.93

Nicolaus Lanoius Austriæ creatur Prouincialis. 7. 41. *Cur Pontificium diploma de vulgando calice in sua prouincia promulgari non vellet.* 8.100

Nicolaus Olahus Archiepiscopus Strigoniensis Clerum Tirnauiensem reformat. 5.159

Nicolaus Radiuillus in Polonia vir primarius, hæreticorum propugnator acerrimus, & Catholicæ religionis euertendæ percupidus. 2.121

Nicolaus Villagagnonius Gallus pro Rege Galliæ oram fluminis Ianuarij in Brasilia tenebat structa arce. 4.197

Nilus per Africam fluens in internum mare erumpit. 4.224.

Nolæ instituitur Collegium. 2.76. *Magna gratulatione Nolani Patres ad id missos recipiunt.* 78. *Nocte proxima manna manat è corpore S. Felicis.* 79. *Eorum in Patres benignitas.* 80

Nondæ in Iaponia fidem Villelæ annunciat. 8.196

Nosocomiorum in Iaponia existimatio. 3.162

Obedientiæ simplicis documentum. 8.136. *Obedientia paucorum supplet vicem multorum.* 7. 67. *de Obedientia quid sentiret B Ignatius.* 7. 28. *Obedientia in paupertate qualis requiratur.* 31

Obtrectatores Societatis puniti Lucronij. 3.90

Ocaniensis Collegij initia disturbantur. 137. *Sed denuo submoto aduersario illud incoli cœptum.* 138

Occindonus Rex Amangucij necem sibi conscisit. 1. 57. *Hanc ei cladem B. Xauerius prædixit. ibid.*

Octauius Farnesius Dux Parmæ à Societate alienus. 8.59 *Mutatur eius animus.* 61. *P. Gurream benignè alloquitur. ibid. Eius feruor.* 62

Odoardus Deça Lusitanorum præfectus in arce Ternatina Regulum Ternatinum superat. 1.157

Odoardus Pereria primus Rector Madritanus. 4.176

Odoardus Silua multos Funaij Christo aggregat. 7. 139. *Eius obitus.* 8.189. *Eius elogium.* 190

Oenipontanorum integritas in fide. 5.170

Ogerius Dauantianus ad Societatem vocatur. 4.108

Olisipponensis Collegij celebritas ex studijs litterarij & pietatis. 4.127. *Eiusdem incrementa.* 8.163. *Ibidem floret catechesis.* 165

Oliueti Manarei in domestica Laureti angustia in Deum fiducia. 1.94. *Illius in multiplicata diuinitus farina miraculo explorando industria & diligentia.* 95. *Nec non in alio de pane multiplicato.* 96. *Pacem insignem in monte Luponio conciliat.* 3.54. *Solennia vota emittit.* 4.24. *Quàm sedulò causam Collegij Maceratensis susceperit.* 5. 83. *In Galliam mittitur cum potestate Commissarij.* 7.64. *Billomum venit.* 65. *Lugdunum abit.* 67. *Fit Prouincialis primus Franciæ.* 8.75. *Tolosam excurrit.* 77. *Ad Aruernos tetendit. ibid. In exequijs Guilielmi Episcopi fundatoris Collegij B Iloma verba facit.* 88. *Parisios excurrit turbis exortis occursurus.* 89. *Quid Rectori Academiæ responderit.* 90. *Quomodo academicorum furorem mitigarit.* 91

Omurana Ecclesiæ exordia in Iaponia. 6.183

Omura incensa à coniuratis, Rex incolumis in vicinam arcem euadit. 7.154

Oneraria qua ægrotos Christianos vehebat, mirabiliter è Turcarum manibus seruatur. 4.43

Opus bonum vnum melioris est semen. 4.145

Oratio Pontanorū in comitiis Grisonum pro Collegio. 5.98. *Et hæreticorum contra Collegium.* 102

Orationum vis. 5.66. & 71

Ordines Religiosi omnes magni faciendi. 5.16

Otho Briamontius Treuiros pergens apud Heluetios ager decumbens, iis cupiditatem iniicit habendi Collegii. 4.105. *Moritur peste Parisiis.* 6.92.

Othonis Truchses Cardinalis Augustani in Canisium pietas. 2.11. *Lainium in conclaue vocat, vt eum Pontificem renunciet.* 3.47. *De Societatis fama solicitus, Pontificem edocet vt auctoritate sua ei succurrat.* 8.32. *Quas fecerit Lainio Dilingæ exequias.* 206. *Eius in Societatem beneuolentia.* 8.107

Pagus S. Spiritus in Brasilia aliò traducitur. 5.284 *Pagus boni Iesu conditur & Assumptionis.* 285. & 286. *S. Petri & S. Andreæ.* 290.291

Palentiam Socios vocat Teresa Quignonia Comes Montis Acuti. 3.97

Panicus Brasilorum timor. 5.288. & 289

Panis in Collegio Lauretano diuinitus multiplicatur. 1.96.

Panor-

Digitized by Google

Panormitanis succurrunt Socij in summa calamitate ex eluuio. 1.111
Panormitani de Soc. innocentia dant testimoniũ. 2.111
Pantaleon Rodinus Rector Catacensis. 8.55
Parentes magna bona sæpè impediunt, dum filios nolunt fieri Religiosos. 4.36
Parentibus Christianis nasci magnum donum. 5.58.
Parisienses scholæ inchoantur. 8. 78. Earum immunitates. 79. Quomodo turbentur. 90. Dictæ in academia de iisdem sententiæ. 91. Vide Collegiũ.
Parmæ quid debeat Societas. 8.62
Paschalis Mantius quid de Francisco Villanoua sentiret. 1.135
Paschasius Broettus è simplicitate abductus à Bobadilla. 1.74. Vocatur ab Ignatio Angelus. ibid. & 6.94 Vt antiquissimus Professorũ electionis Lainij in Præpositum prælegit decretum. 2.30. Rem Societatis Parisiis vrget. 3.65. Moritur ibidem è lue pestifera. 6.93. Eius virtutes. 94. Eius humilitas. 95. Eius simplicitas singularis. 97. De eo B. Ignatij iudicium. 98
Patauij hæreticos iugulat Benedictus Palmius, matronas ad modestiam, & perditas ad pudicitiam reuocat. 2.71
Pauci pro multis quibus artibus sint. 5.164
Pauli Achillis sanctitate Panormitanum Collegium inclarescit. 2.104
Paulus Camers moritur. 4.236. Eius in Indiam profectio. 237. Mozambici caritatem exercet. 238. Goam pertingit iam fama notus. ibid. Præficitur Seminario Goano. 240. Numquam eum Goa excedere passus est Xauerius. ibid. Eius caritas, & sedulitas. 241. Docebat idem catechumenos & sua manu lustrabat. ibid. Curauit item nosocomium. ibid. De eo testimonium Melchioris Nunnij. 243. Eius diuturnus languor & patientia. ibid.
Paulus Candius Societatem Patauij meditatur post Gagliardos. 2.37. Collegij in Monte Polstiano Rector, quibus luctatus cum angustijs. 7.20. Quomodo se in eius amotione gesserit. 23
Paulus Hoffæus Rector Ingolstadiensis renunciatur in locum Lanoij. 7.41
Paulus Manutius Romanum inuisit Collegium. 7.8
Paulus IV. Pontifex Lainium magni fecit, eum benignè excipit adeuntem, quomodo in Societ. animatus. 1.30. Aliquid in ea desiderare videbatur. 31. Quomodo de B. Ignatio sentiret. ibid. Iubet congregationem Romæ fieri. 46. Populo suam in bello contra Philippũ Regem Hispaniarum rectam mentem probare conatur. 60. Vetat congregationem in Hispaniam transferri. 72. Iubet Lainium Spiritus sancti opem quoad rem congregationis exposcere. ibid. In Patres concitatur Pontio Gordano auctore. 76. Lainium non aspicit oculis pro solito benignis. ibid. Societatis instituta & iura expendi iubet. 77. Vetat quemquam de Societate Roma exire. ibid. Vetat haberi congregationem alibi quàm Romæ, cùm prima sit. 91. Congregationis auspiciis bene precatur. 2.18. Iubet eius rationem expendi à quatuor Cardinalibus. 20. Quomodo Patres suffragatores post electionem Generalis exceperit, quæ ad eos verba habuerit. 36. Laudat comitiorum exitum, & Societatem. 38. Adhortatur ad laborum constantiam. 39. Confirmat Præpositi creationem & Societatẽ. 40. Eius erga Patres benignitas. 42. Iubet Patres deliberare de choro in Societatem introducendo, & de triennio Generalatus. 55. Eius erga Societ. animus quæ re immutatus. 58. Placatur. 60. Iubet tamen Generalatum triennalem esse, & chorũ haberi. 61. Cognatos suos ab publica administratione summotos Vrbe expellit, alia in communẽ vtilitatẽ decernit. 3.10. Quàm recreatus Philippi Regis zelo in hæreticos. ibid. Familiariter Lainium habet. ibid. Moritur. 29. Eius mors sancta & pia. ibid. Quomodo eius acta irritata. ibid.
Paulus V Pontifex Arabicam linguam in Latinas Academias induxit. 7.6
Pauperum Collegium primũ Viennæ instituitur. 2.117
Pax inter neophytos Amboinios quo æstu conciliata. 6.176. Pax insignis in Monte Luponio conciliata. 3.54. Paces conciliatæ permultæ Brachæ. 5 12
Pecchij fratres Mediolani Societatem ædibus suis recipiunt. 8.53
Pecuniæ Romano Collegio ex Hispania missæ quàm bene collocentur, & quàm parum missum sit. 5.41. & 42
Perusinorum studiosorum pietas & virtus. 6.17
Pestis quantopere Memphi grassata. 6.135 Eam Lugduni hæreticos excitasse præsente Rege suspicio fuit. 8.80. Ea in hæreticos potissimùm ibi sæuiit. ibid. Ea in Brasilia multi neophyti pereunt. 7.162
Pestifero in morbo Socij in S. Vincentij præfectura auxiliantur. 5.292
Pestilentibus auxilium præbitum in Hispania citeriori à Socijs. 2.145. Eosdem iuuandi ardor Treuiris inter Socios. 8. 96.
Petrus Andreas Canonicus Cæsaraugustanus in Socios morbidos & mortuos obsequiosus. 8.162
Petri Arboreda in Indiam nauigatio laboriosa & pia. 4.271
Petri Belueri pia solicitudo post necem Venusti. 8.72
Petrus Cabrera moritur in pestilentiũ curatione Murciæ. 2.152
Petri Canalis vita religiosè transacta. 6.102
Petrus Canisius Romam venit ad congregationem generalem. 1.67. Ibidem Romani & Germanici Collegij alumnos publicè priuatimq; ad opem Septemtrioni ferendam incendit. ibid. Ad Vormatiense colloquium abit. 79. Impigrè cum hæreticis ibidem dimicat. 100. Vormatiæ Catholicos confirmat. 102. A colloquio Coloniam excurrit. 103. Quid de eo mentiti hæretici in Saxonia. 107. Rursus Romam venit. 2.8. Eius Argentoratensem apud Episcopum gesta. ibid. & in alijs vrbibus. 9. Donatur Sanctorum reliquiis. 10. Espedes leuat Cardinalis Augustanus. 11. Stanislai Hosij opus contra Brentium recognoscit. ibid. Ferdinandum Imp. consolatur. 12. Straubinga concionatur. 13. Habet ad Patres congregationis orationem. 26. Mittitur in Poloniam. 52. Quid de Exercitijs B. Patris sentiret. 113. Periclitanti animæ vnius Sociorum succurrit. 115. In Poloniam venit. 121. Res ab eo ibidem gesta. 122. Traditur concionator Augustanis. 3.63. Quàm exosus esset hæreticis. 4.119. Eius ope Augusta respirat. 5.160. Augustanis quàm fuerit carus. 6.74. Ad Tridentinũ Concilium vocatur. 75. Cardinali Hosio valetudinem restituit. 76. Eius præstans in remp. meritum. 7. 44. Eius ad Cæsarem verba de rebus Concilij. 46. Eius zelus. 50. Quid cum Cardinali Morono Oeniponti egerit. 48. Eius constantia. 53. Auctor est vt Doctores Academici fidem profiterentur. 8.41.

Exagitatur Augustæ à Canonicis. 8.104
Petrus Colatius lapidibus ab Ethnicis in Salsettis Goanis excipitur. 8.170. *Querelas aduersus eum iidem Goam deferunt. ibid. Ethnicos aliquot Christo parit.* 171
Petrus Domeneccus primus Rector Toletanus. 2.139. *Missus in Africam cum classe regia.* 162
Petrus Fonseca Philosophiam tractat cum laude Conimbricæ. 2.163. *Iubetur in Philosophiam Commentarios scribere.* 5.23
Petrus Guerrerius Archiepiscopus Granatensis cum Societate sentit in controuersia quoad confessionis retectionem. 2.131. *Concionatur in professione Ioannis Baptistæ Sancij.* 4.179
Petrus Leito secundus Brasiliæ Episcopus. 3.109
Petrus Marquina Collegium Conchense fundandum suscipit. 5.5
Petrus Martinius cum classe regia in Africam missus. 2.162. *Eius dein in Florida martyrium. ibid.*
Petrus Martinius, alius, Rector Lucronensis quid in pauperum subsidium fecerit grassante lue. 8.153. *Moritur in pio obsequio.* 154. *Prædicit sacerdoti inungenti mortem imminentem. ibid. Eius elogium & virtus.* 155
Petrus Martyr hæreticus excucullatus interest conuentui Poisiaco in Gallia. 5.198. *Loquitur blasphema in eodem.* 200
Petrus Mascarenias Ternate templum è collatitia stipe adoritur. 7.125
Petrus Mercatus Calatabellottã missus ad initia Collegij ponenda. 2.101
Petrus Parra Philosophiam in Romano Collegio docuit. 4.30
Petri Perpiniani eloquentia. 2.163. *Meditatur scribere vitam B. Ignatij suasu Michaëlis Turriani. ibi. Iubetur Romã ire.* 5.23. *Eius Romæ æstimatio.* 60
Petrus Pradenus Mauriacensi Collegio præficitur. 7.66
Petrus Ribadeneira Louanienses suis capit concionibus. 1.43. *Romam è Belgio venit.* 60. *Rursus inde in Belgium redit cum Cardinali Carolo Carraffa* 99. *Solẽnia vota emittit, præficitur prouinciæ Hetruriæ.* 4.24. *Monita quædam B. Ignatij de obedientia circumferre per Collegia, quæ vt Commissarius lustrabat, solebat.* 7.27
Petrus Riera in Iaponiam destinatus classi Africanæ operam nauat. 8.50
Petrus Saauedra Ioannis Vegæ Præsidis Pintiani confessarius. 1.113. *Primus Rector Palentinus.* 3.97
Petrus Sancius in Societatem venit. 2.157
Petrus Seuillanus primus Rector Belmontanus. 2.140
Petrus Spiga Societatẽ ingreditur. 3.78. *Sardiniam petens vectores in naui facit meliores. ibid. Eius indefessi labores.* 79. *Nosocomium curat.* 80. *Eius curam abdicare cogitur.* 84
Petrus Sotus ad Dilingana Academiæ incrementa multum contulit. 8.110
Petrus Vazius pericula subit pro Euangelio. 8.176
Petrus Venustus strenuè Bibone laborat. 2.98. *Adest morienti Isabellæ Vegæ Duci Bibonensi, eam mortuã pro concione laudauit.* 99. *Eius interfectio describitur.* 8.67. *Perfidè à sacerdote Rogerio in via interimitur.* 68. *Eius laudes.* 69. *Eius exequiæ. ibid. Reliqua eius vita series.* 70. *Quod mortis genus in colloquio familiari præoptaret.* 71. *Eius necem Prorex Siciliæ vindicandam censet.* 72
Petri Vireti hæretici simulatio. 8.84. *Cum Possevino disputat. ibid.*
Philippus Faber ex caritate morbo concepto Mutinæ moritur. 2.70
Philippus Melanchthon quàm malè à suis habitus in colloquio Vormatiensi. 1.101
Philippus Rex Hispanus bellum gerit cum Pontifice Paulo IV. 1.37. *Parum Borgiæ fauet.* 4.190
Pietas tum colenda maximè, cùm publicè negligitur. 6.117.
Pius IV. Pontifex beneuolus Societati. 4.1. *Lainium ad se accedentem quàm benignè exceperit.* 4. *Eius in Societ beneficia prima.* 6 *Litem quandam Conimbricensem Societati adiudicat. ibid. Lainij monitu singularia certamina seuerè vetat.* 10. *Quanam in Societatem priuilegia contulerit.* 5.157. *Litteras in eius gratiam Senatui Veneto & Philippo Regi misit. ibid. Alia eiusdem in eandem studia.* 159. *Societatis patrocinium sibi reseruat.* 8.5. *Ab ea abalienatur.* 11. *Placatur.* 16. *Visit Romana Societatis domicilia.* 17. *Quomodo in Romano Collegio exceptus.* 18. *Eius placati causæ.* 19. *Eius de Societatu innocentia iudicium.* 28. *Eius fama consulit missu ad Imp. & Moguntinum Antistitem litteris.* 33. & seqq.
Pij V. de Lainij morte sententia. 8.204
Piratiningani neophyti Ethnicos vexatores bello superant. 5.292. *Eorum pericula.* 6.202
Piscarienses Christiani in Manariam insulam traducti. 4.264
Pitachium apud Grisones quid sit. 4.58
Plocensis Episcopus Collegium Pultouiæ in Polonia Societati erigere decernit. 8.115
Pluuia diuinitus impetrata. 1.154. & 7.121
Poisiacus conuentus in Gallia Societatem recipit in Galliam. 5.198. *Qualis ille conuentus fuerit, qui eidem interfuerint, ad quid indictus. ibid &* 199
Politiani in Patres Societatis commoti. 5.111
Polonici regni status anno M. D. LVIII. *in rebus fidei* 2.121. *Id Societati aperitur.* 8.114
Pontanorum in Socios pietas. 4.60. *Studia in retinendo Collegio.* 5.96. *Eorum verba in conuentu Grisonum pro Collegio.* 98. *Eorum dolor in Patrum exilio.* 104 & 105
Pontificibus summis Societas votum suum quartum pro more exponit. 4.2
Pontius Gogordanus Romæ nouum ciet tumultum, & quare; Pontifici libellum tradit. 1.75. *Iubetur à Cardinali Alexandrino nemini de sua causa verbũ facere quàm sibi.* 85. *Causam apud eumdem dicit.* 86. *Asisium mittitur, & bene rem gerit.* 88. *A Natali ad pœnitentiam superiorum turbarum commouetur.* 2.54. *Rem Societatis Parisiis vrget.* 3.65. *Inflat vt à Francisco II. Rege Societas in Galliam admitteretur.* 4.86. *Eius labores & inopia.* 90. *Ad professionem quatuor votorum admittitur. ibid. Quàm strenuè Societatis negotium in Senatu Parisiensi defenderit.* 5.192. *Validè pugnat pro Episcopi Billomensis legato in Collegij Billomæi erectionem.* 194. *Sauiẽte peste Parisiis discedit.* 6.92. *Nouiodunum petit.* 93. *Paschasium Broëttum mortuum secundùm quietem cognoscit.* 99. *Eius sedulitas. ibid. Parisiis procurat quidquid ad docendi exordium opus foret.* 8.78. *Aptior est ad forenses tricas ac rei domesticæ procurationem quàm alia.* 91
Portuenses Societatem expetunt. 4.157. *Cur malint Collegium quàm domum Professorum.* 162
Præceptores eximij Collegij Rom. anno M. D. LIX. 3.34

Præ-

Digitized by Google

Præpositus Generalis ius habet quosuis contractus ineundi. 2.48
Præpositus Generalis vt perpetuus sit, visum Patribus congregatis, licet secùs suadente Pontifice Paulo IV. 2.57. & 58. *Penes eum potestas nouas condendi prouincias.* 65
Pragensium Sociorum sedulitas. 5.163
Pragensium Societatis petitorum feruor. 8.103
Prauitas quorumdam hominum inemendabilis. 5.257
Precationum vis. 6.9.10. & 8.124
Primatus Romanus asseritur. 6.124. & seqq.
è Primis decem Patribus superstites quinque mortuo B. Ignatio. 1.20
Principū benignitas famulis Dei quā necessaria 2.43
Procuratores quinque prouinciarum quinam Romam ad comitia venerint. 2.47
Professorum quatuor votorum numerus mortuo B. Ignatio in Societ. admodum angustus. 1.20. *Iis ius est suffragij siue ad demandandum, siue ad accipiendum Generalatum.* 1.27. *Per interregnum haud creandi. ibid. Eorum designatio penes Generalem, adhibito consilio Assistentium.* 2.66
Prosper Quadrius à Pontanis ad conuentum Grisonum legatus, vt Collegij Pontani negotium agat. 5.97
Prosper Rebiba Episcopus Troianus Christophorum Rodericium suum constituit Vicarium. 8.49
Protestantium Augustanæ confessionis in Sacramentarios odium. 1.101
Prouincia duodecim Soc. Iesu mortuo B. Ignatio. 1.2
Prouincialium & Commissariorum munus parum inter se distat: hinc turbarum seminarium est Commissariatus. 4.187
Pudicitia in puella Brasila admirabilis. 2.168
Pueri Maurici quomodo à Socijs Granatæ instituerentur. 3.100. & 101. *Puerorum institutionem quanti faceret Bustamantius.* 103

Quadraginta horarum supplicationis forma commoda à Socijs Veliterni instituta. 8.42
Quæstionum sacrarum tribunal in India institutum, et Archiepiscopus Goanus præfectus. 4.277
Quenxu Bonzius ad Christi fidem transit. 4.284. *Eius ante fidem arrogantia. ibid.*
Quies non alibi quàm in suo cuique animo quærenda. 8.134
Quiu an Rex Bungensis suscepto Christi cultu dictus Franciscus. 1.57
Quonquenindonus Villelam benignè excipit. 4.287 *Potestatem facit Euangelij docendi.* 285

Raguſæa reipubl. pietas. 4.54 *Raphael Riera missus Forum Liuij ad Collegij initia ponenda.* 2.75
Ratiputis insolentia apud Amboinios. 6.170. *Christo asseritur. ibid.*
Reformatio cœnobiorum occasio futura reformandæ fidei. 4.63
Regij fratres tres cum patruele & consobrino ad Societatem accedunt. 2.108
Reginaldus Polus Cardinalis moritur eodem die quo Angliæ Regina Maria. 2.134
Regina Lusitaniæ in morte coniugis Ioannis III. constantia. 1.120
Regina Lusitaniæ auia Lud. Consaluium nepoti suo Sebastiano præceptorem à Lainio petit. 3.13
Religiosi omnes & nominatim Socij Apamijs electi. 5.188.
Religiosæ vitæ exemplum. 7.113
Religionis Catholicæ status in Cypro anno M. D. LX. 4.51. *& in Scotia anno* M. D. LXII. 6.107
Remigibus ægris Hispali impensa opera. 7.108
Regis Polonī indulgētia regnū hæreses occuparūt. 2.121
Rheginum Collegium admittitur. 8.56. *Prouinciæ Siculæ id adiunctum. ibid.*
Ricciardus Ceruinus in Societatem vocatur. 4.31. *In Montem Politianum profectus ad res Collegij componēdas frustra est.* 7.20. *Laureti demoritur.* 8.65
Richardus Creag Archiepiscopus Armacanus in Hiberniam magna cum potestate mittitur. 8.98
Rioquey Iaponis erga Patres hospitalis caritas. 5.279
Robertus Abercombæus Societatem init. 6.110
Robertus Bellarminius in Societatem receptus. 4.31. *Eius ad pietatem ac litteras indoles.* 33. *Eius poëmata. ibid. Eius laus.* 36
Robertus à Bergis Episcopus Leodiensis Societati in Belgio fauet. 4.93
Robertus Cardinalis Nobilius Collegium in Monte Politiano instituendum curat. 1.92. *Eius eximia mors: se Societati deuouit.* 31. *Preces pro eius anima per vniuersam Societatem indictæ. ibid. Eius patria, ætas, educatio, studia: exercitia P. Ignatij obit. ibid. Eius modestia, pudicitia, corporis emaceratio: erga famulos quomodo se gereret.* 2. & 3. *Studia eius Theologica.* 3. *Eius in Societatem affectus.* 4. *Eius forma, morbus, patientia. ibid. Eius in morte tranquillitas.* 5
Robertus Pelleuæus Societati sedem Apamijs parare satagit hæreticis aduersantibus. 2.70. & 71
Rodericus Gomius auctor turbarū in Socios in Castella ortarum. 5.37. *Vehementer pro Araozio laborat.* 46
Rodulphi Cardinalis Carpensis sententia in turbis Soc. quoad Vicariatum Lainij. 1.84. *Eius mors.* 84
Rogerii Valentini impia sacrilegia. 8.67 & 68
Roma in Societatem procella concitata. 8.8. *Quæ eius causa.* 10. *Roma destinatur habendæ congregationi generali.* 1.23. *Romæ cur visa sit congregatio haberi debere.* 71. Vide *Collegium Romanum.*
Romana prouincia extra ordinem status mortuo B. Ignatio. 1.4
Rustici cuiusdam bruta inscitia. 5.76

Sacaiana Ecclesiæ ortus. 5.279
Sacraria Ven. Sacramenti elegantia Societatis præcipuè curâ inducta per Italiam. 6.21
Sal Quisamius. 4.206
Salmanticenses scholastici egregiè exculti. 7.88
in Salsettis Goanis prima Societatis sedes. 4.279. *In ijsdem Ethnicorum motus.* 8.170
S. Saluatoris Collegio in Brasilia Rex Lusitaniæ amplos prouentus assignat. 8.197
Sancius Castillus Gades missus. 8.140
Sancius Lopius Hispali in morbidis iuuandis moritur. 7.110
Sardinia Societatem recipit. 3.77. *Idq; in Belgio procuratum.* 78. *Aragoniæ prouincia eius administratio annexa.* 86. *Sardiniæ Cleri populorumq; quàm deprauati mores.* 6.24. *Sed sunt Sardi ad pietatem dociles.* 25. *Pietas eorundem renouata.* 26
Sardi quatuor fratres cum parente ad Societatem in Sicilia sese conferunt. 2.108
Scipio Cicada puer à Turcis captus Christo deserto Christianorum posteà fit hostis. 5.68
Scholarum Societatis in Germania vtilitas. 4.110

Digitized by Google

Earum ſtudioſorum pietas & religionis feruor. 111.
Scotiæ ſtatus quoad res fidei, cùm eò mittitur Gaudanus. 6.107
Sebaſtiani Conſaluij feruor in morbidis vectoribus iuuandis. 6.161
Sebaſtianus Luſitaniæ Rex à P. Ludouico Conſaluio inſtituitur. 4.132. *Eius docilitas.* 134. *Eius littera ad Indos neophytos plena benignitatis.* 8.168
Segobienſium in Societatem caritas. 3.93
Segobia quid Rector Solerius præſtiterit. 7.93
Seminarij Mediolanenſis Societati procuratio commiſſa quas turbas excitarit. 8.54. *Quas item procuratio Romani.* 9
Senæ opidum Regis Manomotapij. 4.228
Senatus Regius Pariſiis cur Societati non faueret, dum in Galliam petit admitti. 4.88. *Quàm tergiuerſaretur in Societate admittenda.* 5.191
Senis Iaponij conſtantia in fide. 5.268
Siculæ prouinciæ ſtatus mortuo B. Ignatio. 1.5. *Eius ſtatus florentiſſimus.* 2.107
Simon Corderius Eboræ moritur. 5.32
Simon Faber è fabrica delapſus templi Collegij Romani nullum paſſus eſt grauius detrimentum. 6.3
Simonem Rodericium cur ſuas facilè in partes Bobadilla pertraxerit de non ferendo deinceps Vicario. 1.74. *Eius de Gagliardis fratribus iudicium.* 3.35
Simplicitatis elogium. 6.97
Sinicæ legationis progreſſio. 8.181
Sinarum ſuſpicioſa cunctatio in admittendis legatis Luſitanorum. 7.119. *Auxilio Luſitanorum prædones Iapones è finibus ſuis abigunt.* 8.182
Sirenum Indicarum deſcriptio. 4.276
Societatis Ieſu mortuo B. Ignatio quis eſſet ſtatus per omnes ſuas prouincias. 1.1. & ſeqq. *vſque ad* 19. *Dei difficillimo tempore benignitatem experitur.* 32. *Eius ſenſus quis eſſet poſt mortem B. Ignatij.* 35. *De ea Romæ præclara opinio tempore belli.* 40. *Eius clementia in turbulentos Romæ.* 89. *Nihil illi è turbis damni acceſſit ab externis, qui ſolùm turbulentis ſuccenſebãt. ibid. In Sicilia Vegæ Proregis diſceſſu nonnihil laborat.* 110. *In Hiſpania exagitatur ſub aduentum Caroli V. in Hiſpaniam.* 112. *Ei per Borgiam Carolus reconciliatur.* 115. *In eam cur ſe Borgia contulerit præ alijs Religionibus.* 114. *Morientium in ea nomina conſeruari cœpta.* 123. *Eius preces pro felici cõgregationis exitu.* 2.21. *Quales ſe in Italia ei darent, quales in Hiſpania.* 87. *Indicta gratiarum actio pro eius incremento.* 88. *Nec non precatio pro defunctis, quæ Societati propriè conuenit.* 89. *In eam in Sicilia infamia ex presbytero Ioannello.* 110. *Teſtimonium pro ea Panormitanorum.* 111. & *Mamertinorum.* 112. *In eam Imp. Ferdinandi benignitas.* 118. *Sermones de ea in Hiſpania.* 123. *De eius innocentia teſtimonium ſummi Inquiſitoris.* 124. *Ab hæreticis vexatur.* 125. *Libellus famoſus in eam Hiſpali affigitur. ibid. Eam quomodo ab infamia vindicarit Deus.* 128. *Vexatur rurſus in Hiſpania & in Belgio, quaſi confeſſiones retegeret.* 130. *Vnde ea opinio orta. ibid. Eius ratio in audiendis confeſſionibus probatur Inquiſitoribus Hiſpanis.* 132. *Eam Nuncius Apoſtolicus conſolatur & probat.* 133. *Orationes indicit pro anima Caroli V.* 134. *Ab Archiepiſcopo Toletano Silicæo vexatur.* 135. *Eius primæ commoratio Toleti.* 139. *Quomodo in pſalmodiæ vſu ſe geſſerit.* 3.31. *Preces ei facere cura eſt pro publicis difficultatibus.* 32. *Quàm eam æquum ſit Ethnicis ſuccurrere.* 131. *Eius adminiſtratio qualis per Italiam anno* M.D.LX. 4.24. *Quid ad Societatem Robertum Bellarminium maximè vocarit.* 37. *Quanto negotio curatum vt in Galliam reciperetur.* 86. *In eam Regis Galli & Procerum ſtudia.* 87. *Quantum Henrico IV. Gallorum Regi debeat.* 90. *Quantũ ſudatũ vt in Belgiũ reciperetur.* 1.109. & 4.93. *Rumores de ea ibi ſparſi.* 4.95. *Quàm ea hæreticis in Germania exoſa.* 118. *Quid ea eſſet ex Natalis ſententia.* 5.17. *Turbæ in eam in Caſtella excitantur.* 36. *Vnde ea ortæ.* 37. *De ea iudiciũ Ioannis Auilæ.* 59. *In Monte Politiano exagitatur.* 107. *Criminationes in eam Venetijs.* 115. *Defenditur vltro in Senatu.* 116. *Neapoli vexatur contumeliis.* 156. *Conceſſum ei priuilegium intra cannas, & conferendorum graduum & decimarũ à Pontifice.* 157. *Commendatur ab eodem Senatui Veneto & Philippo Regi Hiſpano. ibid. In Senatu Pariſienſi defenditur.* 193. *Commendatur à Cardinalibus Lotharingo & Turnonio.* 196. & 197. *Recipitur in Galliam in conuentu Poiſiaco.* 198. *Deſinit malè audire cupiditatis nomine in Regia Hiſpana.* 6.63. *Precum eius vis.* 82. *Quantus ei honor à Concilio Tridentino habitus.* 7.4. *Vindicatur à calumnijs. ibid. Romæ quantopere floreret anno* M.D.LXIII. 12. *In eam hæreticorum maledicta.* 54. *Toleti pergrata eſt.* 87. *Ei demandatur in Luſitania inſtitutio puerorum regiorum.* 112. *Eius patrocinium Pontifex ſibi reſeruat.* 8.5. *Romæ grauiſſimè exagitatur.* 8. *Ei traditur cura Romani Seminarij.* 9. *Pontifex ab ea alienatur.* 11. *Fictæ in eam fabulæ.* 13. *Noua in eam Romæ tempeſtas concitatur.* 20. *Libelli de ea famoſi vulgantur.* 21. *Summum periculum famæ eius imminet.* 27. *De eius innocentia Pontificis & Cardinalium iudicium.* 28. *Quomodo Patres calumniæ ſparſæ reſponderint.* 29. *Eius cura in conſeruanda ſua integritate.* 31. *Eius infamia quàm pernicioſa Catholicis, opportuna hæreticis.* 32. *Eius famæ Pontifex ſuo teſtimonio conſulit.* 33. *Prouentus ex tentatione* 36. *In Poloniam penetrat.* 114. *Eius opera vſi Epiſcopi Hiſpani in promulgatione Concilij.* 8.117
Sociorum Romæ feruor inter bellum. 1.37. *Vocantur ad opera munienda vrbis. ibid. Temperãt linguã & ſtudia.* 38. *Eorum ſimplicitas in domeſticis turbis.* 77. *Romam qui venerant, in ſuas reuerſi prouincias.* 87. *Argentam opidum ab hæreſi expurgant.* 93. *Coloniæ rem nauiter gerunt & conſtanter in ſumma inopia.* 106. *Panormi in publica calamitate vſui ſunt & auxilio.* 111. *Thynnorum piſcatoribus in Cartheianis cetarijs operam nauant, & flagitia remouent.* 119. *Eorum Romæ ſolicitudo ob congregationis cogendæ difficultatem.* 2.2. *Diſcrimen Sociorum qui in Hiſpania & qui in Italia ſe Societati dabant.* 87. *Qui miſſionem Indicam petunt, debent Generalem admonere.* 92. *Peſtilentibus auxilio ſunt in Hiſpania citeriore.* 145. *Barcinonenſes iuuantur à monachis Montis Serrati in rerum domeſticarũ penuria.* 147. *Eorum in Braſilia nauitas & humilitas.* 167. *In India eorum in ſpiritu feruor induſtriâ Prouincialis Silueriæ.* 171. *Ad Socios Indos & Braſilos epiſtola Lainij.* 187. *Apamienſium conſtantia contra hæreticos.* 3.73. *Primi in Sardiniam miſſi quomodo excepti.* 84. *Lucronij calumnijs impetiti.* 89. *Illorum feruor*

Miſ-

Digitized by Google

Missionem Indicam petentium. 136. *Goanorum feruor.* 137. *Facatæ vexantur in Iaponia.* 155. *Eorum in curandis ægris classiarijs labores.* 4.42. *Mittuntur in Hiberniam.* 45. *Illorum zelus & industria Apamijs.*79. *Cur presbyteri Claromontani in Gallia vocati.* 92. *Eborensium feruor.* 142.& 147. *Bellimarensium exercitationes.* 174. *Granatensium in iuuando nosocomio.* 177. *Socij in Angolam proficiscuntur.* 4.208. *Quomodo circa Goam Ethnicos ad Christum pertraxerint.* 246.*Conimbricensium ardor vnde refrixerit.*5.13. *Eorum Romæ in valetudinario experimenta.* 63 *Quidam triremi non recepti prædonū sic manus euadunt.* 5. 68. *Pontanis Socijs decernitur exilium è Valle Tellina* 103. *Iis digredientibus terræ motu omnis vicina ora concussa.*106. *Vexantur in Monte politiano multiplici infamia.* 108. *Pragensium sedulitas.* 163. *Billomenses rei familiaris premuntur angustijs.* 194. *Segobienses eleëmosynis victitant.* 6. 63. *Conimbricensium feruor.*118. *Sociorum in Aethiopia miseria & inopia.* 157. *Eorum in Indiam nauigantium feruor.*161. *Noui in Galliam missi.*7.63. *in Hiberniam & Angliam missi.* 8. 98. *Qui in Poloniam missi quas passi miserias.*114. *Lucronij & Cæsaraugustæ pestilentibus auxiliantur.* 153. *& seqq.*158. *Noui in Indiam submissi.*173.*Illorum caritas in oræ Piscariæ neophytos.* 178.

Socotoræa Missio successu caruit. 6.166.

Sodalitas non bona in bonam conuersa inter nauigandum à Patribus. 5.140. *Sodalitas Parmensis à Petro Fabro instituta.* 8.62. *Sodalitas instituta Vallisoleti ad iuuandos carcere detentos.* 7 90. *Sodalitates Rosarij & Nominis Iesu cur in Missionibus curaret institui Iacobus Suarius.* 4. 170. *Sodalitas Pietatis instituitur Patauij à Palmio.* 2.72. *Eius instituta. ibid. Alia Romæ à Lainio, nomine SS. Apostolorum.* 86

Solorus insula ad fidem Christianam suscipiendam aptitudo. 3.134

Somascos Lainius in Societatem admittere cur noluerit. 5.147

Spiram Socij excurrunt Treuirenses. 8.96

è S.Spiritus portu electi hæretici in Brasilia. 5.292

Stanislao Hosio sanitatem restituit Petrus Canisius. 6.76. *Societatem in Poloniam aduocat.* 8.114. *Lainium super graui quæstione consulit.* 222

Stephani Agricolæ ab hæresi conuersio. 4.120. *Quàm fuerit deinde pro fide Catholica zelatus. ibid.*

Stephanus Almeida Episcopus cur Murcianum Collegium non promoueret. 4.165. *Eius placati gratitudo in Societatem.* 166. *Moritur, eius in Murcianum Collegium benignitas.* 7.85

Stephanus Mirabellus ab hæreticis capitur. 6.69

Stephanus Vsusmaris Dominicanorum Generalis studiorū in Coll. Rom. instaurationes cohoneſtat. 1.39

Studia in Romano Collegio tempore belli quomodo instaurata. 1.39

Sumitanda à Regina Omurana cur adoptatus 6.188. *Primus is è Regibus Iaponijs Christum secutus.*189. *Ad Cosmum scribit de sua in fidem Christianam propensione. ibid. Quanta ea fuerit.* 7.134. *Pellicitur ad fidem.* 135. *Instituitur.* 136. *Crucem auream collo gestat. ibid. Eius modestia.* 140. *Baptizatur cum multis suorum.* 145. *Eius pietas.* 147.& 150. Vide *Bartholomæus Rex.*

Superstitiones sublatæ Bazaini. 5.249

Syracu sani Collegij sanctitas. 2.95

Syracusani Societatis operâ sanctiores induunt mores: hinc mercatores habet infensos. 1.110

Tacuximanorum pietas & feruor. 5.274 *in Taparica insula Ecclesia sancta crucis condita.* 5.283

Tarquinius Rainaldus Romanus Collegio Vallis Tellinæ præficitur. 4.56. *E Valle Tellina abire iussus Comensi Collegio præficitur.* 5.95

Tempestas grauis describitur. 6.150

Templa hæreticis in Gallia ne darentur dissuadet Lainius. 6.32. *Templa in Iaponia varia ædificantur.* 5.275. *Templum Collegij Romani operâ ipsorum Sociorum ad culmen peruenit.*6.3. *Eius elegantia.*4

Ternate exstruitur templum. 7.125

*Ternatinum bellum Lusitani mouent.*1.157. *Obsidentur à Rege Ternatino, sed obsidio laxatur.* 2.182

Ternatinus Rex mirus simulandi artifex. 8.179. Vide *Caciles*, & *Cizilguzarata.*

Ternos è singulis prouincijs adesse in congregatione generali Constitutiones iubent. 1.27

*Terræ motus in Patrum discessu è Valle Tellina.*5.106

Testamentum Episcopi Billomensis in rem Societatis quàm iniquè peruerteretur. 5.194

Theodoricus Amsterodamius missus in Poloniam. 2. 52. *Viennam postridie quàm venit morbo corripitur.* 119. *Eius vitæ compendium, eius dotes, diligentia, in morte iucunditas. ibid. Sententia de vocatione.* 120

Theodorici Canisii de Theodorico Amsterodamio testimonium. 2.119. *Eius industria Monachij.* 5.161

Theodorus Beza interest conuentui Poisiaco. 5.198. *Loquitur in eode sua missione extra ordinem.* 200 *Refutatur à Cardin Lotharingo. ibid.*

*Thomas Chinge Anglus in Angliam destinatur.*8.99

Thomas de Iangues cùm Societati se dicasset, facultates Lucronienſi extruendo Collegio assignat. 3.87. *Moritur Lucronij in obsequio pestilentium.* 8.156

Thynnorum sedes & migratio. 1.18

Tiberis restagnat: nihil in hac clade damni passa Societas. 1.90

Tidore & Ternate fides propagatur. 8.173

Timoris insula quàm dociles incolæ. 3.135

Tiolizæ de Christiana religione sententia. 6.179

Tirnauiensium deprauati mores antequam eò Societas veniret. 5.169

Tiro ad Societatem diuino monitu reuocatus. 5.64

Toletigesta Sociorum. 6.112. Vide *Collegium*

Tolosæ quomodo sæuierint hæretici. 4.81

Tonge opidum in Cafraria 4.214

Tongensis Regis arrogantia stulta, & à fide susceptа auersio. 6.159

*Tornacēsis domicilij tenuitas.*4.106. Vide *Collegium.*

Tornacensium pietas exultorum à Ioanne Mortagna. 5.184

Treuiris excitata studia pietatis & litterarum. 5.176

Treuirensis Collegij occasio. 4.100. *Eius principia.* 102. *Quàm latis id animis Treuirenses exceperint.*103.& 104. *Treuirensis Gymnasij leges.* 5.173

Tridentinum Concilium ab Eliano versum Arabicè. 8.40

Triguerensis Collegij initia. 6.111

Trigueri quid egerit Bustamantius. 7.101. *Opidi si-*

Digitized by Google

tus aptus iuuandis multis. 103
SS. Trinitatis pagus conditus in India Orientali. 2.170
Tumungamus Malacensis qua occasione ad Christum conuersus. 5.246
Turbatorum domesticorum Romæ in Societate aduersus Vicarium irritus conatus. 1.78
Turbæ in Societatem in Hispania excitatæ. 1.112. Nec non in Castella. 5.36. Aliæ Romæ. 8.8.
Turnonius Cardinalis quomodo Societatem commendarit. 5.197. Vide Cardinalis.
Turnonense Collegiũ quare Societati traditum. 4.84
Turnonis situs. 5.190
Turnone quomodo grassati hæretici. 4.84

in Vallem Tellinam mittitur Nicolaus Bobadilla. 2.81. Antonius Quadrius hîc Collegium meditabatur. 82. Vallis eius status. 83. Quanta loci eius paupertas. ibid.
Vallisoletum inducta schola altiores. 7.92. Ibidem quàm frequentes concionarentur & catechizarent. 8.118
Veneratio quanta debeatur Præsulibus, & maximè Summis Pontificibus. 2.63
Venetus Senatus hæreticos proscribit. 8.51
Venetijs receptaculum excitatur Palmij suasu iis quarum pudicitia periclitabatur. 2.73
Vicarij Generalis munus comitia generalia, à quo tamen etiam Societatis reliqua administratio pendet. 1.28. Eius auctoritas quomodo declarata. 2.48
Vicecomitis Cicadæ inhumanitas in Socios. 5.68
Victoria insignis per vexillũ Iesu nomine pictum. 3.130
Victoria Tolfia Collegium Romanum ingressa quid in eo miraretur. 5.62
Viennensis Collegij res. 5.165. Eius Præpositus declaratur Laurentius Magius. 7.41
Viennensium Patrum de Præpositi creatione gratulatio. 2.114
Villaregiensis domus Probationis recepta. 5.48
Vincentii Belmagii ad Societatem accessus. 3.45. Eius mors.
Vincentius Brunus medicus in Societatem ingreditur. 4.67.
Vincentii Laurei littera Collegium Turnonirum Societatis Cardinalis Turnonii nomine deferentis. 4.85
Vincentii Salernitani inter nauigandum feruor. 6.161
Vincentius Tonda octoginta Christo asserit. 6.160
Vindicta diuina in auctorem infamiæ Collegij Politiani. 7.25
Violantis Guzadinæ prædictio de templo S. Luciæ Bononiæ Societatis Patribus dando, & Guzadinorum domo ad eosdem ventura. 6.23
Vltionis insana auiditas. 4.273
Vocatio insignis ad Societatem Ioannis Mendozæ. 1.40. Iacobi Ledesmæ. 61. Ioannis Carreræ. 137. Ludouici Masselli. 2. 67. Alfonsi Dezæ. 154. Petri Sancij. 157. Alfonsi Castrij. 180. Triũm fratrum Gagliardorum. 3.35. Pauli Candij. 37. Antonij Posseuini. 38. Francisci Butironij. 44 Vincentij Belmagij. 45. Ludouici Corbinelli. 68. Petri Spigæ. 78. Roberti Bellarminij. 4. 31. & 37. Ricciardi Ceruini. 32. Ogerij Dauantiani. 108. Bartholomæi Petrij. 8.126. Petri Martinij. 155.
aduersus Voces impias solertia. 5.77
Vocoxiura frequentatur. 7.133. Flammis deletur. 158.
Volturrena Collegium suum eiecit. 5.94
Voluntatum concordia obtineri potest cum dissidio sententiarum. 6.83
Votorum instauratio magno est adiumento in Rom. Collegio. 1.60
Vota simplicia Professorum addita solemnibus. 2.53
Vrsula Fuggera quàm benignè Lainium habuerit Augusta. 6.74
Vulturariam hæresis vnde occuparit, & quàm latè ea pestis ibi pateret. 7.13

Ximabarana Ecclesiæ primitiæ. 7.138. Ea vexatur à Bonziis. 143. Eius tamen incrementa. 144
Xongum Iaponiis quid denotet. 4.281

Zacharias Delfinus Nuncius Apostolicus Societatis gesta in Germania Romæ celebrat. 1.40. Societatem in Germania commendat. 159
Zaires è tribus Africæ fluminibus maximus. 4.224
Zerba insula de Turcis capitur. 4.41

ERRATA.

pag. 3. col. 2. v. 27. *à fine lege* idonea.
6. col. 1. v. 19. *à fine* tam concordi.
8. col. 1. v. 16. *à fine* edicta.
9. col 1. v. 4. *à fine* quantam.
22. col 2. v. 20. *à fine* colloquium.
150. col. 2. v. 7. *à fine* octoginta.
162. col. 1. v. *vlt.* Europa.
187. col. 1. v. 4. eques fecerat.
col. 2. v. 18. hæreticis.
209 col. 2. v. 34. tanquã.
280. col. 2. v 15. postremus.
833. col. 1. *in marg.* ex Indis.

Digitized by Google

SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTVS & ISABELLA CLARA EVGENIA, *Archiduces Austriæ, Duces Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Serenissimi Belgarum Principes diplomate suo sanxerunt, ne quis* Historiarum Societatis Iesu partem secundam, auctore R. P. Francisco Sacchino, Societatis eiusdem Sacerdote, *intra sexennium, præter Martini Nutij Typographi Antuerpiensis voluntatem, vel in Belgio imprimat, vel alibi terrarum impressam in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, venalémue habeat. Qui secùs faxit, confiscatione librorum, & alia graui pœna mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, 8. Julij, anno* 1520. *id est* 1620, *quô liber hic impressus est. anno enim* 1520, *nondum extitit Societas* JESU, *neq; P. Sacchin, et religio*

Signat

Steenhuyse.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google